STANDARD BIBLIOGRAPHIC MICROFILM TARGET

Section 1 Original Material (as filmed)

Author(s) Whitaker, W. Author's date(s) _____

_____ _____

_____ _____

Title Praelectiones de sacramentis in genere, ...

_____

Publisher, if a book I. Ammonii ciuis & Bibliopolae

Publication Date(s) or period covered 1624

No. of vols. ( ) Pages ( ) Other ( )

Place of Publication Francofurtensis

Edition _____ Editor, or Translator _____

Holder of Original Material University of Toronto - Thomas Fisher Rare Book Library

Editor and Publisher of Microfilm Edition _____

Holder of Master Negative University of Toronto - Robarts Library, Photocopy Unit

Restrictions, if any, on use _____

Section 11 Technical Microfilm Data

Producing Laboratory _____ Date _____

Film size - 35mm (X), 16mm ( ), Reduction Ratio 14X (X), 20X ( ), Other ( ),

Image Placement - 1A ( ), 11A (X), 1B ( ), 11B ( ), Duplex ( ), Duo ( ).

NOTE that this form is to be used for books, manuscripts, records, maps, periodicals and newspapers interchangeable.

AIA: MICROFILM NORMS

9th
MoL

Library
of the
University of Toronto

ll lend to L
strengtheneth
adements.
in time of his
nbour againe in

deale faithfully
wayes finde the
hee.
g was lent them,
and put them to

he wil kisse a mans
urs money he will
n he should repay,
nd returne words
he time.
hall hardly receiue
as if he had found
d him of his mo-
n an enemy with-
curſings, and
hee will pay him

refuſed to lend
fearing to be de-

e with a man in
iew him mercy.
the commande-
not away becauſe

thy brother and
ſtone

according to the
oſt-High, and it
then gold.
thy ſtore-houſes:
all affliction.
ee againſt thine
nighty ſhield and

for his neigh-
will forſake him.
ſhip of thy ſure-
for thee.
grow the good e-

an vnthankefull
anger] that deli-

many of good
a waue of the
uen from their
among ſtrange

ing the Com-
ſhall fall into
and fol-

p
into
21
bread, and
ſtame.
22 Bet
meane cottage
mans houſe.
23 Be it li
ted, that thou
houſe;
24 For it
houſe to houſ
thou dareſt n
25 Thou
haue no thank
bitter words.
26 Come
ble, and feed
27 Giue p
rable man, m
ed, and I haue
28 Theſe
vnderſtanding
and reprochin

C

1 It is good to cor
14 Health w
are ſhortened by

HE* that
to feele
him in the en
2 He tha
ioy in him, a
his acquaint
3 He th
enemy: and be
of him.
4 Thoug
though he we
behind him th
5 While
in him: and
rowfull.
6 He left
his enemies,
nes to his fri
7 He th
ſhall binde v
will be tro
8 An
ſtrong
wilfu

Library
of the
University of Toronto

8 * Abstain
diminish thy sin
kindle strife.
9 A sinfull
maketh debate
10 As the
neth: and as
wraith, and
riseth, and th
tend, the mor
11 An h
and an haste
12 If thou
if thou spit v
both these co
13 * Cu
gued: for suc
at peace.
14 A ba
many, and d
tion, strong
ouerthrowen
15 A ‖ b
vertuous wo
labours.
16 Whos
finde rest, and
17 The f
in the flesh
keth the bon
18 Many
sword: but n
19 Well
and hath no
therof; who
of, nor hath
20 For
and the band
21 The
graue were b
22 It sha
feare God, he
the flame th
23 Such
to it, and it
quenched; it
on, and deuou
24 Look
about with
and gold:
25 And
and make a
26 Bewo
fall before h

C

*a wee must sheath
must not defeath
good man will
and vndertake
to liue as heere*

kes, and eyelids.
shameleſſe, keepe
her ſelfe through
udent eye: and
against thee.
outh as a thirſtie
and a fountaine:
keepe her: by cue-
ne, and open her
lighteth her huſ-
fat his bones.
woman is a gift
nothing ſo much
ucted.
thfull woman is a
inent minde can-
it anſeth in the
eauty of a good
houſe.
is vpon the holy
y of the face ‖ in
are vpon the ſoc-
faire feete with a
oure of thine age
gth to ſtrangers.
en a fruitfull poſ-
; ſowe it with
the goodneſſe of
u leaueſt ſhall be
nfidence of their
ſhall be
counted as ‖ ſpit-
is a towre againſt
giuen as a porti-
godly woman is
he Lord.
man contemneth
an will reuerence
ſhall be counted
ſhamefaſt will feare
ourneth her huſ-
of all: but thee
pride, ſhall bee

ſhall not b

1 *Of ſinne in*
what is in vs.
creat

* Many l
ter: a
dance will tur
2 * As a
ioynings of t
cloſe betweer
3 Vnleſſe
in the feare of
be ouerthrow
4 As wh
refuſe remain
‖ talke.
5 The ſ
ſell: ſo the *
6 * The
beene dreſſed
ceit in the hea
7 Praiſe
ſpeake, for th
8 If thou
ſhalt obtaine
ous long robe
9 The b
ſo will trueth
in her.
10 As th
prey: ſo ſinn
11 The d
waues with w
as the Moon
12 If tho
ſerue the tim
men of vnde
13 The d
and their ſpor
14 The ta
maketh the
braules make
15 The ſt
ding, and th
eare.
16 Who
his credit; a
minde.
17 Lo
him: b
low n
18
mi

Chas that grieue my
th meeangry: a
th pouertie, and
art not ſet by: and
righteouſneſſe to

Library
of the
University of Toronto

8 * Abſtain es, and eyelids.
diminiſh thy ſi shamelesſe, keepe
kindle ſtrife. er ſelfe through

9 A ſinfull udent eye: and
maketh debate against thee.

10 As the outh as a thirſtie
neth: and as and a fountaine:
wrath, and a eere her: by euer-
riſeth, and th ne, and open her
tend, the mor

11 An ha elighteth her huſ-
and an haſtie l fat his bones.

12 If thou woman is a gift
if thou ſpit vp nothing ſo much
both theſe co ucted.

13 * Cur thfull woman is a
gued: for ſuc inent minde can-
at peace.

14 A bad it ariſeth in the
many, and d beauty of a good
tion, ſtrong houſe.
ouerthrowen

15 A ‖ ba is vpon the holy
vertuous wo y of the face ‖ in
labours.

16 Whoſo are vpon the ſoc-
finde reſt, and faire feete with a

17 The ſ ourt of thine age
in the fleſh: igth to ſtrangers.
keth the bon

18 Many en a fruitfull poſ-
ſword: but n ſowe it with
tongue. the goodneſſe of

19 Well i
and hath no leaueſt ſhall be
therof; who fidence of their
of, nor hath

20 For th counted as ‖ ſpit-
and the ban is a towre againſt

21 The
graue were be giuen as a porti-

22 It ſha godly woman is
feare God, he Lord.
the flame the an contemneth

23 Such an will reuerence
to it, and it
quenched; it ſhall be counted
on, and deuour me faſt will feare

24 Looke
about with th ourdeth her huſ-
and gold: of all: but thee

25 And er pride, ſhall bee
and make a

26 Bewa man, and a ſcold
fall before him way the enemies.

C Les that grieue my
2 *wee muſt ſtreng* th mee angry: a
muſt not deſpa pouertie, and
good man will not ſet by: and
and vndertake ghteouſneſſe to
to liue at home

1 *Of ſinne in* *what is in vs.*

* MAny
ter: a
dance will tur

2 * As a
ioynings of t
cloſe betweer

3 Vnleſſe
in the feare o
be ouerthrow

4 As wh
refuſe remain
‖ talke.

5 The fi
ſell: ſo the *
6 * The
beene dreſſed
ceit in the hea

7 Praiſe r
ſpeake, for th

8 If thou
ſhalt obtaine
ous long robe

9 The b
ſo will trueth
in her.

10 As th
prey: ſo ſinn

11 The d
wayes with w
as the Moon

12 If tho
ſerue the tim
men of vnde

13 The d
and their ſpor

14 The ta
maketh the
braules make

15 The ſl
ding, and th
eare.

16 Who
his credit; a
minde.

17 Lo
him: b
low n

mi

Library
of the
University of Toronto

...8 Her husban...
...ours: and when...
...terlie.

19 All wick...
wickednesse of ...
a sinner fall vp...

20 As the c...
the feete of th...
words to a quie...

21 * Stumbl...
man, and desire...

22 A woma...
band, is full of ...
reproch.

23 A wicke...
maketh an hea...
ded heart: a ...
her husband ...
hands, and fee...

24 Of * th...
of sinne, and ...

25 Giue th...
wicked woman...

26 If thee g...
her, cut her off...
a bill of diuor...

C H...

1 *A good wife, ...*
A wicked wife ...
badde wiues. 2...
Merchants and ...

BLessed is ...
wife, for ...
be double.

2 A vertu...
band, and he sh...
in peace.

3 A good ...
shall bee giuen ...
feare the Lord...

4 Whether ...
haue a good he...
at all times reio...
nance.

5 There be ...
feareth; and for...
† the slander of ...
of an vnruly m...
on: all these ...

6 But a gra...
woman that is ...
and a scourge ...
nicateth with a...

7 An euill ...
fro: he that ha...
held a scorpion...

8 A drunk...
broad, causeth ...
couer her owne ...

9. The wh...

GUILIELMI WHITAKERI
ANGLI, S. THEOLOGIÆ OLIM IN
Academia Cantabrigiensi Professoris Regii idemque

PRÆLECTIONES

De Sacramentis in Genere, & in Specie de SS. Baptismo & Eucharistia.

Quibus vniuersum negotium Sacramentarium omnesque controuersiæ cum veteres tum recentiores perspicuè, methodicè, solidè pertractantur.

Ab ore quidem docentis excepta cura & industria Ioannis Allensonii, Britanni, S. Theologiæ Baccal. & Collegii S. Ioannis in eadem Academia socii;

Nunc verò in publicam & lucem datæ

Sumptibus Ioannis Ammonii ciuis & Bibliopolæ Francofurtensis.

M DC XXIV.

REVERENDISS
IN CHRISTO PATRI, AC
D. TOBIÆ MATTHÆO, DIVINA PRO
Archiepiscopo Eboracensi, Angliæ Primati ac Me
Domino suo obseruandiss.

publicis præ-
innis Euangelistæ
, fideli calamo ex
um ipsius D. VVhit-
iptis, accurate co-
isciudinem, ipse
Exemplar prælo de-
illudiam (Reueren-
verum *atoin*
in optim

Miratus est olim (Amplissime *Species &* *aeamna*
ptor, Vincentius Lirinensis Pa *non solum contra*
vesaniam, qui non co* *identium n* *am & pro-*
accepta antiquitus cre* *pabile, nullo* *percep-*
ua ac noua in diem qu* *to, veteribus inaudita*
aliud gestiant religioni a* *sentiam*
trahere. *Neq; enim de Ecclesiæ Christi ver* *ulosam multip*
iudicatur, quàm ex dogmatum diuinorum fida & *stat idem corpus quot*
eorundem fideli custodia certius pronuntiatur, quàm *risti, omnibus suis*
iisdem nihil innouari, siue minuendo, siue mutando, siue ap *humano*
quod alibi apertius exprimit, idem nitidissimus scriptor, Christi Ec- XXXII.
clesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum cu-
stos, nihil in iis vsquam permutat, nihil minuit, nihil addit;
non amputat necessaria, non apponit superflua, non amit-
tit sua, non vsurpat aliena. *Scilicet vir sapiens animaduertebat,*
Dogmata Religionis hisce omnibus modis deprauari, amputando ne-
cessaria permutando genuina, addendo superflua. *Si ad hanc*
Vincentii normam Dogmata in recentioribus Synodis Pontificiis Late-
ranensi sub Innocentio III. Constantiensi, Florentino, & Tridentino,
definita exigamus, non difficile erit iudicium facere, vtrum illorum Ec-
clesia, sit illa sedula & cauta depositorum apud se Dogmatum
custos, *de qua agit Vincentius, an secus. Iudicio sint illorum Dogmatici*
errores non solùm quoad agenda & cæremoniarum ritus; sed *Articul. Relig. Ecclesiæ Anglic. Art. XIX.*
etiam in iis quæ credenda sunt, *vt verbis vtar nostræ Confessio-*
nis. Ea omnia singula iam recensere vnius aut alterius pagellæ an-
gustia non patientur. Certum est eos regulam fidei veterem in nonnullis,
consequenter saltem, tum minuendo, *tum* permutando, *correxisse*
vel potius corrupisse, sed certo certius est, eos nouam fidei formulam
veteratorie supposuisse, veteremq; fidem XII. nouorum articulorum

plo & conatu sane audacissimo, auxisse. Huius rei testis symbolum fidei nouellum à Pio IV. in Bulla super forma professionis fidei è Tridentinis Decretis formatum, quod ... politano cui annectitur, vt ... & æmulum ex... pietatis affectu omnibus sub pœna amittendæ sa... possessium. Hisce ambabus omnes præfecturæ Eccle... scribere, nec subscribere modò, sed & iurare tenent, ... simul profiteri, hanc esse fidem Catholicam, & ... saluus esse posset. Et denique (vt nihil desit huic ... confiteri se contra sentientes omnes ... & diris omnibus deuouere. Scilicet olim Tertullianus de Marcionitis) liberanda ... interea perperam euangelizabatur, per... tot millia paruulorum perperam tincta, ... ram administrata, tot virtutes, tot cha... operata, tot sacerdotia, tot ministeria per... tot denique martyria perperam coronata. ... nis esset, in singulis immorari. In vna re sacramentaria ... mum est quantum à veteris Ecclesiæ semitis deflexerunt. Geminis Ecclesiæ veri nominis Sacramentis quæ è latere Saluatoris perfosso fluxisse, frequenter & perseuerantr testantur patres tum Græci omnes, tum Latini non pauci, de nouo adiecerunt Concilia, Florentinum & Tridentinum, alia quinq; proprii nominis Sacramenta, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium & extremam Vnctionem. Et tamen nemini obscurum esse potest periculosius longe errari circa Sacramenta, præsertim nouella introducendo, Ecclesiæq; obtrudendo, quam circa alia dogmata, cum ea alia ferè theorica sint, & eorum plurima necessaria cognitu sint necessitate tantum præcepti, vnde & eorum ignorantia inuincibilis excusat nescientes. Sacramentorum tamen cognitio ad praxim pertinet, & ad praxim singulorum hominum, vnde & fatentibus aduersariis necessaria sunt singulis, posita institutione diuina, necessitate non solùm præcepti sed & medii vbi haberi possunt, finem ad bene esse, exemptis Ordine & Matrimonio. Sed errores Romanensium circa Sacramenta, tum in Genere tum in Specie excutere supersedeo. Vnum augustissimum Eucharistiæ Sacramentum nouit satis Amplitudo vestra, quàm crasse & enormiter corruperint, depranârunt. Laicos in vniuersum à Sacri Calicis communione arcendos nouo sacrilegio decreuerunt Concil. Constantiense & Tridentinum, contra diui-

Bellarm. de Sacra. in genere lib. c. XXII.

dictam Canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ Academiæ publicis præmille & amplius à Christo nato, annos. En hu... Ioannis Euangelistæ tionem. Corpus & sanguinem Domini ... ortem, cum ipsius D. VVhitciebus panis & vini veraciter contineri ... subsidium scriptis, accurate cõpus, & vino in sanguinem potestate diuina, ... rum vicissitudinem, ipse nenses sub Innocentio III. id q; sub anathemate sit. Exemplar præclo deàquo non licea... periculo hæreseos, dissentire. t. Illudiam (Reuerenconsequenter docen... defe... charistia post consecrationem pan... I. Panis ... rerum ... ato in Catholicæ Ecclesiæ vniuersalem con... re esse... n optimæ Vn... Chrysostomus, Theodoretus & Gelasius Pa... Species & Academia panis & vini absq; omni inhærentiæ subiecti ... non solum contra veterem Ecclesiam, sed & contra ipsorum accidentium ... ram & proprietatem. III. Corpus Christi, inuisibile, impalpabile, nulla ... perceptibile, intra hasce species, nouo planè commento, veteribus inauditum, sistere. IV. Docent etiam consequenter, miraculosam multipræsentiam corporis Christi in sacra Eucharistia, vt tot locis existat idem corpus quot celebretur ipsum Sacramentum. V. Idem corpus Christi, omnibus suis membris distinctum, figuram habens & ordinem corpori humano congruum, in quauis hostia nummularia, imò & in qualibet hostia particula, contineri absq; omni membrorũ ad inuicem penetratione. VI. Idẽ corpus inmille locis existere absq; vlla loci occupatione. En non corpus ... spiritum: vel si corpus, nõ verũ & reale sed phantasticũ, Marcionitarum, Apollinaristicum. En Sacramẽti, sublato elemento & analogia sacramentali, destructionem. En plane euersa & subuersa iuris & dictamina naturæ. En fidem Ecclesiæ nouis articulis consequẽter ... quuntur, auctam & multiplicatam. Hisce accedat ab eodem turbido fonte manans ἀφλατρεία, quâ creatura adoratur pro creatore, panis pro carne Filii Dei. Quã horrenda sit illa Idololatria, si nõ detur dicta Transubstantiatio, quam nos, vt scripturas patribus, rectæ rationis dictamini, & vniuersalibus Naturæ edictis contrariam, meritò reiicimus & auersamur, ipsius Costeri Iesuitæ non ignobilis, verbis exprimere operæ pretium erit. Si non detur (inquit ille) Transubstantiatio, tolerabilior fortè erit error eorum qui pro Deo colunt statuam auream, aut argenteam, aut alterius materiæ imaginem, quos olim Gentiles Deos suos venerabantur: vel pannum rubrum in hastam eleuatam, quod narratur de Lappis; vel ... ua animalia, vt quondam Ægyptii, quàm cocum qui frustulatu panis adorabunt.

Costerus in Enchirid controuers.

p. o dicto Transubstantiationis fundamento nixi, in
bia, verum & reale corpus Christi sub speciebus
onis huic celebratione offerri in sacrificium reale
opalitan. satisfactorium & impetratorium
piuis, idq; ex opere operato. En Sacramenti
cium propriinominis mutationem. Id quod
tis & solitariis apertius cernitur, vbi solum sa-
amenti ratione habita, peragitur & celebratur.

Hæ scilicet sunt horr[illegible] veteratorum in re Eucharistica nouita-
tes, de quibus vsurpare me vere posse videor illud, quod de omnium hæ-
reticorum nouitatib[illegible] olim pronuntiauit supra dictus Lerinensis. Quod
Hæretici cum [illegible]eperint illas non proferre tantum, sed etiam
expon[illegible]; nec adhuc iactare solum, sed etiam interpretari;
[illegible]amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur,
tum nouitium virus exhalabitur, tunc prophanæ nouitates
aperiuntur, tunc transferri patrum terminos, tunc Catholi-
cam fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. Hinc
est quod contra veterum vnanimem consensum, doceant, fideles in Eu-
charistia oraliter manducare corpus Christi, in stomachum traiicere, nec
fideles solùm sed & infideles; neq; hos solùm, sed (quod aures Christianæ
exaudiri perhorrescunt) mures, canes, porcos & id genus impura anima-
lia, si quando hostiam consecratam comedant. Illud coronidis loco adiicit,
illos in sacris hisce mysteriis pessimè miracula quærere, & multiplicare.
Iesius Iesuita duodecim miracula in venerabili hoc Sacramento enu-
merat, quorum aliquot supra recensui. Quàm vellem & ex veterum
patrum genuinis monumentis, testimonium vel vnum, clarum & dilu-
cidum in medium proferret, ex quo liquide constare possit, vel vnum ho-
rum miraculorum ab vllo patre per 600. & amplius à Christo nato, an-
nos, categoricè & dogmatice assertum fuisse, vt taceam in Sacramentis
non miracula, sed mysteria sanctos patres quærere solere. Sed longius
forsan (Antistes Amplissime) quàm Epistolæ ratio poscit, prouectus sum.
De tota re Sacramentaria pro causa pontificia nemo aut accuratius aut co-
piosius disputauit, quàm Cardinalis Bellarminus in Tomo II. suarum
controuersiarum. Hasce disputationes omnes ad calculos reuocare in ani-
mo habebat vir longe doctissimus D. Gulielmus VVhitakerus, Sacræ
Theologiæ annis abhinc aliquot, in Academia Cantabrigiensi Regius
Professor. Sed ecce in medio cursu, magno bonorum omnium luctu, im-
matura morte abreptus, triste sui desiderium nobis reliquit. Quæ tamen de Sa-

de Sacramentis aduersus Bellarminum in Scholis Academiæ publicis præ-
legit, vir diligentissimus D. Allensonius Collegii D. Ioannis Euangelistæ
in eadem Academia, cui D. VVhitakerus præfuit, socius, fideli calamo ex
ore dictantis excepit, & post Authoris mortem, cum ipsius D. VVhita-
keri concisis annotatiunculis in memoriæ subsidium scriptis, accurate cō-
tuli præloq; destinabat. Sed en rerum humanarum vicissitudinem, ipse
etiam antequam prælo mandarentur, fatis concessit. Exemplar prælo de-
stinatum post eius obitum ad manus meas peruenit. Illud iam (Reueren-
dissime Antistes) fretus D. Allensoni industria, ne verbulo immutato in
lucem emitto. Hasce autem VVhitakeri prælectiones, in clientelam re-
cipere vestram Amplitudinem nō dedignaturā confido. Nam sive opus
Authoris spectes, in illo de rebus longe grauissimis agitur, de Sacrosan-
ctis nostræ Religionis mysteriis diuinarum promissionum signaculis, no-
stræ Christianæ Professionis tesseris, gratiæ diuinæ signis visibilibus effi-
cacissimis beneuolentiæ diuinæ erga nos mortales certissimis pignoribus.
Porro hîc eradicātur Zizania quæ in agro Dominico superseminasset pau-
latim inimicus homo, & Sacramentorū doctrina à corruptelis hisce poste-
rioribus sæculis in Ecclesiā à Romanensibus introductis, asseritur & vin-
dicatur. Sive etiam Authorem ipsum spectes, hoc etiam nomine spero
minime ingratum fore hoc opus, quod eum Authorem habuerit, quē ve-
stra Amplitudo ob insignem pietatem, morum probitatem, doctrinam
singularem, scriptorum elegantiam, in disputando acumen, in dicendo
suauitatem sæpius laudare solet. Accedat & illud, quod disputationes D.
VVhitakeri de summo Pontifice sub vestris auspiciis, operâ D. Allensoni
in lucem prodierint, quem etiam semel atq; iterum ex eo tempore horta-
tus fueris, vt pergeret in lucem emittere, quæcunque ex D. VVhitakeri
prælectionibus, excerpta habuit. Deniq; quod ad meipsum spectat lubens
meritoq; agnosco, me pluribus nominibus Amplitudini vestræ deuinctum
in quibus & illud est, quod aliquot abhinc annis præbendam in Ecclesia
vestra Cathedrali Eboracensi in me conferre dignatus sit. Nefas plane
esset non omni obseruantia prosequi illum, qui plane immerentem, tot ac
tantis beneficiis gratiose affecit. Accipe ergo (Reuerendissime Archipræ-
sul) sereno vultu hoc qualecunq; nostræ erga Amplitudinem vestram sive
obseruantiæ testimonium, sive gratitudinis symbolum. Et vestræ Autho-
ritatis præsidio tāquam Aiacis Clypeo munitum prodeat hoc postremum,
Clarissimi VVhitakeri scriptum post humum. Deus Opt. Max. det Am-
plitudini vestræ, vt præclara sanitate diutissime fruatur. Londini. VI.
Kal. Martii. Anni Bissextilis. 1624.

Vestræ Amplitudinis deditissimus

Samuel Ward.

QVÆSTIONVM ORDO
de Sacramentis in genere.

I.

DE definitione Sacramenti, Quid sit Sacramentum: Vbi de consecratione Sacramenti agitur, quomodo fiat. Pag. 1

II.

De Sacramentorum necessitate, An sint simpliciter necessaria ad salutem. 31

III.

De Ministro Sacramentorum, Sitne intentio Ministri necessaria ad Sacramentorum perfectionem. 38

IV.

De efficacia Sacramentorum, An Sacramenta noui Testamenti conferant gratiam ex opere operato. 54

V.

De differentia Sacramentorum veteris & noui Testamenti, An differant quoad effectum gratiæ in recto vsu: Vbi de charactere indelebili Pontificiorum agitur, & de rationibus non iterandi Baptismi. 107

VI.

De numero Sacramentorum, An septem sint Sacramenta noui Testamenti: Vbi de ordine & comparatione Sacramentorum inter se, & de cæremoniis in Sacramentis adhiberi solitis agitur. 164

CON-

CONTROVERSIÆ DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quæstio I.

Quid sit Sacramentum.

CAPVT I.

DE NECESSARIO SACRAMENTORVM vsu in Ecclesia & de Controversiæ distributione in suas Quæstiones.

POSTQUAM refutati sunt errores Papistarum, quibus Christi Propheticum & Regale munus ab illis violatur, sequitur vt ad eos transeamus, qui Christi Sacerdotium attingũt, ad quem locum pertinet Controversia de Sacramentis. Sacramenta Ecclesiæ omnia, seu noui seu veteris Testamenti, è Christi sacrificio manant: sunt enim symbola & sigilla beneficiorum, quæ Christi sacrificio & sacerdotio continentur, suntque divinitus instituta ad confirmandam tantæ gratiæ fidem ac virtutem. Potuit Deus sine Sacramentis nostram salutẽ expedire: fide enim sola (quantumuis rumpantur Papistæ) salutem consequimur, & qui vera fide præditi sunt, seruari possunt, licet nullum Sacramentum accesserit, modò contemptus Sacramentorum nullus intercedat. Quid ergo opus Sacramentis? aut quorsum Sacramenta adhibentur Nunquam certè Ecclesia Sacramẽtis caruit, ne in Paradiso quidẽ ante lapsum; ibi enim arbor vitæ, quam ante oculos primi Parẽtes nostri habuerunt, & cuius suauissimis fructibus vescebantur, Sacramentum illis fuit. Extrusi è Paradiso nó modò invocabant Deum, sed pecudes immolabant, & sacrificia offerebãt, & illa omnia sacrificia erant vnici & perfecti sacrificii Christi Sacramenta, idemq́, sacrificiũ illis omnibus adumbratum fuit. Postquam verò Deus Abrahæ familiam sibi in populum & Ecclesiam assumpsit, instituta fuit circũcisio; & postea in egressu Israelitarũ ex Ægypto Moses ex mandato Dei Pascha instituit;

innumeraque postea ceremoniæ accesserunt, quæ omnes vnà cum circumcisione & Paschate ad Christi aduentum permanserunt. Et Christianorum Ecclesia etsi innumeris ceremoniis & obseruationibus liberata fuerit, tamen Sacramentis quibusdam, licet illis quidē paucissimis religiosissimè astringitur. Verum quorsum Sacramenta instituit Deus? quamobrem non totis à Spiritu penderemus, vt quidam, qui se πνευματικοὺς, id est, spirituales putant? causa est, quia non modò ex anima & spiritu immortali, sed & ex corporea quadam mole & concretione constamus; nequeenim iam ἰσάγγελοι, id est, *pares Angelis* sumus, quales posteaerimus: ergo aliter Deus se nobis patefacit, & in nostros animos illabitur, propter hanc discrepantiam naturarum coniunctionem, quàm Angelis, qui nullis corporibus concluſi sunt. Neque enim aures modò nostras verbi prædicatione & sermone externo pulsat, vt cælestē doctrinā animis imprimat, sed & oculos & alios sensus externis notis ad cælestium rerū cōtemplationē excitat. Sunt n. Sacramēta quasi quædam picturæ, quæ in oculos incurrunt, & nos ad mysteriorum sublimium intelligentiam deducunt: ergo instituta sunt, vt & ruditatem nostram adiuuent, & infirmitati atque incredulitati nostræ succurrant. Vnde præclarè Chrysostomus, *Si incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset ipsa dona; sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* Et eadem alibi quoq; habet, *Situ esses ἀσώματος*, inquit, hoc est, *incorporeus*, tum δῶρα παρεδωκεν αὖ γυμνὰ καὶ ἀσώματα, *dona tradidisset nuda & incorporea, sed quia σώματι ψυχὴ συμπέπλεκται*, id est, *anima corpori coniuncta est, ideo ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ παρέδωκε, in sensibilibus intelligibilia tradidit.* Dionysius Areopagita, seu quisquis ille fuit, qui librum illum de Ecclesiastica hierarchia scripsit, rectè ait, non posse nostram mentem pertingere εἰς ἄϋλον τῶν ἐπουρανίων ἱεραρχιῶν μίμησιν καὶ θεωρίαν, *ad immaterialem cælestium hierarchiarum imitationem & contemplationem*, nisi nos Deus rebus externis quasi *manu duxerit*; & ait, mysteria illa augustissima *substantiis cælestibus* ὑπερκοσμίως, hoc est, *supramundano* seu cælesti *quodam modo*, at nobis συμβολικῶς παραδίδοσθαι, *symbolicè tradi*. Sic Gregorius Naziānzenus ait, nos esse διπλοῦς, id est, *duplices*, ex anima nimirum & corpore constare; ac proinde Deum & externis Sacramentis & verbo nos pascere. Sunt ergo Sacramenta nostræ ruditatis & tarditatis subsidia, ideoq; non contemnenda; si enim contemnimus, & nostram infirmitatem ignoramus, & eiusdem adiumenta ac remedia à Deo instituta aspernamur. Ecclesia triumphans nec Sacramentis indiget, nec verbi prædicatione; at nos & verbo & Sacramentis, quæ, vt ait Augustinus, sunt *visibilia verba*, oculos erudientia scilicet. Et sine Sacramentis religio nulla esse potest, vt pulchrè idem Augustinus, *In nullum nomen religionis*, inquit, *seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

Matth. hom. 93.

Dionys. Areopag. in lib. de Eccleſiaſt. hierarch.

Greg. Nazianz. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα.

Auguſt. tract. 80. in Ioan. & l. 19. c. 16. cont. Fauſt.

Idem cōt. Fauſt. Manich. l. 19. c. 11.

Chryſoſt. ad pop. Antiochen. hom. 60.

Idem in

Euseb. 36.

De his nostræ religionis professionisq; Sacramentis, maximæ inter nos & Pontificios controversiæ sunt, quas vt ordine ac dilucide tractemus, in duo capita distribuemus: primò enim Quæstiones illas discutiemus, quæ sunt de Sacramētis in genere, deinde illas, quæ sunt de duobus veris ac geminis, & de quinque suppositititiis ac commentitiis Sacramentis. Quæstiones de Sacramentis in genere hæ sunt, *prima*, Quid sit Sacramentum; *secunda*, Quæ necessitas Sacramentorum; *tertia*, Quis idoneus Sacramentorum minister; *quarta*, de efficacia & effectu Sacramentorum; *quinta*, de Sacramentorum veteris Testamēti & nostrorum discrimine; *sexta*, de numero Sacramentorum. Sequar ego institutum meum, ut friuola & superuacanea omnia prætermittam, cuiusmodi Bellarminus infinita habet, persequar verò necessariam tantùm disputationem. De prima igitur Quæstione primo loco dicamus.

CAPVT II.

In quo docetur, quæ ad Sacramenti naturam constituendam requirantur, & variæ Sacramenti definitiones proponuntur.

Rom. 4. 11.

SCRIBITVR Rom. 4. 11. Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομὴν, σφραγῖδα δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *Et signum accepit circumcisionis, sigillum iustitiæ fidei.* Fidem Abrahæ imputatam esse ad iustitiam, antequam esset circumcisus, Apostolus ex Mose probat. Abraham enim credidit, & iustus pronunciatur, antequam de circumcisione vllum mandatum fuit. Circumcisio ergo, inquit Apostolus, tanquam signum accessit, vt esset sigillum iustitiæ, quam per fidem Abrahā ante adeptus est. Si quis ergo quærat, quorsum circumcisionem Abraham accepit, respōdet Apostolus, vt esset sigillum iustitiæ, quæ est ex fide. Ex hoc fine circumcisionis, Sacramenti definitio colligi potest. Sacramentum igitur signum est à Deo institutum, vt sit sigillum iustitiæ, quam quis ex fide consecutus est. Nec enim hic circumcisionis tantùm, sed Sacramenti in genere definitio habetur, & hæc brevis ac perspicua Sacramenti definitio est, vt mihi videtur. Primò enim σημεῖον pro genere ponitur, hoc est, *signum* externum aut ceremonia, deinde σφραγὶς δικαιοσύνης, hoc est, *sigillum iustitiæ*, quæ ex fide scilicet est, rem Sacramenti & finem & vsum declarat; vt si possemus esse scripturis contenti, non meliorem definitionem desideraremus. Sed quia Adversarii quæstiones & rixas mouent, & scholastici varias nobis Sacramenti definitiones proponunt, necessarium videtur, vt perfectiorem definitionem quæramus. Sacramēti nomen ipsum non reperitur in scripturis, sed à Theologis inuentum est; an

retinendum tamen sit, nulla à nobis controversia mouetur. Nec quisquam nostrum hoc nomen improbauit, quanquam hoc Luthero, Melanthoni, Zvvinglio & Calvino, Bellarminus obiicit, sed falso. Non improbant illi, sed semper vtuntur, vt ex eorum libris patet: hoc tantùm dicunt, Sacramenti nomen in hoc sensu & vsu non inveniri in Scripturis, sed à profanis authoribus sumptum esse; verùm salubriter à Theologis esse inventum, & in Ecclesia retineri posse fatentur. Nec μυστήριον vsquam in Scripturis habetur, vt significet id, quod nunc propriè Sacramentum dicimus. Nam quod apud Apostolum Paulum legimus, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, *Mysterium hoc magnum est*, id non de matrimonio, sed de Christi & Ecclesiæ coniunctione intelligendum esse suo loco docebimus. Et sic μυστήριον semper in Scripturis pro re sacra aut occulta, non pro signo talis rei ponitur. Nemo tamen nostrum hanc vocem è religione tollendam esse contendit, sed vt alia quædam salubriter inventa libenter retinemus.

Ephes. 5. 32.

Iam ad Sacramẽti definitionem veniamus, etsi Scholastici disputant non posse definiri, idq; argumentis Aristotelicis probare conãtur. Nam quod definitur (inquiunt) debet esse in genere aliquo: at Sacramentum constat ex re & verbo: non est igitur in genere aliquo. Item Sacramentum non est vnum, at quod non significat vnum, nil significat, ut ait Aristoteles, & quod tale est, definiri non potest. Vnde Ockam & Richardus non posse definiri propriè affirmant, sed per accidens tantùm, aut crasso quodã modo describi: & Bellarminus hoc esse verum ait secundum Physicam considerationem, at secũdum moralem considerationem posse definiri, vt scilicet Sacramentum rem vnam & ens reale constituit; & hoc quidem verum est. Etsi enim in Sacramento est ens reale, vt externum signum, & ens rationis aut per accidens, id est, significatio huius signi: tamen hæc omnia non nisi vnum medium aut instrumentum gratiæ significant, quod definibile est, vt ciuitas, regnũ, familia. Etiamsi Physicè Sacramentum consideres, potest definiri: nam homo vnũ ens reale & physicum est, constat tamen ex partibus duabus, quæ non sub eodem genere continentur, & nihilominus homo definiri potest, & definitur, ut omnes norunt. Quare nos hæc mittamus; & enim hæc Scholasticorum mera λεγομαχία. Convenit ergo posse Sacramentum definiri, vtinam de definitione tam conveniret.

Aristot. Metaph. 3.

Ockam, & Richard. in 4. distinc. 1.

Antequã verò Sacramenti definitionẽ proponamus, προλεγόμενα quædam præmittamus necesse est, in quibus quæ ad Sacramenti naturam constituendam requirantur explicemus: ita enim facilius Sacramentum definire poterimus. *Primò* igitur Sacramentum debet esse signum aut symbolum; hoc enim esse genus in definitione Sacramẽti diximus. Signum autem ab Augustino dicitur, quod præter speciem, quam ingerit sensib. aliud aliquid ex se

Augu. de doctrin. Christia. l. 2. c. 1.

ex se facit in cogitationem venire: & idem Augustinus ait, in Sacramentis, non quid sint, sed quid significent, attendere oportere, & Sacramentum aliud esse, aliud significare. Ergo in Sacramentis non tam signa spectari debent, quàm res, quæ per signa repræsentantur & significantur: est enim res signo longè præstãtior, vt homo imagine sua. Ita circumcisio signum fœderis dicitur, & signum iustitiæ, quæ est ex fide. Ita Baptismus vocatur ὁμοίωμα, hoc est *similitudo* mortis & resurrectionis Christi. Ita qui panem & poculum sumunt in Eucharistia, dicuntur mortem Christi καταγγέλλειν, hoc est *annunciare*, donec venerit: ergo panis & poculum in Eucharistia aliud sunt, aliud significãt. Vnde Patres Sacramenta appellãrunt symbola, antitypa, repræsentationes, figuras, imagines: De hoc inter nos convenit: ergo quod non est signum, non potest esse Sacramentum. *Secundò*, Sacramentum debet esse sensibile signum, non in mente latens, sed obiectum sensibus & sensui oculorum præcipuè, non aurium. nam hoc inter Sacramenta & verbi prædicationem interest, quòd Sacramenta visum & tactum afficiant, verbi prædicatio auditum. Ita nos quoduis Sacramentum affirmamus esse signum non modò sensibile, sed visibile, & tangibile, vt est aqua in Baptismo, & panis ac vinum in Eucharistia, & talia etiam signa in Sacramentis veteris Legis fuerunt. At apud Pontificios quædam Sacramenta sunt, quæ nullum visibile signum habent, saltẽ à Deo institutum. *Tertiò*, hoc signum sensibile debet esse voluntarium, non naturale, vt aurora est signum vicini solis, fumus incendii; nec miraculosum, vt prodigia quædam: non enim oportet ex Sacramentis prodigia facere. Sed debent Sacramẽta esse signa voluntaria ex arbitrio instituentis: potuit enim Deus, si voluisset, alia signa instituere. Atque huiusmodi signa in triplici varietate posita sunt: alia enim sunt μνημονευτικὰ, *memorativa*, quæ sunt rerum præteritarum μνημοσυνα, hoc est, *monumenta*, vt acervus lapidum ex Iordane euectus, vt virga Aaronis in arca posita, vt altare extructũ propter deiectum Amalech: alia sunt συμαντικὰ, *significativa*, & quasi rem obsignantia, vt iris signum est, nullum posthac deluuium fore: alia sunt exhibentia & præbentia rem quam significant, vt cùm Christus afflauit Apostolos, afflatus ille & significavit & exhibuit Spiritum Sanctum. Nostra Sacramenta sunt ex his omnibus mixta, nam & significant, & obsignant, & præbent seu exhibent. *Quartò*, debet esse inter signum & rem quam significat analogia, id est, similitudo & convenientia quædam; non debent enim Sacramenta esse vt verba, quæ res significant absque aliqua analogia. Ita in Baptismo inter aquam & Spiritum Sanctum, & inter ablutionem externam ac internam: ita in Eucharistia inter panem ac vinum, & corpus ac sanguinem Christi est analogia & conuenientia quædam. Sic Augustinus, *Si Sacramenta*

Gen. 17. 11. Rom. 4. 11 Rom. 6. 5. 1. Cor. 11. 26.

I.

II.

III.

Ioshue 4. 7 Num. 7. 10. Exod 7. 15.

IV.

Augustin. Epist. 23. ad Bonifacium,

cramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Sic & in Sacramentis veteris Testamenti inter signa & res significatas conuenientia quædam fuit. Hinc Sacramenta dicuntur ἀντίτυπα, quasi signa ad vivum expressa, vt quodammodo certare cum rebus, quarum sunt signa, de forma videantur. Pontificii debere in omnibus Sacramentis hanc ἀναλογίαν esse, fatentur, sed in quibusdã inuenire non possunt. *Quintò*, signa hæc debent rem sacram repræsentare, non profanam, atque ideo Sacramenta vocantur, quasi ex vocabulo *sacer* deducta: nec quæuis tamen res sacra per Sacramenta repræsentatur. Bellarminus rem illam sacram, quę per Sacramenta repræsentatur & significatur, triplicem esse vult, nempe gratiam iustificantem, mortem Christi, & vitam æternam. Hęc ego non improbo, si rectè intelligantur: nam reuera noui Testamenti vt & veteris Sacramenta instituta sunt ad fidem confirmandam, qua Christum & cum Christo remissionem peccatorum, sanctificationem, & vitam æternam apprehendimus. Res ergo Sacramenti est optima & cælestis, quantumuis Sacramentũ ipsum sit res terrestris & caduca. Nam Sacramenta constant ex signo & re, ex substantia terrestri & cælesti: res verò cælestis est Christus, in quo omne bonum continetur. *Sextò* requiritur, vt hæc *VI.* signa non modò res sacras significent, sed & quę nunc fiant, cum Sacramenta adhibentur. Nam prehendo, modo dextre intelligatur: nam Sacramenta non modò significant, sed & obsignant & actu exhibent id quod significant in legitimo vsu; vt qui aut ad Baptismũ aut ad Eucharistiam recte prępara-tus accedit, is vnà cũ signis res ipsas percipit: non enim inania aut vacua signa sunt. *Septimò* autem quod ait *VII.* Bellarminus, hoc fieri vi ipsius Sacramenti, id quomodo intelligendum sit, postea dicemus, cùm ad Quęstionem de vi & efficacia Sacramentorum ventum fuerit. Sacramenta sunt quidem instrumẽta & media quibus Spiritus Sanctus in nobis gratiam operatur, sed non inclusam tamen in ipsis Sacramentis gratiam esse, nec ipsis signis externis Spiritus S. gratiam adhęrescere putamus, quemadmodum postea declarabimus. Non ergo vis est in Sacramentis ipsis, sed in Spiritu Sancto per Sacramenta agente ac operante; tamen cũ Sacramentis dare gratiam fatemur, modò non ex opere operato id fieri dicatur. *Octavò* & vltimò, debent Sacramẽta *VIII.* esse signa & ceremonię statę, solennes ac perpetuę, atque ad mundi finem durare. De hoc inter nos convenit: vetera enim Sacramenta ad Christum duratunt, nostra ad mundi finẽ sunt duratura; sic enim de Eucharistię Sacramento Paulus, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, vsquequo venerit.* Sed quod vult Bellarminus, hęc, de quibus diximus omnia ad nouę tantùm Legis Sacramenta pertinere, non assentior; nam & ad veteris Testa- 1. Cor. 11. 26.

Testamenti Sacramenta pertinent, vt nos postea suo loco pleniùs docebimus.

His iam explicatis ad Sacramẽti definitionem accedamus. Sunt verò eius definitiones variæ. Alii sic definiunt, *Sacramentum est signum rei sacræ*: alii verò sic, *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma.* Bellarminus ait has definitiones, si accipiantur, vt verba absolutè sonant, imperfectas esse; nam esse plura signa rerum sacratum & gratię, quã Sacramenta: non rectè ergo illos facere, qui pro hac definitione defendenda nimium altercantur, scil. Sacramentum est visibile signum invisibilis gratiæ. Non rectè igitur *Alan de Sacram. l.2. c.5.* Alanus, nam ille hãc definitionem ponit & defendit, & rectissimam esse putat. Bellarminus etsi has definitiones defendi posse putat, si secundum sensum & intẽtionem Ecclesiæ & Doctorum accipiantur, tamen magis probat definitionem *Hugo l.1. part.9. c.2.* Hugonis de sancto Victore, quę est huiusmodi, *Sacramentum est corporale vel materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam.* Magister *Magist. sentent. l.4 d.1.* sententiarum sic definit, *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens.* Sed omnibus anteponit Catechismi Tridentini definitionem, quæ sic se habet, *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Quare in hac tandem acquiescit, suam enim nullam affert. Alii tamen Doctores Pontificii Scoti definitionẽ magis probant, hanc nimirum, *Sacramentum est signum sensibile, gratiæ Dei vel gratuitum effectum ex institutione divina efficaciter significãs, ad salutem hominis viatoris ordinatum.* Videtis magnam definitionum varietatẽ; & sanè fateor, posse Sacramenti definitiones afferri varias quoad verba, modò in re nulla dissensio sit. Nos illas definitiones non respueremus, si rectè exponerentur: nam Sacramenta efficere gratiam vt media & instrumenta, suo modo non negamus, sed quia illi gratiam ad Sacramenta alligant, & in Sacramentis includunt, sic vt per se gratiam afferant, non possumus probare. Neque enim instituta in eum finem Sacramenta sunt, vt gratiam infundant ex natura sua & per se, aut vt in se vim arcanam sanctificãdi habeant perpetuò insitam, vt illi volunt, sicut licet non credas promissionibus, tamen Sacramenta faciant vt credas, & te iustificent. Nos verò Sacramenta instituta esse dicimus, non vt fidem infundant, sed vt fidem antea infusam confirment in promissionibus, easdemq; promissiones nobis obsignent; & vim Sacramentorum eam esse dicimus, vt iis qui non credunt promissionibus, nullam gratiam Sacramenta conferant, iis verò qui credunt, maximam. Nos ergo aliter definiendum esse Sacramentum existimamus. *Scot. in l.4.d.1.*

CA-

CAPVT III.

In quo Calvini definitio defenditur adversus Bellarmini calumnias.

LVTHERVS, Melanthon, Zvvinglius, Kemnitius, Martyr, aliter atq; aliter Sacramentum definiũt, sed illorũ omnes definitiones eodem recidunt. Calvini definitio mihi longè optima videtur; hanc ergo omnibus aliis definitionibus præfero. Est verò illa huiusmodi, *Sacramentum est externum symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicissim pietatem erga eum nostrã tam coram eo & Angelis, quàm apud homines testamur.* Hanc ego definitionem omnibus Thomisticis & Scoticis meliorem iudico. Alii nostram, fateor, aliter definiunt, sed in sensu non pugnant: cùm enim omnes de institutione & fine Sacramentorum idem sentiamus, nõ possumus in definitione differre. Quidam volunt ritum aut ceremoniam esse genus Sacramenti, qui re non discrepant: nam quod nos signum aut symbolum dicimus, intelligimus cum ritu aliquo & ceremonia adhibitum. Non enim aqua aut panis simpliciter sacramẽtum est, sed aqua aspersa, & panis fractus ac distributus, sic vt extra vsum nõ esse sacramenta dicamus, vt postea patebit. Iam quomodo Bellarminus hanc definitionem oppugnet videamus. Antequam verò ad definitionem accedat, hos primùm refellit, quòd Calvinus sacramenta faciat testimonia gratiæ & remissionis peccatorum; ait eum hoc intelligere de gratia prædestinationis, & sacramenta non nisi prædestinationis esse testimonia, ad eam fidem alendam instituta, qua homo certo credit se esse prædestinatum. In quo satis ostẽdit, nunquam se intellexisse, quid Calvinus, aut Lutherus, aut alii nostri de sacramentis statuant: nemo enim nostrũ hoc vnquam dixit, quod ille hîc Calvino tribuit. Nam quando nos dicimus, sacramẽta obsignare promissiones Dei, & esse instrumenta conferendæ gratiæ in recto vsu, non hanc gratiam prædestinationis esse volumus: non enim prædestinatio est in nobis, sed in Deo, nec Deus offert prædestinationem in sacramentis, sed piis offertur & præbetur in vsu sacramentorum gratia, quę est incrementum & robur fidei in Dei promissionib. de vita æterna. Quomodo possunt sacramenta confirmare prædestinationem in nobis, quæ vtique non in nobis, sed in Deo est, sed fidem confirmant, quæ in nobis est, quæ Christũ amplectitur, & Dei promissiones de remissione peccatorum & vita æterna; hæc fides alitur, hæ promissiones obsignantur & confirmantur sacramentis. Ait quidem Calvinus & rectè, prodesse nullis sacramenta, nisi prædestinatis: hoc ita Bellarminus interpretatur, quasi Calvinus dixisset, sacramenta non nisi prædestinationis esse testimonia, cum sint testimonia Christum esse

Calvin. Instit. 4. c. 14. §.

esse nostrum cum suis omnibus beneficiis, quę est gratia lõgè maxima.

I. Postea Bellarminus omnes huius definitionis partes excutit, & *primò* quod Calvinus Sacramentum vocet *symbolum externum*, hoc ait esse absolute verum, sed non eo sensũ, quo accipitur à Calvino: nam Calvinus, inquit, intelligit nudum esse symbolum, id est, quod solum significet. At hoc insigniter falsum. Semper enim Calvinus se non nudum symbolum intelligere profitetur, sed rem esse semper in recto vsu cum symbolis coniunctam affirmat; idemq; omnes nos dicimus: & tamen isti pergunt calumniari. Affert ipse Bellarminus locum ex Calvino, ubi vocat Sacramenta iũstificationis instrumenta: non ergo vult esse nuda symbola. Sed ait, eum intelligere esse instrumenta non per aliquam efficientiam, sed quia excitãt & alunt fidem. Nonne hoc est aliquid efficere, excitare & & alere fidem? si habent hanc vim & energiam, vt fidem excitent, alãt, confirment, quod nos omnes dicimus, nonne efficientiam aliquam ex nostra sententia habent? quod enim nudum omnino & inefficax signum est, non potest fidem alere: ergo manifesta hæc calumnia est. Sed ait, Sacramenta ex Calvini sententia non nisi mere obiective hoc facere. Nos sane dicimus, non in externis symbolis gratiam includi, vt illi volunt, atque hinc est quòd nos aiunt nuda symbola statuere, sed tamen dicimus Spiritum sanctum efficere in mente aliquid per Sacramenta, si quis eis recte vtatur, & hæc obiecta esse ac organa ad mouendam mentem & sensus interiores: si sic obiective intelligat, fateor. Sed hoc modo (ait) signa quæ pendent in foribus hospitiorum possunt dici instrumenta cænationis, quia mouent hominem vt cogitet in ea domo paratam esse mensam. Sed hoc est impie ludere in rebus sacris: nam Sacramenta non modò mouent vt cogitemus de Christo, sed etiam fidem nostram ad Christum apprehendendum eoque fruendum excitant, vt in Christum inseramur arctius, ab eoque vitam hauriamus. Si qui signum præ foribus tabernæ alicuius intuetur, ex ipso aspectu cibos optimos perciperet, iisdemque aleretur, aliquid diceret. Sed sic isti semper nugantur, & nolunt quod dicimus intelligere, quia quod dicimus non possunt refutare. Dicimus ergo Sacramenta esse res operantes, quæ nos mundent, lauent, sanctificent, regenerent, quia hæc Spiritus sanctus per Sacramenta vt instrumenta facit, non quia ipsa per se Sacramenta hæc in quouis efficiunt. Quod verò subiungit Calvinus in definitione sua, Sacramentum esse symbolum *benevolentiæ Dei erga nos*, id Bellarminus dupliciter refellit. *Primò*, quia Sacramenta habent vim afferendi primam justificationem: at Calvinus vult esse signum gratiæ præteritæ, nec afferre primam iustificationem, sed augere & confirmare. Respondeo: Nos vere dicimus Sacramenta non iustificare nec primò nec secundò per se & proprie. Nam

II.

Calvin. in Antidot. Concil. Trident. sess. 7. c. 5.

quando fides nostra in prædicatione Euangelii Christum amplectitur, tum iusti sumus: verbum igitur iustificat. Sacramenta hanc iustificationem obsignant, vt nisi quis iustificatus & pius ad Sacramenta accedat, Sacramenta non eum iustificare possint. Iustitia ergo & prima & secunda ex verbi prædicatione confertur, per Sacramenta verò alitur & augetur. Non possunt Sacramenta homini qui caret iustitia, iustitiã conferre, sed in eo tantùm qui habet augere & corroborare. Et qd si Sacramenta primam iustitiam afferrent, num ergo non essent diuinę benevolentię signa? *Secundò*, inquit Bellarminus, sępe contingeret Deũ falso testificari beneuolentiam, si promissio gratiæ prædestinationis per promissionem benevolẽtiæ intelligatur, vt vult Caluinus: & tum nemo alium baptizare sine peccato posset, quia nemo potest certus esse de alio, sitne prædestinatus an non. *Resp.* Totus à mente Caluini abertat Bellarminus, cùm de prędestinationis gratia illũ loqui vult: nam Caluinus per *benevolentiam* non prædestinationem gratiam intelligit, sed amorem fauoremq; Dei, quo nos in Christo actu amplectitur. Fluxit hæc quidẽ beneuolẽtia à prædestinatione, sed hæc non illa est æterna beneuolentia, qua nos ante secula cõplexus est, sed præsens & actualis gratia, qua nobis remissionem peccatorum & vitam ęternam promittit. At Caluinus ait, Deum non sic omnes sed solos prædestinatos diligere: non ergo bona hæc Sacramenti definitio videtur; non enim omnes qui Sacramẽta percipiunt à Deo diliguntur. *Resp.* Hoc est calumniari: Sacramentum enim definitur ex legitimo vsu & fine, vt Baptismus λουτρὸν παλιγγενεσίας, i.e. *lauacrum regenerationis* dicitur, non tamẽ regenerantur omnes, qui aqua Baptismali lauãtur, sed ex parte Dei offerentis sic vocatur: hominum verò culpa est quòd illis lauacrum regenerationis non fit, qui coram Deo & hominibus simulãt. Quanquam ergo nonnulli abutuntur Sacramentis, tamen semper Dei beneuolentiam ex parte Dei confirmant. Nos simili argumento illorũ quoq; definitiones possemus euertere. Nam illi dicunt Sacramentum esse inuisibilis gratiæ visibile signum, & omnes illorum definitiones mentionem aliquam gratiæ spiritualis faciunt; & tamen constat, non omnes huius gratiæ participes esse, qui ad Sacramenta accedunt. Bellarminus respondet, Sacramenta esse causas gratiæ efficaces, nisi ponatur obex (de qua re postea erit dicendum) vt sicut aqua Baptismi (inquit) corpus abluit, sic gratia Christi animam, & hoc perpetuum: & infallibile esse, & non pendere à dispositione. *Respondeo.* Quod Sacramenta ait esse causas gratiæ efficaces, etiam sine dispositione, vt qui baptizatur, etsi non dispositus, tamen animæ eius omnes sordes abluantur; falsissimum est, vt postea patebit: Sacramenta n. sine fide nil valere, sed esse prorsus nuda symbola, nos postea probabimus. Et quomodo sine dispositione ait, cùm hoc ipsum ponere

Tit. 3. 5.

nere vel nõ ponere obicem, sit quędam dispositio? 2. Fatetur ergo Bellarminus, Sacramẽta non esse causas efficaces gratiæ, si ponatur obex: qui ergo ponunt obicem, ii nullam gratiam ex Sacramentis percipiunt: & tamen non propterea Sacramenta ab illis falso definiuntur, esse gratię inuisibilis signa visibilia: non ergo hoc magis nostram quàm illorum definitionem euertit.

III. *Tertium* vocabulum, quod impugnat Bellarminus in Caluini definitione, est *promissiones*: atque hic iterum impingit in id, quod antea dixerat de promissione gratiæ prædestinationis, quam nusquam extare ait in scripturis. Sed nos promissionem remissionis peccatorum & vitæ æternæ intelligimus, vel vt Lutherus ait, gratuitæ reconciliationis. Et Bellarminus concedit esse in Sacramentis promissionem gratiæ, quæ est effectus Sacramentorum, sed non esse promissionem gratiæ præcedentis; & vere noster hic sensus est, Sacramenta confirmare promissiones gratiæ præcedentis. Hoc vocabulum omnes Papistæ oppugnant, vt Alanus, & hic Bellarminus, & alii; in quo se absurdissimos ostendunt, & nihil sani de Sacramentis sentire: nam si removeantur promissiones à Sacramentis, quid boni erit in Sacramentis? tum certe nil nisi nuda & adulterina signa erunt. Sed Bellarminus in Eucharistia nullam esse gratiæ promissionem ait. Imò verò in Eucharistia, amplissimæ & augustissimæ nobis promissiones proponuntur, id quod ex ipsis verbis cœnæ apparet: nam hæc verba: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*; & illa, *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, quid aliud volunt, quàm eos qui fide, vt oportet, panem hunc comedunt, & de poculo hoc bibunt, participes fore corporis & sanguinis Christi? Sed Christus non ait (inquit Bellarminus) corpus suum dari Apostolis in remissionem peccatorum, sed dari pro illis, nimirum Deo in remissionem peccatorum; & similiter non ait sanguinem propinari Apostolis, sed effundi pro illis in remissionem peccatorum. *Respondeo*: Non ergo Christus Apostolis corpus dabat, aut sanguinem propinabat: & tamen ex his solent concludere, Christum dedisse corpus & sanguinem suum Apostolis: imò dictitant, in Eucharistia corpus Christi etiam populo dari: nunc Bellarminus ne Apostolis quidem datum ait, sed Deo. Verùm esto: Si ergo datum sit corpus Christi Deo in remissionem peccatorum, nonne hæc promissio est? quia dedit corpus, vt impetraret remissionem peccatorum, & sic procul dubio impetrauit? sed quibus tandem? nonne Apostolis, & nobis etiam omnibus, quotquot in eum credimus? ergo qui ad Eucharistiam accedunt, in qua Christi mors celebratur, hoc beneficium commemorare, & in hac promissione fidem suam fundare & stabilire debent. Vnde Christus. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, &,

Bellarm. de Sacrament. in genere l. 1. c. 24.

Alan. c. 23. de Sacram.

1. Cor. 11. 24
Matt. 26. 28

Bellarm. l. 1. c. 14. vbi supra.

Ioh. 6. 51. & 58.

Quid manducat hunc panem, viuet in æternum. Promissio in his verbis manifesta est: promittitur enim vita æterna manducanti hunc panem. Sed Bellarminus ait, nos non admittere, in hoc capite agi de Eucharistia. *Respondeo*: non agi quidem in hoc capite particulariter de Eucharistia: tamen in hoc capite *do*cetur, quis vsus & fructus sit Eucharistiæ, & quid boni ex Christi manducatione percipiamus: ergo pertinet hæc promissio ad omnes eos, qui accedunt ad Eucharistiam, aut saltem ad eos, qui fructum aliquem ex Eucharistia cupiunt percipere. In Eucharistia Christum comedimus, vt volunt Pontificii: ergo vitæ æternæ promissionem habemus hoc sacramento obsignatam. Etsi enim non proprie de Eucharistia hoc capite agatur: tamen potest hoc caput explicare doctrinam de Eucharistia; sunt vero sacramenta æstimãda ex perpetua scripturæ doctrina de sacramẽtis. Promissio hæc est, Christum pro nobis esse mortuum in remissionem peccatorum; Eucharistia vero est sigillum huius promissionis, quod in Eucharistia mors Christi nobis quasi ante oculos ponatur. Similiter de Baptismo sunt promissiones, ut: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* At Bellarminus hanc ait non esse promissionem gratiæ præcedentis, sed esse explicationem efficaciæ sacramenti. *Respondeo*: Bene habet. Si hæc sit efficacia Baptismi, vt seruemur, an non hęc promissio est, Baptismum hanc in nobis efficaciam habiturum? ergo promittitur hic gratia, ni si gratia non sit seruari, quæ certe maxima gratia est. Et Christus ponit fidem ante Baptismum. *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit*, & sic omnes fidem requirũt in adultis ante Baptismum; sic Philippus Eunucho, *Si credis ex toto corde, potes baptizari,* quasi diceret, Si per fidem apprehendis Christum, & in illo remissionem peccatorum, ego sigillum quasi diplomati apponam; & hoc in omnib. adultis perpetuò requiritur. Cum ergo fide remissa peccata credimus, hanc fidem & promissionem Baptismus obsignat: nõ ergo Baptismus efficit fidem & vitam æternam, sed confirmat: quare ante promissa esse vita debet. Sed Bellarminus ait, verbũ quod signo annectitur divina ordinatione, vt inde fiat sacramentum, nunquam esse promissorium, sed assertorium, vel deprecatorium? *Respondeo*: Si sit assertoriũ, tum plus est quàm promissorium: nam si asserit, quid tandem asserit, nisi gratiam? & si gratiam asserit, certe promittit gratiam ei qui vult rite percipere: ita Bellarminus idem dicit quod nos, & aliquid amplius. Nos enim dicimus gratiæ promissionem esse annexam sacramentis; ille ait sacramenta asserere gratiam: certe si asserunt atq; adeo afferunt gratiam, vt illi volũt: tum promitti gratiam necesse est in sacramẽtis. Sed vere promissorium verbum est in sacramentis, ut in Baptismo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur.* Hic salutis promissio Baptismo annectitur, propter quam promissionem omnes Christiani ad Baptismum accedere debent,

Marc. 16. 16.

Act. 8. 37.

debent, vt huius promissionis fructum percipiant. Quis non hanc promissionem agnoscit? Sed Bellarminus ait, in Baptismo cum aqua aspergitur, tantum dici, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, non, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: illa verò verba non sunt promissoria. *Respondeo*: Quid? nil hoc verba promittũt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*? imò remissionem peccatorum & salutem per Christum promittunt: nam perinde est ac si diceremus, Ego lauo corpus tuum aqua, sed debes intelligere, hoc lauacrum esse Sacramentum à Christo institutum, vt internam animæ per Christi sanguinem lotionem ab omnibus peccatorum sordibus repræsentet, quę est remissio peccatorum, cum qua salus cõiungitur. Cùm ergo Baptismus internam purgationem significet, quæ fit per Christi sanguinem, certum est nobis in Baptismo Christũ applicari, & hanc applicationem Baptismo cõfirmari. Nonne autem insignis hæc promissio est, fore vt eum, qui baptizatur, Christus suo sanguine lavet magis ac magis, & tandem ad salutem perducat? vt sanè mirandum sit, sic desipere Põtificios, vt hoc negent. Similiter vt Eucharistiæ distributione Bellarminus ait, non dici, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, sed, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Respondeo*: Quasi qui dicit, *Hoc est corpus meum*, is non dicat, *Qui hunc panem manducat, vivet in æternum*: nã Christi corpus est panis vitæ: ergo omnes promissiones vitæ æternæ, panem hunc vitæ comedentibus factæ, ad eos pertinent, qui ad Eucharistiam accedunt, in qua Christi corpus percipitur, ex cuius perceptione salus sequitur. Hæc adeo certa & explorata sunt, vt Alanus fateatur, quosdam Catholicos, & illos quidem doctos, in definitione Sacramenti posuisse verbum *promissionis*, vt dixerint, Verbum Sacramenti esse illud, quod innititur promissioni, promissionisq; verbi: ergo in Sacramento præcipuum esse promissionis verbum; etsi ille acerrimè oppugnat hanc partem nostræ definitionis. Imò ipse postea cogitur fateri, signum includere implicitè promissionem: ait enim in omni institutione Sacramenti inesse hæc duo, *primum* esse assumtionem aut designationem externi signi ad gratiæ significationem; *secundum*, applicationem illius designati signi in præscriptam sanctificationem: vnde concludit, *non esse opus verbali promissione cùm res ipsa apertam Dei voluntatem ostendant.* Si ergo est in Sacramentis promissio gratiæ sanctificationis, & quidem realis; cur nos reprehendunt, quòd dicamus Sacramentis annexam esse promissionem? nam hoc tantùm inter nos & illos interest, quòd illi dicant hanc promissionem esse implicitam, nos expressam; illi insignis implicite contineri, nos verbis explicite declarari. Sed si adsit promissio seu implicite, seu expresse, nostra definitio vera est, in qua hæc particula apponitur; & reverà est expressissima. Præterea promissio ista, de qua

Alan. lib. de Sacra. c. 13.

putamus, est de remissione peccatorum, vt Kemnitius statuit. Sed Bellar. hoc impugnat: ait n. Eucharistiam non esse institutam propriè ad remittēda peccata, sed ad charitatē nutriendam, & augēdam. *Resp.* 1. Verū aliquid hic ait, sed non consentaneum. Nam volunt illi Sacramenta gratiā ex opere operato conferre: nunc ait Bellarminus, Eucharistiā non nisi nutrire & augere charitatem: non ergo infundit charitatem non habenti, sed auget tantum in eo qui habet. 2. *Resp.* falsum illud esse, quod ait, non confirmari promissionem de remissione peccatorum in Eucharistia: nam quorsum Christus mortuus est, nisi vt remissionem peccatorum impetraret? & nos in Eucharistia Christi mortem annunciamus tanquā beneficiorū participes, quæ ex ea fluunt: & qui in Eucharistia carnē & sanguinem Christi percipiūt, nonne de remissione peccatorū confirmantur? Sed Bellarminus duas ratiunculas contrà affert. *Prima* hæc est, Eucharistiā dari sub specie panis & vini, q̄ nutriunt vivos, non excitant mortuos. *Respond.* Ergo Eucharistia non potest hominē mortuum in peccatis excitare: at in peccatis mortuus est, qui caret fide: iustus enim ex fide sua vivet, ergo Eucharistia non prodest sumentibus sine fide, at illi dicunt prodesse Sacramenta noni Testamēti, etsi nō accedat opus operans suscipientis i.e. fides & interna devotio. Tamen reuera homini mortuo in peccatis Eucharistia nō prodest; debet enim habere fidē, & sic remissionem peccatorum, qui Eucharistiam cum fructu percipit; sed in Eucharistia confirmatur & obsignatur promissio hęc de remissione peccatorum, & certè assidua confirmatio requiritur. *Secūda* Bellarmini ratio sumitur ex verbis Pauli, q̄ iubet vt homines, qui ad mensam domini accedunt, probēt se antea, h.e. inquit Bellarmin. an sint absq; peccato nimirum, antequā ad Eucharistiā accedant. *Resp.* hęc absurdissimè ab illo dici. Non iubet Apostolus, vt quisq; se probet, an sit absq; peccato, antequā ad Eucharistiam accedat; tum enim nemo vnquam ad mēsam Domini accederet, quis n. est, qui se ausit dicere sine peccato esse? Quid verò sit probare seipsum, docet idē Apostolus alibi melius quàm Bellarm. nempe vt quisq; se probet, an sit in fide, i.e. num per fidem remissa illi sint peccata, aliud verò est, remitti peccatū, aliud esse sine peccato. Ita nihil afferunt Adversarii, vnde promissionem gratiæ & remissionis peccatorum à Sacramentis excludendam esse probent. 1. *Cor.* 11. 28. 2. *Cor.* 13 5.

IV.

Quartum vocabulum, quod reprehendit Bellarminus in Caluini definitione est, *conscientiis nostris*, cum quo coniungit & illud, *ad sustinendam fidei imbecillitatem*. Probat ex Baptismo paruulorum, non recte poni hæc verba in definitione Sacramenti: Baptismus enim paruulorum, inquit, est verissimum Sacramentum, at in paruulis nec actualis fides est, nec conscientia. *Respondeo:* Conscientię mentionem rectè fieri in Sacramenti definitione, ex Apostolo Petro patet, qui docet in Baptismo requiri συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν *conscientiæ bonæ stipulationem erga Deū*. Si in Baptismo bona conscientia requiritur, multò magis in Eucharistia. Quod autem ait, paruulos non habere conscientiam nec fidem actualē, ac proinde non esse baptizandos; hoc Anabaptistarū argumentū est. Sed responsio facilis est, paruulos etsi non credant nec conscientias habeant, tamen in futuram fidem & pœnitentiam & conscientiā bonam baptizari, non n. necesse est, vt Caluinus ait, rem esse priorem signo temporis ordine, ergo infantium conscientiis diuinę beneuolentię promissio obsignatur. nō dum infantes sunt, sed postea cū adoleuerint, & vsum rationis habere cœperint. Sed Bellar. ait, longè vtilius esse, eos baptizare adultos, quando fidei capaces sunt. *Resp.* De hac re non cum Caluino, sed cum Deo litiget, qui & infantes circumcidi voluit, cùm tamen circumcisio sigillū iustitiæ fidei sit, vt Apostolus ait, & infantes baptizari; & Petrus Baptismū esse bonæ conscientiæ stipulationē affirmat. Sed etsi infantes non sentiunt se baptizari, dū baptizantur, nec quorsum baptizentur; tamen postea intelligunt, & tum Baptismi tā luculentū fructum habent, quàm si adulti baptizarentur. Sed Bell. ait, nos Baptismi, quē in infantia accipimus, nullam habere notitiā, nisi ex narratione aliorum. *Resp.* Sic nec olim Iudæi in infantia circumcisos norunt, nisi ex relatione aliorum, ergo hæc res non tanti est, vt differant Baptismū in adultam ętatē. Sed cum in Ecclesia nati sint, nō est cur hac de re dubitent; & fideles parentes propter mandatū Dei de Baptismo parvulorum, non debent differre illorū Baptismū, vt certiores sint, baptizari. Sed addit Bell. etiamsi certissimi essemus, tamē magis mouere res visas q̄ auditas, ergo melius ad fidē alendam baptizari adultū, quam infantem. *Resp.* Si serio & ex animo disputet est Anabaptista; si contra Caluinum tantū hæc vrgeat, dico, etiamsi magis moueant visa quā audita, tamen debere nos videre non nisi ea, quæ possunt videri ex diuina institutione, nec debere nos expetere, vt ea videamus, q̄ Deus noluit nos videre. Non videmus Christū in cruce suspensum, non morientem, non resurgentē, & tamen cruci affixum esse Christum credimus, & mortuū esse, & resurrexisse, atq; etiam ascēdisse. Et quanq̄ nō vidimus nos baptizari, tamē in aliorum infantium Baptismo nostrum videmus. Quare falsum est, q̄ ait Bellarm. baptizari apud nos infantes ea solum de causa, vt sint membra Ecclesiæ externę, quēadmodum nec circumcīsi olim infantes Iudęorū sunt, illa tantū de causa; sed vt illis signum diuini fœderis imprimatur, q̄ etsi non renatis & prædestinatis nil prodest, tamen electis prodest eo modo, quo Deus nouit. Nam infantes electos, morientes antequam adoleuerint, Deus virtute Spiritus sui renouat, si vero vitā longius propagare illis cōtigerit, eo magis ad studium renouationis accenduntur, q̄ eius tesseram se infantes accepisse sciūt. Ergo etsi infantes baptizātur, tamē nō semper infantes erunt, sed tandē, si vita illis longior cōcedatur, vim eius Baptismi sentient, quē infanes susceperūt. 1. *Pet.* 3. 21.

Quintò & postremò vocabulum (*obsignat*) in Caluini definitione positum nullo modo placet Bellarmino, vt dicamus scil. Sacramenta obsignare instar sigilli promissionem gratiæ. nam quod ille addit, nos etiam dicere, instar miraculi confirmare, hoc nostrum non est: non enim è Sacramentis miracula facimus: quāquam aliquid habent simile miraculis. Nam vt miracula doctrinam & vocationem Apostolorum confirmabant, & erant signa visibilia: sic & Sacramenta Dei promissioni, tanquam sigilla diplomati, annexa sunt. Sed ait Bellarminus, hoc esse diligenter refutandum; esse enim hanc præcipuam definitionis nostræ particulam: quod quomodo præstiterit videamus.

CAPVT IV.

In quo Bellarmini argumenta diluuntur aduersus obsignationem promissionum Dei per Sacramenta.

PROBAT Bellarminus Sacramenta non obsignare promissiones Dei instar sigilli quinque rationibus. *Prima* eius ratio hæc est, 1. Si Sacramenta confirmarent promissiones Dei instar sigilli, tum essent notiora & efficaciora ad fidem persuadendam, quàm sint ipsa Dei verba: at hoc falsum. Consequentiam maioris probat *primò*, quia frustra adhiberetur vnum ad confirmandum aliud, nisi eo esset notius. *Respondeo:* hoc argumento ne confirmari quidem fidem nostram aliquo modo Sacramentis, quod nemo, opinor, dicet: nec tamen sequitur frustra adhiberi, nisi sit notius. Nam etiam quod minus notum est, propter fidei nostræ tenuitatem atque infirmitatem, adhiberi potest aliquando ad confirmandum id quod notius est, vt fidei nostræ adiumenta vndique conquirantur. Qui etiam maximas copias habēt, & sibi aliisq; satis robusti & muniti videntur, auxilia tamen alia non respuent, si accesserint: multo minus nos debemus aspernari adiumenta illa, quæ Deus instituit: at Deus qui videt nostrā infirmitatē, adiunxit verbo Sacramenta: ergo etsi verbi prædicatio sit efficacior Sacramentis, non tamen sequitur, Sacramenta frustra adhiberi, quia Deus videt nos multis adiumentis indigere. *Secundò*, hanc esse vim sigilli ait Bellarminus, vt sit notius literis, quibus est appensum, vt sigillum Regium, inquit, notius est & firmius, quàm literæ Regis. *Respondeo:* hoc fieri propter externam formam & notam: at Sacramenta non ex specie externa, sed ex Dei institutione æstimantur & agnoscuntur. Nam Sacramenta vim omnem ex verbo & prædicatione habent; sigillum verò Regis non ex literis: hoc discrimen est inter Sacramēta & sigillum Regium. Nam in similitudine omnia non congruunt; & nos Sacramenta non vera sigilla esse dicimus, sed quasi sigilla: etsi sigilla Regia etiam adulterari possunt, & adulterantur aliquan-

quando, vt non sit illis nimium fidendum, neq; semper pro sigillis Regiis habenda, quæ illorum speciem externam præ se ferunt. Illud ergo dicimus, etsi verbum à Sacramento separatum sit multò notius & efficacius, quàm Sacramentum sine verbo, at verbum cum Sacramento multò efficacius est, quàm sine Sacramento, ut sic Sacramentum instar sigilli sit. Quemadmodum enim qui literas Regis habet, is non dubitat; at certior tamen fit, postquam sigillum accesserit: sic Sacramenta sunt nobis ἀσφαλίσματα, id est, certa quasi signa seu pignora, vrpote à Deo instituta, atq; ideo nos reddunt ἀσφαλεστέρους, id est, certiores. Non ergo verbum à Sacramento, nec Sacramentum à verbo separatum considerare debemus, sed vtraque coniunctim, & sic plus in Sacramentis efficaciæ est, vt antea diximus. Sed Bellar. instat, nihil fingi posse efficacius Dei verbo: vnde vult concludere, Sacramenta non posse confirmare Dei verbum, aut promissiones in Dei verbo factas. *Respondeo:* Sacramenta non adhiberi, vt Dei verbum confirment, sed ad nostram fidem de verbo & Dei promissione confirmandam: verbum enim & promissiones non ex parte Dei promittentis, sed ex parte nostra, indigent cōfirmatione. Sed Bellarminus hoc refellit, Si promissiones Dei, inquit, egent confirmatione ex parte nostra, vel fit quia nescimus quæ sint Dei promissiones, idque ex Sacramentis discimus, vel quia Sacramentis simpliciter magis credimus quàm promissionibus. *Respondeo:* neutrum horum verum esse: non enim Sacramenta nescientes faciunt scire, nec simpliciter notiora sunt, sed adduntur verbo, quod aures instruit, vt signa externa quæ oculos etudiant, ad maiorem confirmationem, propter fidei nostræ imbecillitatem. Quia enim Deus intellexit fidei nostræ imbecillitatem, ideo coniungere voluit cum verbo Sacramenta, vt quæ ex verbo auribus accepimus, eadem per Sacramenta oculis repræsentaret. Nam Deus etsi nouit suam promissionem esse veram, tamen propter nostram ἀπιστίαν, id est, incredulitatem, seu fidei defectum, addit promissionem promissioni, & priorem promissionem noua promissione confirmat: quid mirum ergo si & Sacramentis promissiones confirmet? dicant illi, vtra notior promissio, prior an posterior. Etsi ergo verissimum est, quod dicit Bellarminus, verbum habere sine Sacramentis infallibilem authoritatem, sed Sacramenta nullam sine verbo; non tamen proinde verbum potius sigillum Sacramenti appellandum, quàm Sacramentum verbi: nam Sacramenta à nostris vocantur sigilla, quia adduntur verbo, & quasi appenduntur, quemadmodum in diplomate fieri soler. Sed hoc non torquendum est vltra scopum similitudinis: nam verbum etiam sine Sacramentis per se firmum est, non sic diploma sine sigillo. Non ergo sic sigilla sunt Sacramenta, vt sine eis verbum nullius authoritatis sit, sed quia per Sacra-

menta verbum nobis magis confirmatur & sigillatim applicatur. Quare non sunt Sacramenta tantum quasi motus manuum & oculorum in docente, vt Bellarminus tandem nos dicere fingit, vt qui gestu orationem confirmat, sic magis persuader, quàm si nullum gestum adhiberet; sed sunt quasi sigilla quædam adhibita ad maiorem cõfirmationem promissionum, ex institutione divina; non tamen addunt verbo aliquid, vt nos Bellarminus dicere ait, sed verbo adduntur propter infirmitatem nostram: quemadmodum Chrysostomus ait, quia non sumus toti πνεύματικοὶ καὶ ἀσώματοι, id est, spirituales & incorporei, necesse est vt his adminiculis sustentemur. Promissio percipitur auditu, & sic fides nascitur: quid amplius requiritur, inquies, quàm vt quis credat? sanè si fides perfecta esset, nil amplius requireretur, quia fides amplectitur promissiones, & sic iustificat; sed quia infirmissima fides nostra est, & mista cum imbecillitate, Deus vt huic succurrat, etiam Sacramenta oculis rem eandem repræsentantia addidit. Hæc nos cum Apostolo sigilla vocamus, & ideo à Pontificiis reprehendimur. Tamen Bellarminus tandem fatetur, nos instrui & deduci ad intelligenda spiritualia per signa sensibilia, & Deum docere spiritualia per similitudines rerum corporalium. Quod si verum sit, quomodo negare potest, adiuuari fidem nostram, & promissiones Dei confirmari, signis sensibilibus? nam si doctrina Dei confirmetur signis externis & Sacramentis, quidni etiam Dei promissio? cùm doctrina tàm certa sit, quàm promissio Dei. Ita tandem se nihil dicere confitetur.

II. Luther. in lib cõt. Cochlæum.

Secundum Bellarmini argumentum est huiusmodi, In Scripturis Sacramenta nusquam dicuntur testimonia promissionum, sed vt instrumenta iustificationis vbiq; describuntur, & Lutherus ait, *In rebus sacris vehementissimus & robustissimus locus est, arguere ab auctoritate negativè.* *Respondeo*: At nos postea varia scripturæ loca afferemus, in quibus Sacramenta dicuntur sigilla, & testimonia, & fœdera, & signa.

III.

Tertium Bellarmini argumẽtum sic se habet; Si Sacramenta essent solum testimonia promissionis & gratiæ, essent superuacanea: nam habemus alia testimonia longè efficaciora, inquit, vt bona opera sunt longè meliora testimonia iustitiæ adeptæ, quam ablutio aquæ, vel sumptio Eucharistiæ. *Respondeo*: falsum hoc esse. Bona enim opera non sunt promissionis diuinæ testimonia, sed sunt fidei nostræ fructus & testimonia. Quanquam electio & vocatio nostra, id est, nos nunc esse electos & vocatos, bonis operibus confirmatur, non tamen Dei promissio his confirmatur, quod Bellarmino probandum fuit; sed Sacramentis promissio Dei de remissione peccatorum, & reconciliatione cum Deo per Christum sancitur & stabilitur.

IV.

Quartum Bellarmini argumentum hoc est; Si Sacramenta solum essent testimonia promissionum, ad ex-

ad excitandam fidem instituta, frustra baptizarẽtur infantes & amentes, quos certum est, non modò nõ accedere, sed nec posse credere actu: at Lutherani omnes, inquit, pro Baptismo parvulorum pugnãt contra Anabaptistas. *Respondeo*: De infantibus baptizandis antea diximus. Etsi in præsenti tempore non percipiunt promissiones, tamen si detur illis vita longior, possunt percipere, atq; ita in futurum tempus baptizantur Dei iussu, vt cùm adoleuerint, fructum baptismi percipiant. Litigent ergo cum Deo hac de re. Amentes verò qui baptizant, ipsi amentes sunt: hoc enim esset Sacramentum Christi exponere ludibrio: at Papistæ etiam amentibus Sacramenta tribuunt; quod est Sacramenta profanare, iisque abuti.

V.

Quintum Bellarmini argumentum in hunc modum instituitur; Si Sacramenta essent testimonia gratiæ, quæ in particulari confertur alicui, sæpenumero falsa essent, nimirum cum Sacramentum ministratur homini, qui fingit se credere, cum reuera non credit. *Respondeo*: Nos Sacramenta testimonia & sigilla gratiæ esse dicimus non nisi in recto vsu: si quis insanus, aut ἄθεος, aut profanus, aut infidelis ad Sacramentum accedit, non illi remissio peccatorum confirmatur: nam is non nisi Sacramento abutitur: sed iis qui credunt promissioni diuinæ, & in hac fide, atque ad huius fidei confirmationem, Sacramẽtis vtuntur, sunt testimonia & sigilla. Fidelibus enim destinata sunt Sacramenta, qui magnum inde fidei incrementum percipiunt, non in fidelibus, qui illis abutuntur; & ipsi certè infideles in culpa sunt, quod illis Sacramenta promissiones Dei non obsignent. Ex parte Dei qui offert per illa gratiam, semper sunt testimonia gratiæ, at non ex parte hominum semper. Non est Sacramentum testimonium gratiæ absolutè, sed si is, qui suscipit Sacramentum, credat promissioni. At Lutherus ait, inquit Bellarminus, eum qui non credit verbo Ministri dicentis, *Ego te baptizo*, vel, *Ego te absolvo*, facere Deum mendacem, cuius illa verba sunt. At si illa verba, inquit, intelligerentur cum conditione, fidei sui licet; si aliter credat, non fieret Deus mendax. *Respondeo*: Lutherus non docuit, Baptismum est sigillum remissionis peccatorũ nisi credenti; & tamen qui non credit Ministro illa verba proferenti, Deum facit mendacem, quia Dei illa verba sunt; at non abluitur, nisi crediderit. Facit verò Deum mendacem, quia non credit se ablui, sed Deũ se fallere nudo & inani signo. Loquitur verò Lutherus, vt Ioannes Euangelista, *Qui non credit Deo, mendacem eum facit.* Sed addit Bellarminus, Si essent illa verba conditionata, tum rueret fides iustificans Lutheranorum. Quare? quia illi volunt, inquit, hominem debere credere absolute sine vlla hæsitatione se esse iustum: ergo Deus absolutè testatur, illum esse iustum. *Respondeo*: Quàm illud (sine hæsitatione) verũ sit, postea docebimus. Debet quidem quisque carere hæsitatione, sed in hac vita nemo po-

Luther. in assert. 1 artic.

1. Ioh. 5. 10.

test, & omnes deberent se credere esse iustos, & Sacramenta esse sibi sigilla iustitiæ: num ergo sequitur, esse sigilla omnibus, & hoc Deum testari absolutè? testatur quidem homini credenti planè & absolutè, & omnib. testaretur, si omnes crederent. Promissiones verò Dei sunt vel categoricæ & absolutæ, vel hypotheticæ & conditionales: illæ semper ratæ sunt, nec vnquam mutari possunt, siue nos credamus, siue non, vt promissio de diluuio nunquam futuro, de mundi fine, de resurrectione; resurgemus enim, quantumuis non credamus: at promissio gratiæ conditionalis est; requirit enim fidem: non credenti igitur Sacramentum nihil confirmat, quia promissiones Sacramentales sunt conditionales; & nó credentes sunt fædifragi, & pacti violati sibi conscii. Pascha verò Iudęorum habebat promissionem partim categoricam, partim conditionalem; categoricam de liberatione & salute temporali omnium Israelitarum, & sic omnes seruati sunt, etiam non credentes; conditionalem de spirituali liberatione & salute æterna, & sic soli fideles seruati & liberati sunt. Idem de mari rubro dici potest: nam categoricæ promissionis in transitu per mare omnes participes fuerunt; conditionalis verò ii tantùm, qui fide eam apprehenderunt.

CAPVT V.

In quo argumenta nostra defenduntur, quibus probamus Sacramenta obsignare promissiones Dei.

SED nos nunc paucis doceamus, Sacramenta esse sigilla promissionum Dei, & eas obsignare, quod maximè in definitione nostra Pontificii improbant: quod certè quare faciant, vix intelligi potest, nisi quia se Dei promissionib. inimicos esse, testari volunt, & quia naturam ac vim Sacramẽtorum cupiunt euertere. Vtemur verò *primò* testimoniis aliquot ex Scripturis. Et *primum* quidem locum hæc verba Apostoliure vendicant, quæ tractamus, *Rom.* 4. 11. καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως. *Et signũ accepit circumcisionis sigillum iustitiæ fidei*: vbi vocatur circumcisio non σημεῖον tantum, id est, *signum*, sed & σφραγὶς, id est, *sigillum* iustitiæ quæ est per fidem: si verò circumcisio fuit sigillum, tum multo magis Sacramenta noui Testamenti sigilla sunt. Hinc sic ratiocinamur; Circumcisio obsignabat Abrahæ iustitiam fidei: ergo circumcisio erat sigillum promissionis Dei. Pepigerat enim Deus fœdus cum Abrahamo, se eius fore Deum, & seminis ipsius, & Abrahamus vicissim ei promiserat se & semen eius fore illi in populum: huius pacti & fœderis, cuius fide iam antea Abrahamus fuerat iustificatus, sigillum erat circumcisio. Bellarminus de hoc loco tripliciter respondet. *Primò* ait, quæ de sola circumcisione dicuntur, non posse trahi rectè ad omnia Sacramenta. *Respondeo*: At ex vno Sacramento iudicare de omnib. possumus: etsi enim Sacramenta differunt in forma & materia, at non in fine principali: fuit verò circumcisio sigillum fidei in Christum venturum, & sic nostra Sacramẽta sunt sigilla fidei in eum postquam iam venerit. Si de vnius Sacramenti natura & essentia sit, quod sit sigillũ, non debet excludi hoc membrum à definitione Sacramenti ex legib. Dialecticæ: tum enim imperfecta erit definitio. Quare sine ratione negat Bellarminus, hoc esse in Sacramenti definitione ponendum. *Secundò* respondet Bellarminus, Apostolum hîc nullam facere mentionem promissionis aut pacti, cùm loquitur de sigillo circumcisionis: vocat eam sigillum iustitiæ fidei (inquit) non sigillum promissionis & pacti. *Respondeo*: Circumcisionem fuisse signum fœderis, patet ex Gen. 17. 11. *Circumcidetis carnem præputii vestri, & erit signum fœderis inter me & vos*; & hoc est quod Apostolus hîc ait, Abrahamum *accepisse signum circumcisionis*: cuius (quęso) rei circumcisio signum erat, nisi fœderis illius, quod inter Deum & Abrahamum factum est? ideóq; vocatur paulo antea fœdus ipsum, id est, Sacramẽtum fœderis, & alibi vocatur διαθήκη, id est, *pactum*, vel, vt vulgata editio habet, *Testamentum*; *Dedit illi*, id est, *Abrahamo* Deus *pactum* seu *Testamentum circumcisionis*: in omni verò pacto seu testamento est promissio. Ergo etsi hîc apud Paulum aperta fœderis mentio non fit, tamen quis tam cæcus est, qui non Apostolum ex Mose concludere & ad Mosis verba respicere videat? Tum illud sigillum iustitiæ fidei, fuisse sigillum promissionis divinæ, quis audiet negare, cùm quod fidei iustitiam obsignat, id multas promissiones obsignet? nam qui fide iustus est, is promissioni de remissione peccatorum & vita æterna credit, & tamen Bellarminus in iustitia fidei nullas promissiones inuenire potuit. Certè nescit ille Scripturas, aut quid sit aliquem esse iustum fide: nam fides semper intuetur promissiones. Illam ergo Abrahæ fidem, qua Dei promissiones amplexus est, confirmabat circumcisio tanquam sigillum. Quid quòd paulo post hoc ipso in capite promissionis diserta mentio fiat? *Non enim per legem* (inquit Apostolus) ἐπαγγελία, id est, *promissio* cessit *Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei*: ergo fides promissionem arguit, & quod iustitiam fidei, id promissionem obsignabat. Quid enim est sigillum iustitiæ fidei? Bellarminus putidam interpretationem affert ex Origine, Circumcisionem dici sigillum iustitiæ fidei, quia sub typo Circumcisionis carnalis, velabatur Circũcisio cordis, quæ est vera iustificatio, quam Christus allaturus erat; quasi verò nullus ante Christum habuerit circumcisionem cordis. Sed Origines non attingit mentem Apostoli. Et Bellarminus Origeni Chrysostomum subiungit, qui aliter

Gen. 17. 11.

Gen. 17. 10.

Act. 7. 8.

Rom. 4. 13.

ter hæc verba interpretatur, scilicet dici Circumcisionem sigillum iustitiæ fidei, quia data fuit Abrahamo in signum & testimonium iustitiæ, quam sibi acquisierat per fidem. *Respondeo*: Chrysostomi expositio vera est, & eadem cum nostra. Si data Abrahamo circumcisio fuit, vt signum & testimonium esset iustitiæ per fidem, tum vt obsignaret Dei promissiones de salute æterna; idque est, quod Apostolus ait, imputatam ei fidem esse pro iustitia ἐν ἀκροβυστίᾳ, cum esset *in præputio*; & cum quæri posset, quorsum ergo circumcisio? respondet, vt esset signum & sigillum iustitiæ fidei, eum scilicet nunc esse iustum fide, amplectendo promissiones Dei. Res per se tam clara est, vt nemo illam obscurare possit. *Tertiò* igitur respondet Bellarminus, fuisse hoc priuilegium solius Abrahæ, & non posse ad alios transferri, quasi circumcisio, in quocunque esset, testificatio esset iustitiæ illius. *Respondeo*: Hoc desperationis iudicium est, dicere hoc ad solum Abrahamum pertinuisse. Quid enim? num solus Abrahamus circumcisus fuit? num ille solus credidit? num ille solus fide iustus est? num cũ illo solo Deus fœdus pepigit? Sed si in Abrahamo circumcisio fuit iustitiæ sigillum, tum Deus vidit hoc sigillum esse necessarium: si fuit Abrahamo necessarium, cuius fides multo fortior, quàm nostra, quãto magis nos tali sigillo indigemus? institutio huius primi Sacramenti vsum & finem omnium indicat: quanquam enim materiâ & formâ differũt Sacramenta non tamen vsu & fine principali differunt, vt antea diximus: si ergo hic finis fuit circumcisionis in Abrahamo, tũ & reliquorum Sacramẽtorum idem finis est. *Sed* Bellarminus ait, cæteris Iudæis circumcisionem fuisse nõ sigillum iustitię fidei, sed signum quoddam, quòd essent filii Abrahæ. *Respondeo*: quasi nil iis aliud ex circumcisione accessit, nisi vt intelligerent se esse filios Abrahæ? at hoc per se nil illis profuisset. Non enim est priuilegiũ aliquod nasci ex Abrahamo, si nihil aliud sequatur. Sed Deus se non soli Abrahæ sed & semini eius pacto quodam obstrinxit dicendo, *Ero Deus tuus & seminis tui post te*: & illi vicissim pacto se obstrinxerunt Deo; sequitur enim paulo post, *Hoc est pactum*, seu fœdus, *meum inter me & vos & semen tuum post te, quod servabitis, vt circumcidatur vobis omnis tuas*. Non ergo erat illis signum tantum se esse filios Abrahæ, sed fœdus illud ad se pertinere: erat enim pacti Sacramẽtum non modò in Abrahamo, sed & in eius semine. Ita Apostolus ait, promissionem esse factam Abrahæ & eius semini; & firmam esse promissionem ex fide toti semini: ergo omnes credentes dicuntur esse filii Abrahæ, quia eadem hæreditas ad illos pertinet, & sic sigillum circũcisionis eãdem obsignauit. Annon inter Iudæos multi credebant? certè Apostolus ait, τί γὰρ εἰ ἠπίστησάν τινες; *Quid enim si quidam non crediderunt*? nõ ergo omnes increduli erãt: quidni ergo circumcisio in iis qui crederẽt sigillum erat iustitiæ fidei, non minus quàm in Abrahamo? & sic

Gen. 17.7. & 10.

Rom. 4. 13. & 16.

Rom. 3.3.

Rom. 2. 28.29. sic Apostolus laudat eum, qui in occulto Iudæus est, & occultam cordis circumcisionem veram esse ait circumcisionem, quæ est in spiritu, non in litera: non ergo tantum circumcisio Iudæis signum fuit, vt eos esse Abrahæ filios testaretur. Hoc (fateor) Abrahamus proprium habuit, & hoc est eius priuilegiũ, quòd ille primus circumcisionem acceperit, & fœdus pro suisq; cum Deo pepigit, & pater credentium dictus est: sed circumcisionem non nisi in Abrahamo fuisse sigillum iustitiæ, est absurdissimum; tum enim circumcisio non nisi illos esse filios Abrahæ testabatur, non autem esse hęredes eiusdem promissionis cum Abrahamo. Quis non hos ignaros & impuros sophistas execretur? Tum enim quare iussi sunt circumcidi, qui nõ nati ex Abrahamo sunt, nempe eius vernæ & domestici, & proselyti? num vt ipsi intelligerent se esse filios Abrahæ? nequaquam certè; tum enim falsum signum fuisset, quia illi Abrahæ filii non fuerunt: annon potius circumcidebantur, vt hoc externo signo promissiones Dei illis quoq; ratæ essẽt?

Secundum nostrum Scripturæ testimonium sumitur ex Genes. 9. vbi iris siue arcus cælestis dicitur signũ fœderis inter Deum & Noë, & ex Gen. 17. vbi circũcisio dicitur signũ fœderis inter Deum & Abrahamum posterosq; illius. Si n. iris & circumcisio sigilla fuerũt confirmantia pactum ac promissionem Dei, cur nõ idẽ de Baptismo & Eucharistia dici possit? Atq; hoc etiam inter homines vsitatum est, vt fœdera signo aliquo externo sanciantur, vt porcâ cæsâ, vel contactu dexteræ, & aliis huiusmodi signis, quæ nihil essent, nisi præcederẽt verba pacti: cur non ergo Deus potest similiter suas promissiones populo suo externis signis ratas & firmas reddere? Bellarminus apertè respondet, itidem & circumcisionẽ fuisse signa fœderis, non nisi ad iuuandam memoriam, non ad confirmandam fidem. *Resp.* Illi dicunt Sacramẽta adiuuare memoriam, nos fidem; vtri de Sacramentis honorificẽtius loquuntur? Sed quomodo (quæso) memoriam iuuant? De arcu certe cæsti Deus ait, *Stabiliam fœdus meum vobiscum*: erat ergo iris signum fœderis; sed cuius fœderis? nẽpe illius, quod statim sequitur, *non excindetur amplius omnis caro ab aquis diluuii*, hoc est, non erit amplius tale diluuiũ. Hæc promissio fuit: fidem de hac promissione nostram Deus hoc signo cõfirmat; dicitur enim hoc fœdus factum nõ modò inter Deum & Noachum, verumetiã inter Deũ & vniuersam terrã in generationes sempiternas. Bellarminus nõ nisi ad memoriam inuandam institutum esse hoc signum ait, sed non docet, cuius rei memoriam iuuat. Si intelligat diluuii præteriti memoriam, non opus fuit, vt Deus hoc illis in memoriam reuocaret, cuius qui tum vixerunt immemores esse nõ poterant, illorum verò posteri ex historiarũ monumentis facile intelligere potuerunt: si verò intelligat memoriam promissionis diuinæ, se non esse in posterum tali modo genus humanum deleturum, idem dicit quod nos;

Gen. 9.12. 13.

Gen. 17.11.

Gen. 9.11.

Gen. 9.12. 13.

nos: & certè est iris huius promissionis monumentum, quàm Deus voluit sic confirmare, ne mundum iterum diluuio periturum quis existimaret. Sic cum Deus voluit Abrahamum circumcidi, voluit externum aliquod signum in carne eius manere, tanquam externum aliquod illius fœderis sigillum, quod tum cum illo pepigit, quo suam illi promissionem confirmaret. Dixerat enim Deus Abrahamo, *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te*; nonne hæc promissio fuit? huius verò promissionis implendæ signum circumcisio fuit. Sic Deus apud Ezechielem de Sabbathis suis ait, se dedisse ea, vt essent signũ inter se & populum suum, vt scirẽt se Iehovam sanctificare ipsos: ergo Sabbata confirmabant fidẽ de sanctificatione. Bellarminus ait, Baptismum & Eucharistiam esse signa commemoratiua passionis & mortis Domini, non esse signa confirmatiua: nos & commemoratiua & confirmatiua dicimus. Nam memoria nuda non valet ad salutem; ita ista beneficia meminisse tantùm non sufficit: ipsi enim reprobi & dæmones passum & mortuum esse Christum meminerunt, sed necessaria est fides in hunc passum & mortuum. Et si tantum instituta essent Sacramẽta, vt essent subsidia & fulcra memoriæ nostrę, tum non opus esset, vt ea singuli reciperent, & iis vterentur: at voluit Deus omnes iis vti, vt omnes intelligerent, promissiones ad se pertinere. Christus ait, *Qui ederit me, viuet ipse quoque per me*; cõfirmat eam promissionem Eucharistia. Atque ob eam causam voluit Deus esse analogiam inter signa & res signatas in Sacramẽtis, vt intelligeremus res ipsas his signis confirmari. Talis est analogia panis cum corpore & vini cum sanguine Christi, & aquæ cum abstersione & purgatione peccatorum per sanguinem Christi: sicut enim panis & vinum nostram naturam alunt, sic caro & sanguis Christi animam & in anima fidem; & sicut aqua abluit sordes corporis, sic Christi sanguis animæ sordes, id est, peccata: quod apertè probat Sacramenta non esse tantum commemoratiua sed & confirmatiua signa. Et hoc vsitatum est, vt signa accedant ad fœdera, quę non modò commemorent præterita, sed & in futurum confirment. Instituta enim cum signa primum fuerunt, cum iam rerum præteritarum recentissima memoria esse, vt commemoratione aliqua tum saltem opus non fuerit; & Christus Eucharistiam instituit, antequam passus & mortuus est. sic vt Eucharistiam tum administrare non potuit esse commemoratio mortis & passionis præteritæ. Sic cum Deus apud Ezechielẽ ait Sabbatha sua esse signum sanctificationis, non vult præteritæ tantum sed etiam futuræ sanctificationis signum esse: ergo non vult tantum commemoratiuum sed & confirmativum signum esse; confirmabant enim Sabbatha assiduam populi sanctificationem per Deum. Quod verò nos de pactis obiicimus inter homines, Bellarminus hoc fatetur tenere in pactis hominum,

Gen.17.7.

Ezech. 20.11.

Iohan.6.57.

Ezech. 20.12.

num, non autem tenere in Dei pactis, quia Deus non potest fallere aut obliuisci, ut homines. *Respondeo*, Etsi Deus nec fallere potest nec obliuisci, at nos tamen ἀπιστοι, id est, *incredeluli* & suspicioſi sumus; ergo Deus promissis suis signa adiecit. Sic non simpliciter dixit & verbis promisit Deus, se nunquam mundum iterum diluuio deleturum, sed & signum in nube posuit. Sic Mosi signa dedit, se liberaturum esse populum. Sic Gedeoni in vellere signum dedit, eum victoriam à Madianitis reportaturum. Sic Ezechiæ signum recuperandæ valetudinis in vmbra horologii datum est. Sic eidem Deus non modo liberationem promisit ab obsidione Sennacherib, sed & signum huius liberationis adiecit. Sic Rex Achaz iussus est petere signum. Deus ergo non tam qualis ipse sit cõsiderat, quàm quales nos simus, & nostræ ἀπιστίας, id est, *incredulitatis* rationem habet. Sed hic vt secum constet Bellarminus videte: suprà dixit verbum Sacramento annexum esse assertoriũ, nunc non esse confirmativum sed commemoratiuum: quid, quæso, interest inter assertorium & confirmatiuum? certè qui aliquid asserit, is idem sua assertione confirmat.

Gen.9 13. Exod.3. 12.& 4. Iudic.6. 38.&c. 2.Reg.20. 11.

Isai.37. 30.& 7. 11.

Chrysost. in Rom. 4.11.

Postremò adhibebo testimonia Patrum. Patres Sacramenta vocant sigilla. Chrysostomus in commentariis in hunc locum Pauli, quem nos tractamus, eandem adhibet expositionem horum verborũ Apostoli, quam nos, vt antea docuimus. Multa ille præclare scribit, sine fide Sacramentum non esse aut signum aut sigillum; rem enim, cuius signum est, esse fidem: cuius ergo, inquit, aut signum aut sigillum erit, μὴ ὄντος τοῦ σφραγιζομένου: *vbi res obsignata non est?* Et affert similitudinem crumenæ, quæ licet egregiè obsignata fuerit, tamen si nihil in ea sit reconditum, non nisi ridicule ostentatur: vnde docere vult, Sacramentum sine fide nihil valere. Quare Chrysostomus & Baptismũ & quoduis Sacramentum esse fidei sigillum existimauit: fides autem Dei verbum & promissiones respicit. Tertullianus lauacrum esse obsignationem fidei ait; & mox quid senserit explicat. *Non ideo abluimur, inquit, vt desinamus delinquere, sed quia desiimus, & corde loti sumus.* Obseruetur hoc, quia corde loti sumus, ideo baptizamur; quorsum, nisi vt Baptismus internã hanc lotionem obsignet, quæ est remissio peccatorũ? Sic Basilius, πιστεῦσαι δεῖ πρότερον, ἔπειτα ἐπισφραγισασθαι, *Credere oportet primũ, deinde obsignari*; vel, vt Bellarminus vertit, *& tum demũ accipere sigillũ fidei Baptismum*: quorsum hæc σφραγὶς, id est, *hoc sigillum* post πίστιν id est, post *fidem*, nisi ad fidei confirmationem? Bellarminus ait, adhiberi ad testificandam & approbandam fidem eius qui baptizatur. *Respondeo*: Verum hoc quidem est aliquo modo; sed non ob hoc tantum adhibetur: nam hæretici & hypocritæ multi baptizantur. Et si Baptismus post fidẽ adhibetur in eum tantum finem, vt sit testificatio fidei eius qui baptizatur, tum Baptismus non confert gratiam ex opere operato; quod illi volunt. Sed multæ

Tertull. de pœnit.

Basil. l 3. cont. Eunon.

sunt fidei testificationes Baptismo certiores & efficaciores, vt confessio, imprimis martyrium pro fide. Hæc possunt eius qui ad Baptismũ accedit, fidem melius testificari, quàm Baptismus. Sic idem Basilius alibi, προφαγεται μὲν ὁμολογία πρὸς τὸ σωτήριον εἰσάγουσα : ἐπακολουθεῖ τὸ βάπτισμα ἐπισφραγίζον ἡμῶν συγκατάθεσιν, *Præcedit quidem confessio, quæ ad salutem ducit, sequitur Baptismus obsignans nostrum assensum.* Credimus ergo primo & confitemur ad salutem tum sequitur Baptismus, vt sigillum huius fidei. Nazianzenus in oratione de sacro Baptismo, vocat Baptismum ἔρεισμα πίστεως, id est, *adminiculum* vel *fulcrum fidei*, cui scilicet innititur, & quo sustentatur. Augustinus vocat Sacramentum *visibile verbum* Euangelii verbum est verbum promissionis : Sacramentum autem est quasi visibile verbum, quod Dei promissiones oculis repræsentat & confirmat. Quomodo dici visibile verbum potest, nisi quia quod in verbo promittitur, ante oculos statuit? Et idem alibi ait, Sacramenta habere similitudinem quandam earum rerum, quarum sunt Sacramenta, & ideo interdum accipere nomina harum rerum : quod non fieret, nisi res nobis obsignarentur in Sacramentis. Ira Sacramentum corporis Christi dicitur corpus Christi, quia in Sacramenti perceptione veritas corporis Christi nobis communicatur. Et ibidem ait Augustinus, in Sacramento immolari Christum populis omni die, qui tamen non nisi semel in se immolatus sit : quomodo in Sacramento immolatur nobis Christus, nisi quod vt credimus Christum mortuum esse pro nobis in remissionem peccatorum, ita huius mortis fides nobis confirmatur in Sacramento? Et Christus nobis præbetur in Sacramento vt panis vitæ: Qui credit, inquit Augustinus, Christum manducauit: si qui credit manducauit, tum Christum & sine Sacramentis & in Sacramentis manducamus. Ergo Sacramenta confirmant nobis remissionẽ peccatorum & promissiones vitæ per Christum, quẽ nos manducamus, id est, per quem vitam habemus. Etiam Scholastici saniores tale aliquid affirmant. Scotus ait, Sacramentum esse signum sensibile gratiam Dei efficaciter significans. In verbi prædicatione Dei gratia significatur, sed efficacius in Sacramentis. Sic Thomas ait, Sacramentum esse memorativum passionis Christi, demonstrativum gratiæ in nobis, & prognosticum vel prænunciativum gloriæ, quia scilicet spem obsignant Sacramenta vitæ æternę. Sic etiam Scotus in loco suprà citato.

Idem de Sp. Sanct. 5.12.

Nazian. εἰς τὸ ἅγ. Βαπτισμ.

Augustin. tract. 80. in Ioan.

Idem Epi. 23.

Scotus in 4. d.1.q.2.

Thom.3. q.60 art. 3.

Scot. in 4. d.1. q.2.

CAPVT VI.

Quibus verbis consecratur Sacramentum.

SED Sacramenta ex se nihil efficiunt, sed omnem vim à verbo accipiunt, vnde etiam habent vt sint Sacramenta: Hoc est quod Augustinus ait, *Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Sacramenta ex verbis vt forma, & ex rebus vt materia constant. In Baptismo aqua materia & res est, in Eucharistia panis & vinum, vel vt Papistę volunt, species harum rerum: iam de verbis & forma quæritur. Pontificii dicũt esse pauca & certa quædam verba, quæ sunt pronuncianda super has creaturas, quibus nihil addendum aut detrahendum est, & hæc etiam esse cum susurro & tacite pronuncianda, & sic fieri Sacramenta & consecrari; vt in Baptismo, *Ego te baptizo*, in Eucharistia, *Hoc est corpus meum*, esse verba consecratoria: inesse vim quandam in verbis hoc modo demurmuratis etiã sine populi intelligentia, vt efficiant Sacramenta. Hoc a nostris reprehẽditur, & magica demurmuratio ac incantatio rectè dicitur. Nos dicimus verba ex quib. Sacramenta constãt vt forma, esse verba diuinæ institutionis, i.e. verba quibus Deus hæc elementa instituit in eũ vsum; quæ verba sunt in Sacramenti institutione palã recitanda, & si fieri possit explicanda, vt huius ceremoniæ vsus intelligatur. Nam per se elemẽtum est quasi res mortua, sed institutio & mãdatum Domini de his elemẽtis vitam quodammodo iis infundit, vt iam sint non elementa sed Sacramenta: nõ ergo esse in verbis tacitè demurmuratis vim latentem: sed verbum clarè pronunciandum & explicandum esse, vt omnes rationem, finẽ & vsum Sacramentorum intelligãt. Illi arcanam vim consecrandi res suis verbis tribuunt vtcunque pronunciatis; nos cõsecrationem non aliam rerum ponimus, nisi quando Dominica institutione recitata, res ad hunc vsum adhibẽtur, eo modo quo Christus præcepit, id est, quando res sumuntur & separãtur iuxta Dei mandatũ ad sacros vsus, vt cum aqua ad Baptismum adhibetur, & panis ac vinum ad Eucharistiam, & cum Christi mandatum & finis exponitur, tum demũ consecrari dicimus. Et hæc illa forma est, hoc illud verbũ est, quod accedit ad elementum. Quare Christus ait, *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*; doctrina ergo Baptismum præcedere debet, & sic etiam Apostoli post concionem baptizabant credẽtes; & Ioãnes Baptista eos antea docuit, qui ad eius Baptismum accesserũt, quàm baptizaret. Sic quod ad Eucharistiam attinet, antequam Christus Sacramentum in cœna distribuit, docuit Apostolos de necessitate comedendi carnem suã, quam etiam vocauit panem vitæ: tum in ipsa cœna ad hanc rem repræsentãdam accepit panem, & docuit esse corpus suum, & vinũ, quod docuit esse sanguinẽ suum; & iussit nos similiter facere. Ergo non tãtum illa verba, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & S. S.* sunt verba consecratoria Sacramenti Baptismi, sed totum mandatũ Domini de his verbis pronunciandis & aqua in hũc vsum adhibenda; nec illis tantum verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus* consecratur Eucharistia, sed tota verborum & actionis serie, vt quòd Christus acceperit panẽ & vinum, quod fregerit panem, effuderit vinum, dederit vtraq; & iusserit nos similiter facere. Sic Apostolus de

Matth. 28 19. Act. 2. 41. & 10. 48. Matth. 3. 6. Ioh. 6. 53. & 35. & 48.

Eph. 5. 26. Baptismo affirmat Christum mundasse Ecclesiam suam lavacro aquæ ἐν ῥήματι, *per verbum*. Hoc verbum Dei promissionem significat, quæ debet prædicari, vt vis & vsus signi explicetur, vtq; intelligi possit, Deũ purgare Ecclesiam lavacro aquæ non per se, sed quia hoc vtitur vt medio & organo: est ergo Baptismus Sacramentum, vt est verbi sigillum, & vt ex verbo pendet. Sic verbum promissionis de ablutione peccatorum, & verbum institutionis, quo Deus iussit vt aqua in eum vsum adhiberetur, est verbum quo fit Baptismus Sacramẽtum. Quando Ecclesia sequitur Christi authoritatem & mandatum in explicando hoc verbo, tum fit Sacramentum. Sed Bellarminus illud ἐν ῥήματι, *per verbum* apud Paulum non aliud vult esse, *quàm in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: nimis præcise ῥῆμα ad illa tam pauca verba restringit; & Hieronymus in illum locum per verbum intelligit *verbum doctrinæ*; & Catharinus Papista, *Christum sermone pronunciatum & corde susceptum*; & ait, *Sacramenta purgare, non nisi quia sunt signa; totum consistere in pactu. Deus invisibiliter facit in anima, quod signo visibili significatur.* Hinc duo colligimus; *primum* est, Sacramenta esse testimonia gratiæ; *secundum*, verbum Sacramenti esse Christum pronunciatum & fide susceptum: esse ergo cõcionale verbum, vt vult Caluinus, non incantatorium, vt volunt Papistæ; Tum quod in vetere versione legitur, *in verbo vitæ*, arguit plura esse verba quàm illa, *In nomine Patris, & Filii, & S. S.*

Hieron. in locum. Cathar. in locum.

Non esse certa verba & immutabilia, quibus consecrantur Sacramenta, satis docuimus. In vetere Testamento Sacramenta sine verbis certis ex Domini mandato celebrata sunt, vt nõ in illis certa verba adhibita fuisse appareat: nullam legimus præscriptam verborũ formulam vel in circumcisionis vel in Paschatis institutione: nec constat Apostolos his verbis semper vsos, quibus Papistæ consecrationis vim tribuunt; imò verisimile est, cùm magna multitudo ab illis fuit Baptizanda, vt Actor. 2. non singulos dixisse singulis, *Ego baptizo te*, sed vnum nomine aliorum coniunctim de omnibus, *Baptizamus vos*. Et Apostolos olim in Christi solius nomine baptizasse Bonauentura ait; & si quis nunc sic baptizaret, Scotus affirmat, se non audere dicere, eum esse nullum Baptismum. Græci vsi sunt hac forma baptizandi, *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, & Filii & spiritus sancti*; & Dominicus à Soto verum esse Baptismum ait, & rationem elegantem addit, *quia Ecclesia Romana tolerat eum ritum; sed si Ecclesia Romana eum ritum detestaretur* (inquit) *tuus fore vt ipsi nõ verè baptizarent*. At tum penderet Baptismus ex Ecclesiæ Romanæ nutu. Bellarminus illum reprehendit, sed nõ minus ineptè. Si, inquit, detestaretur Ecclesia Romana vt accidentalem tantum corruptionem, esset baptismus; si vt essentialem, non esset. Ita ille Romanæ Ecclesiæ tribuit, vt possit statuere, vel esse Baptismum, vel non esse. Sed Græci hanc Romanam Ecclesiam non

Act. 2. 41.

Bonaven. in 4. artic. 2. q. 2.

Dominic. Sot. in 4. q. 1. art. 8.

non morantur, nec eius decreta. Apud Gratianum legimus, quendam ex nimia imperitia linguæ latinæ baptizâsse his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*, & Zachariam Pontificem iudicasse sic baptizatum non esse rebaptizandum: & Bellarminus hoc Papæ iudicium approbat; ait enim Pontificem prudentissime iudicasse; sed addit rationem contra seipsum, nimirum quòd audientes facilè possent intelligere eum qui sic baptizavit, voluisse idem dicere, quod alii: quod si verum sit, tum non in verbis vis, sed in voluntate hominum consistit. Vnde non sit fixa & rata esse verba intelligimus, quin murari possint: non ergo in certis verbis fit consecratio, quia tum nulla omnino mutatio fieri debet, sed in declaratione & recitatione Dominicę institutionis; quod Bellarminus concionale verbum vocat. Nos quidem concionem requiri dicimus, non quod semper necessarium sit, cum Sacramento concionem coniungi, vt aliter non sit Sacramentum; sed requiritur ad bene esse Sacramenti prædicatio verbi, vt omnes intelligant, nõ esse ludicram actionem. Sic Irenæus, *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia*, id est, quãdo de his elementis & creaturis Dominica ordinatio exponitur, & Christi mandatum explicatur, tum non amplius panis est panis cõmunis & cibarius, nec vinum amplius est vinum commune, sed panis est panis Eucharisticus, & vinum est vinum Eucharisticum, id est, ex his fit Sacramentum Eucharistiæ. Et postea ait Irenæus, *panem terrenum accipere vocationem Dei*, quia Dei vocantis & præcipientis institutio explicatur. Augustinus lucu- *August. in tract. 80. in Ioh.* lentissime hac de re scribit, *Vnde tanta virtus aquæ*, inquit, *vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*? ergo fides requiritur, aliàs Baptismus nudum erit elementum, & nuda ac inanis ceremonia: addit Augustinus paulo pòst, *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*: & multa præterea in eandem sententiam scribit. Bellarminus fatetur, hunc locum nonnullos mire torquere; & illum certe maxime torquet. Versat se varie. & tamen nullum fere verbum affert ex suo, sed omnia pene ex Alano sumpsit, in quibus sigillatim refutandis si insisterem, frustra tempus tererem. Fatetur Augustinum hic loqui partim de verbo concionali, partim de Sacramentali, & tamen ait, nullam esse in verbis Augustini æquiuocationem. Sed omnes verbi concionalis & sacramentalis non esse eandem rationem & definitionem nôrunt; & postea Bellarminus ait, loqui Augustinum nunc de verbo concionali, nunc de Sacramentali: quod satis iudicat, aliud esse verbum concionale, aliud Sacramentale. Sed illud ipsorum Sacramẽtale verbum, quod occulte cum tenui strepitu in certis syllabis ab ipsis demurmuratur, non multum abesse à magia dicimus. Sed Augustinus non distinguit verbũ in concionale & Sacramentale, sed loquitur de verbo concionali tantum:

Gratian. de consecrat. d. 4. c. Retulerunt.

Iren. l. 5. c. 4. cont. hæres.

non enim ait, hoc est verbum quod dicimus, aut quod recitamus, sed quod prædicamus. Quòd verò ait Bellarminus, Augustinum nulla vti æquiuocatione, ab ipso certe sine ratione dicitur: nam si hoc verum esset, quod ille dicit, Augustinum partim concionale partim Sacramentale verbum intelligere, certe æquiuocatione vteretur. Sed quia nos illis magicam incantationem obiiciamus, tumultuatur Bellarminus, & Christum à nobis magum & diabolum dici calumniatur. At non Christum (bone vir) nos magum dicimus, sed vos magos vocamus: Christum enim leui murmuratione hæc verba locutum esse non legimus, nec ad certa verba Christus Sacramentorum consecrationem alligauit, sed in declaratione suæ institutionis posuit, vt primò Ecclesiæ promissio remissionis peccatorum proponeretur, tum sigillo adhibito sanciretur, eo modo quo Christus fecit & faciẽdum docuit. Quod verò quærit Bellarminus, num Christus non potuerit tantam vim verbis dare; potuisse omnes concedunt, dedisse negamus. Certè non aliam verbo Sacramentali vim dedit, quàm concionali at in verbis ipsis concionalibus aut in verborum syllabis non est vis aliqua occulta, sed vis omnis pendet ex Spiritu sancto, nec verba nisi audita & intellecta vim & gratiam afferunt: sic nec in Sacramento. Nam si Iudæi aut Turcæ vterentur iisdem verbis, & tamen nihil de Christo crederent, non ibi esset consecratio. Quàm vero magis similes sint Aduersarii, ex eo constat, quòd ita adhæreſcant ad voculas & syllabas quasdam, vt si vlla fiat transmutatio, non esse Sacramentum existiment. In ipsa transpositione verborum dicunt non fieri Sacramentum, etiamsi sensus maneat, vt si quis dixerit, *Meum est hoc corpus*, vel, *Est hoc corpus meum*, idem certè esset, ac si diceret, *Hoc est corpus meum*; & tamen non fieri illis verbis Sacramentum existimant. Quid hoc aliud est, nisi plane magicum, non modo ad certa verba, sed & ad ordinem verborum vim Sacramẽti alligare præsertim si sensu remanente ordo mutetur? cum etiam ordine seruato etsi nullus sensus sit (vt, *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*) aut falsus sit sensus (vt, *In nomine Patriæ, & Filiæ*) Sacramentum fieri credant: Alanus enim ait, ne hic quidem tolli Sacramentum. Vnde quàm friuola ratio Papæ Zachariæ & Bellarmini sit videamus, qui si quis ita baptizauerit, *In nomine Patria, & Filia, & spiritua sancta*, verum esse Baptismum aiunt, quia hæc verba nihil significant; at ista verba, *In nomine patriæ & filiæ*, significare aliquid, ac proinde si quis inter baptizandum vtatur his verbis non esse verum Baptismum. At si ordine verborum seruato, etiamsi nullus aut falsus sensus fuerit, tamen erit Sacramẽtum; quidni mutato verborum ordine, eodem tamen sensu interim manente, multo magis Sacramentum sit? Et de prima Quæstione hæc dixisse sufficiat.

Finis prima Quæstionis.

Quæ-

Quæstio II.

De Sacramentorum necessitate.

Caput I.

De statu Quæstionis.

POSTQVAM expositum sit, quid sit Sacramentum, & quorsum sit à Deo institutum, nempe vt sit signum & sigillum promissionum Dei, sequitur vt deinceps disseramus & doceamus, quàm necessaria hæc signa aut sigilla sint ad salutem. Et hęc quidem quæstio vtilis est, vt nec nimium nec parum Sacramentis tribuamus. Nam omnem spem salutis in Sacramentis ponere, quod faciunt Papistę, est nimium tribuere Sacramentis; putare verò signa esse superuacanea, qui error est Svvenckfeldianorum, est parum illis tribuere: quare mediam sententiam, quæ recta est, tenere debemus. Bellarminus hanc Quæstionem paucis absolvit, quia postea in Controuersia de Baptismo & Pœnitentia, hanc causam vberius & tractaturus. Ego quæ illorum doctrina, quæ nostra sit, breviter proponam. Non attingam varias necessitatis distinctiones, quas afferunt Papistæ. De Baptismo & Pœnitentia statuunt, esse necessaria simpliciter, posita institutione diuina; Baptismum quidẽ omnibus, Pœnitentiam verò iis, qui post Baptismum lęthaliter peccarunt, ac proinde seruari neminem posse, qui non baptizatur vel actu, vel saltem voto, id est, qui non vel baptizatur, vel Baptismum desiderat, licet ex ignorantia vel impotentia id acciderit; & sic similiter qui post admissum peccatum aliquod mortale, sine Pœnitentia de hac vita migrauerit. Concilium Tridentinum statuit, Sacramenta nouæ Legis esse ad salutem necessaria, & homines per solam fidem sine Sacramentis aut eorum voto non adipisci gratiam iustificationis. Et Bellarminus ait, fidem quamuis maximam, non tamen iustificare, nisi adsit etiam Sacramentum in re vel in voto; imò magis requiri Sacramentum quàm fidem, quia sine Sacramento in re vel in voto nemo iustificatur, neque paruulus, neque adultus; at sine fide paruuli, qui fidem propriam nullam habent, qua recipiant iustificationem, & tamen per Sacramentum fidei, inquit, iustificãtur. Nos dicimus, Sacramenta esse media salutis, & organa Spiritus sancti, in quibus Deus promissiones Euangelii credentibus proponit, & præbet, & applicat, & obsignat;

Concil. Trident. sess. 7. c. 4.

signet; esse ergo aliquo modo necessaria, non autem simpliter, sic vt sine his prorsus actum sit de salute, si nullâ culpâ nostrâ hoc fiat. Quod verò ait Bellarminus, aut in re aut in voto necessaritium esse Baptismum, si de adultis tantum loqueretur, æquior eius sententia esset; qui enim nec actu baptizãtur, cùm possunt, nec Baptismum desiderãt, cùm actu habere non possunt, eos nullo modo possumus excusare; sed ille de infantibus etiam loquitur, & sic iniquissimum est, quod ait, & Scripturis contrarium, vt postea patebit. Æquum ne enim est, infantes, si mortui ante fuerint, quàm baptizentur, in æternum perire, quia votum Baptismi non habuerunt? at ne adulti quidem pereunt, si sine aliqua negligentia sua aut contemptu Baptismo caruerint, multò minus infantes, qui nec negligere nec contemnere possunt. Infantes ergo seruari posse dicimus, etsi nec re nec voto baptizentur, imò adultos quoque, etsi non re baptizentur, modò nullus contemptus intercesserit. Fatemur ergo Sacramenta esse necessaria, *primò*, propter Dei mandatum & ordinationem, quia Deus his mediis vti nos voluit, ad applicanda & obsignanda nobis beneficia Christi, & quia signa sunt fœderis inter Deum & Ecclesiam: qui verò signa fœderis aspernatur, is se diuini ordinis contemptorem declarat, & est aperto sacrilegus & fœdifragus; *secundò*, propter nostram infirmitatem, quę his adminiculis opus habet: nemo enim in hac vita ad eum fidei gradum ascendit, quin incremento & confirmatione indigeat. Interim tamen non esse Sacramenta aut magis aut tam necessaria dicimus, quàm est fides aut Dei verbum, sine quibus nemo (de adultis loquor) seruari potest, vt si quis millies in voto haberet credere, nisi tamen actu crederet, non seruaretur: imò si quis in voto habeat baptizari, fide tamen careat, nihil ei votum eius proderit. Sed Bellarminus hanc necessitatem non nisi in duobus Sacramentis agnoscit, in Baptismo scilicet, quem ait omnibus esse necessariam, & in Pœnitentia, quam etiam omnibus, qui post Baptismum læthaliter peccant, necessariam esse affirmat, & addit, Ordinis etiam Sacramentum ipsi Ecclesiæ in vniuersum necessarium esse; sine reliquis verò posse homines saluari fatetur, modò absit negligentia & contemptus: quod etiam omnes Papistæ dicunt. Alanus Calvinum ait facere Baptismum ἀδιάφορον, id est, *indifferentem*, & liberæ obseruationis: at tum eo vti vel non vti quis posset; & hoc esset Baptismum plane contemnere. Non ita Calvinus, non ita nos insanimus; imò maximam Sacramentis vim tribuimus, sed iis salutem non alligamus. Fatemur cum Augustino, vim Sacramentorum inenarrabiliter valere plurimum; & ideo contempta sacrilegos facere.

Alan. lib. de Sacra. c. 25.

August. cõt. Faust. l. 19. c. 11.

C A-

CAPVT II.

In quo Aduersariorum argumenta de Sacramentorum necessitate diluuntur.

BELLARMINVS non nisi duo Scripturæ loca obiicit, vt doceat, hęc duo Sacramẽta, Baptismum scilicet & Pœnitentiam, esse ad salutem necessaria, eo modo scilicet, quo diximus. De Baptismo obiicit illa verbà, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* *Respondeo*: 1. Si aqua hic Baptismum significaret, æquitas postularet, vt ad adultos tantum hanc Christi orationem accommodaremus, quia Christus hoc tẽpore cum Nicodemo veterano inter Iudæos Doctore locutus est: quod ei necessarium fuit, hoc ad paruulos etiam transferre, nimis iniquum est, & nulla ratio suadet, præsertim cùm nulla illorum culpa sit, quòd Baptismus non habeatur. Imo ipsi Scholastici aiunt, hæc verba cum hac exceptione esse intelligenda, si absit scilicet contemptus. Sic Lombardus ait, *hoc intelligendum esse de illis, qui possunt & contemnunt baptizari.* 2. Si aqua hic pro Baptismo accipiatur, tamen non hinc sequitur, Baptismum esse simpliciter necessarium, sed hoc signo gratiam Spiritus sancti obsignati, tanquam sigillo: vt cum Christus ait, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur*, licet Baptismum cum fide coniungat, non tamen vult Baptismum esse æquè necessarium ac fidem, sed esse tantum vt testimonium & sigillum fidei: quare non addit in posteriore membro, Qui non crediderit, & qui non baptizatus fuerit, peribit, sed tantùm, *Qui non crediderit, condemnabitur*: quibus verbis satis indicat, fidei, non Baptismi priuationem esse exitialem. 3. Dico per aquam hic non Baptismum, sed Spiritum sanctum intelligi μεταφορικῶς, quia postea statim dicitur, *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*, nullâ aquæ factâ mentione. Aquæ verò Spiritus sanctus comparatur propter similitudinẽ, quia vt aqua abluit sordes corporis, ita Spiritus sanctus applicans per fidem cordibus nostris sanguinem Christi, abluit omnes maculas animæ, hoc est, peccata nostra: vnde etiã Christus Sacramentum purgationis in aqua instituit. Huic simile est, quod Ioannes Baptista ait, *Ipse baptizauit vos Spiritu sancto & igne*: & Spiritus sanctus die Pentecostes in specie ignis descendisse dicitur: ita & aquę & igni Spiritus sanctus comparatur. Ineptum ergo est, hinc colligere, *primò*, aquam hic esse Baptismũ: *secundò*, omnibus simpliciter necessarium esse Baptismum, etiam paruulis, vt nisi Baptismum aut actu aut voto habuerint, eos à salute arceri sit necesse.

Secundus Scripturæ locus à Bellarmino citatus, ad probandam Sacramenti Pœnitentiæ necessitatem affertur, & his verbis continetur, *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Sic Bellarminus perperam verba Christi apud Lucam legit, & Pœnitentiæ vocabulum à

Ioh. 3. 5.

Lombard. l. 4. d. 4. in litera E.

Marc. 16. 16.

Ioh. 3. 6.

Matth. 3. 11.

Act. 2. 3. 4.

Luc. 13. 3. & 5.

E litera

litera maiuscula orditur, vt pro Sacramento Pœnitentiæ sumi credatur; at verba græce sic se habent, ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε, id est, *Nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis.* Respondeo. Igitur: Fateor quidem pœnitentiam esse necessariam omnibus, at non vt Sacramentum (non est enim Sactamentum) sed vt cordis renouationem, & conuersionem ad Deum: debet enim in omni homine esse cordis renouatio & conuersio ad Deum: at illi volunt esse necessariam, vt Sacramentum. Per pœnitentiam enim intelligunt confessionẽ peccatoris Sacerdoti in aure factam, & eiusdem Sacerdotis absolutionem: nam volunt omnes debere peccata sua post Baptismum commissa alicui Sacerdoti confiteri, & ab illo absolutionem petere, & qui in quouis peccato mortali post Baptismum commisso, nõre aut voto sic absolutus fuerit, eum seruari non posse statuunt: sine tali enim absolutione nullam dicunt esse salutem. At nos dicimus non esse vlli necessarium, à Sacerdote absolutionem petere, aut Sacerdoti confiteri; sufficit vt soli Deo confiteamur: & pœnitentiam esse veram dicimus, etsi homines omnes peccata nostra in specie celemus: ergo hic locus nihil ad rem facit. Restringere verò pœnitentiam ad tempus post Baptismum, est ἀθέλογον, vt omnes nõrunt. Sed de necessitate horum Sacramentorum postea se plura dicturum pollicetur Bellarminus.

CAPVT III.

In quo nostra argumenta contra Papisticam Sacramentorum necessitatem proponuntur.

NVNC nos pauca contra Papisticam Sacramentorum in genere necessitatem argumenta proponemus. *Primum* nostrum argumentum est huiusmodi: Sacramenta in vetere Testamento non simpliciter ad salutem necessaria fuerunt: ergo nec in nouo sunt necessaria. Antecedens probatur, quia non fuit necesse omnibus in vetere Testamento aut agno Paschali vesci, aut circumcidi: De agno Paschali, non dixerint (opinor) periisse omnes, qui eum non comederunt: comedere enim nullis licuit, nisi iis, qui mysterii rationem per ætatem intelligere potuerunt. Nec circumcisio omnibus simpliciter ad salutem necessaria fuit, quia tũ in octauum diem dilata non fuisset, ante quem multi sine dubio mortui sunt. Num si Sacramenta fuissent ad salutem simpliciter necessaria, distulisset Deus circumcisionem in octauum diem? Lombardus quidem dicit, periisse omnes, qui ante octauum diem mortui sunt; sed discipuli eius omnes hic eum relinquunt, eumq; propter hoc ipsum reprehendunt. Et in deserto omissa circumcisio fuit per annos quadraginta: at non dubium est, multos eorum, qui nati sunt in deserto, mortuos esse, antequam Iosue fecit vt omnes circumci- *Iosu 5.*

cumciderentur: num tamdiu huius Sacramenti vsum omisissent, si ad salutem simpliciter necessarium fuisse credidissent? Tum Deus ipse docet, non priuationem circumcisionis sed eius contemptum fuisse peccatum, cum ait: *Præputiatus mas, qui non circumciderit carnem præputii sui, vtiq; excindetur homo ille è populis suis, quia irritum fecit fœdus meum*: irritum verò Dei fœdus facere, nemo dici potest, nisi qui circumcisionem sponte neglexit aut contempsit, quorum vtrumque in adultos tantùm cadere potest. Si ergo in vetere Testamento seruari homines potuerunt sine Sacramentis, cur non etiam in nouo possunt? num duriùs nobiscum agit Deus, quàm cum illis egit? Dicunt illi, nostra Sacramenta esse preciosiora Sacramentis veteris Testamenti; esto, sint; de quo tamen postea erit differendũ: sed num dicemus magis lubricum esse statum hominum in nouo Testamẽto, quam olim in vetere fuit? cùm non perierint olim omnes, qui sine circumcisione mortui sunt, num periisse nunc omnes dicemus, qui sine Baptismo hinc migrauerint? nil certe dici absurdiùs potest. Et cùm pueri & alii olim sine Sacramentis seruari potuerint, hoc arguit salutem tum non alligatam esse Sacramentis: at si Deus potuit & voluit etiam tum sine Sacramẽtis seruare, cur non & nunc etiam? hoc certè est, facere Deum in nouo Testamento magis rigidum & seuerum, quàm olim in vetere fuit, si eũ gratiam suam nunc magis quàm olim externis rebus alligâsse statuamus. Quare falsum est, cum priuatione Sacramenti damnationem coniungi, cùm eius qui priuatur culpa nulla fuerit. *Gen. 17. 14.*

Secundum nostrum argumentum sumitur ex verbis Apostoli Pauli, *Alioqui liberi vestri impuri essent; nunc autem sancti sunt.* Quibus verbis Apostolus affirmat, liberos etiam ex impari coniugio, fidelis scil. cum infideli, natos, sanctos esse. Quomodo sancti? num omnes sancti? non omnes quidem; sed nostrum non est segregare. Omnes includuntur in fœdere, *Ero Deus tuus, & seminis tui*, & ratione huius fœderis omnes sancti sunt. Etiamsi alter tantum parens fidelis fuerit, tamen omnes ex eo coniugio nati in fœdere sunt: salus autem ex fœdere pendet; & propter hoc fœdus, & hanc ex fœdere sanctitatem, ad Baptismũ admittũtur. Aliàs si faceret sanctos Baptismus, cur non infidelium liberi ad Baptismum adducuntur, vt huius sanctitatis participes fierent? quod ne ipsi quidem Papistæ (opinor) concesserint. Caietanus ait, Paulum loqui de legali mundicie; quod valde absurdum est, cum scribat Paulus ad Corinthios, qui legalem immundiciem ignorabãt. Catharinus præuiam quandã sanctitatem intelligi vult, qualis fuit candidatorum: at Apostolus sanctos pronunciat, quemadmodum solet, quando de fidelib. loquitur. Putide inepti sunt, qui in locum tam apertum impingunt. Si liberi ex altero fideli parente nati, sancti sunt ratione fœderis, etiam ante Baptismum, tum sine Baptismo ser- *1. Cor. 7. 14.* *Caietan. in locum.* *Cathar. in locum.*

uari possunt: nam qui sancti sunt, perire non possunt. Sed de hoc loco postea fusius erit dicendum.

Tertium nostrum argumentum sic se habet; Si Christi gratia apprehendi & applicari potest, sine Sacramẽtis, tum homines sine Sacramentis seruari possunt: at verum primum: ergo & secundum. Consequentiæ ratio in maiore propositione hæc est, quòd in applicatione & apprehensione beneficiorum Christi salus æterna consistat; atq; ideo ipsi Pontificii volunt, Sacramenta esse necessaria propter istam applicationem. Assumptio manifesta est: Scripturæ enim docẽt, Christum cum omnibus eius beneficiis applicari nobis in Euangelii prædicatione extra & ante Sacramenta, & sic sine Sacramentis per solam fidem, quando scilicet promissiones Christi fide amplectimur. Aduersarii hoc negant, sed ego sic probo: Fide reconciliamur Deo, & iustificamur: fide corda purgantur: non ergo in Sacramento, sed in fide est purgatio; Sacramentum accedit, vt huius purgationis sigillum: per fidem Christus in cordibus nostris habitat: sic fides facit, vt Christus totus noster sit: ergo fide applicatur nobis Christus cum omnibus suis meritis; habitatio enim Christi in nobis est applicatio Christi. Quare quod Augustinus olim de Eucharistia dixit, *Crede & manducasti*; ita nobis licet de Baptismo dicere, *Crede, & baptizatus es*. Quorsum igitur Baptismus? inquiet aliquis: quorsum tum (inquam ego) Eucharistia? non sequitur ex eo, vel Baptismum esse non omnino necessarium, vel Eucharistiam esse prorsus superuacaneam, quia hæc fides vtroq; Sacramento alitur, augetur, confirmatur. Eadem quidem gratia in verbo offertur, quæ in Sacramẽtis, nisi peculiaris aliqua gratia sit in Sacramentis, quæ non est in Euangelii prædicatione; si verò aliqua alia sit, dicant Aduersarii, quæ illa sit. Certè omnia illa bona, quæ in verbo offeruntur, vt remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo, & quę sunt huiusmodi apprehendi possunt per solam fidẽ, antequam vllum omnino Sacramentum accedat: ergo Sacramenta instituta sunt, non vt nouam aut aliam aliquam gratiam afferant, sed vt eam, quam habemus, nutriant & obsignent. Sic igitur argumentum instituo, Si Sacramenta non applicant aliam gratiam, quàm quæ in solo verbo offertur & applicatur cuiuis fideli, tum sine Sacramentis fideles seruari possunt: at verum primum: ergo & secundum. Hoc argumentum est ἀδιάλυτον, *indissolubile*; aut afferant Aduersarii, si possunt, vllam Sacramentalem gratiam, quæ non conceditur credentibus sine Sacramento. Quare dicere non posse, homines sine Sacramentis seruari, est non modò salutem & gratiam ad elementa alligare, sed & fidei vim eneruare, & ipsum Euangelium contumelia afficere, quod omnes promissiones gratię credentibus offert.

Rom. 1. 16. & 5. 1. Act. 15. 9.

Quartum nostrum argumentum ab exemplo Abrahę sumitur in hoc loco quem tractamus. Abrahamus fide

Rom. 4. 11. v. 10 11.

fide iustificatus est, vt in hoc capite habetur, & ex hac iustificatione beatus dicitur, etiam antequam aut circumcisus est, aut aliud vllum Sacramentum accepit: quorsum ergo est circumcisus? nimirum vt circumcisio illi esset signum & sigillum iustitiæ illius, quam antea per fidem adeptus fuerat, nõ vt illi iustificationem aut nouam gratiam conferret: in beatitudinis ergo statu aliquis esse potest etiam sine Sacramentis. Idem planè de Baptismo nostro dici potest, vt postea patebit; eadem enim vis & gratia Sacramentorum veteris Testamenti fuit, quæ nostrorum est, vt postea docebimus.

Quinto & postremò nonnulla antiquitatis testimonia adducemus. Fuit olim in more positum veteri Ecclesiæ, vt cùm aliqui ex Gentibus ad fidẽ accedere & Christo nomina dare vellent, non ante baptizarentur, quàm ad tempus aliquod catechumeni fuissent, & ad maturiorem aliquam religionis & doctrinæ Christianæ cognitionem peruenissent. Si verò in morbum aliquem læthalem incidissent interim, antequam plane instituti fuissent in doctrina Christiana, non baptizabantur in morbo, sed eis manus tãtùm impositæ sunt. Hoc manifestum est ex Concilio Elibertino, & ex Concilio Arelatensi primo: vtrumquè enim Concilium cavet, ne baptizarentur catechumeni ex Gentibus conuersi etiam infirmitate aliqua laborantes, sed permittit tantùm, vt manus iis imponerentur. At hoc crudele decretum fuisset, si Baptismus esset ad salutem necessarius, & si omnes non baptizati damnentur. Certè non denegâssent hæc Concilia eis Baptismum, si hoc illis fraudi fore existimâssent. Quare manifestum est, hæc Concilia non suspendisse salutem ex Baptismo. Gratianus ait, ex Cypriano, passionem aliquando implere vicem Baptismi, exemplo latronis in cruce. Sed Augustinus subiungit apud eundem, se inuenire, non modò passionem pro nomine Christi (neq; enim latro, inquit, pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum) sed & fidem per se sufficere: De hoc vide Augustinum ipsum. *Cùm Baptismus ex voluntate de fuerit, reatu hominem inuoluit*, inquit idem Augustinus alibi: ergo nil damni accedit ex priuatione Baptismi, nisi nos in causa fuerimus: at paruuli hanc culpam præstare non possunt. Idem adhuc Augustinus alibi ait, inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse & profuisse sine visibilibus Sacramẽtis, sed visibilem sanctificationem, quæ per sacramenta fit, posse adesse sine inuisibili, sed non prodesse. Vocat Sacramentorum sanctificationem visibilem, & ab ea distinguit inuisibilem, quam & sine ea esse & prodesse posse ait. Ambrosius ait, Catechumenis sine Baptismate & martyrio migrantibus patere aditum perpetuæ beatitudinis: & Valentiniani sorores consolatur de morte eius ante baptismũ: ait eum habuisse voluntatem Baptismi accipiendi, & ablutum fuisse sua pietate

Gratian. de consecrat. d. 4. c. Baptismi vicem.

Augustin. lib. 4. c. 22. cont. Donat. & c. 25.

Idem super Levit. q. 84.

Ambros. in funere Valentin.

Concil. Elibert. can. 39. Concil. Arelat. 1. can. 6.

tate ac voluntate. Si Baptismus simpliciter necessarius esset, num sufficeret velle baptizari, præsertim cum toties potuerit? ergo satis apertum est, Ambrosium existimâsse, salutem nullo modo ex Baptismo pendere. Et quid de latrone dicemus? ille certè nec voluit baptizari, nec de eo cogitauit; neq; enim de Baptismo nec de Eucharistia audiuit vnquam, aut de alio vllo Sacramẽto, sed quia credidit in Christum, hæc illum sola fides seruauit. Ergo Scholastici triplicem dicunt Baptismum esse, fluminis, flaminis, & sanguinis: at nec martyrium est propriè Baptismus, nec flamen, sed illi commenti sunt diuersas species Baptismi, cum reuera improprie hæc Baptismus sint. Sed si vera hæc illorum distinctio sit, tum qui flamine baptizatur, id est, Spiritu sancto, is seruari potest, etiam sine aquæ Baptismo. Et hoc est, quod vulgò ex Lombardo citari solet, *Gratiam non esse alligatam Sacramentis:* nam is vere & sine Baptismo & sine aliis Sacramentis posse hominem seruari statuit. Sic Thomas ait, *Deum virtutem suam non alligâsse Sacramentis.* Sed nos plura postea hac de re dicemus, si Bellarminus plura attulerit. *Thom. 3. q. 64. art. 7.*

Finis secundæ Quæstionis.

Quæstio III.

De Ministro Sacramentorum

Sitne intentio Ministri necessaria ad Sacramentorum perfectionem.

Caput I.

In quo agitur de administratione Sacramentorum per Laicos, aut homines improbos, & de statu Quæstionis, quod attinet ad Ministri intentionem.

TErtia Quæstio esset Quis sit Minister legitimus Sacramentorum, quam nos Quæstionẽ paucis tractabimus, quia fatetur Bellarminus, nullam sibi hoc loco esse cum Caluino controuersiam: nam quod Caluinus nec laicos, nec mulieres posse in necessitatis articulo baptizare affirmat, id in disputatione de Baptismo se velle refutare ait. Quare nunc totus in Lutherum fertur, quem ait docere, omnes homines habere potestatem Sacramenta omnia conferendi. Lutherus quidem ait, Christianos

stianos omnes esse sacerdotes, & nullum esse peculiare saaerdotium in Ecclesia, non tamen voluit quẽuis temere & confusè arrogare sibi ius aut verbum prædicandi aut administrandi Sacramenta, sed eum solum hæc facere debere, qui ad hanc functionem legitimè vocatur: non requiri ordines Papisticos, vt quis Euangelii Minister fiat, aut creationem cum ritibus & ceremoniis, cuiusmodi Pontificii vtuntur in suis creandis sacrificulis, sed sufficere, vt post examinationem admittatur, & officio suo fungatur. At hæc etiam Caluini sententia est, cum quo tamen nihil sibi hic negotii esse affirmat Bellarminus: nam Caluinus omnes Christianos esse sacerdotes ait, vt Lutherus, & ad Ministrum Euangelii constituendum nihil requiri, nisi vt probetur prius, & tum ordinetur, id est, cum precibus in muneris sui functionem mittatur. Frustra igitur hîc litigat Bellarminus, & Antabatarum more vmbram suam diuerberat; nos enim non omnibus permittimus aut verbum prædicare, aut Sacramenta administrare, sed iis solis, qui legitimè vocantur, quod non modò de Eucharistia, sed & de Baptismo intelligi volumus, vt postea patebit. Ergo hoc totum ad alium locum reseruemus.

Quod autem nonnulli existimant, fructum Sacramenti ex personę administrantis dignitate, fide, & probitate pendere; nos in eo errore non versamur. Verus hæc hæresis fuit Donatistarum, & quorũdam Anabaptistarum & fanatico-rum nostro seculo, qui prædicationem & ministerium respuunt eorum, quorum mores non probant. Negari certe non potest, probitatem in Ministris vel maximè requiri, si in vllo homine requiratur; sed tamen non facit hypocrisis aut improbitas Ministri, vt aut verbum aut sacramẽta sint inefficacia, quasi vis verbi & Sacramentorum ex Ministri dignitate sit metienda. Sunt enim Sacramenta æstimanda non ex eius manu, qui administrat, sed Dei, qui instituit: Deus enim est, qui Spiritu sancto baptizat; homines nõ nisi ministri huius actionis sunt. Iudæis non obfuit, quòd ab impuris sacerdotib. aut apostatis circumciderentur; imò qui à Samaritanis circumcisi sunt, admittebantur sine noua circumcisione, vt docet Augustinus. Iudas non minùs, quàm alii Apostoli, minister verbi fuit, qui tamen erat apostata & diabolus. Multi mali Ministri Ecclesiæ vtiles fuerunt: multi impii dicent Christo in die iudicii, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes edidimus?* quibus Christus respondebit, *Nunquam noui vos; discedite à me, qui facitis iniquitatem.* De scribis & Pharisæis Christus ait, *Omnia quæ dixerint vobis vt seruetis, seruate & facite:* de quo loco Augustinus sæpe scribit egregie. *Contundo corpus meum* (inquit Apostolus Paulus) *& in seruitutem redigo, μήπως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι, ne quo modo cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus fiam.* Et idem Apostolus se gaudere ait, *si quouis modo*

August. lib 1. c. 31. cont. Crescent.

Matth. 7. 22.

Matt. 23. 3.

1. Cor. 9. 27.

Philip. 1. 18.

modo Christus prædicetur, siue per inuidiam & contentionem, siue ex charitate: quod Apostolus minimè diceret, si inutilis impiorum prædicatio esset. Ergo alibi idem ait, *neq; is*
1. Cor. 3. 7. *qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed Deus qui dat incrementum*: tota ergo ministerii vis à Deo est. Si aqua salubris sit, non refert qualis is sit qui rigat, nec vtrùm per lapideum, aut plumbeum, aut argenteum canalem transeat: si bonum semen sit, licet manus seminantis impura & sordida fuerit, non multùm laboramus: si donum pretiosum tibi oblatum fuerit, non respnes propter nuncium à quo affertur, aut propter vas in quo continetur. *Quid te impedit malitiosus præco, vbi benevolus est index?* inquit Augustinus. Et idem
August. tract. 5. in Euang. Ioan. alibi, *Lumen Solis non inquinatur, si trãseat per lutum vel loca cœnosa.* Sic Am-
Idem l. 3. c. 10. cont. Donat. brosius, *Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum.* Sic Nazi-
Ambros. de iis qui init. myst. anzenus, μὴ ζήτει ἀξιοπιστίαν τοῦ κηρύσσοντος μηδὲ τοῦ βαπτίζοντος, *Noli*
Nazian. *solicitè inquirere in dignitatem eius qui prædicat aut qui baptizat*: & hoc exemplo illustrat, Sint, inquit, duo annuli Regis, alter ex ferro, ex auro
ἐκτὸς τὸ ἅγ. βαπτισμ. alter, & idem sit vtriusque ἐκτύπωμα, id est, effigies seu character; etsi est differentia, inquit, ἐν ὕλῃ, id est, in materia, at non in effigie. Similiter qui morbo læthali laborat, medicum bonum non recusabit, etsi hominem malum. Et idem addit ibidem, μὴ κρίνε τοὺς κριτὰς ὁ χρήζων τῆς ἰατρείας, *Noli iudicare iudices,*
Hugo de S. Victor. de Sacra. l. 2. p. 2. c. 13. *qui medicinâ indiges.* Rectè Hugo de Sancto Victore, *Quod bonum accipit, quare bonum non iudicetur, etiamsi à bono non acceperit.* Quare Sacramenta bona sunt, etsi qui dedit, non sit bonus. Sed Bellarminus fatetur nullam sibi nobiscum hac de re controuersiam esse: quare nos hanc Quæstionem missam faciemus.

Sed de eo quod sequitur, magna inter nos controuersia est, nempe vtrùm in Ministro Sacramenti intentio necessaria sit. Esse necessariam Papistæ omnes vno ore affirmant. Sic Concilium Tridentinũ, *Concil. Trident. sess. 7. can.* sic Lombardus, Scotus, aliique Scholastici. Et Bellarminus in hac defensione multus est. Quid autem illi per intentionem intelligunt? & quænam, quæso, est ista intentio? nimirum non fieri Sacramentum, nisi Minister intendat: quid hoc? nisi animum conficiendi & conferendi Sacramẽtum habeat: at, quid si ille nihil tale cogitet? quid si animus sit in patinis? num erit inutile toti Ecclesiæ Sacramentum? Bellarminus ex magistrorum suorum placitis requiri intentionem affirmat. Sed illi hîc distinguunt de intentione: dicunt enim non necesse esse, vt habeat Sacerdos particularem intentionem Baptismi conferendi aut absolutionis, sed sufficere generalem intentionem faciendi, quod Ecclesia facit; vt si quis Sacerdos accedat ad baptizandum, aut ad Eucharistiam celebrandam, qui nesciat quæ res agatur, aut quid sibi velint Baptismus & Eucharistia, tamen si habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, satis est; adeo vt si ille Sacerdos ignarus plane sit, tamen si faciat quod liber præscribit, & intentionem habeat faciendi, quod Ecclesia facit, & facere iubet, Sacramentum verum sit, quod ab illo administratur. Quod verò de Ecclesia aiunt, hoc non necessariò de Romana Ecclesia intelligendum est, quasi opus sit intendere tantùm quod facit Romana Ecclesia: ait enim Bellarminus sufficere, si quis intendat facere, etiam quod facit Ecclesia Geneuensis, si modò Geneuensem Ecclesiam putat esse veram Ecclesiã. Sed qualis tandem est hæc intentio, quam requirunt? num actualis? non necessario, inquit, requiritur, vt actu quis semper intendat, quia non est in nostra potestate, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum res sanctissimas agimus: num habitualis ergo intentio sufficit? Bellarminus ait non sufficere, quia tum baptizatus diceretur, si quis à dormiente vel ebrio baptizaretur; & tamen Thomas ait, habitualem intẽtionem in precibus sufficere, id est, qualis in dormiente aut ebrio esse potest. Quid? num ergo plures adhuc intentiones sunt? est certè adhuc alia, nempe virtualis; & qualis tandem illa est? cùm scilicet actualis intentio in præsenti non adest propter euagationem aliquam mentis, tamẽ paulo ante adfuit, & in illius virtute fit operatio; & hanc ait omnium consensu requiri, si actualis non adsit; & sufficere. Est verò exempli gratiâ intentio virtualis, vt si quis habeat in animo adire Compostellam, & ibi Diuum Iacobum adorare, atq; interim ea, quæ ad iter necessaria sunt, & inter emendum de Diuo Iacobo nihil cogitet: sic si Sacerdos mane intendat illo die missam celebrare & consecrare, mox alia cogitans tamen ad celebrationem accedat, & tum nihil de Missa sua, sed de aliis rebus cogitet, hanc esse virtualem intentionem dicunt, & sufficere aiunt. Sed quid si intenderit Sacerdos non nisi per mẽsem aut annum antea? ait Bellarminus, si paulò ante adfuit intentio, sufficere, sed non docuit quàm diu antea adfuisse sufficiat. Quis non hanc Sophistarum nequitiam & istiusmodi insomnia detestetur? primò simulant se intentionẽ quasi serio requirere, deinde talis intentionis mentionem faciunt, quæ intentionis nomen plane non meretur. Nam qui res alias animo toto agit, quomodo is dici potest intendere id, de quo non cogitat? intẽtio vocatur, quia animus in id, quod agitur intentus est: si ergo animus aduersus fuerit, non rectè dicitur intentio: dicere verò aliquem intendere aliquid nunc, quia paulò ante intendebat, aut intendere præ se ferebat, Sophisticum est. Nos hoc Papisticum & Sophisticum dogma respuimus. Requiri intentionem, quis negat? cum enim totus populus in sacra intentus esse debeat, tum certè Minister vel maximè debet, *Hoc agere*, quod olim de sacris Gentium & Paganorum dici solebat; atq; ideo etiam in Ecclesia Christianorum clamare olim Diaconus solitus est, ἄνω τὰς καρδίας, *Sursum corda*: si verò ludit Minister, dum res sacras tractat, aut aliis se cogitationibus occupat, magni

certè sacrilegij reus est: interim tamen non desinit esse Sacramentum quod administrat, si ordinem à Christo institutum seruet: & pij nõ minorem fructum ex hoc Sacramento percipiunt, quàm si Minister intentissime celebrâsset. Non enim Sacramentum ex voluntate hominis, sed ex Dei manu & mandato & promisso pendet. Ita nos requiri vel maxime Ministri intentionem fatemur, & grauissime peccare illos Ministros affirmamus, qui aliud intendunt; non tamen ita requiri volumus, vt non sit Sacramentum, si desit: & cum Caluino dicimus, si Epicuræus quispiam intus totam actionem substannans, nobis cænam iuxta Christi mandatum, rituque legitimo administraret, non dubitemus panem & calicem illius manu porrecta, vera nobis esse corporis & sanguinis Christi pignora; imò cum Luthero affirmare non veremur, dæmon in specie hominis baptizaret aliquem iuxta institutionem Christi, non tamen faceret, quin verum Sacramentum esset. Denique vno verbo, illi Sacramentum ex Ministri celebrantis & administrantis intentione pendere dicunt; nos contra, quicquid Minister intenderit, si Christi mandatum & institutionem obseruauerit, verum ab illo Sacramentum celebrari & administrari dicimus.

Calvin. Antidot. Concil. Trident. sess. 7. can. 11.

Luther in lib. de miss. priuat & vnct. Sacerd. edit. anno 1534.

***

CAPVT II.

In quo Aduersariorum argumenta diluuntur.

NVNC paucula & illa quidem ridicula Bellarmini argumenta diluamus. *Primum* eius argumentum est huiusmodi: Illa verba, *Ego te baptizo*, possunt habere varias significationes; nam baptizare, est tingere aquis; tingit autem aquis, qui lauat sordes corporis, qui refrigerat, qui lauando medetur: opus ergo est determinatione horũ verborum: at nihil fingi potest, quo determinetur hæc indifferẽtia formæ nisi intentio Ministri. *Respondeo*: 1. fidem & intentionem eorum, qui baptizantur, facere vt hic Baptismus sit Sacramentum, non aliam rem aliquam, quantumuis Minister intendat medici aut balneatoris munere fungi, dum baptizat: non ergo opus est alia verborum determinatione, quàm intentione suscipientium Sacramentum. Atq; ipsi etiam Papistæ tale aliquid affirmant: nam & illi dicunt, si quis ad Paganum accederet, & ab illo peteret, vt ipsum baptizaret, & is voto eius satisfaceret, licet Paganus ipse de Baptismo nihil cogitet, Baptismum tamen hunc verum Baptismum esse. Sed obiicit Bellarminus, infantes nihil posse intendere. *Respondeo*: at si non ipsi possunt aliquid intendere, possunt tamen eorum parentes, aut propinqui, aut amici, aut saltẽ Ecclesia: non enim fieri potest, vt Ecclesia tota contrarium

rium intendat. At 2. *Respondeo*, etiamsi in horum nullo esset intentio baptizandi, tamen intentio est in ipso Christo, qui instituit Baptismum: ille semper intendit esse Sacramentum, & eius intentio non potest mutari; imò hoc erit Sacramentum ex intentione Christi instituentis, licet Minister cõtrarium intendat. Sed obiicit Bellarminus, tum qnare non esset verum Sacramentum si verba à psittaco proferrentur. Impurum os! Sed *respondeo*: quia psittacus non potest esse Minister Sacramentorum, nisi fortè Aduersarii nostri etiã psittacis potestatem concionandi & baptizandi concedant; nec est Dei verbum, quod psittacus pronunciat, quia non loquitur, sed garrit & perstrepit: imitatur quidem vocem hominis, non tamen loquitur; imò non est verbum, quod ab illo pronunciatur, nedum verbum Dei: nam λόγ& *sermo* est τ῀ λογικ῀ tantùm, id est, creaturæ *rationalis*; psittacus verò non est λογικὸς. At si Minister, homo cùm sit, licet improbus & nequam, verba pronunciet, est Sacramentum: potest enim homo nequam esse Sacramentorum Minister, & eius ministerium efficax esse potest, vt in verbo, sic & in Sacramentis. Sacramenta enim pendent à Christo & eius instituto, licet agat & intendat Minister, quid velit, modò ordinem à Christo institutum obseruet. Hoc erit ei capitale, quòd non intendat; non impedit tamen fructum Baptismi. Nostram responsionem non alio potest argumento refellere Bellarminus, nisi hoc à psittaco sumpto. Certè si loqui psittacus posset, non posset absurdiùs respondere.

Secundum Bellarmini argumentum huc tãdem redit: Ministri sunt vt præsides & iudices sub Rege: præsides verò & iudices sub Rege, sunt Regis instrumenta quoad prudentiam & voluntatem; ergo in talibus voluntas & intentio requiritur; & Ministri sunt talia instrumẽta, iuxta illud Christi in Euangelio, *Quis est fidelis seruus & prudens, quem cõstituit Dominus super familiam suam?* Matth. 24. 45. *Respondeo*: Ministros quidem aliquo modo esse similes iudicibus & præsidibus, & aliquo etiam modo dissimiles. Similes sunt, quia Ecclesiæ & populis præsunt sub Domino Christo: at gubernationis ratio diuersa & modus dissimilis est. Rex enim, quia homo est, non potest vbiq; esse, & omnes causas iudicare: cogitur ergo præsidibus vti & in iudicibus, iisq; populos gubernandi & ius dicendi potestatem concedere. At Christus vbique præsens est etiam in cuiusq; ministerio, ergo si ordo ab illo institutus seruetur, ministerium eius efficax est in quouis vel impurissimo Ministro. Christus enim est qui docet & qui baptizat, Minister nõ nisi os & manus Christi est. Deinde iudex est quasi alter Rex: Minister non sic, sed est instrumentum tantùm Christi quoad externam actionem, interna verò efficacia tota fluit non ab instrumento, sed à Christo principali motore & summâ causâ, at in ciuilibus actionibus nulla eiusmodi interna efficacia est. Hinc fit, vt quemadmodum

dum si Minister verè prædicet, licet malam intentionem habeat, & si legat Scripturas verè, etsi iis nõ credat, eius tamen prædicatio & lectio efficax esse potest; sic si Sacramenta celebret etsi ioco, vera tamen Sacramenta erunt. Præterea quæ iudex facit, licet iniustè, rata sunt, vt si iniustam sententiam pronunciauerit, si innocentem damnauerit, si nocentem absoluerit: at non ita se res habet in Ecclesiastico ministerio; nam si Minister iniustè excommunicauerit aliquem, irrita est hæc excommunicatio apud Deum. Ita multiplex est inter iudices politicos & Euangelii Ministros dissimilitudo. Neque certè in hac re conveniunt, in qua comparantur: nam fatetur Bellarminus, eum esse exteriùs, absolutum, quem iudex absoluit etiam sine intẽtione: ergo si sibi constare velit, & suam comparationem approbare, fateatur etiã oportet, eum absolutum esse saltem exteriùs quem sacerdos etiam sine intentione absoluit. Et ne Rex quidem ipse interius quenquam potest absoluere; at Christus interiùs & absoluit & baptizat: quare nec Rex Christo hac in re similis, nec iudices politici Ecclesiæ Ministris.

Tertium Bellarmini argumentum sic se habet, Verba Sacramentorum sunt practica: ergo requirunt voluntatem, ac proinde intentionem. Si Rex sine intentione, vt somniando, iubeat hominem accidi, imperium eius non solet mandari executioni, quia non constat, an velit, licet possit, Rex illud iubere. *Respondeo*: Sacramentorum quidem verba practica esse; sed ea Christi sunt, non Ministri. Nam quando Minister ait, *Ego baptizo te*, non sunt hæc verba practica, quia ab homine proferuntur, sed propter Christi mandatum; & sic cùm ait, *Hoc est corpus meum*, non sua sed Christi verba loquitur, & hæc etiam verba nõ habent πρᾶξιν aut efficaciam aliquam, nisi propter mandatum & institutionem Christi: Christus verò nunquam caret intentione, nunquam somniat, aut aliud loquitur, aliud sentit. Quare quicquid intendat Minister, est Sacramentum propter Christi authoritatem. Habent igitur verba Sacramentalia virtutẽ, quando mouentur à Deo, vt instrumenta; cuius verba sunt, non Ministri. Sed Bellarminus ait nõ moueri à Deo, vt instrumẽta nisi quando pronunciantur ab eo, cui ipse commisit. *Respon.* hoc verũ esse. Pronuncianda quidem sunt ab eo, cui Deus commisit, alioqui non sunt instrumenta: sed pronunciari nõ possunt, etsi sine intentione. Hoc quod ait, pronunciari debere ab eo, cui Deus commisit, non probat necessariò cum intentione pronunciãda esse, alioqui vim aliquam aut efficaciam non habitura. Ita Bellarminus hîc, dum de intentione loquitur, aliud intendit, aliud concludit: hoc enim solùm concludit, Sacramenta non nisi à Ministris administrari debere; non probat cum intentione verba necessariò pronuncianda esse, quod sibi initio probandum proposuit.

Quartum & postremum Bellarmini argumentum sumitur ex absurdis,

surdis, quæ alioqui sequerentur, si intentio non requiratur. *Primum* absurdum hoc est, Si parens in balneis filium immergeret, & super eum verba Baptismi pronunciaret, etiam nihil de Baptismo cogitans, esset hic Baptismus, si baptizandi intentio non sit necessaria. *Respondeo*: Non esset: nam parens non est Minister, & dixit antea Bellarminus, verba Sacramentorum nõ esse instrumẽta Dei, nisi ab eo pronuncientur, cui Deus commisit, id est, à Ministro. Sed quid si Sacerdos etiam in balneo, & quidem cum intentione puerum sic baptizaret? nõ dubito quin Bellarminus Baptismum esse nõ statuet: ego verò non ausim dicere; non enim seruatur Christi ordo, si id temere fiat, nemine præsente, cùm & alibi idem fieri posset. Et si absurdum sit, vt parens sic baptizaret, non minùs absurdum est, vt Minister sic baptizaret. Quid enim si quis puerum in flumen proiiceret aut puteum, & verba Baptismi pronunciaret? nam & hoc ab illis quæri solet, & fore Baptismũ statuunt, nisi quia baptizans non tangit corpus baptizati. At hoc non est necesse, vt manus baptizantis tangat baptizatum; si aquam ei aspergat, sufficiet. *Secundum* absurdum est, Si Minister in mensa legeret Euangelium, & inter legendum pronunciaret illa verba, *Hoc est corpus meũ*, iam totus panis & totum vinum illius mensæ esset cõsecratum, si non requiritur intentio. *Respondeo*: Et quid si Minister aliquis ad huiusmodi lectionem accederet, cum intentione consecrandi omnem panem, cùm illa verba legeret? an ideo omnis panis in illa mensa esset consecratus? aut esset certè, aut nullum est hoc argumentum. At hoc, opinor, non audent dicere, tum enim non tutum esset Sacerdotem in mensa legere. At Sacramentum non penderet ex nuda lectione & recitatione verborum, nisi cum solenni ritu & ceremonia recitentur, & vsus ac finis Sacramenti explicetur ex Christi institutione: nam verba Sacramentorum recitari possunt sine administratione, vt verba precum sine precatione. *Tertium* absurdum est huiusmodi, Si quis ancillam conducens diceret, Accipio te in meam, nec exprimeret ancillam, & illa vicissim diceret, Accipio te in meum, non exprimens herum, sed intelligens tantùm, essent hi duo coniugati, si intentio non requiratur. *Respondeo*: 1. Si intenderet vterq; coniugium, non sequeretur tamen esse coniugatos: quid enim si vir aliam antea vxorem haberet? 2. Dico hoc esse civile pactum, non sacrum; inter homines tantum, non inter Deum & homines, vt in Sacramentis: in humanis verò pactis homines intentionem habere debent.

CAPVT III.

In quo nostra argumenta proponuntur & defenduntur.

NVNC nos contra necessitatem intentionis argumenta quædam afferemus. *Primum* verò nostrum argumentum hoc erit: Sacra-

menta non pendent ex Ministri dignitate, sed ex Dei ordinatione: nō igitur ex Ministri intentione. Ratio enim nulla afferri potest, cur magis ab intentione Ministri penderet, quàm ab eius probitate, quia si vis Sacramētorum à Deo pendet, non minus erit Sacramentum, si Minister nō intenderit, quàm si nequam & improbus fuerit. Cur enim Ministri intentio magis impediret Dei voluntatem, qui Sacramenta instituit, quàm eius improbitas & nequitia Dei benignitatem? non impedire ministri improbitatem fatentur Aduersarii, quo minus sit Sacramentum: quid est ergo cur vereantur idem de Ministri intentione statuere?

Secundum nostrum argumentum sic se habet. Verbum Dei quacunq; intentione dicatur, excitat fidem in audiente, ergo verbum Sacramentale efficax est, quacunq; intentione proferatur. Bellarminus ait, hoc argumentum rectè probare apud eos, qui sentiunt cum Luthero Sacramenta tantum instituta esse ad excitandam fidem, at apud ipsos nihil concludere. *Respondeo:* Valere ergo Sacramenta & instituta esse ad excitandam fidem, negare non audent Aduersarii, sed non ad hoc tantum. Canisius diserte ait excitare fidem, quando incurrunt in sensus externos, & esse viuifica instrumenta, per quæ Deus nostram salutem operatur. Agnoscimus. Ergo quatenus Sacramenta excitant fidem, non requiri intentionem concedit Bellarminus, vtrum verò fidem infundant iis, qui nullam fidem habent, postea videbimus. Nos verò dicimus, Sacramēta non habere alium finem, quàm ipsum verbum habet, si ergo verbum Dei, quacunq; intentione prædicetur, efficax sit, cur non & Sacramenta similiter efficacia sint, quæcunque Ministri intentio fuerit? nisi rationem aliquam afferant, cur Ministri magis intētio in Sacramētis, quàm in verbo requiratur; quod facere nō possunt. Per verbum verò Deus non modò excitat fidem, sed etiam generat, etiamsi Minister nullū habeat propositum aut generandi aut excitandi fidem, at Sacramēta non generant fidem, sed alunt tantum & augent & confirmant fidem; & plus est generare quàm alere, absurdum ergo est, non requiri in verbo intentionem, quod plus efficit, & tamen requiri in Sacramentis, quæ minus efficiunt. Non possunt maius aliquid adscribere Sacramentis, quàm vt gratiam afferāt, & verbum quoq; gratiam affert, quacunq; intentione prædicetur. Sed Bellarminus ait, ad excitandam fidem non requiri vllam efficientiam, sed significationem sufficere. *Respondeo:* An id quod excitat fidem, non habet efficientiam? imo vero licet ipsa Scripturæ verba millies recitentur, atq; adeo intelligantur, tamen sine efficientia Spiritus sancti, nihil valebit sonus & strepitus verborum; alioqui omnes haberent fidem, qui scirent significationem verborum. Sed Dei Spiritus est, qui excitat fidem, qui potest esse efficax in verbo sine Ministri intentione; ergo & in Sacramentis. Inde fit, vt in iis etiam qui

Canisius in Catechis. de Sacra. in genere §. 6.

qui fidem habent, ita sopita tamen iaceat aliquando hæc illorum fides, quemadmodum videre est in Davide, vt nisi à Spiritu sancto excitata sentiri aut percipi non possit. Sed nonne requiritur efficientia ad fidem in cordibus nostris creandam? negari non potest: ergo si intentio requiritur in Sacramentis, quia requiritur vbi est efficientia, tum etiam in verbo non minùs quàm in Sacramentis. Sed eo tandem detruditur Bellarminus, vt dicat non esse eandem rationem verbi concionalis & Sacramentalis, quia verba concionum sunt speculatiua, at verba Sacramentalia sunt practica; hæc ergo pendere ab intentione, illa verò non. *Respondeo:* Dei verbum non est speculatiuum, sed practicum; imò magis est practicum, quàm Sacramēta: nam Euangelium dicitur *δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, potentia Dei ad salutem*, teste Apostolo; & Propheta Dauid ait, eloquia Dei restituere animam, afferre sapiētiam, lætificare animum, illustrare oculos: ergo verbum Dei habet *ἐνέργειαν*, i.e. *efficaciā*. Et Apostolus ait, *ζῶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας. Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrātior quouis gladio ancipiti ac pertingit vsq; ad diuisionem animæ simul ac spiritus compagumq; & medullarum, & diiudicat cogitationes & conceptiones cordis.* Hiccine sermo speculatiuus tantum est? hoccine verbū inefficax? quæ speculatiua tantùm sunt, ea nullam in corde mutationem efficiunt: at cor mutatur verbo multò magis quàm Sacramentis: ergo verbū est multò *πρακτικώτερον* Sacramentis; nullum Sacramētum magis est practicum, quàm verbum. Sic tamen Aduersarii nostri statuunt de verbo, quasi nihil ageret, & nihil in se efficaciæ haberet, sed tantum in speculatione consisteret, & significandi tantum vim haberet. At quamuis verum sit, verbū & Sacramenta simul plus efficere, quàm vel verbum solum, vel Sacramenta sola; tamen verbum solum plus in se virium habet, quàm Sacramenta sola. Tādem ad calumnias descendit, & *primò* ait, tum sola verba sufficerent sine aqua, vel alio elemento. *Respondeo:* aquam requiri propter Christi mādatum: & vt in verbo Deus efficax est sine intentione Ministri, sic & in aqua, quæ minus requiritur, quàm verbum. Sufficit quidem verbum per se, si aqua obtineri non potest, sed si aqua potest adhiberi, adhibēda est propter Christi mandatum. *Secundò* ait, tum Sacramenta conferri possent ab ebrio, imò etiam à pica. *Respondeo:* Iterum nobis suas picas & psittacos obtundit. Requirit ille intentionem in Sacramentis, quia aliâs possent conferri ab ebrio, aut pica, aut psittaco: sed si hæc obiectio vllam in se vim haberet, tum concionale verbum esset efficax, quod pica aut psittacus pronunciaret, quia in eo aiunt non requiri intētionem. Num obsecro si hæ aues haberent loquendi & concionandi facultatem, illarum verba essent

Rom. 1. 16.

Psalm. 19. §. 9.

Ebr. 4. 12.

verba

verba Dei, aut efficacia ad salutem? num psittaci aut picæ verbum potest esse concionale? Quid ille nobis picas commemorat, cum constet hominũ esse hoc ministerium non picarum? Nostrum ergo argumentum adhuc firmum est, Deus in verbo efficax est sine intentione Ministri: ergo & in Sacramentis; Deus enim non magis alligatur ad hominis intentionem in Sacramẽtis, quàm in verbo, & non minora bona in verbo quàm in Sacramentis offert. Si in diplomate non necessaria intentio sit, tum nec in sigillo; imo in eo certè magis, quàm in hoc requiritur.

Tertium nostrum argumentum sequitur, quod est huiusmodi: Legimus quosdam per iocum & ludum & inimicè esse baptizatos, quorum tamen Baptismus creditur esse verus Baptismus. Sic Athanasius, cum esset puer, baptizauit alios pueros per ludum, & tamen illi pueri non erant denuo baptizati; imo Ecclesia illum Baptismum esse verum iudicauit; quàm rectè non nunc dixerim: sed hinc apparet, Ecclesiam tum non sensisse, intentionem esse necessariam: nam A hanasius certè non intendebat verè baptizare, sed ludere tantum; tamen Alexander Episcopus Alexandrinus iudicauit hunc esse verum Baptismum; quàm rectè, ipse viderit. Habetur hæc historia apud Sozomenum, atque etiam apud Nicephorum & Russinum. Bellarminus ait, Athanasiũ intendisse verè baptizare, quod ille mihi nunquam persuaserit: nam Athanasius ludebat inter pueros, & pueriliter imitabatur, quod vidit ab Episcopo in Ecclesia factitatum. Si vere baptizare intenderit, dignus certe multis plagis fuit: quis enim illi tum puero existenti authoritatem baptizandi dedit, & quidem baptizandi ἀμυήτους, id est, *non initiatos*, & rerum sacratum imperitos? cum olim non nisi plene in fide instituti baptizari solerent. Et forsan etiam erant aliqui horum puerorum, quos baptizauit Athanasius, antea baptizati: certe si fuissent, similiter illos baptizasset, vt alios. Verum obiicit Bellarminus, pueros seriò solere res ludicras facere, vt locum aliquem oppugnare, & Regem creare, & id quod agunt vere intendere. *Respondeo*: Pueri quidem serio intendunt ludum, & sic Athanasius serio baptizabat: sed Baptismum intendebat, vt ludum, non vt Baptismum. Puerilis hæc & ludicra actio fuit, & nil nisi ludum sibi propositum habuit. Nil vero aliud intendisse hos pueros nisi ludere, ex eo patet, quod vocati & examinati primo negabant factũ, tandem confessi sunt, quid egerant: ergo nõ intendebant serio Baptismum. Episcopus vero cum intelligeret τάξιν ἐκκλησιαστικὴν, i.e. *ordinem Ecclesiasticum* esse seruatum, sensit nõ esse rebaptizandos, qui sic baptizati sunt. Sed ille Episcopus non querebat, num intentionem haberet Athanasius baptizandi; quod tamen inprimis quærendum fuit, si intentio tam necessaria sit, quàm Aduersarii volunt; sed interrogauit tantum ποταποὶ λόγοι καὶ πράξεις, quibus ille verbis vsus est, & quibus actionibus.

Sozom. l. 2. c. 17. Nicephl. l. 8. c. 40. Ruffin. l. 10. c. 14.

bus. Non afferimus hoc exemplum, vt probemus factum aut Athanasii aut Alexandri: nam *primò* Athanasius negabat factum; *secundò* nõ habebat authoritatẽ; *tertiò* erat puer. Quòd verò Alexander Episcopus putauit, illos tum fuisse baptizatos, in eo requito iudicium eius. Sed inquirebat ille de ordine tantùm actionis, vt diximus, non de intentione aut authoritate Athanasii.

Quartò sic ratiocinamur, Intentio est arcana & ignota aliis: hinc sequitur incertum semper fore, an Sacramentum quis accepisset, & sic homo semper de salute dubitaret, cùm quædam Sacramenta, vt Aduersarii statuunt, sint simpliciter ad salutem necessaria. Intentione nihil incertius est: ergo si ab intentione Ministri penderet efficacia Sacramenti, periret certitudo, quam homo debet habere de effectu Sacramenti, & consolatio spiritualis, quia nemo potest certus esse de intentione alterius. Est hæc obiectio Thomæ. Respondet vero Thomas *primò*, suppleri defectum intentionis in pueris per Christum, in adultis per eorum fidem & intentionẽ. Sed videtur non probare hanc responsionem, quia character non potest suppleri per deuotionem accedentis. Et Alanus ait nullo modo probandam esse hanc responsionẽ, quia si dixerimus Christum supplere defectus, tum si vel materia, vel forma, vel Minister defuerit, potest Christus supplere; quod necessitati huius Sacramẽti repugnat. Et Molanus ait, non esse pium credere, suppleri à Christo, si desit intentio baptizãtis. *Secundò* Thomas respondet, Ministrum exprimere intentionem Ecclesiæ, etsi nullam suam habeat, & hoc sufficere, quod est apertè contra Bellarminum, Alanum, & alios Papistas, qui in Ministro intentionem requirũt; Thomas vero ait, intentionem Ecclesiæ sufficere. Et quanquam Caietanus & Dominicus à Soto conantur excusare Thomam, tamen Alanus non posse excusari ait, & esse hanc eius opinionem; etsi contrà Bellarmino videtur, qui futiliter exponit verba Thomæ, vt postea patebit. Sed Adrianus Papa ascribit Thomæ hanc opinionem, vt non requiri mentalem intẽtionem existimet, sed sufficere Ecclesiæ intentionem. Et Bonauẽtura respondet vt Thomas, Christum supplere in paruulis defectum, si Sacerdos non intenderit; ex quo sequetur, quod Alanus ait, Christum supplere, si absit omnino Baptismus. Sic isti inter se conueniunt. Et quanquam Bellarminus defendit Thomam, non tamen vtitur responsione Thomæ, sed ea, qua Alanus vtitur, qui Thomam improbat & damnat. Ait scilicet non requiri certitudinem infallibilem de salute vel iustificatione, sed humanam & moralem sufficere, & eam nos ex Sacramentis habere, etiamsi pendeant ab intentione alterius. *Respondeo*: Sed quomodo saltem hanc habere possumus vel probabilem certitudinem? Bellarminus ait, facillimum esse habere intentionem: nullam ergo esse causam dubitandi, an Minister habuerit intentionem, nisi aliquo

tract. 4. c. 3. num. 23.

Adrian. Papa super 4. q. 3. de Baptis.

Bonauen. in 4. dist. 6. art. 4. q. 1.

Thom. p. 3. q. 64. art. 8.

Alan in lib. de Sacram. c. 55.

Molan. in theol.

signo exteriori id prodat. *Respondeo*, & dico, perinde facile esse non intendere, ac proinde magnam esse causam dubitandi. Et facillimum quoq; est Ministro frontem componere ac si intendat; tùm nihil minùs facit, quàm intendit: ergo semper dubii erimus. Iam igitur si Sacramẽta simpliciter necessaria sint, & non sint Sacramenta, nisi intentio Ministri adfuerit, sequitur nostram salutem & damnationem ex intentione Ministri pendere, quo nihil indignius; nisi hîc cum Thoma dicamus, Christum supplere defectum; quod Alanus improbat. Imo hinc incommoda sequuntur infinita. Baptismus & pœnitentia, vt illi volunt, sunt simpliciter ad salutem necessaria: si ergo sacerdos voluerit ex destinato intendere nõ baptizare, non hîc Baptismus erit; ita peribit baptizatus non suâ sed alterius culpâ: nisi enim Minister intendat, non est Baptismus, & si quis Baptismo careat, ex illorum sentẽtia damnabitur. Similiter homo ad confessionem accedit, petit à sacerdote absolutionem, sacerdos vero malitiosus verba absolutionis pronunciat, sed non vult intendere absolutionem; ita cùm nulla hic sit absolutio, homo periit. Hoc est tribuere homini & malitiæ hominis, vt possit, quem vult, priuare cælo & salute æterna. Nonne videtis hic patefieri rathrum blasphemiæ, quasi tam lubrica salus hominum sit, vt ex voluntate viri scelerati, pene dixeram, nequissimi nebulonis pendeat, qui potest alicuius saluti inuidere, & eum cupere perditum? Ita inuidiâ vel malitiâ sacerdotis fieri potest, vt multi in peccatis suis moriantur, & in æternum pereant. In Eucharistiæ verò Sacramento maximum periculum erit. Si enim sacerdos in Missa non intendat consecrare, non transubstantiatur panis, & tum Ecclesia committit horrendam idololatriam, quia panem pro Christo adorat; nam cogitur Ecclesia adorare, siue sacerdos intenderit consecrare, siue non. Sed forsan adorat Ecclesia sub conditione, nempe si sacerdos intenderit consecrare: at hoc non sufficit; nam adorare pro Deo, quod nescias num sit Deus, necne, non est ex fide, ac proinde peccatum. Atque hoc quotidie facere, quis non cum magno periculo coniunctum videt? Ita sacerdos potest efficere Ecclesiam idololatricam, quando vult, si modò suam intentionem in Missæ celebratione & Sacramenti consecratione abstraxerit. Et sic Matrimonium erit adulterium, si Minister non intendat. Rectius ergo forsan erit cum Thoma respondere, suppleri intentionis defectum in infantibus per Christum, in adultis per eorum fidem & intentionem. Sed Bellarminus ait, Lutheranos cogi id confiteri, quod ipse ait, non requiri scilicet certitudinem illam necessariam & infallibilem, quia nesciunt se baptizari, nisi credant parentibus. *Respondeo*: At Lutherani non talem Baptismi necessitatem agnoscunt, qualem Aduersarii somniant, & præterea non credunt ex intentione Ministri vim Baptismi pendere. Sic ergo tandem argumentum hoc

nostrum

nostrum concludo: Si Ministri intentio faciat Sacramentum, & Sacramentum sit ad salutem simpliciter necessarium, tum salus simpliciter pendet ex intentione Ministri: at falsum secundum: ergo & primum: nam si salus simpliciter penderet ex intentione Ministri, tum cuiusque interesset, Ministri intentionem scire, ne alioqui salus eius in suspenso semper relinqueretur, at scire alterius intentionem nemini mortali conceditur.

Quintum nostrum argumentum sic instituo: Minister non nisi Christi instrumentum est: ergo non nisi instrumentaliter agit: sed actio perficitur ex intentione agentis principalis, non ex instrumenti actione: ergo in Ministri actione sufficit Christi intentio. Hæc etiam Thomæ obiectio est. Respondet Thomas, hoc esse verum in instrumentis inanimatis: Minister verò est instrumentum animatum. *Respondeo*: Hic desidero acumẽ Thomæ; quasi verò potest esse intentio in instrumento inanimato. Sed hæc responsio est insufficiens: nam tum etiam in verbi prædicatione Ministri intentio requiritur. Imò quoad finem & effectum principalem Sacramẽti, id est, gratiam, non requiri Ministri intentionem ipsi fatentur, & tamen eo respectu Minister est instrumentum animatum. Sed siue animatum siue inanimatum instrumentum sit, vis omnis & fructus actionis ex principali agente fluit: is verò in verbi prædicatione & Sacramentorum administratione solus Christus est.

Sextum & postremum nostrum in hac causâ argumentum erit ex Patrum & aliorum testimoniis. Augustinus quærit, si Baptismus extra Ecclesiam collatus sit, & in eo conferendo tantùm ludicrè, & inimicè & ioculariter agatur, vtrùm sit Baptismus, necne. Non audet ille definire, sed ait, Dei reuelationem expectandam esse. Ergo Augustinus nesciuit, Ministri intentionem esse necessariam: nam si credidisset illam requiri, nunquam hac de re dubitásset, quia in ludicro & inimico & ioculari Baptismo nulla intẽtio esse potest. Quare manifestum est, nondum illud de intentione commentum in Ecclesia Dei natum aut notũ esse. Baptismus quidem nunquam minùs sine intentione administratur, quàm in iis casibus quos nos ex Augustino commemorauimus; tamen non audet Augustinus negare, Baptismũ hoc modo administratum verum Baptismum esse. Hoc Augustini ignorantiæ tribuendum, qui Baptismi mysteria non nouit. Sed Bellarminus ait, locum hunc facere contra nos. Cur, quæso, & quomodo? quia Augustinus, inquit, cùm ait perendam esse Dei reuelationem, apertè testatur, non esse certum ex Scripturis, Sacramenta non requirere intentionem Ministri. *Respondeo*: Augustinus non id testatur; neque nos, qui dicimus Ministri intentionem non esse necessariam, vnquam Baptismum ludicrè, aut inimicè, aut ioculariter administratum, probaremus, aut ex Scripturis confirmare conaremur. Sed hoc apertum

August. de Baptis. cont. Donatist. l. c. 53.

est, Augustinum de Ministrii intentione solicitum non fuisse; atq; ita hic locus cótra Papistas facit. Idem Augustinus alibi ait, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: verbum autem accedit ex Christi institutione, non ex Ministri intentione. Chrysostomus hæc verba habet, *Sacerdos linguam & manus præbet: neq; enim iustum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Bellarminus ait, Chrysostomum excludere virtutes, non intentionem Ministri. *Respondeo*: at Chrysostomus ait, Ministrum nil nisi linguam & manus præbere. Et si excluduntur Ministri virtutes omnes, tum etiam intentio excluditur: nam præcipua Ministri virtus est pietas & sancta cura in sacris tractandis, quæ intentionem includit. Tum quod Chrysostomus subiungit, nostram adhuc causam magis confirmat, *Iustum non est*, inquit, *propter alterius malitiam ad salutem nostrã accedentes offendi*: at sacerdos esse tam malitiosus potest, vt intentionem auertat; non tamen propterea iustũ est accedẽtes offendi, inquit Chrysostomus. Innocentius Pontifex eius nominis tertius, vel, vt vult Bellarminus, quartus, aperte ait, ad Sacramenti veritatem non requiri intentionem Sacerdotis; cuius testimonium Kemnitius recitat in examine suo ex Angelo in summa. Bellarminus respõdet, Kemnitium more suo non fideliter recitâsse Innocentii sententiam. Sed *respondeo*: illum fideliter satis recitâsse. Nam Innocentius clarè ait 1. non esse necesse, vt baptizans sciat, quis sit effectus Baptismi. At hoc Aduersarii nihil esse dicent, 2. ait, nõn esse necesse, vt sciat & credat, quòd sit Sacramentum. Hoc aliquid est: qui enim non credit esse Sacramẽtum, quomodo is facere potest quod facit Ecclesia? nam Ecclesia certe intendit dare Sacramentum. 3. ait, non esse necesse, vt sciat quid sit Ecclesia. Hoc plus est: nam qui nescit, quid sit Ecclesia, quomodo is facere potest, quod facit Ecclesia? 4. ait, non esse necesse, vt gerat in mẽte, facere, quod facit Ecclesia. Hoc adhuc amplius quiddam est; nam perinde est, ac si diceret, non necesse esse, vt intendat facere, quod facit Ecclesia. Quomodo potest ille intendere facere, quod facit Ecclesia, qui non gerit in mente, id est, non intendit facere, quod facit Ecclesia? 5. ait, etiamsi gerat in mente, id est, intendat, facere contrarium ei, quod facit Ecclesia, fore tamen Sacramentum, modò baptizet. Hoc plus est, quàm satis: nam prius illud suffecisset contra Papistas. Hæc omnia habet Innocentius. Quomodo ergo non fideliter recitauit Kemnitius Innocentii sententiam? quia omisit scilicet illud, inquit Bellarminus, *dummodo intendat baptizare*. Sed *respondeo* 1. Kemnitium hoc non omisisse, quemadmodũ facile est cuiuis Kemnitium legenti videre. 2. Dico, his verbis non sanari Innocentii sententiam: nam Innocentius non verum Baptismum, sed communem lotionem intelligit in hunc modum, *dummodo intendat baptizare*, id est lauare, quia ait, si non credit Baptismum,

Idem tract. 80. in Euang. Ioan. Chrysost. homil. 85. in Ioan.

Innocent. in Extra. de Baptis. c. 1.

smum, nec intendit facere, quod facit Ecclesia, imò etiamsi gerat in animo non facere, quod facit Ecclesia; non ait modò, etsi non gerat in animo facere, sed etsi gerat in animo non facere; imò addit, etsi gerat in animo contrarium facere, hoc est, non modò si non intendat baptizare, sed etiam si plane contrarium intẽdat. Quod autem Bellarminus hoc exponit de effectu Baptismi, non de substantia actionis, vt sensus horum verborum, *Etiamsi gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia*, hic sit, etiamsi non intendat hominem iustificare à peccatis, quia non putat illam ceremoniam talem virtutem habere, sed intendat tantum vere facere ceremoniam, quam facit Ecclesia; satis est; hoc plane ridiculum est. Nã *primò* Innocentius ait, etiamsi nesciat esse Sacramentum: ergo non vult illum intendere, vt faciat Sacramentum: nam qui nescit Sacramentum, quomodo potest ille intendere Sacramentum, siue quoad substantiam actionis, siue quoad effectum Sacramenti? *Secundò*, facere quod Ecclesia facit, omnes Scholastici de actu Baptismi non effectu intelligunt. *Tertiò*, omnes etiam Papistæ fatentur, effectum Baptismi, id est, gratiam non esse in Ecclesiæ potestate, sed actum tantùm. Et sic Innocentium intelligunt Angelus in summa, & aureum Rosarium. Author aurei Rosarii ait, alios aliter putare, requirì intentionem faciendi quod Ecclesia facit, sed Innocentii opinionem esse veriorem, etsi illa sit tutior. Aut ergo Papistarum opinio falsa est, aut Papa errauit. Alii Scholastici dicunt, si sacerdos puerum baptizaret cum intentione immergendi eum tet, & puer in prima immersione moreretur, non baptizari illum puerum. Sic ille qui scripsit auream armillam: quod tamen aperte falsum est, quia semel immergi aut aspergi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, satis est. Sed hoc aperte probat, Baptismum ex intentione Ministri non pendere; tum enim talis Baptismus non esset verus Baptismus. Idem etiam author ait, Si quis baptizaret sine intentione faciendi quod facit Ecclesia, modo adultus is fuerit, qui sic baptizatur, eum securum esse de salute. Vnde duo colligo: *primum* est, posse hominem securum esse de salute; *secundum*, non requiri intentionem Ministri in baptizandis adultis, quia bonum propositum, vt idem Author addit, supplet defectum intentionis. Sed quid si puer sic baptizatus fuerit? tum Deus, inquit, defectum supplet. Hoc aperte facit contra Bellarminum & Alanum, qui intentionem præcise requirunt. Catharinus scripsit libellum de intentione Ministri Sacramẽtorum, & statuit non esse necessariam, idq; multis & testimoniis & argumẽtis probat. Bellarminus ait, eum solum ex Catholicis ita sentire. At hoc falsum est: nam multi Papistæ præter Catharinum idem sentiunt. Manifestum enim est, etiam ipsum Thomam, vt antea docuimus, & Bonauẽturam,

Angel. in summa, in verbo, Baptismus.

Aureum rosar. l. 4. in verbo Baptis. q. 27.

Aurea armil. in verbo Baptismus. q. 26. & 50.

& Innocentium Papam, idem cum Catharino senſiſſe: nec dubito quin hodie ſaniores Papiſtæ idem ſentiant. Sed de hac Quæſtione ſatis multa diximus.

Finis tertiæ Quæſtionis.

Quæſtio IV.

De efficacia Sacramentorum.

CAPVT I.

De ſtatu Quæſtionis.

QVARTO loco ſequitur diſputatio de vi & efficacia Sacramentorum. Aduerſarii vim maximã Sacramentis tribuunt, & nos fatemur, magnam illis vim tribuendam eſſe; neque enim Sacramentis ſuam vim detrahimus: cauendum tamen eſſe dicimus, ne quod Chriſti ſolius eſt, Sacramẽtis tribuamus, quod Papiſtæ faciunt. Cùm enim ſalus ab vno Chriſto ſperanda ſit, ii nos ad Sacramenta viſibilia remittunt, illis adhæreſcẽdum eſſe, in illis poſitam eſſe ſpem ſalutis dicunt, vt verè Caluinus dixerit, eos abſtrahere homines à Chriſto, & alligare Sacramentis. Hoc certè eſt Chriſto maximam iniuriam facere: ſiue enim à Sacramentis ſolis pendeamus, ſiue ab illis præcipuè, Chriſto admodum iniurioſi ſumus. At non eſſe Chriſto iniurioſum, vult probare Bellarminus, quod illi faciunt. Nos enim, inquit, potiùs trahimus ad Chriſtũ, & eius paſſionem, quia dicimus Sacramenta eſſe Chriſti inſtrumenta, quibus ille nobis applicat meritum paſſionis ſuæ. *Reſpondeo*: Nos quoque dicimus, per Sacramenta tanquam per media & inſtrumenta à Deo inſtituta applicari nobis merita mortis & paſſionis Chriſti; at verò vel duntaxat vel præcipuè hoc fieri per Sacramenta, quaſi ſine iis merita Chriſti nobis applicari non poſſint, vel omnibus neceſſario applicari, qui Sacramenta recipiunt, vel vllis eo modo applicari, & Sacramenta gratiæ inſtrumenta eſſe, quæ illi volunt, negamus; & dicere id, quod illi dicunt, debere nos ſic ad Sacramenta adhæreſcere, quaſi ab illis vt vel ſolis vel præcipuis inſtrumentis ducenda ſalus ſit, Chriſto iniurioſum eſſe dicimus: neque enim Chriſtus aut merita mortis ſuæ aut iuſtificationem ad Sacramenta alligauit. Quanquam ergo dicunt, Sacramenta vim omnem à paſſione Chriſti habere, tamen vim paſſionis Chriſti omnem quodammodo ad Sacramenta reuocant, & gratiam

gratiam in Sacramentis includunt. *Secundò* Bellarminus ait, non eſſe quærendum de modo, quo Sacramenta ſint cauſæ gratiæ, an phyſicè, an moraliter tantùm; & tamen ſtatuit eſſe cauſas iuſtificationis inſtrumentales: ſunt ergo cauſæ vt inſtrumenta, & quidem veræ ac propriæ cauſæ, vt ille ait. Sed poſtea intelliget, eſſe de hoc controuerſiam etiam inter ipſos Papiſtas: nã Scholaſtici ſeſe miſerè torſerunt, vt quomodo ſint cauſæ docerẽt. Quærunt enim *primò*, num gratiam contineant Sacramẽta, & continere aiunt. *Concilii Tridentini Patres, ei anathema denunciant, qui negat continere.* Quomodo igitur continent gratiam? & quare Bellarminus negat quærẽdum eſſe, quomodo gratiæ cauſæ ſint? Alanus ait, *Cupio ingenuè, non id dici, quaſi gratia in Sacramentis ſit, vt in ſubiecto accidens*: ergo non eſt gratia in Sacramentis, vt calor eſt in igne; & tamen Bellarminus ait, Chriſti paſſionem ſic nobis applicari per Sacramenta, vt ignis calefacit per calorem tãquam per inſtrumẽtum; quanquam quis dixerit, calorem eſſe inſtrumentum ignis? ſed aut malum hoc exemplum eſt, aut gratia in Sacramẽtis vt in ſubiecto continetur, quod Alanus negat, ac proinde ait, Sacramẽta non habere in ſe gratiam. Et addit Alanus, non ineſſe in Sacramentis gratiam vt in loco, neq; vt in vaſe: quomodo ergo in Sacramentis continetur & eſt gratia? ſcilicet eo modo, inquit, quo effectus dicitur contineri in cauſa, virtute ſcilicet; nam res producta, antequam actu ſit, cauſæ ſuæ ineſſe dicitur virtute. Sed hic modus ab Alano poſitus non placuit Bellarmino, ergo ille maluit omnem hanc de modo quæſtionem omitti. Nam ſi Sacramenta cauſant gratiam, quia Deus per illa vt per inſtrumẽta gratiam cauſat, vt vult Bellarminus, atq; adeo Alanus ipſe, qui hæc verba habet, *vt homo dicitur ſcribere per calamum, ſic Deus per Sacramenta gratiam operatur*; tum gratia non ineſt in Sacramentis virtute, vt effectus in cauſa: nemo enim ſanus dixerit (opinor) effectum eſſe in inſtrumento virtute, vt in cauſa. Exẽplis Alanus duobus vtitur; vt lectus, inquit, in ſerra eſſe dicitur, & ſeges in ſemine. Sane fateor ſegetem in ſemine proprie eſſe; ſed non ſic gratia in Sacramentis eſt: non enim ſunt Sacramenta cauſa gratiæ diſpoſitiua aut materialis: lectum autem eſſe in ſerra aut ſecuri virtute, nemo, opinor, ante Alanum auſus eſt dicere; tum enim ſerra ex vi inſita naturæ ſuæ lectum faceret. Ea dicuntur eſſe virtute in aliis, quæ ex illis, non per illa producuntur; ſed gratia per Sacramenta confertur, non ex Sacramentis naſcitur aut producitur. Et ſanè Scholaſtici non conueniunt de modo quo Sacramenta gratiam aut conferant aut contineant: magna inter illos diſſenſio eſt, vt docet Alanus. Alii dicunt conferre gratiam, quia ſunt diſpoſitiones tantùm ad gratiam; at ſi diſponant tantum ad gratiam, tum non conferunt gratiam: alii, quia remouent impedimentum gratiæ; at tum non conferunt gratiam: aliud enim

Concil. Trident. ſeſſ. 7. c. 6.

Alan. in lib. de Sacrament. in gen. c. 28.

Alan. in lib. de Sacrament. c. 31.

Alan. lib. de Sacra. c. 34.

eſt

est tollere & remouere quod impedit gratiam, aliud conferre gratiam; quare Alanus horum opiniones non probat. Alii dicunt gratiam non cõtineri in creaturis, sed Deum assistentem Sacramentis producere gratiam ex pacto, vt in Sacramẽtis veteris Testamenti; quod certè verum est, & tamen negant Aduersarii, quia tum Sacramenta noui Testamenti non essent meliora Sacramentis veteris Testamenti. Alii dicunt Sacramenta esse causas morales, vt consilium est causa rei gerendæ; sed hanc quoq; opinionem Alanus improbat, quia tum occasio tantùm essent, non propriè causa: atque hic Alanus duo subiungit, quæ nullo modo omittenda censui; *primum* est, meritum non esse causam mercedis, sed occasionem tantùm, quod contra modernos Pontificios vel maximè facit. Hoc etiam dicitur ab aliis Scholasticis, vt à Durando, qui ait, non magis esse causam, quàm viam ad terminum. *Secundum*, quod hoc loco Alanus ait, est, Christi passionem non nisi occasionem esse nostræ liberationis; quo quid dici potuit magis blasphemum? imò propria & maxime propria causa est. Alii dicunt, Sacramenta non producere gratiam, sed facere homines gratos Deo. Hanc nouam viam gratiam conferendi Dominicus à Soto excogitauit. At hoc Luthero valde fauere videtur, posse hominem gratum fieri Deo non ex qualitate infusa. Alanus hoc nimis subtile & minùs solidum esse ait, Sacramenta facere homines gratos Deo sine vlla qualitate gratiæ, quam dicit Dominicus à Soto Deum postea infundere. Hoc ergo est, quod Dominicus dicit, gratiã donari à Deo, & non à Sacramentis, & hoc Alanus improbat; in quo secum apertè pugnat. Nam si à Sacramentis donatur gratia, tum sunt non tantùm instrumenta, quod tamen ponit Alanus, & sic Bellarminus, qui non audet ista discutere, vt Alanus fecit. Atque hic Dominicus à Soto Concilio Tridentino interfuit, & eius sententiam nouit, & post Concilium hanc sententiam proposuit. Quomodo verò Sacramenta sint instrumentales causæ gratiæ, nos postea docebimus; nunc quomodo gratiam ex opere operato conferant videamus: dicunt enim Aduersarii, non modò conferre gratiam, sed etiam ex opere operato conferre.

Hic nobis dent veniam Grammatici, necesse est: non enim Sophistæ vllis aut Grammaticæ aut Theologiæ legibus teneri se patiuntur; neque nos tam verborum quàm sententiæ solæcismum reprehendimus; est enim intoleratilis. Et priscæ olim Ecclesiæ inauditum hoc opus operatum fuit, à Scholasticis nuper, Scoto, opinor, inuentum; at nunc authoritate Concilii Tridentini comprobatur, vt nunc sit plane legitimum, & Papistæ palàm & acriter pro opere operato dimicẽt. Kemnitius vir doctissimus in Examine suo multa ex Scholasticis recitauit de opere operato; tamen eius Examen est cum examine legendum; non enim satis ipse examinauit

Concil. Trident. c.8.

aminauit sententiam Scholasticorum, & quædam citauit contra eorum sententiam, quod negari non potest; nec mirum certe; adeo enim perplexè loquuntur, vt vix intelligi possint: quare facillimum fuit Kemnitio errare. Opus operatum opponitur operi operantis; opus verò operãtis dicitur esse meritum eius, qui ministrat aut qui suscipit Sacramentum. Dicunt Scholastici, Sacramenta veteris Testamenti gratiam ex opere operantis contulisse, nisi quòd circumcisionem aliqui volunt contulisse gratiam ex opere operato, sed noui Testamenti Sacramenta omnia aiunt ex opere operato conferre gratiam, non ex opere operantis. Non ergo iuxta illorum sententiã ex opere operantis Sacramenta noui Testamenti gratiam conferunt. Hinc Kemnitius non male concludere videtur, Sacramenta noui Testamenti ex Pontificiorum sententia gratiam sine fide, aut bono motu, aut interna conversione suscipientis conferre. Sed Bellarminus ait, hoc esse falsum, & non excludi, imò necessariò requiri bonum motum & fidem suscipientis, & sine iis Sactamenta non conferre gratiam. Sic Alanus aperte. Sic Episcopus Roffensis. Sic Gropperus, Alphonsus, Tapperus, & alii. Et hi omnes insignis nos calumniæ accusant. Similiter Lombardus ait, Sacramentũ sine fide recipi posse, sed non rem Sacramenti, id est, gratiam. Hęc si ità se habeant, hoc est, si Pontificii teneant, opus operatum non remouere, imò exigere in suscipiente fidem, pœnitentiam, bonos motus internos, & sine iis Sacramenta non conferre gratiam, quid est, quod in illorum sententia reprehendimus, aut cur opus operatum nõ probamus? Ego certè Papistis libenter non ascriberem errorem aliquem, quem illi nõ tenent nec tuentur; est hoc alienissimum ab instituto meo. Dedi operam, vt quid sentiant, planè intelligerem; si illorum sententiam non rectè interpretatus fuero, erit hoc traditatis meæ, non malitiæ. Distinctè omnia proponam. Duo verò dicunt Aduersarii. *Primum* est, Sacramẽta nullam conferre gratiam sine fide, conuersione, & pœnitentia suscipientium, quod tamen non de paruulis intelligi volunt; illos enim semper excipiũt; nam paruulis sine fide Sacramenta conferre gratiam dicunt. *Secundò* dicunt, gratiam per Sacramenta ex opere operato adultis conferri, & opus operatum opponitur operi operantis, id est, fidei & conuersioni suscipientis. Ita excludunt fidem & cõuersionem. Nonne ergo pugnãtia dicunt? nam quomodo conferunt gratiam Sacramenta exclusa fide, si non conferant sine fide? vtrumque horum Bellarminus & Alanus affirmant, quando aiunt nos nescire quid teneant. Bellarminus verò hoc ita exponit. Requiruntur, inquit, ista in adultis, scilicet voluntas, fides, & pœnitentia, tamen non ista efficiũt gratiã, sed ipsum per se Sacramentum gratiam efficit. Et postea ait, opus operatum excludere fidem & motum internũ ab efficientia gratiæ Sacramẽtalis, sed non excludere

Alan. de Sacram. l. Roffens. tic. l. nt. Luther. Lombard. l. 4. d. 4.

simpliciter, quasi Sacramenta conferant simpliciter gratiam sine fide & motu interno. Hoc nunc aliud est, quàm olim tenuerũt, & possunt hæc intelligi. Dicunt igitur, esse quandam gratiam Sacramentalem, quæ ex opere operato confertur, id est, vi ipsius Sacramenti, quia scilicet Sacramentũ confertur; non tamen vllis, nisi qui fidem habẽt, nec tamen vi fidei, sed Sacramẽti per se: fidem enim hominem tantùm disponere ad susciendam gratiam; quam confert sacramentum, quia non confertur gratia, nisi subiectũ rectè dispositum fuerit. Explanat hoc Bellarminus per similitudinem ligni & ignis. Si ad ligna comburẽda, inquit, primùm exiccarentur ligna, deinde excuteretur ignis ex silice, tũ applicaretur ignis ligno, & sic tandem fieret combustio; nemo diceret, inquit, causam immediatã combustionis esse siccitatem ligni, aut excussionem ignis ex silice, aut applicationẽ ignis ad ligna, sed solum ignẽ vt causam primariam, & solum calorẽ, seu calefactionem, vt causam instrumentalem. Sed quis sanus calorem dixerit instrumentum ignis esse? multò rectiùs Thomas, ignem agere per virtutem suæ formæ, id est, caloris. Sic aiunt Aduersarii, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, requiri tamen fidem & bonos motus, at non conferri gratiam vi fidei aut bonorum motuum, sed vi Sacramentorum. Quemadmodum ergo nos dicimus fidei vi nõ operum iustitiam apprehendi, & tamẽ fidem inanem operum non iustificare: Similiter illi dicunt, fidem adesse debere in iis, qui Sacramenta percipiunt, sed non esse causam gratiæ Sacramentalis. Quid ergo? probamusne Aduersariorum sententiam? nullo modo: imò latere in ea multum fraudis & veneni dicimus, vt postea patebit. Etsi enim dicunt, fidem requiri, & Sacramenta nullis prodesse, qui fide carent; redeunt tamen statim ad ingenium, & ab ea sententia subinde discedunt. Excludunt enim sæpe à Sacramentorum perceptione præsentiam fidei, & bonorum motuum, nec requirunt necessariò vt adsint. Illud verò prius affirmare vel vi coguntur aliquando ad vitandam & declinandam inuidiam: odiosum enim esset dicere, Sacramenta conferre gratiam non habentibus fidem, & bonos motus. At reuera tenent, Sacramenta gratiam homini non habenti fidem, ex vi sua, & ex mero externo actu conferre; quod argumentis necessariis evincam.

Thom. 3. part. sum. q. 2. art. 1

Primò statuunt illi, conferri gratiam paruulis in Sacramentis noui Testamenti sine fide, aut vllo bono motu. Hoc est tribuere vim Sacramentis per se & sua vi in parvulis; quod nos falsum esse dicimus. Non enim ex opere operato ne paruulis quidem gratiam conferri à Sacramentis affirmamus, vt necesse sit habere gratiam omnes, qui Sacramenta percipiunt. Sed hoc ostendit, Pontificios Sacramentis alligare gratiam, quam possunt etiam iis communicare, qui nullam fidem habent. Bellarminus respondet, Catholicos efficacissimè probare ex-

exemplo paruulorum, efficaciam Sacramentorum non pendere ab vlla qualitate susciptentis. Hìc se prodit. Nam si Sacramentorum efficacia non pẽdet ab vlla qualitate susciptentis, tum etsi omnis qualitas bona absit, erit efficax Sacramẽtum, & si efficax, tum efficit gratiã etiamsi fidei qualitas absit: quod si verum sit, tum quomodo dicũt requiri fidem, & non excludi? Nunquam constare ista possunt; nam si hæc requiruntur vt dispositiones, tum sine iis Sacramenta nihil efficiunt: nam nisi subiectum recte dispositum fuerit, nil effici potest, & tamen non pendere efficaciam Sacramentorum ab vlla qualitate susciptentis, exẽplo paruulorum probant. Quomodo hoc efficacissime probat, Sactamentorum efficaciam non pendere ab vlla qualitate susciptentis, nisi quòd vt in paruulis non est fides, sic nec in aliis Sacramenta recipientibus fidem necessario requiri credant? Et quod de paruulis statuunt, idem etiam de amentibus & morionibus dicunt.

ellarm. Sacra. genere c. 16. §. t hoc to- m.

Secundò, Bellarminus ait, Catholicos omnes docere, Sacramenta conferre gratiam, & sæpe primam gratiam; & antea ipse dixit, Scripturas tribuere Sacramentis vim afferendi primam iustificationem: ergo ex Aduersariorum sententia, atq; adeo ipsius Bellarmini, Sacramenta conferunt gratiam iis, qui carẽt fide & pœnitentia. Nam qui fidẽ & pœnitentiam & bonos motus habent, ii primam gratiam & iustitiam habent: ergo docent Sacramenta gratiam iis conferre, qui illas qualitates non habent, quod est apertè contrarium ei, quod Bellarminus videri vult dicere. Nam qui nõ gratiam primam nec fidem habent, iis Sacramenta gratiam primam & fidem conferunt: ergo non habenti fidem conferunt gratiam. Ait enim Bellarminus, Sacramenta sic conferre gratiam, vt hominẽ ex impio iustum faciant: ergo possunt conferre gratiam sine fide, pœnitentia, & bonis motibus: nam impius ista non habet. Hinc manifestũ est, illos in sua opinione non esse cõstantes.

Tertiò, ipsi Scholastici, qui excogitãrũt hoc dogma, vel potiùs mõstrum dogmatis, de opere operato, affirmant non requiri bonum motum in iis qui Sacramenta recipiũt. Sic Gabriel Biel acutus inprimis Scholasticus, apertè ait, tunc esse opus operatum, cum nõ requiritur motus internus. Sed Bellar. respondet, intelligi motum meritorium gratiæ, non motum disponẽtem ad gratiã. *Resp.* Bellarminus hic sophistam agit: nam Biel aperte ait, opus operatum non requirere bonũ motum internũ, & operi operato opponit opus operantis, vbi vltra id quòd Sacramentum foris exhibetur, requiritur bonus motus seu devotio interior susciptentis Sacramentum; & ait, Scotum sic sentire. Similiter Mensingerus quidam, quem citat Kemnitius, ait Sanctos in veteri Testamento fide accepisse gratiam in vsu Sacramentorum, sed noui Testamenti Sacramenta esse maioris efficaciæ, vt ex opere operato conferant gratiam, etiamsi non accedat opus operans susci-

Biel. in 4. d. 1. q. 3.

Mynsinger. in Ioan. 6. c.

suscipientis, hoc est, fides seu deuotio interior. Bellarminus ait, non excludi omnino deuotionem internam operantis, sed absefficientia Sacramenti. *Respondeo*: At manifestum est, illum omnino fidem excludere; nam addit, etiamsi non accedat opus operantis. Quod potuit apertius dici? nam si non accedat opus operantis, tum non adest, si non adsit, tum abest bonus motus, & tamen gratiam conferri ait.

Concil. Trident. can. 6.

Quartò, hęc videtur Concilii Tridentini sententia esse, si vlla potest ex Concilio illo sententia elici. Nam dicunt Patres illius Concilii, Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem. Quid hoc est?

Roffens. in 1. artic. cont. Luther.

Roffensis quidem ait, obicem esse aut peccatum mortale, aut non rectam fidem: qui ergo aut in peccato mortali sunt, aut fidem non habent, iis Sacramenta non conferre

Concil. Trident. can. 8.

gratiam. Sed dubito an hæc Concilii sententia fuerit, & Bellarminus quid sit ponere obicem, non ausus est explicare. Videntur hæc verba Concilii non excludere fidem. At paulo post Concilium opponit opus operatum fidei: nam ait, *Si quis dixerit, per ipsa nouæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad consequendam gratiam sufficere, anathema sit*: ergo videtur Concilium excludere fidē per opus operatum. Bellarminus ait, Concilium opponere opus operatum non fidei, sed soli fidei. *Respondeo*: At Concilium anathema iis denunciat, qui non gratiam ex opere operato per Sacramenta conferri, sed fidem solam sufficere ad gratiam consequēdam dicant; & opus operatum illi fidei opponit, quę diuinas promissiones amplectitur; nam ait *sed fidem solam diuinæ promissionis*. Si fides diuinæ promissionis, id est, quæ promissiones diuinas amplectitur, non sufficit, ad gratiam consequendam, sed contrà ex opere operato gratia cōfertur, non video quin fides excludatur. Atque hinc est quòd Alanus tantum operi operato tribuat, vt mediocrem dicat sufficere dispositionem personæ: dixisset nullam, nisi quòd prę pudore ausus non est. At qui vera fide præditus est, & cui præterea pœnitentia & boni motus insunt, is non mediocriter sed optimè dispositus est. Et quòd peccatum mortale aut propositū peccandi esse obicem dicunt, patet non bonum motum ab illis requiri; nam potest quis vacare & peccato mortali & proposito peccandi, & tamen nullum verè bonum motum habere. Quod verò Scotus ait, infidelitatem etiam obicem esse, hoc dupliciter intelligi potest: sumitur enim infidelitas vel pro actu siue habitu animi rectæ fidei contrario, vel pro nulla fide, seu pro absentia omnis fidei: & puto Scotum primo modo intellexisse.

Alan. lib. de Sacr. c. 4°.

Quintò & vltimò si verū sit, quod illi dicunt, requiri in eo, qui accedit ad Sacramenta, fidem, & pœnitentiam, & alias virtutes, quare tum dicunt in Sacramentis noui Testamenti conferri gratiam, quæ iam collata est? nam qui fidem, & iustitiam, & primam gratiam habet, is habet iam gratiam: quomodo ergo con-

conferunt ei Sacramenta gratiam, cùm conferre sit ei dare qui non habet? Loquuntur de gratia Sacramētali, & dicunt hanc gratiā Sacramētalem non conferri, nisi homo per fidem dispositus fuerit. Quænam, quæso, hæc gratia Sacramentalis est? num diuersa à fide, & pœnitentia, & conuersione? Sacramētalem hanc gratiam vocant iustificationem, & hanc conferri dicunt ex opere operato, non tamen nisi quis fidem antea habuerit, neque id vi fidei, sed Sacramenti tantùm. Sed qui fidem habet, is gratiam & iustitiam habet; nam & ipsi fatentur, iustitiam primam in fide consistere: quomodo ergo hæc ei per Sacramenta conferuntur? Hîc se iterum Sophistæ versant. Nam gratia Sacramentalis aut est eadem cum gratia virtutum, aut diuersa: si diuersa tum debent inauditam quandam gratiam excogitare, quæ non sit fides, nec spes, nec charitas, nec aliquid eiusmodi; nam Spiritus sanctus in Scripturis nō agnoscit aliam vllam: & illi dicunt esse gratiam iustificantem; at eam ipsi volunt in fide & charitate consistere: si eadem, non ergo confertur per Sacramenta, vt ipsi volunt. Bellarminus hæc non explicat, tantùm facit mentionem gratiæ Sacramentalis, quam à

Alan. vbi supra.

fide distinguit. Sed Alanus apertè ait, gratiam illam virtutum, & hanc Sacramentalem, partim conuenire, partim discrepare. Totam hanc rem copiosè tractat; summa omnium quæ dicit hæc est, gratiam Sacramentalem non esse diuersam ab illa communi gratia; illam tribui sine Sacramentis sæpe & augeri; illam perfectè & integrè iustificare hominem, sicut gratia Sacramentalis; illam tollere omne mortale peccatum, vt gratia Sacramentalis. Quid ergo gratia Sacramentalis amplius? ait Sacramentalem gratiam addere aliquid, aut hæc facere copiosius & faciliùs. Nos ex Alano ista colligimus. *Primò*, posse hominem sine Sacramentis (id enim aperte ait) cōsequi gratiam omnem, quæ confertur per Sacramenta. *Secundò*, posse hominem perfectè iustificari per gratiam communem sine Sacramentis. *Tertiò*, in Sacramentis hanc gratiam non nisi faciliùs conferri: nam quod ait per Sacramenta addi aliquid ad gratiam priorem, quam ille communem vocat, non video quomodo hoc stare possit cum eo quod prius dixit, posse hominem integrè & perfectè iustificari per communem gratiam sine Sacramentis: ad integram verò & perfectam iustitiam quid tādem addi potest? Non possunt, quantumuis rumpantur, nouam aliquam gratiam, quæ propria sit Sacramentis, nominare aut designare. Credideram mirificam & singularem quandam gratiam per Sacramēta conferri, quæ nusquam alibi haberi posset; at nunc eandem æquè perfectè sine Sacramentis acquiri posse video, tātùm augeri, aut fieri luculentiorem per Sacramēta: quod ipsum nos quoque dicimus. *Quartò*, hinc patet, quàm ineptum illud sit, quod isti disputant, efficaciam Sacramētorum non pendere à fide aut bono motu suscipientis,

cum gratia Sacramentalis sit fides, & pœnitentia, & conuersio ad Deum, & iustitia. *Quintò*, hinc etiam patet, quàm vere nos dicamus, illos dicere Sacramenta conferre gratiã sine fide, cum etsi affirment requiri fidem vt dispositionem, tamen hãc fidem asserunt nullam afferre gratiam: talis enim fides ne fides quidem nomen meretur, quia nulla fides potest esse sine gratia: at illi dicunt Sacramenta afferre primam gratiam, & tamen non afferre, si fides absit. *Sextò*, hinc quoque constat, quàm illud absurdum sit, quod Alanus alibi ait, opus operatum esse inuentum, vt intelligatur sacramenta operari ad gratiam producendam aliter quàm Euangelium & verbum. Quid hoc *aliter* sibi vult? certe non operatur alias gratias: impium id quidem esset dicere, alias esse gratias sacramentorum, alias verbi: si verò non sint alię gratiæ, tum omnis gratia per verbum confertur sine sacramentis, & eædem gratiæ haberi possunt in Euangelio & verbo, quæ in sacramentis. Quare cum per verbum omnes gratias Euangelicas percipiamus, quæ sufficiant ad integram & perfectam iustitiam, habeant illi sibi suam gratiam sacramentalem. Sed vbi interim illa simplex necessitas sacramentorum, cum haberi sine sacramentis & gratia & iustitia perfecta possit? Ex his perspicuum est, quàm illi dubii & perplexi sint; neq; enim certò statuere possunt, num Sacramenta gratiam conferant sine fide, aut quæ hæc sacramentalis gratia sit, & quid ab illa gratia differat, quæ per verbum confertur, aut quorsum inuenta sit, cum omnis gratia sine ea haberi possit.

Alan. de Sacram. c. 31.

Quid ergo nos dicimus? omnẽne à sacramentis gratiam remouemus? absit; etsi illi quidem de nobis sic mentiuntur. Dicimus enim esse efficacissima organa Spiritus sancti, & esse causas etiam instrumentales gratiæ: & hoc illi etiam dicũt; sed aliter illi, aliter nos. Nos dicimus esse instrumenta, sumendo hoc nomen large, quia Deus iis vtitur in conferendo nobis gratiam: non autem esse instrumenta volumus, vt Aduersarii, quasi Deus sic ad illa alligetur, vt quando vellet conferre gratiam, non aliter id facere posset, quàm per sacramenta, vt artifex non potest lectum facere sine serra & securi; nec ideo instrumenta dicimus, quasi ipsa aliquid efficiant, aut quasi vllam in se vim aut virtutem latentem propriam & suam habeant, vt instrumenta præter actionem instrumentalem habent etiam propriam actionem: at sacramenta nullam vim gratię producendæ habent, sed omnis vis in Deo est, qui gratiam in vsu sacramentorum operatur, non quasi per sacramenta traduceretur aut transiret gratia (nam & libere Deus etiam extra sacramenta gratiam immediate in cordibus nostris efficit & operatur) sed cum sacramentis, quia sacramentis adhibitis placet illi gratiam operari, quemadmodum in simplici verbo fieri solet. Vt enim verbum est medium & instrumentum gratiæ, sic & sacramentum,

mentum, non aliter: illud auribus, hoc oculis adhibetur. Hoc interest, quòd verbum inchoet & creet gratiam; fides enim ex auditu nascitur; at sacramentum, quod oculis obiicitur & in oculos incurrit, non inchoat aut creat gratiam, sed nutrit & auget: fides enim ex istis non nascitur, sed augetur tantum. Non ergo sunt sacramenta causæ instrumentales gratiæ, aliquid per se operando, sed quia sacramentis adhibitis Deus in anima gratiam operatur: ergo sacramenta nihil ex opere operato efficiunt, id est, ob id tantum quia adhibentur, ne quidem in paruulis. Non enim paruuli, eò tantum quòd baptizantur, gratiam participant; nec tamen frustra baptizantur, quia in futuram fidem & pœnitentiam baptizantur, & quia membra sunt Ecclesiæ, & sancti ex fœdere, ideoque signum fœderis iis negandum non est: adulti vero nisi credant Euangelio, nullam ex sacramentis vtilitatem percipiunt; atque ita, omnis vis sacramentorum ex fide pendet. Ergo nos longe aliud dicimus, quàm illi, quia illi dicunt contineri gratiam in sacramentis, nos vero non contineri in sacramentis gratiam dicimus, sed Deum per sacramenta & cum sacramentis gratiam conferre. Quare non sic conferunt sacramenta gratiam, vt Tapperus ait, quẽ secutus est Hardingus. Tapperi hæc verba sunt. *Sicut sanamur per medicamentum; sic iustificamur per Sacramenta.* Hunc modum continẽdi nunquam Bel-

Tapper. in artic. 1. Harding. cont. Apolog. Eccles. Anglican.

larmiuus, aut Alanus, aut doctior aliquis Papista approbaret: nam tum gratia inesset in sacramento, vt sanitas in medicamento: at medicamentum habet insitam & naturalem quandam vim sanandi; non sic sacramentum iustificandi. Denique sic Deus per sacramenta noui Testamenti gratiam confert, vt olim per sacramenta veteris Testamenti contulit: Papistæ negant vetera sacramenta contulisse gratiam ex opere operato, & nos negamus noua aliter conferre, quàm vetera contulerunt. Et de statu Quæstionis hactenus.

Caput II.

In quo Aduersariorum argumenta diluuntur.

Expositvm à nobis antea est, quid Papistæ de sacramentorum operatione sentiant. Dicunt non modò conferre sed sed & continere gratiam, & esse causas instrumentales gratiæ & salutis ex opere operato. Nunc Bellarminus nos magnis copiis aggreditur. Sex classes argumentorum affert; sed hæ vacuæ classes sunt: non vnum est argumentum solidum in omnibus. Vna classis sufficeret, si quid argumentum suppeditaret. *Prima* classis Scripturæ testimonia continet ex nouo Testamento.

Primum

Matth. 3. 11. *Primum* testimonium habetur Matth. 3. vbi Ioannes Baptista ait, *Ego baptizo vos aquâ, ille vos baptizabit Spiritu sancto.* Quibus verbis, inquit, non est dubium, tantum discrimen poni inter efficaciam Baptismi Ioannis, & Baptismi Christi, quantum est inter aquam & Spiritum: at Baptismus Ioannis, inquit, non minùs efficax erat ad alendam fidem, quàm Baptismus Christi: ergo Christi Baptismus non alit aut confirmat fidem tantùm, sed confert gratiam ex opere operato. *Respondeo*, 1. De Ioannis Baptismo postea erit dicendum. Nunc verò dico, illum Ioannis Baptismum aut verum Sacramentum fuisse, aut non fuisse: si fuit verum Sacramentum, tum augebat & cõfirmabat fidem, & idem cum Christi Baptismo erat, & sic Aduersarius nihil concludit: si non fuit verum Sacramentum, sed nuda ceremonia tantùm, tum non fuit efficax ne ad alendam quidem fidem, & sic Aduersarii argumentum multò minùs valebit. Nam nos loquimur de sacramentis: ceremonia verò, quæ omnino sacramentum non est, non est æque efficax ad fidẽ alendam, quàm sacramentum, quia sacramentum non ex ceremonia externa, sed ex Dei promissione & ordinatione vim habet. 2. *Respondeo:* discrimen ibi poni non in Baptismis, sed in personis, quòd Ioannes erat Minister externi ritus, Christus autem erat auctor internæ sanctificationis. Sed Bellarminus obiicit & ait, Si ita est, tum non debuit Ioannes dicere, Ego baptizo, ille baptizabit, sed, Ego baptizo, ille baptizat. *Respondeo:* imò debuit dicere, *βαπτίσει, baptizabit, primò*, quia ait, *vos*, id est, vos qui nondum fide prædíti estis & gratia baptizabit: non enim quia Ioannis sacramentum acceperunt, ideo erant Spiritu sancto baptizati, quia plærique eorum erant hypocritæ: ergo de Christo prædicat, illum eos meliùs baptizaturum, si ad illum vellent accedere: *Secundò*, recte dicit, *baptizabit*, quia Christus tum latuit, & nondum in medium prodierat, nondum se patefecerat, nondum baptizandi munus in se susceperat; quasi diceret, est in medio vestrum, qui veniet, & baptizabit vos. Nec sequitur, baptizabit: ergo non baptizat; nam illud, *baptizabit*, continuum actum, siue cõtinuam actionem significat. Sed obiicit deinde Bellarminus locum ex Act. 19. de quo tum respondebimus, quando de Ioannis Baptismo erit dicendũ, quia nolumus quæstiones confundere. Hic ergo locus non probat, sacramenta gratiam ex opere operato conferre. *Act. 19. 5.*

Secundum Bellarmini testimonium ex nouo Testamento habetur. Marci vltimo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hìc tribuitur Baptismo, inquit, vis saluandi. *Respondeo:* Baptismum dici nos seruare, quia nostram per Christum salutem obsignat, non quia vis seruandi in ipso Baptismo est. Quæro enim num per se Baptismus sine fide seruet? hic locus illud refellit: nam Christus hic fidem cum Baptismo coniungit, *Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, seruabitur:* si vero *Marc. 16. 16.*

si verò cum fide Baptismus coniungi debet, quid de infantibus sentiendum est, qui non credunt, quorum tamen exemplo ait Bellarminus opus operatum efficacissimè probari? & quomodo fides præcedit Baptismum, vt ille ait? num infantes credunt antequam baptizantur? ergo manifestum est hic Christum loqui de adultis, qui credendo seruantur. vt ex multis Scripturæ locis constat: hi fide seruantur, in his fides præcedit, & additur Baptismus, vt sit sigillum fidei. Verùm obiicit Bellarminus & ait, Sicut fides apud Aduersarios immediate iustificat applicando merita Christi; cur non eodem modo fateantur, Baptismum immediate iustificare applicando Christi merita; cùm Christus hic eodem modo loquatur de fide & de Baptismo? *Respondeo*: Non negamus, Baptismum dici posse applicare nobis merita Christi, & sic nos iustificare; non quòd ex opere operato hoc faciat; & sic nihil contra nos Bellarminus concludit; sed quia obsignat nobis iustitiam fidei, vt omnis vis Sacramentorum ex fide pendeat, non fides ex Sacramentis. Sed hic iterum obseruandum est, illos Sacramentis vim seruandi tribuere sine fide; volunt enim in Sacramentis non minùs applicari merita Christi, quàm fide: quomodo id, quæso, cùm Sacramenta sint res externæ & corporeæ, & non vltra corpus pertingant, & fides internum Spiritus sancti donum sit? absurdissimum hoc est, posse applicari cuiquam merita Christi sine fide.

Tertium Bellarmini testimonium ex nouo Testamento habetur Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei*: vbi ait, præpositionem *ex* significare, hunc locum aperte facere Baptismum aquæ causam nouæ nativitatis; & Caluinum non potuisse aliter respondere, nisi negando, hic agi de Baptismo. *Respondeo*: 1. etiamsi demus hic agi de Baptismo, tamen nihil hinc elici posse, vnde intelligamus Baptismum nos ex opere operato iustificare. Nam aqua in Baptismo est Sacramentum renouationis & regenerationis nostræ, & sic ex aqua renascimur, sed Sacramentaliter tantùm, quia aqua significat & obsignat nouã nostram natiuitatem, quam in nobis Spiritus sanctus operatur. Quare nihil ad rem faciunt, quæ Bellarminus ex hoc loco colligit. Sed 2. *respondeo*: veram esse Caluini responsionem, per aquam hic non Baptismum sed Spiritum sanctum intelligi, qui instar aquæ lauat & mundat nos ab omni immundicie peccati, vt suprà de hoc ipso loco respondimus. Sic non Caluinus modò, sed & Bucerus, & Petrus Martyr, & alii è nostris hunc locum interpretantur. Sed Bellarminus contrà disputat, & *primò* ait, omnes scriptores omnesq; interpretes hunc locum de Baptismo intellexisse. *Respondeo:* Fateor multos ex Patribus ita hunc locum interpretari; & tamen nemo horum tribuit aquæ in Baptismo vim regenerandi aut iustificandi nos ex opere operato, nec affirmat quisquam illorum aquam sine fide *Ioh. 3. 5.*

prodesse: hinc aliqui Baptismi necessitatem colligunt, sed hoc nihil pro opere operato facit. Nec si omnes Patres sic interpretentur, ideo nos necesse est sic interpretari, quia prior & antiquior nobis esse debet Christi & Euangelistarum authoritas & sententia, quàm omnium Patrum. Christus ipse satis declarat, se tantum de Spiritu sancto loqui, idq; multis argumentis euinci potest. *Primò*, concionari de Sacramentis apud Nicodemum, qui nihil adhuc de fide audierat, non fuisset consentaneum, imo præposterum fuisset. *Secundò*, si per aquam Baptismũ intellexisset Christus, tum primo loco Spiritum posuisset, & postea aquam, quia Spiritus sanctus ordine naturæ prior Baptismo est. *Tertiò*, si aqua hic Baptismum significaret, tum necessario sequeretur, Baptismum simpliciter & absolute in omnibus requiri, & sic actum plane esset de iis, qui non actu & re vera baptizantur; quod ne ipsi quidem Adversarii dixerint, quantumuis Baptismi necessitatẽ vrgent. Nec valet, quod de voto aiunt; nam votũ non est Baptismus; nec quod de Baptismo flaminis & & sanguinis afferunt: nam Christus disertè ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei*. *Quartò*, Christus nasci
Ioh.3.6. ex aqua & Spiritu S. opponit ei, quod est nasci ex carne, & ei quod est nasci ex carne opponit simpliciter nasci ex Spiritu, τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σάρκος, inquit, σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Πνεύματος, πνεῦμα ἐστι. *Quod genitum est ex carne, caro est; & quod genitum est ex Spiritu, spiritus est*: & paulò post, ὅτως ἐστὶ πᾶς *vers.8.* ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Πνεύματος, *sic est omnis qui genitus* vel natus *est ex Spiritu*. Ergo nasci ex aqua & Spiritu idem est quod nasci ex Spiritu solo: nam in his versibus nulla aquæ mentio fit. *Quintò* & postremò, fidei soli sine mentione aquæ salus tribuitur: ergo credere per se ad salutem sufficit. *Prout Mo-* *vers.15.*
ses extulit serpentem in deserto, ita ex- *16.18.*
tolli oportet filium hominis; vt quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: &, *Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Et, *Qui credit in eum, non condemnatur*. Sed *secundò* oppugnat Bellarminus nostram responsionem, & expositionem huius loci, huiusmodi argumento, Si ita liceret ludere in Scripturis, possumus negare Baptismum aquæ: nam vbique intelligemus nomine aquæ Spiritum sanctum. *Respondeo*: Falsum est: nam quidam loci tam aperti sunt, vt non possint nisi de externo Baptismo intelligi, vt, *cùm cognouit Dominus Pharisæos au-* *Ioh.4.1,2*
diuisse, ipsum plures discipulos facere & baptizare quàm Iohannem (Quanquam Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius:) num hic locus sic eludi potest dicendo, Christus non baptizabat, id est, non conferebat Spiritum *Ioh.3.23*
sanctum, sed discipuli eius? & in hoc eodem capite postea, *Baptizabat etiam Iohannes in Ænon prope Salim, quoniam aquæ multæ erant illi*: & ve-

Act.8.36. *& veniebant ac baptizabantur*; & alibi, *Ecce hîc aqua est, quid prohibet me baptizari*? Quis hæc loca potest de Spiritu sancto intelligere? & ad-
Act.10. huc alibi, *Num quis aquam prohi-*
47.48. *bere potest, quò minùs baptizentur isti, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos*? *Iussitque eos baptizari in nomine Domini*, id est, iussit Petrus afferri aquam, vt baptizarentur; non dixerit quispiam (opinor) iussisse eum afferri Spiritum sanctum. Quare futilis hæc Bellarmini obiectio est. *Tertiò* obiicit, esse hanc coactam, & absurdam, & Scripturis inusitatam loquutionem. *Respondeo*: esse facillimam & vsitatissimam. Nihil in Scripturis vsitatius est, quàm per aquam Spiritum sanctum intelligi. Christus ait, *Quisquis*
Ioh.4.14. *biberit ex aqua illa, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum*: loquitur de Spiritu sancto. Similiter Deus apud
Esa.44.3. Prophetam, *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam*, id est, Spiritum meum: nam postea statim se explicat, cùm ait, *Effundam Spiritum meum super semen tuum*. Ob eamque causam Spiritus etiam interdum igni comparatur propter eundem vel similem ef-
Matth.3. fectum, vt, *ipse vos baptizabit Spiritu*
11. *sancto & igni*. Ibi ignis eundem Spiritum sanctum significat. Bellarminus ait, posse intelligi externum ignem, qui in die Pentecostes super Apostolos visibiliter descendit, vel ignem tribulationis, vel ignem Purgatorii. *Respondeo*: Nugatur: apertum enim est, per ignem ibi intelligi vim Spiritus sancti: & vt ille modò de aqua dixit, cuius mentio fit Iohan. 3. 5. sic ego de hoc igne dico, omnes Doctores de Spiritu sancto interpretari. Sed obiicit Bellarminus & ait, ignem postponi Spiritui sancto in loco apud Matthæum, at in loco apud Ioannem aquam præponi; absurdissimum autem est, inquit, priùs poni declarationem, deinde id quod declarandum est. *Respondeo*: ἐξήγεσις, id est, *declaratio* seu *explicatio* non semper sequitur, vt omnes nôrunt, in Scripturis; imò magis conuenit metaphoram præponi, & postea sequi explicationem, vt in loco Isaiæ, quem suprà citauimus, *Esa.44.3.* metaphora præponitur; ait enim Deus primò, *Effundam aquas & fluenta*, & tum *Effundam Spiritum meum*: & in hoc loco apud Ioannem aqua non est ἐξήγεσις Spiritus, sed Spiritus aquæ. *Quartum* Bellarmini argumentum, quo nostram huius loci expositionem oppugnat, est huiusmodi: Aqua non gignit, sed lauat & refrigerat: ergo malè coniungeretur cum verbo renascendi, si non nisi effectum Spiritus sancti explicat. *Respondeo*: Christus metaphoricè loquitur: nam nec Spiritus quidem sanctus propriè dicitur gignere; sed quia nouam quasi vitam in nobis inchoat, & quia ab illo loti & mundati nouam vitam viuere incipimus, idcirco renasci dicimur ex Spiritu sancto & aqua. Sanè fateor me nunquam putidiores calumnias audiuisse.

Quartum Scripturæ testimonium à Bellarmino ex nouo Testamento citatum habetur,

Act. 2. 38. Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*: cui ſimile eſt illud Act. 22. 16. *Act. 22. 16. Baptizare & ablue peccata tua.* In his locis, inquit, tribuitur Baptiſmo remiſſio peccatorum. *Reſpondeo* Tribuitur quidem, at non ex opere operato, nec vi ipſius Baptiſmi, ſed quia Baptiſmus eſt pignus remiſſionis peccatorum, & quia Baptiſmo obſignatur nobis remiſſio peccatorum, ideo in Baptiſmo meritò dicuntur peccata remitti. Sed Bellarminus ait, hunc nouum eſſe tropum; perinde enim eſſe, ac ſi quis diceret, Bibe vinum, cùm vellet ſignificare, Inſpice hæderam, quæ in hoſpitio pendet. *Reſpondeo*: Familiaris loquendi modus eſt, vt fieri dicatur, quod factum obſignatur. Quod de hædera affert, ab hac cauſa alieniſſimũ eſt; hædera enim non niſi nota eſt, eſſe ibi vinum; quæ ſæpe fallax nota eſſe poteſt; certè vinum ipſa hædera nunquam exhibet: at Baptiſmus non modò indicat, vbi ſit remiſſio peccatorũ, ſed etiam remiſſio peccatorum exhibet, ſi modò fides afferatur: nam in recto vſu regenerat hominem. Ergo in Baptiſmo non hæderam tantùm intuemur, id eſt, vbi ſit remiſſio peccatorum docemur, ſed vinum bibimus, id eſt, ipſam peccatorum remiſſionem haurimus, quia obſignatur vivo ſymbolo fidei noſtræ remiſſio peccatorum. Hoc Bellarminus ridet, & illud ſuum hæderæ exemplum nobis obiicit: ſed *qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.* Apoc. 22. 11.

Quintum teſtimonium ſumitur Act. 8. 18. ex Act. 8. *Cùm vidiſſet Simon, quòd per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus*: cui loco ſimilis eſt ille, 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* In his locis, inquit, apertiſſimè impoſitio manuum aſſeritur cauſa gratiæ, vt patet ex illa particula *Per*, vnde vult concludere, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato. *Reſpondeo:* impoſitionem manum nõ eſſe Sacramentum, nec Confirmatio & Ordinatio de quibus hæc loca intelligi vult, Sacramenta ſunt, vt poſtea patebit. Loquitur vtrobique Spiritus ſanctus de extraordinariis donis, & de donis gratis datis, non gratos facientibus: at Sacramenta conferunt gratiam gratum facientem, vt etiam illi volunt. Nec illud *Per* ſignificat cauſam; tantum iudicat, dum manus imponebantur, datum illis eſſe Spiritum ſanctum: hinc verò fingere, impoſitionem manuum eſſe cauſam vllam, ineptum eſt. 2. Tim. 1. 6.

Sextum teſtimonium habetur 1. Cor. 10. *Vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Vbi participare de vno pane, inquit, ponitur pro cauſa vnius corporis. Quare ſi tollas à Sacramento altaris, inquit, veram cauſalitatem gratiæ, non poterit probari, quòd ſumus vnum corpus, quia eandem Euchariſtiam participamus. *Reſpondeo.* Apoſtolus ait, nos qui vnum panem comedimus, eſſe vnum corpus; non quòd panis faciat nos eſſe vnum corpus, ſed quia pignus eſt, nos eſſe vnum myſticum corpus: ſignificat enim noſtram cum Chriſto & 1. Cor. 10. 17.

ſto & inter nos ſpiritualem coniunctionem.

Septimum teſtimonium habetur Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo*: cui ſimilis eſt ille locus Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*: ergo mundamur & ſaluamur, inquit, lauacro aquæ, & per lauacrum aquæ, tanquam per cauſam inſtrumentalem. *Reſpondeo*: In Baptiſmo mundari & ſaluari dicimur, quia Baptiſmus pignus & arrha eſt noſtræ ſalutis, & quia in recto & legitimo vſu Baptiſmi confertur nobis ſalus & remiſſio peccatorum: ſed num ideo remiſſio peccatorum & ſalus in externa creatura aquæ conſiſtunt, aut eius vi efficiuntur? abſit. Deus in Baptiſmo vt ſignificat remiſſionem peccatorum & ſalutem, ita re operatur: & veritas cum ſigno coniuncta eſt in electis. Nihil hoc pro opere operato facit. Sed Bellarminus ait, ſic nos non magis per Baptiſmũ mundari aut ſaluari dicimur, quàm per quamlibet aliam actionem, quæ tum fit. *Reſpondeo*: Falſum: nam non quicquid Miniſter agit, aut nos agimus in Baptiſmo, eſt Sacramẽtum, ſed ipſe Baptiſmus; & ideo Baptiſmus, ac nihil aliud, obſignat nobis ablutionem à peccatis & ſalutem. Nec abhorremus ab illis loquendi formulis, quibus Scriptura vtitur: lauat nos Deus, fateor, per Baptiſmum, vel, vt Apoſtolus loquitur, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, *per lauacrum regenerationis*, & τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, *lauacro aquæ per verbum*, id eſt, in Baptiſmo, & per Baptiſmum; non quod efficacia ſit in Baptiſmo, ſed quòd Deus hoc organo vtatur, & quòd ipſe in vſu huius organi ſit efficax, & his externis ſignis ſpiritualem gratiam nobis obſignet. Epheſ. 5. 25. 26. Tit. 3. 5.

Octauum & vltimum ex nouo Teſtamento teſtimonium habetur 1. Pet. 3. *Quòd nos ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Ex hoc loco tria obſeruat Bellarminus: *primum* eſt, nos ſaluos fieri Baptiſmo; *ſecundum*, ſaluos nos fieri ſimili modo, quo illi qui in diluuio ſeruati ſunt, id eſt, verè & efficienter; *tertium*, diſcrimen inter Baptiſmata Iudæorum & noſtrum, quòd illa tollerent ſordes carnis, noſtrum purificet conſcientiam. *Reſpondeo*: Nihil hæc omnia contra nos faciunt. Nam Baptiſmo nos quidem vim purgandi & ſeruandi quodam ſenſu tribuimus, nempe vt declaret & obſignet tanquam pignus noſtram ſalutem, non quod in Baptiſmo gratia aut ſalus incluſa ſit, ſed ea à Deo libere donantur. Ita ex nullo loco probare poteſt, nos ſeruari vi aquæ, aut ex opere operato. Et de prima claſſe argumentorum Bellarmini hactenus. 1. Pet. 3. 21.

Secunda claſſis habet vaticinia Prophetarum, & figuras veteris Teſtamenti. Prophetæ ſæpe loquuntur de aqua. Iſai. 1. *Lauamini, mundi eſtote.* Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Miche. 7. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*: & alios eiuſmodi locos Bellarminus affert, quos omnes de Baptiſmo Patres expo- Iſai. 1. 16. Ezech 36. 25. Mich. 7. 19.

nunt. *Respondeo*: Quid hæc ad rem? nam *primò*, nulla in his locis Baptismi nostri mentio fit, quantumuis aliqui Patres anagogicè aut allegoricè ad Baptismum illos accommodent. Isaias, seu Deus potiùs apud Isaiã, quando iubet populum sui téporis lauari, hortatur illos non ad Baptismum, sed ad pœnitentiam & ad veram vitæ puritatem ac innocentiam. Apud Ezechielem aquam effundere, nó est baptizare, sed Spiritum S. dare, qui illorum corda immutet. Micheas quando ait Deum peccata fidelium in profundum mare proiecturum, nihil aliud vult, quàm Deum non fore memorem horum peccatorum ad puniendum. *Secundò*, si de Baptismo hi loci exponantur, tamen nihil contra nos faciunt: nam in Baptismo reuera lauamur, & peccata nobis condonantur, & nouæ creaturæ efficiunt; non tamen vi Sacramenti, sed à Deo, qui Sacramento tamen vti voluit propter nostram imbecillitatem.

In hac etiam classe reposuit varias figuras Sacramẽtorum ex Scripturis, de quibus non necesse est sigillatim respondere; cuiusmodi est illa quæ habetur Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Patres per has aquas Baptismum figuratum esse volunt, quia vt illæ aquæ vim à Spiritu sancto habuerunt procreandi pisces, sic Baptismus à Deo vim habet procreandi nouos homines.

Gen. 1. 2.

Tertull. de Baptis.

Ob eam causam Tertullianus ait, *Ne mirum sit, si aquæ animare possunt*: & ibidem Christianos vocat *pisciculos*, quòd nascantur ex aquis: & Optatus Mileuitanus, *Hinc*, inquit, *est piscis, qui in Baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur*: & hinc est, quòd literæ capitales versuum Sibyllinorum faciunt ἰχθὺς, id est, piscis. Sed hæc allegoricè tantùm à Patribus dicuntur. Similiter eò detorquet Bellarminus aquam lustrationis, de qua legimus Numer. 19. quæ Christi sanguinem non aquam Baptismi figurabat. Huc etiam transfert quod commemoratur de Iordanis transitu; de mundatione Naaman; de cæco nato, quem Dominus illuminauit per aquam Siloë; de piscina probatica. Hinc colligere, Baptismum habere in se vim purgandi peccata nostra ex opere operato, absurdum est. Quæ verò de his omnibus à Patribus dicuntur, allegorica sunt, ac proinde nihil concludunt. Nec tamen Patres aliud dicunt, quàm quod nos dicimus, fieri nos in Baptismo nouos homines, & peccata nobis remitti, & Spiritum sanctum esse efficacem: omnia hæc nos damus; sed non ideo sequitur, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, quasi quia sunt efficacia organa Spiritus sancti, ideo vi sua & ex opere operato efficacia sunt. Quod ad aquas attinet, de quibus mentio fit Genes. 1. quæ à Deo vim habuerunt producendi pisces, multum discriminis est inter nostrum Baptismum & illas aquas: nam Spiritus sanctus aquis illis impartiit vim natiuam ex se producendi pisces & aues; nulla talis vis inclusa est in

Optat. l. 3. cont. Parmen.

Num. 19. 9. &c.

Ioan. 9. 7. Ioan. 5. 4.

aqua

aqua Baptismi homines regenerandi: non enim agunt Sacramenta vi naturæ: ergo non sic Tertullianus aut vllus Pater de Baptismo hæc verba vult intelligi. Quod verò attinet ad diluuium Noë, de quo Petrus; & circumcisionem, de qua Paulus; & submersionem Ægyptiorum in mari rubro, transitum verò filiorum Israel; & Manna; & aquam è petra scaturientem; fuisse hæc typica nostrorum Sacramentorum fateor: sed non hinc colligendum est, gratiam esse in nostris Sacramentis inclusam; non enim trahenda hæc sunt vltra mentem & sensum Spiritus sancti, nec sunt per omnia vrgenda. Apostolus ait, Baptismum & Eucharistiam adumbrari per mare, & nubem, & petram, & Manna: non tamen ideo sicut ibi secuta est salus & vita corporalis, sic in Baptismo & per Baptismum salus & vita spiritualis, non id Apostolus ait; nam tum quemadmodum omnes, qui edebant Manna salutis ac vitæ corporalis participes fuerunt, similiter omnes, qui percipiunt Eucharistiam, vitæ spiritualis, & salutis æternæ participes; & quemadmodum omnes, qui mare transierunt, actu seruati sunt & liberati à morte corporali; similiter omnes, qui baptizantur, seruabuntur in æternum, & à morte æterna liberabuntur. Apostolus tantùm ait, illos omnes fuisse baptizatos in nube & mari, & eandem escam spiritualem manducâsse, eundemque potum spiritualem bibisse; quod

1. Pet. 3. 20. 21. Coloss. 2. 11. 12. Exod. 14. 17. &c. 1. Cor. 10. Exod. 16. 13. 14. & 17. 6. 1. Cor. 10.

contra ipsos pro nobis facit: nam vt ibi nulli rem Sacramenti sine fide perceperunt: sic neque in nostris Sacramentis; & vt gratia non in petra aut aqua inclusa fuit, sic nec in nostris Sacramentis.

Sed Bellarminus hic duo notanda esse ait. *Primum* est, Scripturam ne semel quidem dicere, vim Sacramentorum consistere in excitanda vel alenda fide; vnde falsissimam esse hæreticorum sententiam colligit. *Respondeo*: Nos non dicimus, Sacramenta tantùm excitare & alere fidem nostram, id est, hunc esse vnicum finem Sacramentorum, sed addimus etiam obsignare & confirmare promissiones diuinas de remissione peccatorum & salute æterna, imò gratiam & salutem ipsam offerre & præbere in recto & legitimo illorum vsu.

Quod verò ait, Scripturam nunquam dicere, vim Sacramentorum in alenda fide nostra consistere, falsissimum est: nam ex Scriptura apertè constat, Sacramenta esse instituta ad alendam fidem, & obsignandam Dei erga nos benignitatem. Quid enim aliud est, quòd Apostolus vult, cùm ait, circumcisionem esse sigillum iustitiæ fidei, & quòd Deus circumcisionem vocat fœdus suum? nonne hæc indicant, institutam esse circumcisionem à Deo ad alendam fidem de fœdere & promissionibus Dei? Dicuntur verò Sacramenta mũdare & purgare, vt intelligamus

Rom. 4. 11.

non

non nuda esse signa, sed hoc verè semper fieri in vsu legitimo Sacramentorum, non tamen vt Sacramenta ipsa hoc per se facere aut vi sua existimemus. *Secundum*, quod ex his Scripturæ locis notari vult Bellarminus, hoc est, si liceat negare, Sacramenta verè & immediate sanctificare, eadē ratione negari posse, fidem iustificare, quia nihil Scripturæ tribuunt fidei, quod non tribuant etiam Sacramentis, verbi gratiâ, salutem, vitam æternam, cordis purificationem, iustificationē. *Respondeo*: Bellarminum toto cœlo errare & hallucinari: non enim iustificat fides vi & virtute suâ, quasi merito & dignitate fidei iustificemur; sed propter obiectum, quod tantùm fide apprehenditur: at illi Sacramenta dicunt gratiam vi & merito suo conferre; cùm non aliter dicantur in Scripturis purgare aut saluare, nisi quod fidei nostræ repræsentent & obsignent nostram purgationem & ablutionem, atque ita in nobis sunt pignora salutis. Cùm enim fides sit, quæ Christum teneat credendo Euangelio, & sic iustificet, quomodo possunt Sacramenta iustificare, nisi quia hanc nobis iustitiam obsignant?

Ex Scripturis quid afferant Aduersarii accepimus: nunc ad *tertiam* argumentorum classem veniamus, quæ continet pauca testimonia ex Conciliis. Ea verò quatuor sunt, quæ certe nihil ad rem faciunt. *Primum* testimonium sumitur ex Concilio Nicæno primo, cuius hæc verba sunt; *Baptisma nostrum non oculis corporis considerandum est, sed mētis oculis; aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam. Respondeo:* Non hoc ad literam intelligi voluerunt huius Concilii Patres: non enim vlla Dei virtus abscōditur in aqua, quia tum esset ibi vt accidēs in subiecto, quod Aduersarii negant, vt antea docuimus. Sed ratio, cur in aqua virtus abscondita esse dicitur, hæc est, quòd nobis in Baptismo peccata condonentur. Et nos hoc quidem agnoscimus, in Baptismo accipi remissionem peccatorum, modò hoc non ex vi Baptismi aut aquæ, sed ex vi & gratia Spiritus S. fieri dicatur. Atque hoc illud est, quod idem Concilū postea dicit, *descendere eum, qui baptizatur, peccatis obnoxium, seruitutis corruptione detentum; ascendere autem ab ea seruitute & peccatis liberum, filium Dei, & hæredem & cohæredem Christi*: ratio est, quia Baptismus Sacramentum regenerationis est, in quâ morimur peccatis, & viuimus iustitiæ. Quod verò ait Concilium, descendere obnoxium peccatis, qui baptizatur, hoc non simpliciter intelligendum est: nam ex confessione Papistarum, qui non habet fidem, & bonos motus, & pœnitentiam, non effecta Baptismi percipit: quomodo ergo possunt descendere obnoxii peccatis, & seruitutis corruptione detenti, omnes qui baptizantur? & quomodo tum Eunucho Philippus dixit, si credis, potes baptizari, & Eunuchus respondit, credo? descendit ille Eunuchus fide; ergo non prorsus peccatis obnoxius, & seruitutis corruptione detentus. Sed sic Concilium loquitur, quia Baptismus nouum

Concil. Nican. 1. in cap. quod inscribitur de Bapti. smo. ante can. 8.

Basil. de Sp. sancto. c. 15.

nouum statum designat, & vt Basilii verbis vtar, δεύτερα βίβ ἔστιν ἀρχὴ, *secunda vitæ principium est. Secundum* testimonium est ex Concilio Constantinopolitano primo in Symbolo, *Credimus vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Respondeo:* In Baptismo remitti peccata, quis dubitat? nos hoc fatemur & agnoscimus; sed non dicunt Patres huius Concilii ex opere operato, & vi elementi externi, peccata remitti in Baptismo.

Concil. Mileuit. c. 2.

Tertium testimonium sumitur ex Concilio Mileuitano: *Paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Respondeo:* Baptismum esse Sacramentum regenerationis, non negamus, etiam in paruulis, sed non ex opere operato. Deus operatur liberè, & in Baptismo sanctificat, quos vult. Si posset Bellarminus probare, aut omnes paruulos perire, qui carent Baptismo, aut omnes seruari, qui baptizantur, idque eò quòd baptizentur, aliquid efficeret; sed horum neutrum vnquam poterit probare; quod satis arguit, Sacramentum non ex opere operato conferre gratiam; tum enim horum vtrumque necessariò sequeretur.

Concil. Arausican. 2. can. 25.

Quartum & postremum testimonium est ex Concilio Arausicano secundo: ex quo nihil aliud potest colligere, quàm *accipi gratiam per Baptismum. Respondeo:* Nos gratiam non excludimus à Baptismo: sed quid hoc ad opus operatum? non faciunt Patres illius Concilii mentionem aut operis operati, aut grātiæ collatæ vi externi elementi in Baptismo.

Sequuntur duæ classes testimoniorum, *quarta* scilicet & quinta: altera Patrum Græcorum, altera Latinorum testimonia continet, de quibus nominatim & sigillatim non respondebo, quia satis iam responsum est. Eodem tendunt, idem volunt, idem agunt omnes hi Patres: nullus illorum facit mentionem operis operati. Tribuunt illi multum Baptismo, & meritò quidem, remissionem peccatorum, gratiam, viuificationem, regenerationem, & alia huiusmodi: & forsan aliqui nimium tribuunt; quanquam reuera nihil dicunt, quod non satis commode exponi potest. Non enim dicunt illam gratiam esse inclusam in aqua, aut ex opere operato conferri, sed Spiritum sanctum esse in aqua & per aquam efficacem, quod ex eo Basilii loco constare potest, quem affert Bellarminus, εἰ τίς ἐστιν ἐν τῷ ὕδατι χάρις, οὐκ ἐκ τῆς φύσεως ὑγροῦ ἐστι τοῦ ὕδατος, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πνεύματος παρουσίας. *Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed ex Spiritus præsentia*: non igitur aqua vim habet sanctificandi aut gratiam conferendi, sed in aqua Spiritus sanctus; quod non ita intelligendum est, quasi mistus cum aqua Spiritus sanctus sit, sed quia in vsu Baptismi Spiritus sanctus

Basil. in lib. de Sp. sancto. c. 15.

gratiam efficit: nam qui Spiritum ſanctum coniungunt cum aqua, & aquæ tribuunt, quod ſolius Spiritus ſancti eſt, hos ibi Baſilius μιγνύειν ἄμικτα, id eſt, *miſcere non miſcenda* affirmat: & ſuprà Baptiſmum dixit ὑποσημαίνειν συμβολικῶς ἀπόθεσιν τῶν ἔργων τῆς σαρκὸς, *ſignificare ſymbolicè depoſitionem operum carnis:* quid hoc aliud eſt, quàm eſſe ſymbolum & Sacramentum huius rei: & poſtea eſſe διονεὶ καθάρσιον ψυχῆς τὸ ἀπὸ τῆς σαρκὸς φρονήματος, *quaſi purgatiuum animæ*, id eſt, quaſi vim habere purgandi animam, *à prudentia carnis.* Hoc vocabulum διονεὶ *quaſi* indicat Baptiſmum externum non purgare, ſed eſſe ſignum vel ſymbolum purgationis, quæ fluit à Spiritu ſancto: illud quod vim ſubminiſtrat & gratiam, non aqua eſt, ſed Spiritus ſanctus. Hoc eſt, quod ibidem Baſilius ait, τὸ δὲ πνεῦμα τελῶ ζωοποιὸν ἐνίησι δύναμιν, *Spiritus eſt, qui viuificam immittit potentiam.* Quòd ergo iuſtificationem & gratiam Sacramentis tribuunt hi Patres, ad hunc modum intelligendi ſunt. Et quanquam Lutherus & Caluinus ſcribunt, quædam dici à Patribus περιβολικῶς, & eſſe immodica quædam apud illos encomia Sacramentorum, vt ſic non eſſe contemnenda, & eſſe Iudaicis meliora docerent: tamen reuera nullum eſt ex omnibus teſtimoniis, quæ Bellarminus affert, quod non ſatis commodè ſine hyperbole exponi poteſt. Sed inutile eſſet de ſingulis reſpondere, cùm eadem ferè omnium ſententia ſit.

Sexta & vltima claſſis argumentorum, quibus vtitur in hac cauſa Bellarminus, eſt ex ratione, id eſt, in quibuſdam rationibus conſiſtit. Atque vt eius rationes melius intelligantur, dicit ſigna eſſe duplicia: quædam eſſe tantùm ſignificantia & theorica, quædam efficientia & practica: illa non operari immediatè & vi ſua, ſed ſi forte ſequatur effectus aliquis, non ſequi ex vi horum ſignorum, ſed aliunde, vt ſignum hoſpitii non immediatè mouere hominem, ſed rerum apprehenſionem, quibus indiget: ſed practica eſſe, quæ præterquam quòd ſignificant aliquid, etiam efficientiam aliquam habent, vt ſigillum: & tandem ait, nos dicere Sacramenta eſſe ſigna prioris generis; & ſi poterit probare eſſe poſterioris generis, obtinuiſſe cauſam. Non dubium eſt, quin hæ præclaræ futuræ ſint rationis, quas ab inſigni mendacio auſpicatur. Nos enim ſemper Sacramenta non tantùm ſignificare, ſed & efficere quod ſignificant, dicimus, & eſſe ſigna talia, qualia ſigilla ſunt, ſicut Apoſtolus circumciſionem vocat σφραγῖδα, id eſt, *ſigillum* iuſtitiæ fidei. Ergo ſi hæ rationes nihil aliud probant, quàm Sacramenta non eſſe ſigna nuda, nihil contra nos valent, quia nos hoc non dicimus. Sed quales hæ rationes ſint, breuiter videamus.

Prima ratio hæc eſt: Sacramenta recta rectè adhibentur non intelligentibus, ergo vere iuſtificant, immediatè efficiendo ſanctitatem. *Reſpondeo:* primò te conſequente. Si hoc ſit verè iuſtificare, efficere ſanctitatem, tum qui ſuſcipiunt Sacramenta, antea iuſti, id eſt, ſancti non ſunt, at iuſti & ſancti ſunt, etiam antequam ad Sacramenta admittantur, nam Apoſtolus ait, 1. Cor. 7. 14. *Filii veſtri ſancti ſunt*; & hæc eſt cauſa, cur ad Baptiſmum admittantur, & in adultis ſanctitas antea requiritur; nam fides requiritur, & fidem ſemper ſanctitas ſequitur; ipſa fides ſancta eſt, & ſanctos efficit, qui ea prædita ſunt. Philippus Eunucho Act. 8. 37 ait, *Si credis, potes baptizari*; & hoc ſemper addendum eſt in Baptiſmo adultorum, *Si credis potes baptizari.* Sed reuera iuſtificare non eſt ſanctificare, etſi hæc duo coniuncta ſunt.

Tum hoc notandum eſt, quod ait Sacramenta iuſtificare immediatè, quaſi iuſtificatio actio ſit propria Sacramentorum, quæ Dei ſolius propria eſt. Et ipſi dicunt, Sacramenta non niſi cauſas eſſe inſtrumentales; at quis diceret cauſam inſtrumentalem feciſſe aliquid immediatè? num ſerra aut ſecuris dicitur facere lectum immediatè? facere aliquid mediatè vel immediatè refertur ad cauſam principalem, non inſtrumentalem. Fatemur Sacramenta eſſe media, & tamen Deus in Sacramentis immediate agit; non quòd non vtatur medio, ſed quia vis non tranſit per Sacramenta: ſicut etiam in verbo Deus immediate agit, & tamen verbum eſt medium.

Se undò de antecedente reſpondeo: Antecedens verò probar, id eſt, Sacramenta non intelligentibus recte adhiberi, quia recte baptizantur infantes, ſurdi, amentes, dormientes. Fateor quidem infantes recte baptizari; quia Scripturæ authoritatem habemus pro Baptiſmo infantium. Sed non hinc ſequitur, Baptiſmum immediate iuſtificare aut efficere ſanctitatem: hoc erat ei probandum, ſed non probat. Baptizantur verò infantes, quia Baptiſmus eſt ſignum fœderis; & ii ſunt in fœdere: dicere autem illos ſeruari, quia ſunt baptizati, nullo fundamento nititur. Baptiſmum verò ſurdorum, qui verbum audire non poſſunt, nec vnquam potuerint, aut amentium, aut dormientium probare non auſim, quantumuis periculum mortis videatur imminere. Sed probat hoc teſtimonio Auguſtini, qui ait, baptizatum eſſe quendam, dum vi morbi extra ſe poſitus eſſet, & omnino ignoraret, quid erga ſe fieret, cui tamen Sacramentum vtiliſſimum fuit. *Reſpondeo*: Hic homo erat Chriſtianus, & cupiebat baptizari: eum extra ſe poſitum baptizabant; quàm recte, non dixerim: verùm quàm illi vtilis hic Baptiſmus fuerit, non ſatis conſtat. Etſi enim conualuit poſt acceptum Baptiſmum; tamen poſt paucos dies expirauit. *Auguſt. lib. 4. confeſſ. c. 4.*

Sed non quæque exempla sunt, pro argumentis: non videntur autem hi rectè feciſſe, qui illum baptizârunt & multò minùs qui amentes aut dormientes baptizant: nos talem Eccleſiæ conſuetudinem non agnoſcimus. Sed paulatim, fateor, ſuperſtitio cœpit in Eccleſia inualeſcere, vt etiam infidelium filios clam ſubductos à parentibus & aliquando per vim abſtractos baptizauerint; vt tandem neceſſe fuerit in Conciliis hoc prohiberi.

Secunda ratio hæc eſt: Sacramenta non ſunt mera ſigna, vt verba concionis, ſed ſigna practica: ergo vim habent aliquid ſupernaturale efficiendi: non eſſe mera ſigna probat, quia inſtituta ſunt à Deo non ab hominibus: conſequentia probatur, quia ſi ab hominibus tantùm inſtituta fuiſſent, potuiſſent excitare fidem: ergo Sacramenta non modo ſignificant ſed & efficiunt gratiam. *Reſpondeo*: In hoc argumento omnia peruerſa & vitioſa ſunt. Nam *primò* ait verbum eſſe merum ſignum, & nudum ſignum, cùm tamen Scriptura verbum eſſe plenum ἐνεργείας doceat, vt non modò in verbo intelligamus eſſe Chriſtum & bona ſumma, ſed etiam in verbo ac per verbum Chriſti & horum bonorum participes fiamus. Nos antea docuimus, Scripturam verbo vim efficacem gignendi in nobis fidem, conuertendi, illuminandi, inſtificandi, ſeruandi tribuere. Ergo inſignis hæc contumelia eſt in verbum & verbi prædicationem, quando ſic Sacramenta verbo præferuntur, vt verbum tantùm ſignificet, Sacramenta verò efficiant.

Secundò, ait non referre quis inſtituerit ſignum; nam ſemper eandem vim habere, à quocunque inſtituatur; & in ordine talium ſignorum ponit verbum Dei: vnde ſequitur, verbum Dei non aliam vim habere, quàm habere potuiſſet, ſi ab homine inſtitutum fuiſſet: & comparat & exæquat verbum ſignis in hoſpitiis, quæ non refert à quo poſita fuerint.

Tertiò, multum refert, quis ſigna inſtituerit: nam humana non niſi nuda quidem ſigna ſunt, & non poſſunt internos animi motus excitare, vt ipſe etiam Bellarminus paulò antea conceſſit, qui dixit ſigna in hoſpitio poſita non propriè mouere: at diuina ſigna & excitant fidem, & etiam res ſignificatas exhibent, non enim res à Sacramentis ſeparamus in vſu legitimo.

Quartò, ſi hoc Aduerſarii argumentum ſequatur, Sacramenta pendent ex inſtitutione diuina non humana, ergo gratiam ex opere operato conferunt; ſequetur etiam Sacramenta veteris Teſtamenti contuliſſe gratiam ex opere operato, quod Aduerſarii negant; cùm conſtet, illa non minùs quàm noſtra, à Deo inſtituta fuiſſe.

Tertia Bellarmini ratio ſic ſe habet: Sacramenta pendent à Deo non ſolùm in inſtitutione, ſed etiam in ipſo vſu, ipſe enim eſt, qui per miniſtros ſuos baptizat, conſecrat, abſoluit, &c. ergo non ſunt nuda ſigna ad fidem tantùm excitandam inſtituta, vt conciones; ſed aliquid præterea efficiunt. *Reſpondeo*: Simile eſt hoc argumentum priori: ſed tamen reſpondeo *primò*: Verum quidem eſt, Deum operari in Sacramentis, ſed non ex vi Sacramenti, aut ex opere operato, ſed liberè: vis non in externis elementis, ſed in Deo hæret. *Secundò*, quòd ait Sacramenta aliquid efficere, fatemur: ſed an fidem excitare, alere, augere, confirmare, eſt nihil efficere, fatemur: ſed an fidem excitare, alere, augere, confirmare, eſt nihil efficere? ſic iſte loquitur, ac ſi quiduis poſſet hæc præſtare, cùm efficaciſſimum ſit neceſſe eſt, quod hæc facit. Illud vnum, fidem excitare, magnum effectum eſt, quod nulla creatura poteſt efficere, ſed ſolus Deus. *Tertiò*, non modò fidem excitant Sacramenta, vt Bellarminus vult, id eſt, inſtar ſignorum noſtram memoriam iuuant, ſed etiam res ipſas, id eſt, Chriſti merita nobis arctiùs applicant. Et hoc etiam argumentum non minùs concludit pro Sacramentis veteris Teſtamenti, quàm pro noſtris.

Quarta ratio ſequitur; Sacramenta pendent non tantùm à Deo, vt inſtitutore, & principali agente, ſed etiam à Chriſti paſſione & morte: ergo non operantur ſolùm repræſentando obiectum, more concionis, ſed verè efficiendo. *Reſpondeo*: Concio non modo repræſentat, ſed & inſtrumentum eſt præbendi eadem, quæ repræſentantur. Sed hinc intelligimus, quàm illi honorifice de verbi prædicatione ſentiant: non mirum eſt, ſi eam aut omnino, aut magna certè ex parte exterminauerint. Sed etſi à Chriſti paſſione pendent Sacramenta, nullam tamen gratiam vi ſua efficiunt, ſed iis tantùm, qui in Chriſtum paſſum credunt. Habent quidem Sacramenta vim ſuam à Chriſti morte: niſi enim Chriſtus mortuus eſſet, quorſum hæc Sacramenta? confirmant, obſignant, & declarant beneficia mortis Chriſti: at non ſequitur ex opere operato gratiam conferre; quod volunt Aduerſarii.

Quinta ratio, Sacramenta ſunt inſtituta, vt nos certos reddant remiſſionis peccatorum & gratiæ Dei: ergo non ſolùm operantur obiectiuè repræſentando more concionis, ſed efficiendo re ipſa quod ſignificant. *Reſpondeo*: Verum illud quidem eſt, Sacramenta ideo eſſe inſtituta, vt nos certos faciant de remiſſione peccatorum & gratia Dei: & hîc Bellarminus concedit, quod ſuprà tam multis verbis negauit, Sacramenta ſcilicet obſignare nobis Dei beneuolentiam, nunc verò ait, nos certiores fieri per Sacramenta de remiſſione peccatorum & Dei gratia, quid hoc aliud, quæſo, eſt, quàm Sacramenta nobis Dei beneuolentiam obſignare? Sed & conſequens huius argumenti non pendet ex antecedente. Quomodo enim ſequitur,

Sacramenta faciunt nos certos de remissione peccatorum & gratiâ Dei : ergo conferunt gratiam ex opere operato ? cùm aliâ ratione nos certos faciant, nempe fidem nostram excitando & confirmando, non gratiam ex opere operato conferendo. At tum (inquit Bellarminus) penderet Sacramentum à nostra fide, non à Christi institutione. *Respondeo* : Si illud vult, fidem nostram facere, vt sint Sacramenta, hoc nos non dicimus : nam vt sint Sacramenta, à Deo habent, non à nobis: sin hic illius sensus sit, Sacramenta non esse nobis vtilia, nisi fidem habeamus; verum hoc quidem est: nam sine fide inutilia prorsus Sacramenta esse dicimus. Licet enim Sacramenta possumus percipere sine fide, tamen rem Sacramenti non possumus, vt ipsi Scholastici fatentur : Sacramenta semper sunt propter Christi institutionem, sed nunquam prosunt sine fide. Ita quoad substantiam Sacramenta non pendent ex fide, quoad fructum verò & beneficium pendent. Nec dicimus omnes, qui Sacramentis vtuntur, fidem habere infallibilem, vt ratur Bellarminus : nouimus enim multos nullam fidem habere, & ii abutuntur Sacramentis ; sed in iis qui fidem habent, augeri fidem per Sacramenta dicimus.

Sexta ratio, Verbum Dei præcedit fidem, Sacramenta sequuntur, non ergo eodem modo operantur Sacramenta & verbum : & hinc sequi ait, nostram sententiam esse & falsam & ineptissimam. *Respondeo*: Imò ipse potiùs insulsus & ineptus est, qui statum causæ nesciat. Nam vere nos ab illo dici fatemur, verbum præcedere fidem, quia *fides ex auditu est*, vt ait Apostolus, Rom. 10. 17. & verbum infidelibus prædicari, vt credant; at Sacramenta non recte conferri, nisi iis qui iam credunt; atque ob eam causam Philippus ait Eunucho, *Si credis ex toto* Act. 8. 37. *corde, licet tibi baptizari.* Sed quid hæc ad rem? imò contra Bellarminum hæc potiùs faciunt. Nam si ex auditu credimus, & sic ex verbo nascitur fides; & si credendo Christum cum suis meritis amplectimur; tum iusti sumus per verbum, iuxta illud eiusdem Apostoli, *Corde creditur ad iustitiam*: quorsum ergo adhibentur, quæso, Sacramenta, nisi vt hanc iustitiam nobis obsignent? ita Sacramentis confirmatur gratia in verbo accepta, non noua confertur. Quomodo ergo nostra aut falsa aut inepta sententia est? quasi non optime ista conueniant, fidem gigni verbo, Sacramentis verò excitari & confirmari. Non dicimus nos, gigni fidem Sacramentis, sed excitari : ergo antea fides sit oportet in animo eius, qui vtitur Sacramentis. Gignendi fidem vis omnis verbo tribuenda; Sacramenta fidem gignere aut inspirare non possunt. Dissimulat ergo Bellarminus nostram sententiam, quia non potuit bonis argumentis refellere.

Septima Bellarmini ratio hæc est, Sacramenta non minùs efficacia sunt, si dentur linguâ Græcâ aut Latinâ, quam non intelligat, qui Sacramenta suscipit, quàm si dentur linguâ vulgari, quam omnes intelligant ; & Papistarum Baptisma, quod semper datur linguâ Latina, admittunt Lutherani & Caluinistæ : ergo Sacramenta non operantur vt conciones. *Respondeo* : In eo quidem verbum & Sacramenta differunt, quod verbum auditu percipitur, Sacramenta verò in oculos incurrunt : ergo modo forma seruetur à Christo præscripta, non impedit efficaciam Sacramentorum, quod linguâ ignota administrentur: etsi absurdum sit adultis Sacramenta dare sermone ignoto. Sacramentum visibile signum dicitur inuisibilis gratiæ: ergo potest esse efficax, etsi verba non percipiamus, quibus administratur, quia oculis non auribus obiicitur. Quare qui antea nouit Euangelicam doctrinam, etsi verba non intelligat, quæ adhibentur in Sacramenti administratione, nouit tamen esse Sacramentalem actionem: est enim administratio Sacramenti actio visibilis.

Octaua ratio est huiusmodi: Si Sacramenta excitant tantùm fidem, tum non est opus, vt doctis adhibeantur, qui possunt legere Scripturas; vel etiam imperitis, qui possunt audire concionum : multò enim melius excitat fidem Scriptura & concio, quàm Baptismus vel Eucharistia: imò imago Baptismi in tabula depicta posset idem facere, quod facit Baptismus. *Respondeo* : Hoc est Epicuræum agere, & ridere Sacramenta, atque adeo omnem religionem. Quid enim si legendis Scripturis & audiendis concionibus fides excitetur ? num quia aliæ rationes sunt excitandi fidem præter Sacramenta, nulla ratio est excitandi per Sacramenta, & sic non opus est Sacramentis ? imò etsi mille essent modi excitandi fidem, tamen Sacramenta non essent superuacanea, quia omnibus mediis vtendum est, quibus excitari fides potest. Imago verò Baptismi in tabula depicta non est diuinum medium excitandi fidem, sed tum excitatur fides, cum illis mediis vtimur, quibus Deus vti iussit, & quæ Deus instituit. Imago Sacramenti nec est Sacramentum, nec vim Sacramenti habet, nec est à Deo instituta in talem finem. Nec fidem tantum excitari Sacramentis dicimus, sed eadem etiam percipiendo, vt oportet, coniunctius nos quotidie cum Christo vniri, & præberi etiam atque applicari nobis Christum cum omnibus suis meritis.

Nona ratio hæc est: Sacramenta non prosunt nisi suscipientibus, etiamsi multi alii præsentes sint, & audiant, & videant, quæ geruntur : ergo non operantur more concionis, quia tam prodessent omnibus audientibus & videntibus, id est, omnibus præsentibus. *Respondeo* : Non sequitur: nam etsi inter verbum & Sacramenta est aliquid differentiæ, quia verbum audi-

auditur, Sacramenta videntur; similis tamen in vtroque est ratio operandi, quia vt verbum excitat fidem in iis tantum qui audiunt, sic Sacramenta in iis tantum qui suscipiunt. Non requiritur ad similem operationem, vt sicut verbum etsi vni prædicatum, scilicet quando ad vnum tantum dirigitur, potest alios audientes excitare, ita Sacramentum vni tantum datum potest aliis præsentibus & adstantibus prodesse; quia idem verbum multis est commune, quare vni prædicatum multis prodesse potest, at Sacramentum est proprium ei cui datur: verbum est generale, non sic Sacramentum; sed applicat Sacramentum singulis, quæ verbum in genere proponit omnibus.

Decima ratio sic se habet, Si Sacramenta tantum excitent fidem, tum nihil interesset inter nostra Sacramenta & Sacramenta veteris Testamenti. *Respondeo*: Non sequitur, est aliquid discriminis, etsi, fateor, non in eo, de quo loquitur ipse. Quod ad conferendam gratiam attinet, eadem est vis in Sacramentis vtriusque Testamenti, differunt aliquo modo secundum magis & minus, vt postea docebimus, at non in specie. Et hæc Bellarmini argumenta non tam probant, nostra Sacramenta conferre gratiam, quam Sacramenta veteris Testamenti omnino fuisse superuacanea.

CAPVT III.

In quo nostra argumenta proponuntur & defenduntur.

Habita est hac Prælectio ineunte nouo anno.

QVANDO primum aggressi sumus hanc Controuersiam Sacramentariam, & quasi ingressi pelagus quoddam quæstionum subtilissimarum, à Deo summis votis petebamus, vt & mihi otium spaciumque ad tractandum daretur, & vobis tam perplexa, ac difficilis, & nonnunquam spinosa disputatio nihil tædii molestiæque afferret. Nescio enim quo pacto, sed nostro certè vitio fit, vt quæ vel maxime vtilia necessariaque sunt, nisi tamen magnifice dicantur, non perinde placeant: ita fere cupidi sumus delicatarum potius quàm salubrium epularum. Hæc de Sacramentis materia fere posita est in minutis argutiis punctisque subtilissimarum controuersiarum, quæ mentis maiorem attentionem, quàm orationis splendorem requirunt: sed tamen eadem est quasi ampliſſima quædam atque vberrima seges Theologicæ doctrinæ, in qua si diligenter versabimur, non modò religionis Christianæ: sed & Papisticæ abominationis, summa mysteria intelligemus, vt & Christum magis amemus, & Papam magis execremur, quæ duo Christianis omnibus

bus precari solitus est Lutherus, syncerum scilicet amorem Christi, & serium odium Papæ. Neque enim fieri potest, vt Christum syncerè amet, nisi qui Papam cum suis blasphemiis oderit, quarum plenissima est hæc, contra quam disputamus, Pontificia de Sacramentis doctrina. Testis sit vel hæc, quæ nunc refellenda nobis est, de opere operato sententia, quam aliqui pertinaciùs defendunt, qui plus Sacramentis, quàm morti Christi tribuunt. Tritum est inter Papistas, per Christum remitti nobis ea duntaxat peccata, quæ ante Baptismum commisimus; quæ post Baptismum commissa sunt, ea Ecclesię Sacramentis esse eluenda. Sic Fridolingum Lindoverum Zuinglius concionantem audiuit; sic Ambrosius Catharinus; & sic ante illum Thomas.

Zuingl. in tom. 1. operum. Cathar. in lib. de sacrific. altaris Thom. de Sacram. altar.

Sequitur ergo nunc, vt Sacramenta non ex se iustificare, nedum ex opere operato, sed iustitiam tantùm consignare doccamus ac probemus, quod tribus argumentorum generibus confirmabimus, *primò* Scripturis, *secundò* rationibus, *tertiò* Theologorum testimoniis. Scriptura docet fidem afferre iustitiam: ergo qui credit, est iustus: credere autem possumus sine Sacramentis: ergo Sacramenta illam iustitiam confirmant, non afferunt per se aut secundam aut primam iustitiam: & nulla iustitia est nisi fidei; non vna fidei, altera Sacramentorum. Ad confirmationem propositionis *primò* occurrit insigne illud testimonium Prophetæ Abacuc, *Iustus ex fide sua vivet*; non ait, ex Sacramentis. Huuc locum sæpius etiam in nouo Testamento ex Propheta citatum legimus. Bellarminus respondet *primò*, Scripturam non dicere, Iustus ex sola fide vivet, ac proinde relinqui suum locum Sacramentis. *Respondeo*: Viuere ex fide, est ex sola fide viuere; idque tum Propheta tum Apostolus voluit, Propheta, quia nihil cum fide coniunxit; Apostolus, quia omnia remouet à fide in negotio iustificationis; nam ait hominem iustificari χωρὶς ἔργων νόμου, *absque operibus Legis*, & τῷ μὴ ἐργαζομένῳ λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην, *Ei qui non operatur, imputatur fides sua in iustitiam*: ergo qui credit iustus est, propter eius in quem credit imputatam iustitiam: imputatur verò iustitia non propter Sacramenta (tum enim omnes, qui Sacramentis vtuntur, iusti essent) sed propter fidem: ita ibidem Apostolus, *Dauid pronunciat beatum eum hominem*, ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων, *cui Deus imputat iustitiam absque operibus*. Atque hoc est, quod Apostolus tam copiosè disputat in Epistola ad Galatas, vbi disertè affirmat, iustificari hominem non aliter, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *nisi per fidem Iesu Christi*. Non potuit apertius loqui, si dixisset nos solâ fide iustificari. Si non iustificemur ἐὰν μὴ διὰ πίστεως, *nisi per fidem*, certè Sacramenta non iustificant ex opere operato. Sed

Habac. 2. 4.
Rom. 1. 17.
Heb. 10. 38.
Gal. 3. 11.
Rom. 3. 28.
Rom. 4. 5.
Rom. 4. 6.
Gal. 2. 16.

obiicit Bellarminus, & ait, sic Deum & Christi meritum excludi, quia Scriptura non dicit, Iustus ex Deo viuit, aut, Iustus ex Christi merito viuit. *Respondeo*: Deus & Christus non potest excludi, cùm fide hominem iustificari dicimus, nam fides rectâ in Christi merita dirigitur. Dicere nos solâ fide iustificari, est dicere nos nec operibus, nec Sacramentis, sed Christi meritis iustificari. Et Christus per se iustificat, non communicat hanc vim vlli rei: tantùm requirit, vt eius apprehendantur merita; quod per fidem fieri potest sine Sacramentis & extra Sacramenta. *Secundò* respondet Bellarminus, Etsi non hîc dicitur, iustum viuere ex Sacramentis, tamen idem alibi dici: nam cùm homo dicitur per Baptismum regenerari Iohan. 3. & Tit. 3. quid aliud dicitur, quàm Baptismum dare vitam? *Respondeo*: De illis locis suprà responsum est. Sed hic notandum, quomodo dici potest, nos viuere ex Sacramentis, eo modo quo Scriptura dicit, nos viuere ex fide? Ex fide quidem viuimus, quia Deus, in quem credimus, nos seruabit: at ex Sacramentis quomodo? num in Sacramenta debemus credere, aut spem nostram ponere in Sacramentis? non enim fide viuimus, quia fides per se vitam nobis dat, sed quia amplectitur Christum vitam nostram: at Sacramenta non sunt vita aut Deus noster. Dicere nos viuere ex Sacramentis, est ex Sacramentis facere Deum: nam ex solo Deo viuimus.

Ioh. 3. 5. *Tit. 3. 5.*

Tertiò respondet Bellarminus, illud Prophetæ, *Iustus ex fide* viuet, non significare, hominem iustum fieri aut reputari ex fide, sed iustum constanter expectare, quæ Deus promisit, & non frangi, aut deficere, etiamsi promissiones tardari videantur. *Respondeo*: Iam litem Apostolo intendit, qui hoc testimonium citauit, vt probaret nos ex fide iustificari, id est, vt alibi loquitur, hominem reputari iustum ex fide: fidem esse, qua acquiescimus diuinæ promissioni, dum alii tumultuantur, & eorum animus non est in eis quietus: fidem facere nos quietos, quia omnes nostras curas in Deum coniicimus. Si ergo fides sine Sacramentis hoc præstare potest, tum potest iustificare: at verum primum: ergo & secundum. Quare Sacramenta non iustificant aut gratiam conferunt ex opere operato.

Rom. 1. 17. *Gal. 3. 11.* *Rom. 4. 5.*

Huic simile est, quod idem Apostolus alibi ait, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei pro iustitia.* Bellarminus ait, Paulum fidei iustificationem tribuere, sed non soli. *Respondeo*: Quomodo nos fides iustificet, non est huius loci inquirere aut explicare: Apostolus certè soli fidei iustificationem tribuit. Sed hic locus Apostoli necessariò evincit, iustificationem nostram nullo modo pendere ex Sacramentis, sed ex fide & ante Sacramenta, & sine Sacramentis: nam ait Apostolus, Abrahamum reputatum esse iustum, cùm credidit, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei pro*

pro iustitia. At forsan etsi non expressit Sacramenta Apostolus, tamen sensit cum fide Sacramenta esse coniuncta: id enim Aduersarii solent respondere, cùm nos Scripturas pro fide adducimus. At hic Apostolus diserte ait, fidem Abrahæ imputatam esse pro iustitia, οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ, *non in circumcisione, sed in præputio*: si antequam circumcisus fuit Abraham, iustificatus est, non potuit ex Sacramentis iustificari.

Rom. 4. 10.

Ideoque idem Apostolus alibi ait, *Christum esse finem Legis ad iustitiam omni credenti*: omnis ergo credens iustus est: num non credere sine Sacramentis possumus? imò Apostolus non ita multò post ait, *Corde creditur ad iustitiam*: at fides in corde gignitur ex auditu, vt postea ait; non ex visu aut tactu Sacramentorum; atque adeo ex auditu, vt sine eo fides acquiri non possit, vt idem Apostolus paulò post, πῶς δὲ πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; *quomodo credent ei de quo non audierint*? non ergo furiosi, aut amentes, aut surdi ex Sacramentis fidem acquirunt, quæ non propter autes sed oculos instituta sunt.

Rom. 10. 10. *Rom. 10. 17.*

Et idem Apostolus alibi ait, δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum*, non ait, iustificati ex Baptismo aut Sacramentis: atque hinc patet plenam iustitiam esse ex fide: nam sine plena iustitia nulla pax apud Deum.

Rom. 5. 1.

Et adhuc alibi ait, Euangelium esse δύναμιν Θεοῦ εἰς σωτηρίαν τῷ πιστεύοντι, *potentiam Dei ad salutem omni credenti*, id est, qui credit Euangelio, eum seruari. Sacramenta non sunt obiectum fidei nostræ, nec dicit Apostolus, Sacramenta esse potentiam Dei ad salutem: at Euangelium fide susceptum nos seruat: qui ergo credit iis, quæ in Euangelio habentur, saluus erit; & credere quis potest sine Sacramentis, vt de Eunucho constat, qui credidit Euangelio nondum baptizatus; & sine dubio Euangelium, cui credidit, fuisset illi potentia Dei ad salutem, etsi non baptizatus omnino fuisset; sed Baptismus hanc illi salutem obsignauit.

Rom. 1. 16. *Act. 8. 37.*

Atque hinc est, quod Christus requirat fidem ante Baptismum in adultis. Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur*: vnde constat, fidem esse, quæ seruat, non Baptismum. Bellarminus ait, non hinc colligi, Baptismum non seruare, sed non solum Baptismum seruare. *Respondeo*: Ergo saltem hinc sequitur, Baptismum non solum seruare. Si ergo Baptismus seruat cum fide, quomodo tandem intelligitur hoc, *cum fide*? num Baptismus & fides coniunctim seruant, an Baptismus tantùm, sed non solus, id est, non sine fide, quia fides debet disponere

Marc. 16. 16.

hominem? id ex eo colligo, quia antea dixit, fidem esse tantùm dispositionem ad iustificationem & salutem, vt siccitas est in ligno ad combustionem. Si sic, tum reuera omnem seruandi vim Baptismo tribuit, vt ignis est, qui comburit, non siccitas ligni, etsi non comburit, nisi siccum fuerit lignum. Sed pugnat hoc cum tota serie atque adeo cum constante doctrina Scripturarum, quæ faciunt fidem non esse tantùm dispositionem ad iustitiam, sed fidei iustificationem tribuunt, & Abrahamum esse ex fide iustificatum aiunt. *Rom.5.1.*

Num ea Abrahæ fides, quæ sic commendatur in Scripturis, nil aliud fuit, nisi dispositio quædam ad iustitiam? cùm ergo Scripturæ tam apertè fidei iustificationem & salutem tribuant, non potest hoc de nuda dispositione intelligi: ergo fides verè iustificat. Si ergo & fides iustificat & Baptismus coniunctim, tum iustitia partim Baptismo partim fidei tribuenda est: si sic, tum partienda inter fidem & Baptismum iustitia est; dicant ergo, quantum fidei, quantum Baptismo sit tribuendum: quod cùm planè ridiculum sit, vt iustitiæ partem vnam fidei, alteram Baptismo tribuant, sequitur esse solam fidem, quæ seruat, cùm Bellarminus concedat, non Baptismum solum seruare: & ideo Christus in posteriori membro ait, *Qui non crediderit, condemnabitur*, non, Qui baptizatus non fuerit. Sed Bellarminus, ait, Dominum non dixisse, Qui baptizatus non fuerit, condemnabitur, non quia hoc non sit verissimum, sed quia non opus fuit hoc dicere. Certè non opus fuit, quia planè falsum est, damnari quisquis non baptizatus fuerit: tum enim latro in cruce conuersus & resipiscens damnatus fuit, imò tum multi martyres & sancti sunt damnati. Sed cur non opus fuit? quia ex eo, inquit, quod dictum erat, hoc intelligitur, nempe cùm dicitur, *Qui non crediderit, condemnabitur.* Quienim non credit, inquit, non vult baptizari. *Respondeo*: Qui non crediderit, id est, qui fidei & Euangelii apertus & professus hostis est, non vult baptizari, fateor: sed Christus non loquitur tantùm de tali non credente: nam etiam inter Christianos multi sunt non credentes, qui tamen volunt baptizari, & cœnam Dominicam percipere, cuiusmodi sunt hypocritæ in Ecclesiâ. Sed Christus non ait, hoc ipsum non baptizari, damnationem afferre, sed non credere.

Quare cùm Christus nullam aliam causam condemnationis hîc ponat, nisi non credere; apertum est, non baptizari non esse causam damnationis, & sic iustitiam non esse in Sacramentis sed ex fide. Etsi ergo Christus cum fide Baptismum in priori membro coniunxit, non tamen vt simpliciter necessarium coniunxit, sed vt symbolum & sigillum, quod non simpliciter necessarium est; imò cùm fide dignus est, qui promittit, non omninò necessarium est ex eius parte, qui promittit, sed tantum ex parte eius, cui promittitur: tamen in negatione, hoc est, in posteriori membro nulla mentio symboli fit, quia non carere symbolo causa damnationis est, sed fide, qua Christus apprehendi debet.

Ioh.5.24. Sic Christus, *Qui sermonem meum audit* (ibi est auditus) *& credit ei, qui me misit* (ibi est fides ex auditu) *habet vitam æternam* (ibi est iustitia & vita ex fide) hîc nulla de Sacramentis mentio fit: & hanc esse veram & perfectam iustitiam ex iis patet quæ sequuntur; addit enim Christus, *& in condemnationem non veniet, sed transiuit à morte in vitam.* Et sic Christus multis remisit peccata, & iustificauit multos, saluosque pronunciauit ex fide ipsorum, vt mulierem illam Cananæam, & Archisynagogum, qui non erant baptizati: quod satis indicat, non pendere ex Baptismo iustificationem. *Matth. 9.28. Marc. 5. 36.*

Rom.4.11. Sed Apostoli testimonium de Abrahamo ita clarum & luculentum est, vt non necesse sit alia adhibere: nam Apostolus clare & aperte testatur, Abrahamum nec ex circumcisione nec in circumcisione fuisse iustificatum, sed accepisse circumcisionem, postquam erat ex fide iustificatus, ad obsignandam illi iustitiam fidei instar sigilli. Bellarminus hic duo respondet.

Primò ait, fuisse hoc solius Abrahæ priuilegium, & illi soli circumcisionem fuisse signaculum iustitiæ fidei. Hoc antea dixit, & nos antea diluimus, & est certè apertum summæ desperationis indicium. Nam Apostolus exemplum Abrahæ proponit, ad communem de iustificatione doctrinam comprobandam, nos scilicet fide sine operibus iustificari, & remissionem peccatorum impetrare; ob eamque causam Dauidis testimonium postea proponit, qui idem dicit, fide scilicet nos iustificari: qui enim dicit iustificari hominem ex remissione peccatorum, ille dicit fide hominem iustificari. Ergo hoc planè est tollere Apostoli argumentum, & elidere aceuerrere totam illius disputationem, dicere hoc fuisse priuilegium Abrahami solius. Sed Apostolus apertè hoc absurdum commentum quasi de industria refellit: nam ait, οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον, ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς, οἷς μέλλει λογίζεσθαι, τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, *Non scriptum est propter eum solum, quod hoc imputatum fuerit ei, sed etiam propter nos, quibus futurum est vt imputetur, iis* nimirum *qui credunt in eum, qui excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis*; quasi diceret, quod dico de Abrahamo, illum fuisse ante circumcisionem per fidem vere iustificatum, hoc non af- *Rom.4. 23.24. Psalm.32. 1.*

firmo de solo Abrahamo, sed de omnibus etiam credentibus seu fidelibus, illos etiam vere fide fore iustos, nec illorum ex vllis Sacramentis aut fidem aut iustitiam pendere. Ita omnes, vt primùm crediderint, iusti erunt. Et cùm Apostolus iustificationem in eo statuit, quòd fides λογίζεται εἰς δικαιοσύνην, *imputatur pro iustitia*, idque probat exemplo Abrahæ; manifestum est, iustificationem non in Sacramentis haberi, aut ex iis pendere, quia tum non ex imputatione fidei sed ex opere operato iusti essemus. Et quomodo hoc Abrahæ priuilegium fuit, vt iustificaretur fide sine circumcisione, cùm eodem tempore multi sine circumcisione iusti fuerunt, vt Melchisedech multique alii? nisi fortè ante circumcisionem & Abrahamum Deus nullam Ecclesiam habuit, cùm nulla antea circumcisio fuerit.

Si ergo Deus Ecclesiam antea habuit, circumcisio non ex se Ecclesiam fecit, id est, gratiam ex opere operato contulit, sed Ecclesiam indicauit & gratiam obsignauit. Quòd ergo ait, circumcisionem soli Abrahæ fuisse signaculum iustitiæ fidei, absurdissimum est: tum enim quorsum sunt alii circumcisi? & quis finis aut vsus circumcisionis in aliis fuit? in aliis igitur inane signum fuisse videtur.

Sed Deus quando circumcisionem Abrahæ præscripsit, testatus est se instituere non propter illum tantùm, sed & propter posteros eius, quorum se non minus Deum fore professus est, quàm ipsius Abrahami, *Ero*, inquit, *Deus tuus, & Deus seminis tui.* Huius fœderis circumcisio signum fuit. Tum etiam quando ait, circumcisionem in Abrahamo fuisse tantum testimonium fidei ante habitæ, non excitans fidem, nihil circumcisioni relinquit, ne in Abrahamo quidem, nisi vt testaretur eum esse fidelem. Sed Apostolus ait, non fuisse tantum testimonium fidei, sed & signillum iustitiæ, quæ est ex fide, id est, obsignâsse iustitiam, quàm ex fide habuit; quod longè aliud est, quàm esse nudum testimonium fidei. Et quod facit nos dicere, Sacramenta esse signilla tantum excitantia fidem, calumniatur: non enim dicimus tantum excitare fidem, sed etiam iustitiam ex fide nostram comprobare. Gen. 17. 7.

Secundò respondet Bellarminus, non esse eandem circumcisionis & Baptismi rationem, quia de circumcisione Paulus ait, *Circumcisio nihil est*: at de Baptismo ait, *saluos nos fieri per lauacrum regenerationis. Respondeo*: De differentia Sacramentorum veteris & noui Testamenti postea dicemus, & ostendemus, non minus circumcisionem illos seruâsse aut saluos fecisse, quàm nos Baptismus seruat. Quòd autem Apostolus ait, circumcisionem esse nihil, si id Apostolum voluisse existimat, circumcisionem esse nihil simpliciter, 1. Cor. 7. 19. Tit. 3. 5.

tet; nihil ab vllo dici potuit ineptius. Tum enim Apostolus secum pugnaret: nam hic affirmat esse signillum iustitiæ fidei: an signillum nihil est? certè aliquid esse intelligunt ii, qui rem habent cum iurisperitis, & litigant de stipulationibus. Sed cùm Apostolus circumcisionem nihil esse ait, non loquitur de circumcisione, cùm erat fœderis symbolum, sed postquam est abrogata, & fœderis symbolum esse desiit: quod vel hinc constare potest, quia ei parem facit ἀκροβυστίαν, id est, *incircumcisionem*, seu *præputium*: quod certè non feciisset, si circumcisio vererem vsum habuisset. Quare desierat iam circumcisio id esse, quod antea fuerat, nempe signillum iustitiæ quæ est ex fide, atque hinc est, quod Apostolus eam nihil esse dicat: aliter citare aut allegare Apostolum, est turpissimè Apostolo abuti; nam & Prophetæ & Apostoli multum circumcisioni tribuunt. Et si hoc Apostolus de circumcisione vera loquitur; de circumcisione literæ multò magis verum est, eam scilicet nihil esse, id est, nihil valere: sed & hoc nunc de Baptismo externo tantum & ab vsu legitimo separato non minus verè dici potest. Quemadmodum verò Baptismus nos saluos faciat, & quomodo idem olim præstitit circumcisio, quod nunc Baptismus, nos postea plenius docebimus. Rom. 4. 11.

Postremum nostrum Scripturæ testimonium habetur Marc. 2. *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus*? ergo Sacramenta non iustificant, sed Deus solus. Huic simile est, quod habetur apud Prophetam Isaiam, *Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*: ergo non speranda remissio peccatorum ex Sacramentis. Hoc argumentum est Zuuinglii. Bellarminus ait, se mirari hæreticorum cœcitatem, qui malunt Pharisæis credere, quàm Christo. *Respondeo*: Pharisæi quidem & Scribæ hoc dixerunt, *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus*? sed num hoc hæreticum est? Non Christus Pharisæos aut Scribas reprehendit, quòd dixerunt solum Deum posse peccata remittere, sed quòd non crediderunt Christum esse Deum, & ideo posse peccata remittere. Et quod Christus ait, *Filium hominis habere potestatem dimittendi peccata in terra*, verum est, quia ille Filius hominis erat quoque Deus, & remisit peccata, non quatenus Filius hominis erat, sed quatenus erat Deus: & semper Ecclesia tenuit, hoc Diuinitatis esse, remittere peccata: perpetua hæc & constans semper Ecclesiæ doctrina fuit, solum Deum posse peccata remittere. Quod autem Apostolus etiam licuisse dicitur peccata remittere, id de ministerio intelligendum est pronunciandi remissionem peccatorum in nomine Christi omnibus credentibus. Sed de authoritate remittendi peccata erit postea dicendum in Controuersia de ab Marc. 2. 7. Isai. 43. 25. Ioh. 20. 23.

de absolutione. Ita ex Scripturis euicimus, Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato, sed solum Deum gratiam libere largiri in vsu Sacramentorum iis qui recte vtuntur, quando & quomodo ipse voluerit.

Nunc ad secundum genus argumentorum veniamus, vt rationibus hanc de opere operato sententiam refellamus. *Prima* nostra ratio est Lutheri, eâque omnes nostri vtuntur. Multi sine Sacramentis per fidem seruantur, & multi damnantur, qui Sacramenta habent sine fide: ergo fides est, quæ iustificat, non Sacramenta. Bellarminus ait, fidem & Sacramenta esse hac in re paria: nam vt sine Sacramentis, ita & sine fide posse aliquos seruari. Eius verò responsio quadruplex est.

Luther in lib. de Babylon. captiv. c. de Baptismo.

Primò ait, in necessitatis articulo posse aliquem seruari sine Sacramento in re, modo habeat votum eius. *Respondeo:* Hoc satis probat, gratiam, qua iustificamur, non esse in Sacramentis, sed extra Sacramenta: nam si sine Sacramentis gratia haberi potest, non instituta Sacramenta sunt, vt gratiam in se continerent, cuius participes fierent, quicunque ad Sacramenta accedunt. De articulo necessitatis & voto satis in Quæstione de necessitate Sacramentorum diximus.

Secundò ait Bellarminus, paruulos seruari sine fide actuali per solum Sacramentum. *Respondeo:* hoc esse falsissimum. Non enim infantes ideo tantùm seruantur, quia Baptismum habent, neque ideo damnantur, quia Baptismo carent: nam & multi infantes damnantur cum Baptismo, & multi sine Baptismo seruantur. Et si hoc verum sit, tum Ethnicorum liberi damnantur tantùm, quia non baptizantur, & tum oporteret rapere illos ad Baptismum, qui ne in fœdere quidem sunt, etiam inuitis parentibus & reclamantibus, addo etiam, repugnantibus. Id nemo, opinor, dixerit, vt cuiusquam liberi ad Baptismum trahantur sine voluntate parentum: at si infantes per & propter Baptismum solum seruentur, deberent etiam inuitis parentibus baptizari; neque enim æquum est, vt infantes propter parentum peruersitatem pereant. Hoc Thomas multis rationibus improbat, & nonnulli Scholastici; tamen aliqui ex Scholasticis ita absurdi & inepti sunt, vt hoc ausint affirmare, debere Ethnicorum liberos etiam inuitis parentibus ad Baptismum rapi. Sed Thomæ rationes firmiores sunt, qui ait hoc esse contra ius naturæ, & sic parentibus fieri iniuriam, sed maxime, nullorum nisi fidelium paruulos in fœdere esse, ac proinde symbolum fœderis non iis esse impartiendum, qui à fœdere alieni sunt.

Thom. in Quodlib. 2. art. 7. & 11. 10. art.

Tum si verum sit, quod Bellarminus ait, infantes per solum Sacramentum seruari, tum omnes, qui baptizantur, seruarentur. Verum alia causa est, propter quam seruantur infantes, nempe diuina bonitas, gratia, electio, non solus Baptismus. Præterea quàm iniquum est, vt infantes, si illis mori contigerit, antequam ad Baptisterium veniant, ob hanc solum causam pereant, quod Baptismo careant, qui tamen in fœdere sunt? nam ideo ad Baptismum adducuntur, quia in fœdere sunt. Sed de his suprà luculentiùs à nobis dictum est.

August. tòt. Faust. l. 19. c. 11.

Idem in Leuit. q. 84.

Tertiò ait Bellarminus, Qui habet Sacramentum, & non vult credere, damnatur. *Respondeo:* verissimum hoc esse; vnde constat Sacramenta non propriè & vi sua nos iustificare aut seruare, imo sine fide nihil valere.

Quartò ait, Si quis habet fidem, & non vult Sacramentum percipere, damnatur. *Respondeo:* Qui habet veram fidem, non potest non habere voluntatem vtendi Sacramentis. Fingit Bellarminus hominem habere fidem, & tamen nolle vti Sacramentis: cùm respuere Sacramenta, sit infidelitatis argumentum certissimum: eo enim ipso se prodit quis non credere, si Sacramenta recusset; contemptus Sacramenti indicat eum fidem non habere. Augustinus rectè ait, *Sacramentorum vim inenarrabiliter valere plurimum, & ideo contempta sacrilegos facere:* at infantes contemnere non possunt. Et idem alibi hæc verba habet, *Etsi inuisibilis sanctificatio esse potest & prodesse sine visibili: tamen non contemni debet visibile Sacramentum, quia contemptor eius non potest inuisibiliter sanctificari.* Vbi notandum est, Augustinum Sacramentis non nisi visibilem sanctificationem tribuere: at visibilis sanctificatio non est iustificatio à peccatis; nam illa est inuisibilis sanctificatio, quæ non habetur ex Sacramentis ipsis; Augustinus enim hanc opponit illi. Visibilis sanctificatio, fateor, per Sacramenta fit ex opere operato. Vnde manifestum est, alienissimum fuisse Augustinum à sententia Pontificiorum. Nam si Sacramenta iustificarent ex opere operato, tum haberent inuisibilem gratiam & sanctificationem: ergo hæc ratio satis docet, non esse insitam aliquam vim in Sacramentis, quæ prosit ad iustificationem, sed totum hoc pendere à Deo, qui in puro vsu Sacramentorum concedit gratiam: ac proinde ab illo solo quærendam esse gratiam, non in externis elementis.

Secunda nostra ratio est eiusdem Lutheri in eodem loco: Vbi est promissio, ibi requiritur fides necessariò, quæ promissionem accipiat: at in omni Sacramento est verbum promissionis: ergo fides in Sacramento immediatè promissionem accipit & iustificat, & non per se Sacramenta. Bellarminus ait, peccare hoc argumentum tribus modis. *Primò* ait, verbum promissionis non requiri in vsu Sacramenti, sed in institutione. *Respondeo:* Nihil absurdius & Theologo indignius dici potuit. Non requiritur, vt qui Sacramento vti-

Luther. vbi suprà.

tur, aliquod verbum promissionis habeat ? at quorsum tum vteretur ? nulla enim causa est vtendi Sacramentis, nisi facta sit promissio vtenti : & ideo in institutione Sacramenti promissio ponitur, vt illam promissionem respiciat, qui Sacramento vtitur. Sed bene se habet, quòd concedit in Sacramenti institutione requiri promissionem : quòd tamen alii Papistæ negant , & ne in definitione quidem Sacramenti promissionis mentionem aliquam fieri volunt: & Bellarminus ipse antea de hac re litigauit; nunc verò aliter sentire videtur.

Sic igitur argumentum instituo: Si Deus Sacramentum instituens (quod Sacramentum non est, nisi in vsu) ei promissionem addidit, tum, tum in vsu Sacramenti legitimo necessariò requiritur promissio; nam vsus ex institutione pendet : atque ita cum fides promissionem accipiat, igitur fides in Sacramento promissionem amplectens iustificat, non ipsum Sacramentum. Sacramenta verò non esse Sacramenta nisi in vsu constat, quia aqua in cisterna, aut fluvio, aut vase quouis, non est Sacramentum, sed in vsu tantùm, quando scilicet aliquis hac aqua baptizatur : oportet ergo institutionem ad vsum , & vsum ad institutionem applicare ; alterum ab altero non est separandum. Quare si in institutione Sacramentorum verbum promissionis requiratur, tum etiam in vsu.

Quod verò ait, eos qui baptizant non dicere, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, sed, *Ego baptizo te*, nec eos, qui consecrant Eucharistiam , dicere , *Qui manducat hunc panem , viuet in æternum*, sed , *Hoc est corpus meum* , verum hoc quidem est : tamen certissimum est, illustissimam promissionem etiam in illis verbis contineri, *Ego baptizo te* : promittunt enim ablutionem peccatorum; & in cœna Dominica, cùm Minister Christi nomine ait, *Hoc est corpus meum* , promittit vitam æternam per carnem Christi, quia qui sumit corpus Christi, vitam sumit. Et quidem tum in Baptismo tum in cœna Dominica requiritur promissio, vt quid promittatur & offeratur in Sacramentis intelliganus: aliâs nihil valebunt. Separare vsum Sacramenti ab institutione, est aliter vti, quàm Christus instituit, vsus ergo ad institutionem omninò referendus est.

Secundò ait Bellarminus, etiamsi in vsu requireretur semper promissio, & consequenter fides; non inde tamen posse concludi, fidem esse , quæ immediatè iustificat, quia diceremus, inquit, fidem requiri vt conditionem. *Respondeo*: Imò verò necessarium est , fidem immediatè iustificare , quia fides est, quæ promissionem immediatè amplectitur. Cùm Deus aliquid promittit, nullum aliud est instrumentum, quo hanc promissionem apprehendamus , nisi fides.

des. Quando credimus, tum promissionem apprehendimus: si non credimus, inutilis est promissio. In Baptismo fide assequimur remissionem peccatorum, & in cœna Dominica fide similiter vitam æternã. Sed Bellarminus exemplum pharmaci affert in hnnc modum : Medicus offert pharmacum, promittit sanitatem, fides in ægroto requiritur , quæ medico assentiatur , non tamen est ea fides , quæ sanat ægrotum , sed pharmacum. Atque ita putat se posse nos eludere, & nostrum argumentum elidere. Sed *respondeo* : longè aliam esse rationem pharmaci & Sacramenti. Non enim omnino fides in ægroto requiritur , vt vel promissionem medici esse veram credat , vel pharmacum posse illum sanare: sufficit vt in animum inducat pharmacum sumere , etiamsi de salutis recuperatione diffidat: valebit enim pharmacum propter virtutem insitam, non propter ægroti persuasionem. Num ita statuet de Sacramentis ? valebuntne illa, etiamsi is qui vtatur nihil de Sacramentis aut de Christo illorum authore sciat , aut fide sibi persuasum habeat? num qui sic Sacramentis vtitur , saluus erit ? non dicet , opinor. Præterea num sic in Sacramento gratia , vt in pharmaco sanitas ? at hoc contra ipsum facit , qui negat postea aliquam esse hærentem aut permanentem vim in Sacramentis; at in pharmaco est vis permanens; & fidem saltem vt dispositionem necessariam esse ait : at si gratia sit in Sacramento , vt sanitas est in pharmaco , non esset dispositio fidei necessaria ; efficeret enim Sacramentum gratiam sine fide. *Tertiò* ait Bellarminus , etiamsi concedatur & promissionem requiri, & fidem in Sacramento iustificare, non tamen inde concludi posse , solam fidem iustificare, sed Sacramentum & fidem. *Respondeo* : Imò hoc sequitur necessariò, solam fidem iustificare, quia sola fides promissionem in Sacramento factam etiam sine Sacramento accipit : nihil enim habemus , quo apprehendamus factam nobis à Deo promissionem, præter fidem. Sacramenta sunt quasi manus Dei , quibus nobis porrigit gratiam , & fides est quasi manus animæ, qua & hanc gratiam apprehendimus , & promissiones Dei firmitur tenemus.

Tertia nostra ratio est Caluini, Qui Sacramentis vim iustificandi , & gratiam ex opere operato conferendi tribuunt , ii homines à Deo abstrahunt , & faciunt , vt in spectaculo rei corporeæ acquiescant, non in ipso Deo. Verissimum hoc sanè argumentum est. Qui enim gratiam in ipso Sacramento sitam esse aiunt , cuius hominem participem fore vel ex sumptione sola credunt , ii homines à Deo abducunt , & in rebus corporeis acquiescere ad suam perniciem faciunt : Qui disputant & dicunt , seruari nos per ipsum Baptismi Sacramentum , damnari verò atque è cœlo excludi , si moriamur in itinere antequam ad Baptismum

Caluin. institut. l. 4. c. 14. §. 14.

veniamus, ii docent ex rebus externis pendere, & in iis hærere, & mentes defixas habere, cùm ad Deum mentes hominum essent reuocandæ. Bellarminus respondet dupliciter.

Primò ait, si hoc argumentum aliquid valeret, non debuisse Deum in Testamento veteri serpentem æneum proponere, nec debuisse Deum incarnari. *Respondeo*: Non id Caluinus vult, neque nos id dicimus, externa & visibilia inutilia esse, aut impedire fidem, & sic esse noxia, ac proinde non debere nos rebus externis vti omnino; imò dicimus in externis rebus multum esse adiumenti ad fidem confirmandam, & nos huiusmodi subsidiis egere: sed hoc dicimus, affirmare gratiam in rea liqua externa inclusam esse, vt in aqua, aut in oleo, aut in aliqua re huiusmodi, esse animas hominum à Deo ad creaturas abducere. Quod verò ad serpentem æneum attinet, certissimum est, nullam in eo gratiam fuisse insitam; tum enim non confregisset illum Ezechias; sed fuit semper res inanimata & gratiæ expers in se: nam sanitas non à serpente, sed à Deo fluxit: similiter nos dicimus, in Sacramentis ipsis nullam hærere gratiam, sed omnem gratiam à Deo fluere, qui Sacramenta instituit.

Serpens ille æneus fuit typus Christi crucifixi, & quemadmodum omnes, qui serpentem illum intuebantur, sanati sunt: sic omnes salui sunt, qui Christum crucifixum oculis fidei intuentur: ergo sic in Sacramentis gratia est, vt in serpente illo æneo sanitas fuit; qui digne ad Sacramenta accedunt, ii gratiam à Deo non ex vi Sacramenti accipiunt, vt ii, qui serpentem æneum intuebantur, non virtute aliqua in serpente insita, sed virtute diuina sanabantur. Hoc verò interest, quòd omnes, qui spectabant serpentem æneum sanabantur, at non omnes, qui ad Sacramenta accedunt, gratiæ participes fiunt: ratio est, quia serpens ille æneus non erat typus Sacramentorum, sed Christi, in quem qui credunt omnes seruantur. Qui similiter intendunt oculum fidei in Christum, vt illi oculos corporeos in serpentem, seruabuntur. Quod verò de Deo incarnato respondet, ridiculum est: nam incarnatus est Deus, vt nos ad Deum adduceret, non vt à Deo abduceret: Deus enim homo fieri voluit, vt pro nobis mori posset. Quanquam corpus eius nunc in cœlis est, & ab oculis nostris corporeis longè remotum: quid ergo hoc impedit, quo minùs nimium in rebus corporeis hærere nobis non liceat?

Secundò ait Bellarminus, contrarium potiùs sequi ex Pontificiorum doctrina: cùm enim dicant Sacramenta ex se non habere virtutem, sed Deum esse, qui per illa operatur, illos hoc ipso trahere homines ad Deum. *Respondeo*: Si dicerent Sacramenta ex se

ex se habere virtutem, insanissimi essent: sed quando dicunt Sacramenta ex Deo habere vim iustificandi, sic vt ex opere operato iustificent, & gratiam conferant, hoc facit homines in corporeis rebus acquiescere, & minùs curare Deum, quia Deus talem virtutem creaturis indidit. Nam si Deus dedit aliquibus rebus externis, vt ex opere operato nuda illorum sumptione vim iustificandi habeant, minùs Deum curabunt homines, minùs ad eum mentes attollent, imò proni in rebus externis hærebunt, quia sperabunt sufficere, si his externis creaturis vtantur; posse enim se ex solo illarum vsu salutem & vitam æternam consequi. Patres docuerunt, exempli gratiâ Chrysostomus & Augustinus, non spectanda esse elementa externa, sed in vsu Sacramentorum mentes debere ad cœlum eleuari, vt intelligamus à Deo omnem gratiam deriuari.

Qui aliter facit, ex Sacramento idolum facit, ex medicamento venenum, nec suam salutem sed damnationem per Sacramenta promouet & obsignat; & hoc docere, est fallere homines, vt mendacium sequantur. Quod verò de fimbria Christi, per cuius tactum aliqui sanabantur, & similiter de sputo ac luto, quibus in aliis curandis vsus est Christus, obiicit, facillima est responsio: non enim erat vis sanandi in rebus istis, sed in Christo tantùm. Atque vt hoc Christus doceret, non esse vim aliquam sanandi in huiusmodi rebus externis insitam, adhibuit aliquando eas res, quæ vim potiùs contrariam haberent, vt quando luto vsus est in cœci cuiusdam oculis aperiendis, vt intelligamus totam vim à Christo immediatè manâsse. Quàm insanum est, putare esse in fimbria, aut in luto arcanam aliquam vim sanandi, aut etiam in oleo? Sed Papistæ ex Sacramentis gratiam pendere volunt; atque hoc est, vt Caluinus ait, detrahere nostras cogitationes à Deo ad Sacramenta. Qui luto, aut sputo, aut fimbriâ Christi sanabantur, ii non in his rebus gratiam aliquam firam esse, sed tactu harum rerum se sanatos esse credebant: ergo non in his rebus acquiescebant. Sic nos non in Sacramentis, sed per vsum Sacramentorum, gratiam nos habere credimus: ergo ad Deum hanc gratiam referendam esse dicimus, non acquiescimus in Sacramentis.

Quarta nostra ratio est Kemnitii, cum disputat contra hoc opus operatum, & sic se habet: Verbum Dei & Sacramenta eodem modo iustificant: verbum autem non iustificat propter aliquam in eo insitam efficaciam: ergo nec Sacramenta. De verbo Paulus ait, *esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.* Rom. 1.16. Id etiam ratio suader; quia in iustificatione duæ manus concurrunt, vna Dei offerentis, altera hominis accipientis gratiam: Dei

manus est verbum & Sacramenta; hominis manus est fides: ergo verbum & Sacramenta nihil prosunt sine fide, quia fides est, quæ oblatam gratiam recipit: sic Apostolus, *Non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei.* Bellarminus de loco Apostoli Roman. 1. vbi ait *Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti*, tripliciter respondet. *Primò* ait, per Euangelium eo loco intelligi posse non concionem, sed mysteria ipsa Euangelii, vt incarnationem, passionem, Sacramenta. *Respondeo*: Per Euangelium Apostolus intelligit prædicationem Euangelii. Id patet ex eiusdē verbis paulò antè, *Quantū in me est, paratus sum καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελίσασθαι, vobis quoq; qui Romæ estis euangelizare*, id est, Euangelium prædicare: tum addit, *Non enim me pudet Euangelii Christi: potentia siquidem est Dei ad salutem omnis credēti*: & idem alibi ait, ἐυδόκησεν ὁ Θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας, *placuit Deo per stultitiā prædicationis seruare credentes*: & ibidem, ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, *Nos prædicamus Christum crucifixum*: Vnde constat nos iustificari ex fide, qua Euangelio prædicato credimus, etsi nullum Sacramentum accesserit, modò Sacramenti contemptus absit, Certè non alia iustitia aut salus est, quàm hæc, quæ est ex fide: ergo Sacramenta non possunt aliter iustificare, si iustificent omnino, nisi ex fide: non igitur ex opere operato. *Secundò* Bellarm. ait, si accipiatur Euangelium pro concione, ibidem explicari, quomodo Euangelium saluet, quia subiungit Apostolus, *Iustitia enim Dei reuelatur in eo ex fide in fidem*, & ait Scripturam nusquam ita exposuisse modum saluādi Sacramentorum. *Respondeo:* Hinc sequitur, Sacramenta non iustificare propriè, ex ipsius Bellarmini confessione: nusquam enim Scriptura sic de Sacramentis loquitur, vt hic de verbo. Sed hæc Euangelii iustitia ex fide in fidem est vera iustitia; nam vocatur iustitia Dei: ergo qui aliam iustitiam in Sacramentis quærunt, ii nouam iustitiam, non veram, non Euangelicam quærunt. Quare Sacramenta non iustitiam aliam sed hanc obsignāt, & sic nihil sine fide valent Sacramenta, atque ideo non iustificant ex opere operato. *Tertiò* ait Bellarminus, Scripturam & verbo & Sacramento tribuere vim iustificādi, sed nusquam dicere, eodem modo iustificare. Deus, inquit, & verbum, & fides, & Christi passio, iustificant, sed non eodem modo: sic verbum & Sacramenta iustificant, non tamen eodem modo. *Respondeo:* Videre hoc argumentum illum pungere, cùm toties respondendo nihil ad rem respondeat. Scriptura enim docet, non nisi vnam esse iustitiam, quando Euangelio credimus. Quanquam igitur hæc omnia dicuntur iustificare, Deus scilicet, & fides, & Christi passio, & verbum, tamen non est multiplex iustitia, sed vna tantùm, quæ est apprehēsio Christi crucifixi per fidem. Iustitia vna & eadem fuit in Patriarchis, in Prophetis, in Apostolis, in omnibus denique piis, qui ab origine mundi fuerunt. Sive ergo Christus in verbo, siue in Sacramentis proponitur, non nisi fide recipi potest, quia Christus non potest aliter apprehendi, nisi per fidem. Ergo Christus, & gratia & iustitia, non conferuntur in Sacrāmentis ex opere operato: nam hoc esset non modò aliter iustificari per Sacramenta, quàm per verbum, sed etiam iustificari contrariâ iustitiâ ei quæ est in Euangelio, quæ est ex fide in fidem, & quæ non nisi fide suscipitur. Hactenus de Scripturæ loco respondit: iam verò quod attinet ad nostram rationem de duplici manu videamus quid respnodeat. Cōcedit verbū & Sacramenta dici posse manū Dei, per quam ad nos venit gratia & iustitia, sed non eodem modo: Verbum dici posse manum, quia salutem offert, non autē quia reipsa operatur vel applicat; contrà verò Sacramentum dici posse manum, quia applicat reipsa Christi meritum, & operatur gratiam. *Respondeo:* Nihil dici potuit magis contra Scripturam & veritatem. An nihil aliud agit Scriptura, nisi salutem offert? imò efficit, operatur, præbet. Hominem iustum fieri, qui Euangelio prædicato credit, clamat Scriptura, cùm ait, *fides ex auditu*, &, *Qui credit, saluus erit.* Deinde si hoc verum sit, quod ait Bellarminus, verbum non nisi offerre salutem, Sacramentum verò operari, tum non sufficit, vt voto tantùm participes simus Sacramentorū, sed re participemus necesse est, si salui esse velimus. Sed hoc est verbum enervare, cùm omnis fructus verbi ad Sacramētum alligetur: perinde enim est, ac si diceret; Verbum offert salutē, sed non potes hanc salutem accipere, nisi in Sacramentis: at hoc modo Sacramentis, quæ nō nisi verbi sunt appendiculę, multò plus quàm verbo ipsi tribuitur. Apostolus ait, *Corde creditur ad iustitiam*: ergo verbum non modò offert iustitiam nostræ fidei, sed etiam præbet. Sed videte, quæso, summam horum Sophistarum insaniam: plus illi tribuunt Sacramento ex opere operato, quàm verbo etiā cum fide suscepto. Nam quantumuis credas, non tamē verbum applicat iustitiam, sed offert tantùm; at Sacramentum ex opere operato applicat & operatur gratiam & salutem, etiamsi nō credas, modò non habeas habitum fidei contrarium, vt Scholastici affirmāt. Ita plus Sacramētis sine fide, quàm verbo cū fide tribuunt. Licet enim Bellarminus supra visus est operi operato nihil sine fide tribuere, tamē nūc plane ab ea opinione discedit: tum enim non pueris prodessent Sacramenta, qui actum fidei non habent: at ille pueris etiam sine fide Baptismum ex opere operato prodesse ait. Subiungit enim, huius differentiæ, inter verbum scilicet & Sacramentum, signum evidēs esse, quòd verbum non prædicatur nisi intelligentibus, nec prodest, nisi intelligatur & credatur: at Sacramentum exhibetur & prodest etiā non intelligentibus, vt infantibus, & amētibus, imò etiā vt antea addidit, surdis, & dormientibus. *Respondeo*: Sanè fateor esse aliquam inter verbum & Sacramenta differentiā.

Rom. 1. 17.

Heb. 4. 2.

Rom. 1. 15.

2. Cor. 1. 21. & 23.

Rom. 10. 17.

Ioh. 3. 16. 36.

Lib. 2. c. 8.

Sed

Sed ille ait, verbum prædicatum, etsi intelligatur & credatur, nil tamen prodesse sine Sacramento, quia verbum offert tantùm salutem, non autem reipsa operatur vel applicat: hoc enim per Sacramentum tantum fieri. Hæc absurdissima & profanissima doctrina est. Quod verò ad infantes attinet, non illis Sacramentum ex opere operato prodest, quemadmodum Papistæ volunt, id est, non iis gratiam infundit aut fidem, nec eorum salus sita est in Sacramento, & tamen iis prodest, si vixerint; & si non vixerint, prodest tamen, quod sic visibilis Ecclesiæ membra fiunt. Sed ne hic quidem secum Bellarminus constat: nam in responsione ad hoc argumentum suprà ait, verbum & Sacramentum adeo non iustificare vno eodemque modo, vt verbum præcedat fidem, Sacramentum sequatur fidem. Si hoc verum sit, Sacramentum non iustificat infantes, quia non sequitur fidem in illis: nam verbum præcedit fidem: at verbum non prædicatur infantibus. Si Sacramentum sequatur fidem, & fides verbum, vt ille ait, quomodo iustificat Sacramentum infantes, cum illi nec verbum, nec fidem habeant? Teneat hoc Aduersarius, & controuersia iam ad exitum perducta est. Sactamentum reuera fidem sequitur, id est, obsignat iustitiam fidei, vt circumcisio in Abrahamo: & tamen ille antea dixit, Sacramenta afferre primam iustitiam: at tum quomodo sequuntur fidem Sacramenta, cum fide nulla iustitia prior sit? Ergo ex Aduersarii sententia, si sibi constare velit, nisi & verbum, & fides, & iustitia præcedant, Sacramenta nihil valent. Sed hîc iterum Bellarmini insania occurrit. Fidem fatetur dici posse manum nostram, non tamen quia promissionem apprehendit, & hoc modo iustificat, sed quia remouet obstacula, & disponit animam. Lugenda horum hominum improbitas est, adeo nil pudet eos peruertere rectas vias Domini. Num fides remouet tantum obstacula, & disponit animam? at Scripturæ docent, si credamus, & quando credimus, & propterea quod credimus, saluos nos esse: hoccine est, quod Bellarminus ait, nos tantum disponi ad salutem credendo? Scripturæ docent, fidem & apprehendere promissionem, & iustificare: sic Prophera, *Iustus ex fide sua viuet*: hoccine est, fidem disponere tantum ad vitam? *Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum*, inquit Apostolus; quid hoc? an, si dispositi tantum sumus ad iustitiam, pacem habemus erga Deum? at non qui dispositi sunt ad iustitiam, sed qui iusti sunt, pacem erga Deum habent. Nil fidei hic Aduersarius tribuit, nisi vt sit dispositio quædam animæ: sed Apostolus Abrahamum credentem iustificatum fuisse ait etiam ἐν ἀκροβυστίᾳ, id est, dum adhuc in præputio esset; non ait tantum ad iustitiam dispositum fuisse: & sic omnes filii Abrahæ, id est,

Abac. 2. 4.

Rom. 4. 9. 10. 11.

est, Christiani. Et dicitur idem Abrahamus accepisse postea signum circumcisionis, tanquam sigillum iustitiæ, quæ est ex fide: at si tantùm dispositus fuisset ad iustitiam per fidem, circumcisio illi falsum & signum & sigillum fuisset. Quales hi homines sunt, qui sic exiliter & abiectè de fide sentiunt & loquuntur? De latrone in Euangelio quid tandem dicemus? num ille dispositus tantùm ad iustitiam fuit, quando credidit? imò verè iustificatus fuit, ita vt ex hac iustitia vitam æternam consecutus sit. Et Christus ait, *vt Moses exaltauit serpentem in deserto, ita oportere filium hominis* ὑψωθῆναι *exaltari, vt quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: non ait, sed disponatur ad vitam æternam. Si quis in his locis iustificari, & vitam æternam habere, sic interpretetur vt Bellarminus, id est, disponi ad iustitiam & vitam æternam, nonne hoc esset insigniter abuti Scripturis, & hæc omnia testimonia egregiè peruertere? Sed nunquid adhuc aliud habet, quod respondeat? imò subiungit, fidem disponere animam, vbi est necessaria talis dispositio. Ex quo sequitur, Sacramenta in quibusdam operari gratiam sine vlla fidei dispositione, id est, vbi non est fides omnino: ita ex Aduersariorum sententia fides sine Sacramento nihil valet; Sacramentum verò sine fide iustificat. At contrà Augustinus, *Non prodest Baptismus, si desit fides.* Hoc illud est, quod Sophistæ aiunt, Sacramenta ex opere operato iustificare, & gratiam conferre. Et antea visus est Bellarminus dicere, fidem vt dispositionem in omnibus requiri, qui per Sacramenta ex opere operato iustificantur; nunc apertè ait, fidei dispositionem non esse in omnibus necessariam. Sed obseruanda est ratio eius, quæ sequitur; alioqui, inquit, Baptismus ne adultis quidem prodesset, si in ipso momento Baptismi paululum distraherentur animo: tunc enim, inquit, fides non apprehenderet promissiones. *Respondeo*: At ipsi dicunt fidei non actum modò sed & habitum sufficere, nam etiam in somno fideles Christum tenent; & illi affirmant Baptismum etiam dormientibus adhibitum prodesse. Et hic iterum se Theologum insulsum prodit, qui putat fideles, cùm primùm animum ad aliud intenderint, amittere statim apprehensionem promissionum.

Joh. 3. 14. 15.

Augusti. q. 33. *super Numer.*

Quinta & postrema nostra ratio est Zuuinglii, Kemnitii, & omnium nostrorum, & est huiusmodi: Sacramenta sunt res crassæ, & materiales, & corporeæ: ergo non possunt ad animam penetrare, & purgare sordes peccati, quæ in anima residen. Bellarminus in explicatione & responsione huius argumenti multa aliena affert: ego tantùm argumẽtum premam, & quid ad argumentum respondeat, non quid extra causam dicat, excutiam. Argumentum igitur nostrum contra hanc Sacramentorum efficaciam, quam Pontificii tenent & defendunt, hoc est, quòd in Sacramẽtis, quæ sunt res corporeæ, nulla

virtus aut qualitas supernaturalis ineſſe poteſt; & ſi ineſſet, non poſſet intelligi, quando inciperet ineſſe, quando deſinat eſſe, & quid ſit, nec quomodo ad animam à Sacramentis tranſiret: & cùm Sacramentum conſtet ex verbo & elemento, num eadem gratia in altero tantùm horum ſit, an in vtroque: & num eadem in Sacramento, quæ in anima, cùm accidens non poſſit eſſe in duobus ſubiectis: ergo dicẽdum, gratiam nõ eſſe in Sacramento, nec Sacramentum efficere gratiam, ſed Deum ſolummodo in vſu Sacramentorum gratiam efficere. Iam quid ad hæc Bellarminus reſpondeat videamus. *Primò* ait, poſſe aliquem confiteri ignorantiam circa huiuſmodi nodos, & tamen hæreticis ſatisfacere, imò illorum ora obſtruere, vt Auguſtinus traductionem originalis peccati defendit, erſi modum neſciebat. *Reſpondeo*: Opus quidem eſt, vt noſtram ignorantiam in multis rebus profiteamur: exempli gratiâ fatemur nos neſcire modũ incarnationis Chriſti, myſterium Trinitatis, & modum, quo peccatum originale traducitur: ſed de his Scriptura apertè loquitur, & loquente Scriptura ratio taceat: non requirimus rationem, quando Scripturæ authoritatem habemus, ſed in ea acquieſcimus. At in hac cauſa nuſquam Scriptura tradit, quod Aduerſarii affirmant, gratiam ſcilicet incluſam eſſe in Sacramentis, imò contrarium planè tradit. Non oportet doctrinam inauditam & dogma incredibile præter & contra Scripturas proponere, & tum poſtulare, vt ei non minus credamus, quàm quibuſdam manifeſtis fidei articulis, qui non poſſunt demonſtrari ratione. Si ratio ſuppetat ad refellendum aliquid, quod non nititur claro Scripturæ teſtimonio, ſufficit. Afferant illi Scripturam, ſi quam habent apertam & manifeſtam, quemadmodum nos afferre poſſumus de Chriſti incarnatione, de vnitate in Trinitate, de traductione peccati originalis, & tum reſpondeant, ſtatuendum ita eſſe, etſi nos modum neſciamus. Sed Bellarminus ſatis confeſſus eſt, neſcire ſe, quomodo iſta explicari poſſunt, nec poſſe aliquid aptè reſpondi, etſi multis verbis vtitur, & quærit reſponſionem, ſed non poteſt commodam aliquam reſponſionem inuenire. *Secundò* igitur reſpondet, Sacramenta eſſe cauſas efficientes, & phyſicas, ſed inſtrumentales, ne fortè credamus eſſe principales efficientes cauſas. Sed qualis virtus eſt in Sacramentis? ea, inquit, non eſt noua aliqua qualitas inhærens, ſpiritualis vel corporalis. Rectè: non igitur inhæret in Sacramentis gratia: ſed cur tum ait, Sacramentis virtutem eſſe diuinitus inditam? hæc enim illius verba ſunt, Virtus autem diuinitus indita non eſt noua inhærens qualitas: ait inditam eſſe virtutem diuinitus Sacramentis, & tamen hanc virtutem non eſſe aliquam nouam qualitatem inhærentem vel ſpiritualem vel corporalem. Qualis hæc diſtinctio eſt inter virtutem, & qualitatem, inter inditam, & inhærentem? quid ſtultiùs dici

Auguſt. Epiſt. 29. ad Hiero. & l. 3. c. 14. de pecc. mer. & remiſſ.

dici potuit? imò ſic non modò inepti ſed & inſani ſunt Sophiſtæ. Quæ ergo eſt hæc virtus indita, quam operantur Sacramenta ex opere operato? aut qualis eſt? aut vbi eſt? aut quando eſt? nimirum ait, virtutem Sacramentorum eſſe tantùm motum & vſum Dei, quia Deus hac ſacramentali actione vtitur ad gratiam producendam, eam eleuat, & facit eam attingere effectum ſupernaturalem. Hoc vult ſcilicet, non eſſe inhærentem virtutem in Sacramentis, ſed Sacramenta efficere virtutem in nobis, quando mouentur à Deo, & quando vtitur illis Deus in eum finem, vt efficiat gratiam. Et tamen antea dixit, Sacramenta eſſe cauſas phyſicas: nunc eorum effectum eſſe ſupernaturalem ait: quomodo poſſunt phyſicæ cauſæ ſupernaturalem effectum producere? hoc ergo ſatis falſum eſſe indicat, quod illi de Sacramentorum efficacia affirmant: ſi enim effectus Sacramentorum ſupernaturalis ſit, non hunc effectum Sacramenta ipſa producunt. Ita nihil poteſt dicere aut reſpondere, quod non ipſi contrarium ſit. Quare nunc Bellarminus ingenue fatetur, nullam virtutem eſſe in Sacramentis inſitam. Sed debuit ille ſaltem cum Alano excipere Euchariſtiam, in qua cum Chriſtus ipſe inſit, gratiam aliquam inſitam & inhærentem eſſe neceſſe eſt. Et tamen hoc tuetur, Sacramenta efficere gratiam ex opere operato, & cauſas eſſe gratiæ; quod ſic exponit ſecutus Thomam, quia mouentur à Deo ad producendum effectum ſpiritualem: vt gratia ſit in Sacramento inſtrumentaliter, quia Deus eo tanquam inſtrumento vtitur ad gratiam producendam: ergo vt vis non eſt in inſtrumento per ſe, ſed in agente principali, ita vis omnis Sacramentorum non eſt in ipſis Sacramentis, ſed à Deo fluit: at inſtrumentum efficax eſt, cùm ab artifice mouetur: ſic Sacramentum, cùm mouetur à Deo. Quid mali eſt in hac ſententia? quid nos in hac reſponſione reprehendimus? videtur nihil intereſſe inter noſtram & illorum ſententiam, cùm & nos Sacramenta dicamus inſtrumenta & media eſſe. Sed tamen multum intereſt, & noſtra vera ſententia eſt, illorum hæretica & abſurda. Quod enim nos Sacramenta eſſe inſtrumenta dicimus, non proprie nomen inſtrumenti ſumimus, ſed in genere pro eo, quo quis vtitur, licet ipſum nihil efficiat ſua vi, cum mouetur. Nam inſtrumentum niſi motum nihil efficit: at motum habet vim efficacem, vt ſecuris. Nos vero Sacramenta ipſa, ne quidem vt mouentur à Deo, eſſe cauſas gratiæ, quod ipſa gratiam efficiant, vt ſerra vere ſecat: ſed tantum in vſu Sacramentorum effici gratiam à Deo immediate: eſſe ergo media & inſtrumenta, ſed non phyſica, vt vult Bellarminus. Vtra ſententia verior ſit, illorumne an noſtra, cui obſcurum eſſe poteſt? Iam repe-

Thom. 3. part. ſum. q. 62. art. 1.

tamus argumentum noſtrum, & videamus quomodo à Bellarmino diluatur. Sacramenta ſunt res corporeæ: ergo non poſſunt agere in animam. Bellarminus negat conſequentiam: rem enim corpoream poſſe agere in animam non ex natura ſua, ſed ex virtute Dei. *Reſpondeo*: Facile eſt quibuis aſcribere virtuti Dei; ſed videndum num Deus ſic agat, vt faciat rem corpoream imprimere gratiam rei ſpirituali. Hoc contra naturam eſt, & Deus non producit gratiam per Sacramenta miraculoſe. Aqua non poteſt ad animam penetrare, non enim vltra corpus pertingit: at ſi ſic ſe res haberet, vt vult Bellarminus, deberet aqua non minus ad animam verè pertingere, quàm gratia efficitur in anima, vt ſecuris non minùs tangit lignum, quàm lignum ſecatur: at hoc fieri non poteſt. Quod verò Bellarminus ex Auguſtino affert, *Aqua corpus tangit, & cor abluit*, id non ſic intelligendum eſt, quòd aqua phyſicè animam abluat, ſed quòd in Baptiſmo lauatur anima à Deo: dicitur autem aquam abluere, quia Sacramentum eſt ablutionis, non quòd aqua ipſa aoluat. Nam Auguſtinus ait, aquam corpus tangere, non longiùs pertingere; non dicit aquam animam tangere quod tamen neceſſe eſſet, ſi modò phyſicè efficeret gratiam in anima. Quod verò præterea obiicit de igne infernali, quo animæ & dæmones cruciantur; quem ait verum & corporeum ignem eſſe; Theologi diſputant, qualis ille ignis ſit, num corporeus an ſpiritualis. Quod ait animos noſtros, qui ſpiritus ſunt, affici affectionibus corporis, nimirum anima & corpus vnum ὑφιστάμενον ſunt: non ſic Sacramentum & anima. Et quod ait animas retineri in corporibus tanquam in carcere, nec poſſe cùm voluerint recedere, nihil ad rem facit: Deus enim has duas naturas coniunxit miro modo; & tamen philoſophi dicunt, animam agere in corpus, non corpus agere in animam propriè: & ſi corpus agat in animam, ex natura ſua agit: at ille ſuprà dixit, Sacramentum non ex natura ſua poſſe agere, ſed ex virtute Dei. Sacramenta ſunt extra nos, & neque nobiſcum ſunt in vna hypoſtaſi, neque phyſice animas contingunt: at ignis infernalis, qualiſcunque tandem ſit, dæmones & animas contingit. Dicere ergo elementum efficere gratiam phyſicè vt inſtrumentum, eſt contra omnem rationem loqui. Deinde iuſtificatio non poteſt eſſe proprius & phyſicus effectus alicuius Sacramenti: nam iuſtificatio eſt res planè cœleſtis; Sacramentum res terreſtris: hoc perinde eſt, ac ſi quis velit arripere gladium, vt interficiat dæmonem: gladius eſt materia, dæmon ſpiritus, ergo occiſio dæmonis non poteſt eſſe effectus gladii. Sic Sacramentum eſt materiale quiddam, vt aqua, panis, vinum: iuſtificatio vero eſt res diuina, non ergo tribuenda eſt iuſtificatio Sacramento, quaſi eius proprius effectus; cum enim effectus eſt phyſicus, cauſa ſemper nobilior eſt effectu, at non ita hic. Deinde

Auguſt. tract 80 in Ioan.

facere Sacramentum Dei proprium inſtrumẽtum, eſt facere Deum impotentem, & Deum alligare creaturis, qui tamen libertimè agit; & facere eum artifici ſimilem, qui ſine inſtrumentis nihil agere poteſt. Vtitur quidem Deus rebus externis & ſenſibilibus, quia nos corporei ſumus: ſed hæres ſenſibiles non ſunt propria & phyſica inſtrumenta Dei nobis gratiam infundentis; ſed hæc noſtros ſenſus excitant, & tunc Deus nos docet & donat ſuis bonis. Ipſa prædicatio, quæ eſt magis ſpiritualis, quàm Sacramentum, non tamen propriè organon eſt; ſed cùm credimus prædicationi, & eam intelligimus, tum Deus ipſe nobis fidem & Spiritũ ſuum largitur. Sed Papiſtæ, qui tantum tribuunt Sacramentis, adeo nihil fere prædicationi aſcribunt, vt neq; ex opere operato conferre gratiam, neque in ea gratiam eſſe inſtrumentaliter dicant, vt in Sacramentis æquum eſt, vt dent vel prædicationem conferre gratiam ex opere operato, vel Sacramenta non conferre, cùm Deus non minùs in prædicatione efficax ſit, imò multo efficacior, quàm in Sacramentis. Et reuera gratia, quàm in Sacramentis accipimus, eſt Chriſtus ipſe: num Chriſtus poteſt eſſe effectus Sacramenti? Sed Scholaſtici, qui cerebra ſua his diſputationibus torſerunt, frequentes in illam ſententiam eunt, vt dicant Sacramẽta non cauſare gratiam proprie, ſed conferre gratiam moraliter per concomitantiam, quia diuina gratia adeſt in Sacramentis, & in vſu Sacramentorum infunditur. Bonauentura copioſe hanc rem tractat: negat Sacramenta continere gratiam, ſed dici continere gratiam, quia gratiam ſignificant. Quid ergo de Patribus Concilii Tridentini dicemus, qui dicunt Sacramenta continere gratiam, quam ſignificant? Significant verò remiſſionem peccatorum & iuſtificationẽ: num hanc continent? Quanto rectiùs Bonauentura, qui ait Sacramenta continere gratiam, quia gratiam ſignificant: & ait gratiam non eſſe à Sacramentis, nec de Sacramentis; & citat Magiſtrum Sententiarum, qui dicit gratiam non eſſe ab illis, ſed per illa: ſic enim Lombardus, *Homo non quærit ſalutem à Sacramentis quaſi ab eis, ſed per illa à Deo*: & præterea citat Hugonem, qui ait gratiam non eſſe ex Sacramentis, ſed in illis, id eſt, in illorum vſu: & hanc ait eſſe magnorum magiſtrorum opinionem; & comparatione quadam vtitur. Sicut literæ Regis, inquit, annulo Regis ſigillatæ, magnę ſunt dignitatis, & virtutis, & valoris, & magna dicuntur & poſſe & facere; & tamen in eis nulla virtus eſt abſoluta; quod ex eo patet, quia mortuo Rege non plus curatur de literis eius, quàm de aliis, & tamen literæ nihil abſolutum amiſerunt: ſic intelligendum eſt de Sacramentis. Hoc ipſum etiam Scotus ait. Similiter Durandus vocat hanc antiquam opinionem, & ait eſſe immunem à calumnia, & meliùs conſonare dictis Sanctorum, non ponere in Sacramentis vim gratiæ cauſatiuam, ſed Sacramenta eſſe

Bonau. in 4. d. 1. q. 3. & 4.

Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 6.

Scot. in 4. d. 1. q. 4. & 5.

Durand. in 4. d. 1. q. 4 & 5.

causam sine qua non, quia Deus ex pacto iis gratiam largitur, qui Sacramentis vtuntur: ac proinde miror, cur Kemnitius hoc Durando obiiciat, quod dicat gratiam in Sacramentis hærere. Similiter Nicolaus de Orbellis Theologus Parisiensis. Sic etiam Gabriel Biel ait, hanc esse sortem & probabilem rationem: & sic saluari authoritates Sanctorum; & nullas rationes repugnare. Vt si Deus, inquit, ordinaret, vt ad prolationem alicuius verbi pluuia daretur; verbum causa esset pluuiæ, & tamen non nisi solus Deus pluviam daret. Sic alii multi, & fere omnes Scholastici, certe præcipui. Nec modò veteres Scholastici hanc sententiam probant, sed etiam ex recentioribus nonnulli. Melchior Canus longum hac de re sermonem instituit; & ait ille hanc esse opinionem Thomæ, quam tamen Bellarminus non esse ait, Sacramenta esse causas gratiæ non instrumentaliter sed moraliter. Dominicus à Soto, qui scripsit post Concilium Tridentinum, mirifice se exercet hac in re, vt inueniat, quomodo hoc verum esse possit, quod Concilium Tridentinum de hac controuersia statuit, & tandem aliquid excogitauit, Sacramenta scilicet, nos facere gratos Deo, sed non dare gratiam; nam gratiam à Deo dari. Sed Alanus hanc sententiam explodit, quia tum, inquit, Lutherus posset defendere suam imputatiuam iustitiam. Nulla ergo differentia est inter Scholasticos & nos, quod ad modum attinet, quo gratia est in Sacramentis: hoc tantum interest, quòd illi, qui dicunt à Deo fluere omnem gratiam Sacramentorum, dicunt tamen ex opere operato Deum omnibus hanc gratiam conferre, qui Sacramentis vtuntur; nos iis tantum qui fide Sacramenta percipiunt. Sed Bellarminus tribus rationibus hanc opinionem impugnat, quam tamen Durandus & Biel putant impugnari non posse.

Nicol. de Orbell. in 4. d. 1. q. 2.
Biel. in 4. d. 1. q. 1.
Canus in relect. de Sacram. part. 4.
Dominic. à Soto d. 1. q. 3. artic. 1. in 4.

Prima eius ratio hæc est: Patres passim docent, Sacramenta non agere, nisi prius virtutem à Deo accipiant. *Respondeo*: Patres non intelligunt dari ipsis Sacramentis virtutem à Deo, sed quod in Sacramentis gratiam accipiamus, hoc à Deo fieri: nusquam illi dicunt, vi Sacramentorum gratiam dari, aut Sacramenta efficere gratiam instrumentaliter, aut ex opere operato.

Secunda ratio sic se habet, Aliàs non esset differentia inter modum agendi Sacramentorum, & signorum magicorum. *Respondeo*: Quid signa magica valeant, aut quam vim habeant, nescio, sed quamcunque vim habent, eam non ex se, sed à dæmone habent. Et quid incommodi erit, si dicamus nullam differentiam esse? quidni possit Deus eo modo gratiam efficere, quo dæmon quod est gratiæ contrarium? nam dæmon ipse omnia agit per signa, ipsa signa per

per se nihil: ita Deus per sacramenta.

Tertia ratio est huiusmodi, Si sacramenta non efficerent gratiam instrumentaliter, tum homo non esset Dei minister in actione sacramentali: at Scripturæ docent, Deum esse, qui baptizat per hominem. *Respondeo*, hominem esse ministrum Dei, non quoad internam gratiam, sed quoad externam actionem, in qua Deus internam gratiam confert, perfundit enim Minister corpus aquâ in Baptismo, & præbet panem ac vinum in Eucharistia, at nihil amplius facit, Deus enim est, qui gratiam infundit. Sic Ioannes Baptista, *Ego baptizo vos aquâ, sed Christus Spiritu sancto.* Fateor tamen ministrum dici posse instrumentum Dei, quia administrat illam actionem, cui Deus promittit gratiam. Non ipse Minister in sua actione gratiam confert, tamen est Dei Minister, quia Deus eum iussit hanc actionem administrare, vt ipse gratiam recte vtentibus daret. Quare certissimum est, gratiam non esse in sacramentis, vt in vase, nec vt in vehiculo, sed esse secretam ab externis elementis, & in vsu tantum illorum à Deo dari.

Matth. 3. 11.

Tertium nostrum & postremum genus argumentorum positum est in Patrum testimoniis. Luculentissima sunt Patrum hac de re testimonia, nos pauca recitabimus. Cyprianus hæc verba habet, *Remissio peccatorum siue per Baptismum, siue per alia sacramenta donetur, propriè Spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet:* & paulò pòst, *rem ipsam Sacramenti Spiritus sanctus format, & efficit, & consummat, & perficit.* Augustinus, quem citat Lutherus, ait, *non Sacramentum, sed fidem Sacramenti iustificari.* Bellarminus ait, non id dicere Augustinum expressis verbis. *Respondeo:* Hæc sententia vulgò à Scholasticis Augustino tribui tur ex eius perpetua doctrina. Nusquam Augustinus ait, Sacramentum ex se & opere operato iustificare, sed fidem etiam sine Sacramento ait iustificare: sic enim alibi scribit, quemque ex Sacramentis tantum vtilitatis percipere, quantum potuit vase fidei colligere: & adhuc alibi ait, Baptismum non prodesse, si desit fides. Quod verò obiicit Bellarminus ex Augustino, paruulos saluari, si moriantur post Baptismum, quia etsi non habent fidem, tamen fidei Sacramentum habent: fateor Augustinum putâsse, pueros omnes baptizatos saluari; non quòd Baptismus per se efficiat iustificationem, sed quia Deus in Baptismo iustificat. Idem, ait, Deum per se illuminare animas, quod testimonium Scholastici ad hanc causam confirmandam citare solent. Si Deus immediate per se animas illuminet, tum etsi gratia in vsu Sacramentorum conferatur, tamen non per Sacramenta, neque ex Sacramentis. De hoc testimonio Bellarminus nihil respondit. Alibi etiam idem Augustinus ait, mundare corda esse solius Dei per semetipsum. *Excedit hoc*, inquit, *humanam humilitatem;*

Cyprian. in lib. de Baptismo Christi.
Luther. in lib. de capt. Babylon. c. de Baptism. & in assert. art. 1. & in lib. cont. Cochlæ.
August. q. 33 in lib. Numer.
Idem Epist. 23. ad Bonifac.
Idem in lib. octogint. trium quæst. q. 53.
Idem tract. 80. in Ioan.

tatem; excedit Angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad agricolam Trinitatem: ita vt in Baptismo non aqua, sed verbum mundet. *Quare non ait* Christus, inquit, *mundi estis propter Baptismum, quo loti estis; sed ait, propter verbum, quod locutus sum vobis: nisi quia & in aqua verbum mundat?* Præclarus hic locus est: habetur vero in hæc verba, *Pater meus est agricola:* at Papistæ e contra dicunt, nos esse mundos, propter Baptismum, non propter verbum. Et alibi ait, Sacramenta non conferre nisi visibilem sanctificationem, Deum autem solum esse authorem inuisibilis sanctificationis. Qui certe egregius locus est contra Pontificios: distinguit enim *Primò* Deum à Ministro, & ait hominem non nisi visibile Sacramentum, Deum vero inuisibilem gratiam dare. Bellarminus ait, hominem ex naturali virtute non nisi visibile Sacramentum dare, sed alio modo, id est, applicando Sacramenta vt instrumẽta à Deo mota, & eleuata ad actionem supernaturalem faciendam, iustificare, id est, etiam inuisibilem gratiam dare. *Respondeo*: hoc est plane contra mentem Augustini: nam ille ministerium hominum distinguit à Dei operatione: Minister (non ex naturali virtute modo, sed vt Minister Dei est) non nisi visibile Sacramentum tradit. Sic Baptista inter se & Christum distinguit dicendo, Ego aquam præbeo, Christus Spiritum. At si gratia in sacramento aut ex sacramento sit, tum ista distinctio tollitur, quam statuit Augustinus.

Ioh. 15. 1.2.3. August. super Levit. q. 84. lib. 3.

Secundò Augustinus ait, ita hæc separari posse, vt alius habeat sacramentum visibile sine gratia inuisibili, alius gratiam inuisibilem sine sacramento. Vnde gratiam & iustificationem non esse in sacramentis quærendam constat: nam si qui habet sacramentum, non habet ideo gratiam, tum sacramentum non confert gratiam ex opere operato; & si gratia haberi sine sacramentis potest, absurdum est, putare gratiam esse inclusam in sacramentis, vel vt in vasculis, vel vt in vehiculis: nec alicuius momenti est, quod Bellarminus de hoc respondet. Augustinus iterum ait, *Sacramenta esse verba visibilia*: ergo non conferunt gratiam ex opere operato: nam vis verbi ex fide pendet, non efficit verbum vi sua gratiam. Bellarminus ait, Augustinum velle sacramenta quoad significationem tantùm esse verba visibilia. *Respondeo:* At si vllo modo verba sunt, non exhibent gratiam: nam verbum ex illorum sententia non ministrat gratiam. Tum si hoc diceret Augustinus, nil tamen faceret pro Adversariis: ait enim ibidem, sacramenta veteris & noui Testamenti re esse eadem: vnde constat eum non magis in nostris sacramentis gratiam ponere quàm in illis: ac proinde non vult nostra sacramenta ex opere operato conferre gratiam: nam Aduersarii nostri non tribuunt gratiam sacramentis veteris Testamenti. Inter verbum verò & sacramenta hoc tantum interesse vult Augustinus, quod verba sonent

August. cont. Faust. l. 19. c. 16.

sonent in auribus, Sacramenta in oculos incurrant, & oculis quodammodo loquantur. Kemnitius ex Augustino locum quendam citat, vbi reprehendit Augustinus eos, qui sentiebant non posse illos damnari, qui Sacramenta percipiunt Baptismi & cœnæ Domini, licet nec fidem, nec bonam vitam teneant.

August. de ciuit. Dei l. 21. c. 25.

Bellarminus ait, se non sic credere: non est, inquit, hæc nostra sententia. *Respondeo*: Fateor Aduersarios non sic docere, etsi plerique etiam apud illos adeo licenter & nefariè viuunt, vt sic plane credere, id est, salutem suam ex Sacramentis suspendisse videantur. Sed fateor hoc testimonium non esse ita appositum. Quòd autem Bellarminus ait, Lutheri potiùs hanc sententiam esse, non est prætermittendum. Nam quod Lutherus alicubi scribit, Christianum non posse salutem amittere quantiscunque peccatis, nisi nolit credere, verissimum est: nam si velit credere, peccata ei remittentur. Non loquitur Lutherus de iis, qui perseuerant in peccatis, sed de iis, qui de peccatis præteritis resipiscentes, iisque renunciantes, in Christum credunt, & credentes ab eo peccatorum veniam sperant. Ergo hæc sana Lutheri sententia est. Sed misso hoc Augustini testimonio à Kemnitio citato, tanquam non satis apposito, eius loco aliud ex eodem testimonium apponam, quod & appositissimum esse, & huic causæ accommodatissimum, ne Aduersarii quidem ipsi, vt spero, negabunt. Scigitur Augustinus alibi: *Aliud est aqua Sacramenti, aliud aqua, quæ significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est; aqua Spiritus inuisibilis est. Ista abluit corpus, & significat quid fit in anima: per illum Spiritum ipsa anima mundatur & saginatur.* Egregius hic certè locus est: vnde duo sunt notanda; *primum*, aquam Sacramenti non abluere animam, sed animæ ablutionem significare: *secundum*, Spiritum solum mundare animam: non ergo aqua mundat. Sed ab Augustino tandem ad alios Patres transeamus. Hieronymus citatis illis Ioannis Baptistæ verbis in Euangelio, *Ego baptizo vos aquâ, qui autem post me venit, ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne*, statim subiungit, *Ex quo discimus, quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum, quo sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur.*

August. tract. 6. in Epist. 9. an.

Hieron. in comment. in Isai. 4.

Luther. in lib. de captiu. Babylon cap. de Baptis.

Vbi quod homo præbet, non esse nisi aquam ait: Spiritum verò non esse in aqua, aut super aquam, sed illam à Deo tribui: nam si in aqua Spiritus sanctus inesset, tum homo cum aqua simul & Spiritum sanctum præbet, quod negat Hieronymus. Gregorius magnus hæc verba habet: *Foris Sacramenta percipimus, vt intus sancti Spiritus gratiâ repleamur. Foris namque homo, intus Deus operatur, non homo*: vbi apertè ait, solum Deum intus, id est, in anima operari. Bernardus sic scribit, *Sicut inuestitur Canonicus per librum,*

Gregor. magn. in 1. Reg. l. 6. c. 3.

Bernar. in serm. de cœna Dñi.

brum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum. sic antiqui res gratiarum diuersis sunt traditæ Sacramentis. Bellarminus ait, Sacramentum comparari libro, baculo, annulo, non ratione efficientiæ, sed diuersitatis Sacramentorum. *Respondeo*: Scholastici, qui nostram sententiam sequuntur, hunc Bernardi locum citant, vt probent Sacramenta non efficere gratiam instrumentaliter, tanquam causas physicas: & apertus locus est, etsi Bellarminus eum obscurare cupiat. Nam planè docet Bernardus, quid Sacramentum per se efficiat; non magis scilicet quàm liber, baculus, annulus, quæ sunt duntaxat signa externa, quibus vtuntur Canonicus, Abbas, Episcopus, cùm inaugurantur. Ergo ibidem paulò antè ait, *Datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita vt iam dicere possit, qui accipit, annulus non valet quicquam, sed hæreditas est, quam quærebam.* Quare vt in horum signorum vsu Canonicus, Abbas, Episcopus creantur: ita in Sacramentorum vsu euadimus participes cœlestium bonorum. Annulus non tradit hæreditatem, sed obsignat tantùm: ita Sacramenta gratiam obsignant tantùm, non tradunt. Bonauentura citans Glossam ordinariam super illud in libro Psalmorum. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*, ait, *Deus per semetipsum irradiat pias mentes*: ergo cùm illa irradiatio per lumen gratiæ fiat, sequitur gratiam à Deo esse immediate. Denique Scholastici, quos antea citauimus, toti nostri sunt, & nostram de hac Quæstione doctrinam defendunt, eandemque esse Patrum sententiam affirmant. Quare manifestum est, nostram sententiam & clarissimis Scripturis, & optimis rationibus, & antiquissimorum Patrum testimoniis niti.

Finis quartæ Quæstionis.

Quæ-

Quæstio V.

De differentia Sacramentorum veteris & noui Testamenti.

CAPVT I.

De statu Quæstionis.

POST Quæstionem de vsu & efficacia Sacramẽtorum, sequitur opportunè Quęstio illa, quæ de cõparatione Sacramentorũ veteris & noui Testamenti instituitur, vtrùm scilicet inter se differant necne, & si differant, quomodo differant. Differentiam verò intelligimus quoad effectum principalem, in iustificãdo scilicet, & in conferẽda gratia, vtrùm nimirum quoad hunc effectum efficaciora sint nostra, quàm illa veteris Testamenti Sacramenta: quæ de re multa à Scholasticis disputantur. Aduersarii statuunt, veteris Testamenti Sacramenta non contulisse gratiam ex opere operato; at nostra conferre: & hac in re Catholicos omnes conuenire ait Bellarminus, quod tamen nouit & mox fatetur esse falsissimum: nam de circumcisione multi Scholastici asserunt, eã contulisse gratiam ex opere operato, vt postea patebit; quod si verum sit, tum æqualis fuit vlli Sacramẽto noui Testamẽti, & falsum est, quod vulgo ab illis dicitur, Sacramenta noua conferre gratiam ex opere operato, vetera verò non contulisse. Sed Bellarminus ai, Circumcisionem non fuisse propriè Sacramentum Mosaicum: quod miserum est subterfugium. Nam *primò* Mosaicum fuit, quia à Mose fuit repetitum: *secundò* constat fuisse Sacramentum veteris Ecclesiæ, & nos non de Mosaicis tantùm Sacramẽtis, sed de Sacramentis veteribus & nouis, id est, de Sacramentis veteris & noui Testamenti contendimus. Non ergo omnes Catholici idem sentiunt, neque de hac Quæstione, neque de priore, sed distrahuntur in discrepantes opiniones, & Synodus Tridentina has inter illos contentiones non composuit aut diremit. Cùm enim multi Scholastici circumcisionem cõtulisse gratiam ex opere operato dicant, alii verò non contulisse, quomodo omnes conueniunt? & quibus illorũ credemus, quibus non? Bellarmin. igitur statuit, *primò*, Patres veteres non habuisse gratiam per Sacramẽta, sed per fidem, quod & nos fatemur, si non habuisse per Sacramẽta intelligat ex opere operato: nam & Patribus datam esse gratiam in vsu Sacramentorum certum est: & sic nec nos per nostra Sacramenta gratiam ex opere operato conferri dicimus. *Secundò* ait, Sacramẽta vetera iustificasse nõ ex opere operato, sed ex opere operantis, id est, ex fide &

Lombar. l. 4 d. 1. deuotione susci pientis, & tamen Magister Sententiarum ne hoc quidem concedit; nam ait illa non iustificâsse, nec ex opere operato, nec ex opere operantis, & data esse, non vt iustificarent, sed vt essent oneri. Ita hic non modò non contulisse gratiam vult, sed ne adiuvisse quidem omnino; imò obfuisse potiùs quàm profuisse. Non mirum est, impuras esse Scholasticorum lacunas, qui omnia ex huius fontibus hauserunt. Quis enim ad tam profanam vocem non cohorresceret? Bellarminus ergo vult, iustificâsse ex opere operantis, id est, ex fide, charitate, obedientia susci pientium, non aliter: vnde sequitur necessariò, Sacramenta noua iustificare ex opere operato, id est, sine fide, charitate, & obedientia susci pientium: alias enim nullum discrimen ponit nec inter vetera Sacramenta & nostra, nec inter opus operantis & operatum. Ita nunc videtur sententiam communem Scholasticorum de opere operato sequi, Sacramenta scilicet nostra instituiam & gratiam per se conferre, etsi qui ea susci pit, nec fidem, nec charitatem, nec obedientiam habeat: quod tam impium est, vt cùm quid per opus operatum intelligatur, supià doceret, fortiter dissimularit. Videri voluit antea paulò saniùs sentire, at nunc delatus impetu omnium fere Scholasticorum aliter sentire cogitur. *Tertio*, etsi alii aliter de Circumcisione sentiant, se tamen Thomam sequi innuit, qui ait eam non iustificâsse vi sua. Quid ergo de Patribus in vetere Testamento factum est? quomodo illi iustificati sunt? audite verò quid respondeat: & videbitis ex ore aduersantium veritati Deum elicere aliquando veram confessionem: ait veteres iustificatos fuisse ex merito passionis Christi per solam fidem: Volunt, inquit, ii auctores (Thomam intelligit & Thomæ discipulos) iustificatos fuisse veteres ex merito passionis Christi, vt nos iustificamur, sed hoc meritum nobis applicari per Sacramenta, Hebræis autem *per solam fidem*. Sic Bellarminus iustificationẽ ex sola fide tenet. Nam quomodo veteres iustificabantur, sic & nos, vt Paulus docet exemplo Abrahæ & Dauidis: horum enim exempla adducit, vt eodem modo omnes iustificatos esse doceat, quo illi iustificati sunt. Quod verò Bellarminus ait, Concilium Florentinum solis Sacramentis nostris tribuere vim iustificandi, verum id quidem est. Hæc enim illius Concilii verba sunt: *Antiquæ Legis Sacramenta non causabant gratiam, sed solùm eam per passionem Christi dandam figurabant: sed nostra & continent gratiam, & ipsam conferunt.* Nostris Sacramentis, vt & contineant & conferant gratiam, tribuunt Patres illius Concilii; vetera verò dicunt nec continuisse nec contulisse, sed tantùm figurâsse gratiam, & illam quidem dandam, non datam: vnde veteres non fuisse participes gratiæ, aut meritorum passionis Christi volunt. Hoc demum est de Sacramentis præclare & honorifice sentire, dicere illa esse solùm figuras,

Concil. Florent. in instr. ad Armenos.

ras, & nuda signa. Hoc illi de veteribus Sacramentis apertè dicunt, & nos de nouis idem dicere mentiuntur. At si verum sit, quod huius Concilii Patres dicunt, tum actum est de Patribus veteris Testamenti; nullam illi gratiam habuerunt, sine qua periisse necesse est. Sed statuendum est, illos eiusdem gratiæ participes fuisse, cuius nos sumus.

Nostra verò sententia in eo conuenit cum Pontificia, quòd negemus Sacramenta veteris Testamenti contulisse gratiam ex opere operato, etiam circumcisionem quidem: quòd verò aiunt, fuisse nuda signa, & vmbras rerum ipsarum expertes, id falsissimum esse dicimus. Nam in vsu legitimo veterum Sacramentorum Christum fuisse datum verè credentibus affirmamus, perinde ac in nouis; rem esse eandem in vtrisque, etsi figuræ sint variæ; datum fuisse verè in illis, quod figurabatur, etsi spiritualiter; non, vt Papistæ, nil esse omnino in illis datum. Sed etsi in hoc principali effectu nihil differunt Sacramenta veteris & noui Testamenti, tamen in aliis multis differre dicimus. *Primò* differunt signis, ceremoniis, & ritibus externis: alia enim illorum, alia nostrorum signa, & cæremoniæ sunt. *Secundò*, numero differunt. Nostra enim sunt numero paucissima, quia non nisi duo sunt: illi etiam duo tantùm ordinaria & perpetua habuerunt, sed alia temporaria, & extraordinaria, vt mare, nubem, petram, purificationes.

Tertiò, facilitas nostrorum maior: illorum enim circumcisio non carebat dolore: præterea molestum erat obseruare omnes ritus Mosaicos: non tantus aut dolor aut molestia in nostro Baptismo & Eucharistia.

Quartò, nostra Sacramenta multò clariora sunt tum quòd promissiones noui Testamenti clariores & luculentiores sunt, tum quòd quæ figurabantur in vetere Testamento, ea in nouo impleta & exhibita sunt.

Quintò, vetera Sacramenta erant figuræ & typi nostrorum: hoc enim Apostolus dicere videtur, & sic multi ex Apostolo colligunt: quanquam reuera hoc disertè Apostolus non dicit; loquitur enim de iudiciis Dei aduersus populum Israelicum, & ait illa typos nobis fuisse. At negari non potest, Petrum appellare Baptismum nostrum ἀντίτυπον aquis diluuii, hoc est, typum cum typo collatum aut comparatum, vel typum typo oppositum. Aliquando enim typus ad rem refertur, quam repræsentat, vt liberatio ex Ægypto ad nostram spiritualem liberationem: aliquando alius typus ad alium refertur, vt nubes & mare ad nostrum Baptismum, aut diluuium ad Baptismum; & illos typos; hæc verò ἀντίτυπα dicimus, quia ambo rem eandem repræsentant. 1. Cor. 10. 6.

Sextò, vetera Sacramenta non nisi ad Messiæ aduentum durabant,

bant, & tum oportebat cessare & abrogari, quia Christi mortem figurabant; quare Apostolus ait, Christum nobis nihil prodesse, si circumcidamur: at nostra Sacramenta ad finem mundi duratura sunt, quia Christum iam venisse docent, qui non iterum ante mundi finem venturus est: ideo Paulus ait, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, vsquequò venerit.* Quare multum interesse dicimus inter Sacramenta veteris & noui Testamenti, ac proinde Pontificii falso affirmant nos nullam prærogatiuam noui Testamenti Sacramentis deferre. Et has differentias ex Patribus didicimus, præcipuè verò ex Augustino. Sic enim Augustinus, *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit.* Ita alibi, *Mutata Sacramenta, facta sunt faciliora, salubriora, saliciora.* Similiter scribens aduersus Faustum vel potiùs infaustum Manichæum hæc verba habet, *Prima Sacramenta cùm suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt, & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

Gal. 5. 2.

1. Cor. 11. 26.

August. l. 3. c. 9. de doctrin. Christ.

Idem in Psalm. 73.

Idem cõt. Faust. Manich. l. 19. c. 13.

Et eadem ferè alibi habet. Ergo multum nostra Sacramenta antiquis & meritò præferuntur. Sed quod ad effectum gratiæ attinet in recto vsu, paria sunt. Nam *primò*, ab eodem Deo instituta sunt: *secundò* eandem rem & materiam spiritualem habent, Christum scilicet cum suis beneficiis: *tertiò*, quicquid in vtrisque oblatum est, solo fidei instrumento recipitur: *quartò* idem vtrorumque finis est, vt σφραγῖδες scilicet, id est, sigilla sint.

Idem Epistol. 18.

Idem de vera relig. c. 17.

Et tamen verum est, quod Augustinus ait, nostra Sacramenta esse virtute maiora, vtilitate meliora, significatione præstantiora; quod non de substantia gratiæ, sed de modo, & quantitate, & gradu intelligendum est. Et hoc modo nostra sunt efficaciora illis; quia Christus & in verbo & in Sacramentis vberiùs & pleniùs à nobis percipitur; quia nostra sunt clariora & expressiora; & quia Spiritus sanctus effunditur in corda nostra largiùs. Non vult Augustinus, vetera Sacramenta fuisse fœlicitatis & salutis prorsus expertia, sed illis obscurius, nostris verò clarissimè Christum cum suis meritis communicari; non tam claræ & luculentæ gratiæ illos per sua Sacramenta participes fuisse, quàm nos per nostra, sed tamen eiusdem gratiæ participes gratiæ participes fuisse.

Et de statu Quæstionis hactenus.

***

CA-

CAPVT II.

In quo argumenta Aduersariorum proponuntur & diluuntur.

NVNC ad argumenta veniamus. Aduersarii argumentatio ferè tota aliena est: vult enim probare, Sacramenta veteŗa non contuliſſe gratiam ex opere operato; quod nos negamus etiam de nouis. Ita argumenta eius omnia præteriri à nobis possunt, quia nihil contra nos faciunt. Sed quia nonnulla intermiscet & interponit, vt probet vi nostrorum Sacramentorum gratiam dari, & vetera tantùm nuda signa fuisse; vniuersa breuiter examinabimus. *Primum* eius argumentum sumitur ex Scripturis: & multæ quidem ab illo afferuntur ex vtroque Testamento Scripturæ, quibus conatur Sacramentis veteribus vim omnem iustificandi adimere, quam Aduersarii nostris tribuunt: & tamen nullum attulit testimonium, quod nostris gratiam iustificandi ascribit. At nos quidem non dicimus, vetera Sacramenta iustificâsse, sed fuisse Sacramenta tamen iustificationis, non minus quàm nostra; & pios in usu veterum Sacramentorum fuisse multiplicis gratiæ participes: quod cùm Bellarminus conetur improbare, Deo ipsi litem intendit. Sed quod possit afferre contra vetera Sacramenta videamus. Etsi enim quæ affert à causa aliena sunt, tamen quoniam dispurat contra vetera Sacramenta, nostrum est eadem ab illius calumniis vindicare.

Primum Scripturæ testimonium sumitur ex libro Psalmorum: *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfeciſti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulâsti.* Et alibi: Si voluisses sacrificium, dedissem, *vtique holocaustis non delectaberis.* Similiter Isai. 1. *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? quis quæsivit hæc de manibus vestris?* Ex his & huiusmodi locis vult probare, vetera sacrificia non expiâsse peccatum. *Respondeo*: Absurdissimum & alienissimum. Quasi verò nostrum quisquam dixerit nostra Sacramenta expiâsse peccata: hoc soli Christo, vt æquum est, tribuimus. Ex nouo Testamento hunc locum affert, quem tractamus; ex quo sic disputat: Abraham fuit iustificatus ante circumcisionem: ergo Circumcisio non est data, vt iustificaret. *Respondeo:* Verissima conclusio: at data tamen est, vt iustificationem obsignaret. Præterea affert alios locos, vt illud ex Paulo, *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est:* & alibi; vbi Paulus vocat vmbras Legis *infirma & egena elementa*; & alia huiusmodi, quæ multum detrahere videntur Sacramentis veteris Testamenti. Sed & de nostris Sacramentis quoad iustificationem idem dici posset. *Respondeo:* igitur, non probari ex his locis, pios in vetere Testamẽto non accepisse gratiam & iustitiam in vsu Sacramentorum & Sacrificiorum: nã hic illorũ vsus vetus, legitimus, & pro-

Psal. 39. 9. 10.

Psal. 50. 27.

Isa. 1. 11.

1. Cor. 7. 19.

Gal. 4. 9.

& proprius fuit, vt pii in illis Christum per fidem percipierent, & cum Christo bona omnia. Qui hoc illis adimit, extollat nova Sacramenta, quantum volet, in Deum & vetus Testamentum, & Ecclesiam, blasphemus est. Quare ergo Scriptura sic deprimit illa, & quasi extenuat? *Respondeo primò*: Quia Iudæi olim, & postea Pseudapostoli, & hypocritæ, in illis ceremoniis vt in perfecta pietate acquiescebant, in iis summam religionem positam esse, & eorum executione se Deum placâsse, & officio suo satisfeciſſe putabant, cùm interim veræ fidei & pœnitentiæ expertes essent; & quia illas ceremonias à Christo separabant: ergo Scriptura omnem illum harum ceremoniarum apparatum eo modo nil valuisse affirmat, non simpliciter. Hoc est quod Isaias ait, *Isai. 1. 11.* *Quorsum multitudo victimarum vestrarum?* quia illi victimas offerebant, cùm tamen in peccatis interim persisterent: at pii, qui aliam mentem habebant, & fide præditi erant, & in victimis Christi mortem intuebantur, magnum fructum ex illis Sacramentis & Sacrificiis percipiebãt. Verùm Bellarminus istam responsionem oppugnat, sed leuiter: contra eam aliquid blaterat, sed nihil ad rem. Paulus (inquit) vetera Sacramenta vocat egena elementa, & nihil esse affirmat, nostra autem ait saluare, regenerare, mundare, iustificare. *Respondeo*: Paulus vetera Sacramenta egena elementa vocat, & nil valere ait, extra Christum scilicet, & cum iam abrogata essent, non simpliciter. Quoad Galatas nuda & egena elementa fuerunt, at non quoad Patres, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Dauidem, & reliquos, & tamen quoad illos etiam sic dici potuerunt, quia per se talia erant: non enim ex opere operato iustificabant. Nostra etiam Sacramenta hæc facere dicuntur, quæ memorat, non ex opere operato, sed quia tantam in nobis gratiam obsignãt, si modo fideles sumus, nam aliâs Baptismus quoque egenum elementum est non minus quàm circumcisio. Sed adhuc obiicit, quòd Apostolus vocet illa Sacramenta vmbras & figuras rerum nostrarũ, ergo non iustificabant, inquit, non modò vt falsò exponebantur à Iudæis, sed etiam secundum se, & vt erant Sacramenta à Deo instituta. *Respondeo:* Paulus vetera Sacramenta ait fuisse vmbras & figuras, quia Christum adumbrabant, ille corpus & res fuit, hæc illius corporis vmbræ. Ita de nostris Sacramentis statuendum est, si cum Christo comparentur, adumbrant enim illum; nec in illis gratia est, sed vmbræ sunt illius gratiæ, quæ in Christo est. Iam quòd ait, Apostolum dicere, has vmbras nihil valuisse; non id ait Apostolus, & licet hoc diceret, tamen sic intelligendus esset, quia cum iam Christus exhibitus est, quorsum vmbræ spectant? hoc argumentum contra eos vrget, qui ceremoniarum nimium tenaces erant: ceremoniæ vmbræ erãt Christi: Christus corpus, ergo corpore exhibito cæremonias iam missas faciamus. Sed adhuc instat Bellarminus

nus in hunc modum: Si Paulus vellet solum dicere, Sacramenta vetera sine fide nihil prodesse, non conferret cum præputio, dicendo, *1. Cor. 7.* *Circumcisio nihil est; & præputium nihil* *Gal. 6. 13.* *est, & neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium*: nam præputium, inquit, non solum sine fide, sed & cum fide nihil est, & nihil valet. *Respondeo:* Quando Apostolus de Circumcisione sic scripsit, non modo nihil sine fide, sed ne cum fide proderat: erat enim iam prorsus abrogata: merito ergo cum præputio cũ comparari potuit; tãtundem enim tum *II.* valebat. *Secundò* cum Caluino integerrimo Theologo *respondeo*: vetera Sacramẽta vmbras dici, non quod non omnino Christum repræsentarent, sed quod minus clare & significanter id facerent, quàm nostra, & quod in nostris vberior Spiritus gratia se proferat, quam in illis. Bellarminus obiicit *primò*. Tum Paulus, inquit, nõ diceret illa nihil esse. *Respondeo*: non dicit esse nihil, cum vmbras vocat: sed post abrogationem nihil esse dicit. At vmbræ vocantur, etiam cum adhuc in vsu essent, & nondum abrogarentur. *Secundò* obiicit, quod vocantur non imagines, sed vmbræ: at vmbra non est minus corpus, sed nullum. *Re-* *Heb. 10 1.* *spondeo:* Non dicimus vmbras fuisse corpus aut maius aut minus; tum enim fuissent ipse Christus: sed vmbras vocamus, quia in illis Christus repræsentabatur obscure quidem: num quia Christus obscure, ergo non omnino percipiebatur à fidelibus in vmbris? Sic enim argumentari videtur Bellarminus: Ceremoniæ erant vmbræ & figuræ: ergo inanes erant, & Christus in illis non fuit. Hoc argumentum si sequatur, tum neque in nostris Christus est: nam & nostra Sacramenta imagines & figuræ sunt: imago vero non est corpus. Sed etsi erat vmbratilis quodammodo vsus veterũ Sacramentorũ, tamen pii vere Christum in illis percipiebant. *Tertio* igitur *III.* cum Caluino *respondeo*: quando Apostolus ita extenuat vetera Sacramenta, vt iis nihil tribuere videatur, de iis loquũ pro eo tempore, quo iam erant per Christum abrogata. Bellarminus multa Scripturæ loca contra affert, de quibus ego breviter respondebo. *Primus* locus habetur Rom. 2. *Circumcisio quidem* *Rom. 2.* *prodest, si legem observes. Respondeo:* 25. Hic locus maxime contra ipsum facit: nam ait hic Apostolus, Circumcisionem prodesse, at illi nullam ei vtilitatem tribuunt. Audite enim, quæso, quomodo eam vtilem fuisse Bellarminus ait, quia circumcisi, inquit, habebant Legem Dei, & poterant facilius quam alii nosse Dei voluntatem. *Respondeo*. Præclara scilicet vtilitas! quasi nó institũta circumcisio fuerit propter aliam causam inter Israelitas, nisi vt iis Deus daret Legem suam, & quasi non potuisset Deus dare Legem suam incircumcisis, cum circumcisio diu ante Legem data fuit. At legimus Circumcisionem in alium vsum datam esse, nempe vt esset signum & sigillum fœderis inter Deum & illum populum, profuit ergo multum. Sed *Gen. 17.* hic locus nihil ad rem facit, quia *10. 11.*

Rom. 4 11. hic Paulus non extenuat circumcisionem, sed amplificat, nos autem dicimus Paulum, quando detrahit circumcisioni, de circumcisione abrogata loqui. *Secundus* locus, quem affert Bellarminus, habetur

1. *Cor.* 7. 19. 1. Corinth. 7: *Circumcisio nihil est. Respondeo*: Nos antea respondimus,

vers. 18. Apostolum hic de Circumcisione abrogata loqui. Sed Bellarminus hoc refellit ex eo quod præcedit, quia Apostolus paulo ante dixerat : *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium.* Loquitur de circumcisis in Lege, & monet ne glorientur propter circumcisionem, quia nihil est. *Respondeo*: Loquitur aperte de circumcisione abrogata: nam alias non dixisset, μὴ ἀπαιτάσθω, *ne attrahat præputium*, quasi quia iam circumcisio abrogata fuit, præputium attrahendum erat : & quia ait, qui in præputio est, μὴ περιτμνέσθω, *ne circumcidatur* : at si tum Circumcisio viguisset, necesse fuit eum περιτμνεσθαι, *circumcidi*. Non ergo vt non glorientur monet, sed vt non abiectius de se sentiant, aut se à Christi gratia remotiores esse putent propter aut Circumcisionem aut præputium, sed vt quisque in eo statu, in quo vocatus est, se acceptum fore Deo sciat.

Gal. 4. 3. *Tertius* Scripturæ locus à Bellarmino citatus habetur Galat. 4. vbi Paulus ait, antiquos Patres sub elementis mundi huius fuisse seruientes. *Respondeo*. Hoc quoque est Sophisticum. Paulus non ait, hæc mundi elementa fuisse infirma & egena quoad Patres, sed quoad Galatas, & si quoad Patres, non tamen quoad omnes, sed quoad eos tantum, qui in illis Christum non intuebantur: sed Paulus ait, illa elementa fuisse Galatis post Christum infirma & egena.

Phil. 3. 4. 5. *Quartus* Scripturæ locus habetur Phil. 3. vbi Paulus contemnit Circumcisionem, quam acceperat, etiam cum ea vigeret. *Respon*: Apostolum loqui de circumcisione & aliis huiusmodi rebus, vt à Christo separabantur, & vt à Christo abducebant, præ Christo Circumcisionem contemnebat, & se ex circumcisione iustificatum fuisse non putabat. Perinde est quasi diceret, non posse hominem per illa iustificari, sed per Christum tantum.

Coloss. 2. 17. *Heb.* 10. *Quintus* locus habetur Coloss. 2. & Hebræor. 10. vbi Paulus vocat veteris Testamenti Sacramenta & Sacrificia vmbras & figuras, non autem erant vmbræ & figuræ, inquit, nisi ante abrogationem. *Respondeo*: vmbras vocari etiam in legitimo vsu, & non fuisse inanes gratiæ, quia vmbræ. Vocantur vmbræ, vt diximus, quia minus explicate Christum repræsentarunt, quam nostra.

Heb. 7. & 10. &c. *Sextus* locus habetur Hebr. 7. & 10. vbi Apostolus ait, abrogata fuisse illa propter infirmitatem & inutilitatem, quia non potuerunt expiare peccata, ergo venisse Christum, vt perficeret, quod illa non poterant. *Respondeo* : Erant quidem infirma & inutilia hoc modo, scilicet quoad expiationem à peccatis per se, vt multi falso credebant se per illa & propter illa à peccatis

tis expiatos fuisse. Sed Christus solus sic peccata expiat: ne nostra quidem Sacramenta hoc modo expiant peccata. Non ait Apostolus sublata illa esse, vt nostris Sacramentis hoc fiat, sed Christum successisse in illorum locum, & cessisse illa omnia Christo, non nostris Sacramentis, quia omnis expiatio peccatorum fluit à Christo. Interim non sequitur, quin Christus in antiquis Sacramentis peccata fidelium expiauerit.

IV. Caluin. Instit. l. 4. 14. §. 25. *Quartò* cum Caluino *respondeo*: ceremonias Legis vocari vmbratiles, non quod nil solidi haberent, sed quia earum complementum erat quodammodo suspensum vsque ad Christum. Bellarminus *primò* respondet, Paulum vocare vmbras, non vmbratiles. *Respondeo*: Sensus idem est, vmbræ dicuntur, quia repræsentabant & adumbrabant Christum. *Secundo* ait Bellarminus, tum & nostra quoque Sacramenta vmbratilia dici posse, *Respondeo*: nostra quoque dici figuras & etiam vmbras quodam sensu, sed non vt vetera, quia nostra non venturum sed exhibitum iam Christum repræsentant. Sed obiicit Bellarminus, nostra resurrectionem & gloriam futuram repræsentare. *Respondeo*: non nisi improprie & per accidens : repræsentant quidem proprie nostram cum Christo resurrectionem à peccatis; at non nisi per accidens resurrectionem ad gloriam. *Quintò* igitur & vltimo *respondeo*: Apostolum potius loqui de modo significandi quam efficacia, id est, non sensisse vetera esse prorsus inefficacia, sed significandi modum non fuisse tam efficacem in illis quam in nostris. Bellarminus ait, hoc impudentissimè asseri, nam illa verba, *Nihil est; nihil valet; elementa egena, infirma, inutilia; non posse expiare peccata*, & similia, non posse nisi de efficacia exponi. *Respondeo*: Bellarminus non disputat contra mentem Caluini. Nam Caluinus quod vetera Sacramenta & Sacrificia vocantur vmbræ, hoc exponi vult de modo significandi : vmbræ enim vocantur etiam in legitimo vsu, quod vero Paulus ait, nil esse, nil valere, infirma & egena elementa esse, hoc de illis intelligi vult, quatenus iam abrogata erant.

Secundum Bellarmini argumentum consistit in testimoniis Patrum, de quibus non est opus sigillatim respondere; vna responsio quadrabit ad omnia. Negant vno ore vetera Sacramenta iustificasse, & contemptim pene de illis loquuntur. In hac classe primum locum tribuit Philoni & Iosepho, qui Christiani non fuerunt; & quod ait, hos potissimum scire potuisse, quorsum instituta Circũcisio esset, quia Hebræi erant, non valet eius ratio, nam ex Christo & eius Apostolis multo certius intelligi potest, quid de Circumcisione intelligendum sit, quam ex illis, qui nihil de Christo norunt ac tenuerũt. Ex Euangelii doctrina de veteribus Sacramentis æstimandum est; vt quiuis Christianus multo melius & rectius

ctius intelligat, in quem finem vetera Sacramenta instituta sunt, quam Philo & Iosephus, qui nihil fere recte intelligebant. Nam quod Iosephus ait, institutam esse Circumcisionem, non ut sive Abrahæ posteritas ab aliis Gentibus discerneretur, summam illius arguit & negligentiam & imperitiam. In eo enim & cũ Paulo, & cum Patribus, maxime cum Augustino, & cum Scholasticis etiam pugnat, vt nos postea docebimus. Iam vero quod ad Patres attinet, qui sic extenuant & quodammodo exinaniunt vetera Sacramenta, *respondeo primo*, eos loqui de Sacramentis eo modo, quo Iudæi Sacramentis vtebantur, vt in illis scilicet salutem & iustitiam ponebant, non vt ex vi mortis Christi pendebant. Quemadmodum & Apostolus ait illa non purgasse aut expiasse peccata, hærebat enim opinio in animis Iudæorum, homines esse duntaxat per illa iustificandos sine vllo alio medio, etiam carentes fide in Christum. Quare Patres Scripturas sequentes hanc virtutem non Sacrificiis, non Circumcisioni tribuendam esse aiunt, & hoc modo multum illis detrahunt, & nullam illis gratiam aut iustitiam relinquunt.

II. *Secundo*, quando Patres vetera Sacramenta cum nostris comparant, & illa aiunt non iustificasse, nostra iustificare, vt quod Augustinus ait, *Sacramenta noui Testamenti dare salutem, Sacramenta veteris Testamenti promisisse Saluatorem. Respondeo* cum Caluino, has dicendi formulas esse hyperbolicas, & non esse minus rigide vrgendas. Ad hunc enim modum intelligendus est Augustinus, vt non de gratia aut virtute, quæ in vtriusque Sacramentis insit, loquatur, sed de redemptione ipsa per Christum, quam vetera Sacramenta promittebant, nostra vero exhibent: quare nostra salutem dare dicuntur, qua redemptionem non futuram figurant, vt vetera, sed eam iam factam & consummatam declarant & testantur. Hoc est, quod tam sæpe Augustinus ait, *vetera Christum pranunciasse, nostra annunciare.* Et idem ait, vetera fuisse *promissiones rerum complendarum; nostra indicia rerum completarum.* Hoc est promittere & dare in sensu Augustini. Sic idem alibi ait, Sacramenta vetera *prænunciauisse rem futuram; nostra vero contestari venisse, quod illa venturum prædicabant*: & paulo post, *illis ventura ista pranuntiabantur, istis completa illa prædicantur.* Qui aliter Augustinum intelligit aut interpretatur, illius testimonio non recte vtitur.

Augustin. cõt Faust. l 19. c.

Idem cont. Petil. lian. l. 2. c. 37.

III. *Tertio respondeo*, Augustinum & Patres, quando sic de Sacramentis loquuntur, de modo significandi loqui, quod vetera Sacramenta venturum Christum significabant, nostra venisse; non de efficacia, nisi quatenus hic modus significandi, qui in nostris cernitur, est multo illustrior, & ideo magis nos ad gratiam amplectendam excitat. Sed Bellarminus obiicit, Augustinum dicere, nostra Sacramenta non significare Saluatorem, sed

sed dare salutem. *Respondeo*: Quomodo hoc intelligendum sit, iam satis diximus, nempe quia iam Christum nos sua morte redemisse, & salutem nobis acquisiuisse testantur. Sic dare salutem dicuntur, quia datam esse salutem declarant. Deinde obiicit, Augustinum dicere, nostra Sacramenta esse *salubriora & felicior*a, & alibi, esse *virtute maiora, vtilitate meliora*, at hæc ad efficaciam, non ad significationem pertinent. *Respondeo*: ergo vetera Sacramenta erant salubria, & fælicia, & virtute magna, vtilitate bona, sed nostra multò magis propter maiorem reuelationem, quia magis enucleate gratiam confirmant, quàm vetera. Hoc est quod nos dicimus secundum magis & minus differre. Præterea obiicit, Augustinum dicere, homines non fuisse iustificatos veteribus Sacramentis. *Respondeo*, Augustinus loquitur vt Apostolus, sacrificia non abstuliſse peccatum, non enim ipsa Sacrificia aut Sacramenta hoc præstabant, sed Christus tantum. Et hoc est quod idem alibi ait, *in sacrificiis non fuisse expiationem peccatorum*. Verissimum hoc quidem est, non enim Sacramenta expiabant illos, sed solus Christus.

Idem cõt. Faust. l. 19. c. 13.

Idem Epistol. 19. ad Hieron.

Idem tract. 41. in Ioan.

Et sic ille locus Augustini intelligendus est, quem posteà affert Bellarminus, *Si per se attendantur Sacramenta vetera, nullo pacto possunt mederi, si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum.* Verissimum hoc etiam est, Sacramenta vetera per se considerata nullo modo mederi potuisse: quomodo etiam mederi potuit Circumcisio, aut agnus Paschalis? Sed hic locus contra Bellarminum vel maxime facit: docet enim in Sacramentis veteribus inueniri purgationem peccatorum, si res ipsæ, quarum Sacramenta sunt, inquirantur, id est, Christus cum sua redemptione: ergo veteres, qui Christum in illis quærebant, fuerunt in illis à peccatis purgati; qui res ipsas in illis inquirebant, inuenerunt in illis purgationem peccatorum. Ita nostram sententiam Augustinus tuetur. Atque hoc etiam verum est de nostris Sacramentis: si enim ipsa per se Sacramenta considerentur, non nostra magis quàm illorum possunt sanare vulnera animarum nostrarum, aut iis mederi, sin rem ipsam consideremus, posse in iis inueniri purgationem peccatorum dicimus. Ita vetera Sacramenta ab Augustino æquantur novis.

Idem quæst. 25. in lib. Numer.

Tertium & postremum Bellarmini argumentum nititur ratiunculis quibusdam, quas ille ait in Scriptura fundatas esse. Quatuor ille rationibus vtitur, quarum *prima*, hæc est: Nullum in vetere Testamento Sacramentum habuit annexam promissionem gratiæ & remissionis peccatorum, quod Aduersarii in omni Sacramento requirunt: ergo nullum eorum iustificabat. Nostra responsio est habuisse: & si posset probare non habuisse

buisse, noſtram ſententiam & doctrinam refelleret. Probat vero
Heb. 8. 6. *primò* ex Hebræor. 8. vbi Chriſtus
I. melioris Teſtamenti mediator dicitur, quod in melioribus promiſſionibus ſancitum eſt. Quæ vero illæ meliores promiſſiones ſint
verſ. 12. poſtea docet, *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius* : ergo hæ promiſſiones non videntur pertinuiſſe ad vetus Teſtamentum. Antequam reſpondeam, duo velim obſervari. *Primum* hoc eſt, Etiamſi vetera Sacramenta non habuerunt promiſſiones gratiæ annexas, poſſe tamen paria eſſe noſtris quoad gratiam, etiam ex ſententia Papiſtarum, atque adeo ipſius Bellarmini, qui verbum promiſſionis è definitione Sacramenti tollendum eſſe ſupra multis verbis contendit. Nolunt illi annexas eſſe promiſſiones gratiæ de Sacramentis quidem noui Teſtamenti. Aut ergo nunc mutauit ſententiam Bellarminus, aut hoc argumentum non concludit, vetera Sacramenta non fuiſſe noſtris æqualia.

Secundum eſt, Bellarminum ſic diſtinguere inter vetus nouumque Teſtamentum, vt dicat omnes promiſſiones de remiſſione peccatorum ad nouum Teſtamentum pertinere; nullam fuiſſe in vetere Teſtamento peccatorum remiſſionem, quia hoc eſt proprium noui Teſtamenti, *Propitius ero iniquitatibus eorum.* Quod ſi verum ſit, tum certum eſt, veteres Patres periiſſe omnes, quia ſine remiſſione peccatorum non potuerunt ſeruari. Quare cum hæc abſurda ſit theologia, manifeſtum eſt falſum eſſe quod Bellarminus ait. Sed nunc de loco Apoſtoli reſpondeo. Quod ergo Apoſtolus ait, promiſſiones noui Teſtamenti meliores & præſtantiores eſſe promiſſionibus veteris Teſtamenti, veriſſimum eſt, quia illæ ceremoniæ veteris Teſtamenti non ipſam remiſſionem & gratiam præſtabant, ſed repræſentabant tantum: at Chriſtus præſtat, quod illæ figurabant. Summa eſt, non in illis ceremoniis Leuiticis ſalutem quærendam fuiſſe, ſed in Chriſto. Sed quid hoc ad rem? nam *primò* etſi illi ritus ſalutem non præſtabant, tamen promittebant per Chriſtum, & in illis Chriſtus efcax fuit non minus quam in noſtris. *Secundò* Apoſtolus non comparat Sacramenta vetera cum nouis, ſed cum Chriſto: ſi cum Chriſto conferas aut vetera aut noua, maximum eſt diſcrimen. Probat vero *ſecundò* Bellarminus
II. antecedens ex Auguſtino, qui ait
Auguſt. in Pſalm. 72. in illis Sacramentis promiſſas eſſe res terrenas, in noſtris cœleſtes. *Reſpondeo:* Auguſtinus quidem ibi ait, promiſſiones illi populo factas fuiſſe terrenas: ſed tamen per has promiſſiones non perſeueraturas figuratas eſſe futuras promiſſiones perſeueraturas: & eas fuiſſe figuras & prophetias futurorum: & licet omnes non hoc intelligebant, tamen Prophetæ & pii omnes

mnes intellexerunt. Quare Auguſtinus aperte in illis rebus terrenis figurata & promiſſa eſſe cœleſtia ait, ac proinde habebant Patres veteris Teſtamenti promiſſiones cœleſtes rebus terrenis adumbratas. Etſi ergo illæ promiſſiones erant obſcuriores, tamen piis cœleſtes erant: terra Canaan typus erat regni cœleſtis. Si Deus nihil iis niſi terrena promiſiſſet, non magna cauſa eſt, cur tam egregiè de populo illo meritus exiſtimetur; nam ſic exiguum regnum, & breuem felicitatem, & pauca bona illis promiſiſſet. Sic Auguſtinus alibi ait, *antiquos*
Auguſt. eõt. Fauſt. l. 19. c. 14. *iuſtos in illis Sacramentis intellexiſſe venturam prænunciari reuelationem fidei, & ſic vixiſſe.* Et adhuc alibi ſic
Idem c. 33. quæſt. in lib. Num. ſcribit: *Promiſſa ibi videntur temporalia proponi, quibus ſpirituale præmium occultè ſignificetur.* Eſſe ergo promiſſa diuerſa ait, non quoad rem, ſed quoad modum, quia, vt inquit, *in nouo Teſtamento ſpiritualia & æterna promittuntur manifeſtiſſimè, ſed in vetere occultè*: at quoad res ſic ait, *Eadem ſunt in vetere & in nouo, ibi obumbrata, hic reuelata; ibi præfigurata, hic manifeſtata.* Ergo longe abfuit Auguſtinus à mente Bellarmini. Et certe abſurdiſſime ſentiunt, qui ita ſentiunt, Deum terram tantum & res terrenas Patribus promiſiſſe, quare neceſſe eſt dicamus terreſtribus figurata fuiſſe cœleſtia.

III. *Tertiò* Bellarminus probat ex Luthero, vetus Teſtamentum non habuiſſe promiſſiones remiſſionis peccatorum. *Reſpondeo*: Lutherus ait, vetera Sacramenta non ipſa expiaſſe peccata; ſed tamen non negat, annexam fuiſſe illis Sacramentis promiſſionem gratiæ in legitimo vſu. Et ſic nec noſtra quidem Sacramenta per ſe purgant. Idem ſenſit Lutherus, quod nos, non in Sacrificiis aut in Sacramentis vel veteribus vel nobis quærendam eſſe ſalutem, ſed in Chriſto.

Quartò & poſtremo hoc pro- IV.
bat ex ſingulis veteris Teſtamenti Sacramentis, atque hic affert ſacrificium Abelis, iridem, vellus Gedeonis, horologium Achaz. *Gen. 4. 4. Heb. 11. 4.* *Reſpondeo*: De ſacrificio Abelis legimus, illud placuiſſe Deo, & Abelem illud per fidem obtuliſſe: fides autem in Chriſtum mortuum dirigitur, ergo erat Sacramentum mortis Chriſti, & confirmabat promiſſionem de redemptione generis humani per mortem Chriſti. Hinc patet ſacrificium Abelis præfiguraſſe Chriſti ſacrificium in cruce.

Quod ad iridem attinet, & vellus Gedeonis, & horologium Achaz, fateor fuiſſe beneficiorum temporalium ſymbola. Sed nos de propriis & ordinariis Eccleſiæ Iſraeliticæ ſacrificiis & Sacramentis agimus, cuiuſmodi erant Circumciſio, Agnus Paſchalis, nubes, mare, & manna; & hæc fuiſſe Sacramenta promiſſionis gratiæ, cum Chriſto, & Apoſtolo, & Auguſtino dicimus.

Bel-

Bellarminus ait, se postea ostensurum non fuisse, nullum hoc loco contra hæc argumentum offert: At ille hoc nunquam ostendet, nos vero contrarium postea ostendemus.

Nunc ad *secundam* Bellarmini rationem accedo, quæ est huiusmodi: Lex ipsa vetus tota in hoc distinguitur à noua, quod illa non iustificat, hæc iustificat, ergo fieri non potest, vt Sacramenta vetera, quæ erant pars quædam illius Legis, iustificarent. Legem veterem non iustificasse, probat quatuor argumentis, quæ plane nihil ad rem pertinent; nam contra nos non faciunt. Bellarminus à Quæstione digreditur, quæ est, num Sacramenta vetera non contulerint gratiam eo modo, quo noua, id est, num minus efficacia fuerint, illi vetera dicunt non contulisse gratiam omnino; at nostra conferre ex opere operato. Iam vt hoc probet, veterem Legem probat non iustificasse, quid hoc ad rem?
Gal. 2. 21. nam si ex Lege iustitia, Christus frustra mortuus est, vt ait Apostolus.

In nullo iustitia, nisi in Christo quærenda est, non à Mose, aut ab eius Lege, Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christum, absit vt salutem in Mose, aut alibi quam in Christo quæramus. Sed hoc modo Sacramenta vetera & Lex vetus cum Christo comparantur, non cum nouis Sacramentis, & noua, etsi sint efficacia, tamen minus (opinor) efficacia sunt, quam Christus ipse. Sed num quia Lex non iustificat, sed Christus, ideo qui vsi Sacramentis priscis sunt, non in illis gratiam & remissionem peccatorum habuerunt, vt nos in nostris. Bellarminus ait, veteres Sanctos fuisse quidem iustificatos à peccatis suis, sed non per Testamentum vetus, aut per eius Sacramenta, sed per Testamentum nouum. Quid hoc, per Testamentum nouum? num Sancti veteres iustificati sunt per Sacramenta noui Testamenti? non id, opinor, dicet, quia nunquam illis vsi sunt; nondum enim erant instituta, ergo per nouum Testamentum intelligat necesse est Christum, & ideo non opponit Sacramenta vetera nouis, vt debuit, sed Christo. Non igitur argumentum recte institutum est, quia etsi non Lex, non vetus Testamentum iustificabat, tamen Christus fideles omnes in vetere Testamento iustificabat, & hanc iustificationem Sacramenta obsignabant, & Sacramenta non omnino aliter iustificant in nouo Testamento, quia solus ipse Christus nunc quoque iustificat; Sacramenta vero hanc iustificationem obsignant.

Tertia Bellarmini ratio sic se habet, Promissiones annexæ Sacramentis veteribus implebantur, etiamsi homines non credebant, ergo non erant instituta ad iustificandum, quia non sine fide iustificamur. Probat ille hoc *primò* de iride, quæ significauit mundum diluuio nunquam periturum, hæc promissio, inquit, implebitur, & implebitur, etiamsi homines non credant.

dant. Sed iris non est proprie Sacramentum. *Secundò* probat ex circumcisione, cui annexa promissio fuit, inquit, vt Abraham fieret pater multarum Gentium, & daret posteris eius terram promissionis
Gen. 17. 4. 8. vt patet Genes. 17. & Roman. 4.
Rom. 4. 11. 17. *Respondeo*: Non hæc vnica fuit promissio annexa Circumcisioni,
Gen. 17. 7. vt Abraham fieret pater multarum Gentium: nam ait Deus, Hoc erit fœdus perpetuum inter me & te, semen tuum post te, me fore tibi Deum & semini tuo. Hæc erat promissio principalis, quæ non impletur sine fide: illa vero altera de multitudine posterorum, & terra Canaan illis danda, non nisi secundaria promissio fuit, & quasi appendix huius promissionis. Vnde patet circumcisionem obsignasse hanc promissionem Abrahamo & posteris eius, Deum fore Deum illorum, in qua promissione omnia bona insunt. Et huius promissionis nemo sine fine particeps
Rom. 4. 11. est. Sic Apostolus hoc in loco, quem tractamus, nullum esse filium Abrahæ docet, nisi qui credit, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα, inquit, πάντων τῶν πιστευόντων, *vt esset pater omnium credentium*. Nulli ergo erant gemini filii Abrahæ, nisi credentes, ne Ismael quidem: & nos qui credimus, eius filii sumus. Ad Ismaelem non pertinebat hæc promissio, quia fide caret; ad vere autem credentes omnes pertinet, perinde ac pertinebat ad Abrahamum ipsum. Ergo hæc promissio tantum fide impletur: non est enim Deus Deus noster sine fide.

Tertiò probat hoc Bellarminus ex sacrificiis, quibus annexa fuit promissio de Christi morte futura pro expiatione peccatorum: hæc promissio, inquit, implenda fuit, siue crederent homines, siue non crederent. *Respondeo*: Promissio illa non modo erat, mactandum esse Christum, sed ad salutem & iustificationem fidelium mactandum esse. Si modo de Christi morte promissio illa fuisset, fateor implendam fuisse, siue crederent homines, sine non crederent: sed Deus non modo promisit Christum moriturum, sed nobis moriturum, id est, vt nos redimeret: ergo huius promissionis nemo sine fide particeps fuit. Profuit hæc promissio tantum credentibus: ergo fides etiam in veteribus sacrificiis requirebatur.

Quarta & postrema Bellarmini ratio isti iusmodi est: Nostra Sacramenta dicuntur in Scripturis saluare, regenerare, iustificare: nihil tale vsquam legitur de Sacramentis veteribus: ergo temere asseruntur paria quoad efficaciam. *Respondeo*: Nostra Sacramenta dicuntur hæc omnia præstare, non quod ipsa proprie & per se hæc præstent, sed quia nostram salutem & iustificationem à Christo iam peractam credentibus obsignant. Et hoc ve- *Rom. 4. 11.*
tera etiam Sacramenta fecerunt, vt hic Circumcisio sigillum iustitiæ, quæ est ex fide dicitur, & Paulus alibi ait, omnes Patres eundem cibum spiritualem manducasse, & *1. Cor. 10.*
eundem potum spiritualem bibisse, qui erat Christus: at cibus & po- *3. 4.*

tus spiritualis seruant, & ad vitam æternam nutriant: ergo ille panis & potus saluabant, vt nostra Sacramenta, vt nos postea docebimus: & sic Augustinus de circumcisione scribit, vt postea patebit. Hoc de veteribus Sacramentis Apostolus affirmat: ergo possumus dicere veteta Sacramenta regenerasse, iustificasse, & saluasse.

CAPVT III.

In quo nostra argumenta proponuntur & defenduntur.

NVNC nos contra docebimus, Sacramẽta veteris Testamenti fuisse promissionis & gratiæ diuinæ symbola, in quibus Deus remissionem peccatorum contulit piis, non minus quam nunc in nostris.

*Gen.*17. 7. *Primum* nostrum argumentum sumitur ex Genes. 17. de Circumcisione, vbi Deus vocat eam fœdus seu pactum suum, & hanc ei promissionem annectit, *Ero Deus tuus & semini tui*; quæ promissio fit Abrahæ & posteris eius: hæc promissio est remissionis peccatorum & vitæ æternæ: ergo promissio de remissione peccatorum & vita æterna est annexa Circumcisioni. De hoc argumento Bellarminus dupliciter

I. respondet. *Primò* vult docere non fuisse annexam Circumcisioni promissionem remissionis peccatorum & vitæ æternę, & nostram confirmationem tripliciter oppugnat. *Primo* quia Scriptura & Augustinus aiunt, meliores esse promissiones noui quam veteris Testamenti. *Respondeo*: promissiones Leuiticas dici minus bonas, quia ipsæ non præstabant remissionem peccatorum, vt supra diximus: nam Christus solus hoc præstat, qui est substantia, imo vis & anima noui Testamenti. At hoc modo opponuntur illæ ceremoniæ non nostris Sacramentis, sed Christo, & tum reuera multis gradibus inferiores sunt. Sed quando cum nostris Sacramentis comparantur, tum in pari gradu collocari debent, quia idem finis & idem scopus est Sacramentorum vtriusque Testamenti. Obsignabatur illis vt nostris remissio peccatorum, nisi quod nostra plus claritatis habeant. *Secundò* probat, quia Abrahamus erat iustissimus ante Circumcisionem, vt patet ex Gen. 12. *Gen.*
& Roman. 4. non ergo Circumcisioni annexa fuit promissio de re- 3. *Rom.*
missione peccatorum. *Respondeo*: Abraham fuit antea iustificatus ex fide: hanc iustificationem ex fide, quæ in remissione peccatorum consistit, circumcisio obsignauit, vt hic Apostolus ait. Nam quia iustus est, potest peccare: ergo post iustificationem indiget remissione peccatorum: circumcisio illi testabatur, & vetera peccata ei remissa esse propter fidem in mediatorem, & quæcunque postea commisit; sicut & Baptismus testatur, peccata quæ ante & post commissa sunt eius per Christi sanguinem. Quare nullum est hoc argumentum, Abraham fuit iustus ante Circumcisionem: ergo Circumcisio non

non habuit annexam promissionem remissionis peccatorum. Hoc Bellarmini argumentum valebit etiam contra Sacramenta noui Testamenti, quia multos legimus fuisse iustos, antequam baptizati
*Act.*10. 2. sunt, vt Cornelium, Eunuchum,
Luc. 8. 37.
Luc. 7. 48. fœminam peccatricem, & alios
Ioan. 9. nonnullos: ergo hoc modo sequetur, ne Baptismo quidem annexam esse promissionem gratiæ & remissionis peccatorum. Et tamen vult Bellarminus hanc esse differentiam inter vetera & noua Sacramenta.

Tertiò probat, quia Deus promisit Abrahæ non nisi terrena, quando ei Circumcisionem iniunxit, vt
*Genes.*17. 2. propagationem posteritatis, & ter-
Act. 7. 8. ram Palestinæ Genes. 17. *Respondeo*: Promisit ei cœlestia multò magis quam terrena: alias minus Abrahæ dedisset, quam multis impiis. Quanti enim hoc est, esse Patrem multarum Gentium, & possidere terram Cananæam, si cum regnis & populis huius mundi comparetur? si Deus Abrahæ amico suo dare tantum terrena voluisset, maiora dedisset. Certe Ismaeli & Esauo promisit Deus terrena bona, vt sobolem multiplicem, & terram fertilem, & alia huiusmodi: nihilne maius Abrahæ promisit, quam illis quos odit? an eadem Abrahæ promissio facta est, quæ his facta fuit? sic certe Bellarminus, cum non nisi terrena Abrahæ promissa esse ait. Sed necesse est fateamur promisisse Deum Abrahæ maiora bona, quam quæ sunt huius vitæ tantum.

Et id postea Bellarminus fatetur: nam ait promissionem hanc terrenam figuram fuisse promissionis spiritualis & cœlestis: quod ille, quia est verissimum, coactus concedit, & sic suum argumentum refellit. Nam si hæ terrenæ promissiones erant figuræ cœlestium, & hoc Patriarchæ & pii intelligebant, vt ait: ergo Circumcisioni annexa fuit promissio cœlestis, quam pii illius temporis intelligebant & apprehendebant; & nos non aliud quærimus. Quod enim figurate promittitur, illud promittitur: at in Circumcisione gratiam spiritualem figurate promissam esse Bellarminus concedit: ergo promittitur. At non tantum figurate promittitur, sed diserte, quia Deus ait, *Ero Deus tuus, & semini tui*: & sic Prophetæ remissionem peccatorum populo offerunt: ergo promisit Deus Abrahæ remissionem peccatorum, gratiam, fauorem suum, vitam æternam. Sed tamen reuocat se quodammodo statim Bellarminus, quasi illum pœniteret huius sententiæ, quæ tamen est verissima: nam ait solam terrenam promissionem pertinuisse ad vetus Testamentum; quod si verum sit, tum ad omnes, qui tempore veteris Testamenti vixerunt, sola terrena pertinebant: & tum vbi figura illa promissionum cœlestium, de qua antea dixit: ergo ad vetus Testamentum etiam cœlestes promissiones piis omnibus factæ pertinebant. At hoc est, inquit,

Isai. 1. 18. *Ierem.* 33. 8. *Mich.* 7. 18.

facere ex Lege Euangelium. *Respondeo*: Imo dicere quod Bellarminus dicit, est facere ex Ecclesia Dei haram porcorum, qui nil nisi terrena cogitant & sapiunt. Et tamen non sic confunditur Lex cum Euangelio. Nam etsi in illis ceremoniis promissiones bonorum spiritualium fuerunt; tamen illæ ceremoniæ non dabant hæc bona: sed pii tamen in illis ceremoniis hæc bona perceperunt: at nouum Testamentum, id est, Christus noui Testamenti & Euangelii epitome hæc bona ipse dat, quæ Moses dare non potuit, & cum ipse omnium bonorum author sit, promisit iis, qui ante illum fuerunt, cœlestia bona non minus quam nobis, licet nobis clarius, illis vero obscurius. Bellarminus se imperitum & nimis ignarum discriminis veteris & noui Testamenti ostendit. Verum iam videamus, quid respondeat ad nostrum argumentum ex his verbis sumptum, *Ero Deus tuus & Deus seminis tui*, quibus verbis contineri promissionem vitæ æternæ & remissionis peccatorũ dicimus. Bellarminus negat, sed tantum promissionem peculiaris cuiusdã protectionis his verbis significari ait, & Deum hoc modo non minus malorum quam bonorum Israelitarum Deum fuisse: quod dictu horrendum est. Sed *Respondeo*: Si Deus, cum Abrahæ dixit, *Ero Deus tuus*, non nisi protectionem peculiarem & terrenam ei promisit, quid tandem singulare promisit? nam protegit Deus omnes populos & nationes peculiari quodam modo, Assyrios, Persas, Græcos, Romanos: sine peculiari Dei protectione incolumis ad vltimum diem Gens nulla esse potest. Quid enim peculiare in protectione huius populi fecit Deus? certe alios populos Deus non minus peculiariter protexit & propagauit quoad externa bona, quam hunc populum; maiores opes, regnum florentius, bona cumulatiora illis donauit: non igitur tantum de terrena protectione loquitur Deus, quia tum illud, *Ero Deus tuus*, æquè de cunctis populis ac de Israelitis verum esset: quæque enim Gens peculiarem Dei protectionem habet, sine qua periret. Et quomodo hæc terrena promissio populo Israelitico præstita fuit? permisit enim Deus, vt Iudæi in varias calamitates inciderent, vt ab hostibus caperentur, vt in alias gentes abducerentur, vtque ab illis per longum tempus & multorum annorum spacium premerentur & affligerentur. Ergo fateamur necesse est, non fuisse terrestrem hanc promissionem, sed spiritualem & cœlestem, imo magis cœlestem quam terrestrem, quia luculentius multo in terrenis aliis Gẽtibus prospexit Deus quam Israelitis. Fateor Deum fuisse defensorem huius populi: at idem est defensor omnium populorum, imo beluarum. Sed addit Bellarminus hæc verba, *Ero Deus tuus*, non tam sonare remissionem Dei, quam obligationem populi, quasi diceret Deus, Non habebitis alium Deum

Deum quam me. Ita iam Deus nihil omnino promittit nec cœleste nec terrestre, tantum obligat populum, vt illum pro suo Deo haberet. Quo isti tuunt? Sed *respondeo*: Circumcisionem vocari illic fœdus & pactum Dei, hoc est, sigillum fœderis: at in omni fœdere & pacto est mutua quædam stipulatio: nam fœdus omne est inter duos, qui se mutuis promissionibus obstringunt: ergo vt populus se Deo, ita Deus vicissim se populo obligauit, populus se Dei populum fore, id est, eius leges seruaturum promisit: Deus se eorum Deum præ omnibus populis pollicitus est fore. Ita & promittit aliquid Deus, & tale aliquid, quod nullis præterea Gentibus promisit. *Gen. 17. 13.*

At Bellarminus nil plane hic promissum esse ait: ita cœcus est, vt etiam quæ clarissima sunt non videat. Ergo his verbis promisit Deus spirituale bonum, quod ipsa verba sonant, *Ero Deus tuus*: quid hoc est, esse nostrum Deum, nisi esse nostrum seruatorem? alias enim Deus est omnium conditor & protector, etiam bestiarum, vt diximus: quare promittere se illis Deum fore, est aliud quiddam, nempe æternam fælicitatem illis promittere: at primus ingressus ad fælicitatem & vitam æternam est remissio peccatorum: ergo quando promittit se fore illis Deum, promittit se peccata illis remissurum. Videte quantam iniuriam Deo faciat, qui non nisi terrena ab illo vult promitti. Quid, quod hoc etiam cum superiori Bellarmini responsione pugnat? nam si promisit Deus terrenum, & per terrena figurauit cœlestia, vt antea dixit Bellarminus, non ergo nihil promisit, sed populum tantum obligauit; quasi hæc verba, *Ero Deus tuus, & seminis tui*, non essent promittentia, sed præcipientia tántum. Sed maioribus adhuc viribus illum aggrediamur. Hæc ergo verba continere promissionem, eamque etiam cœlestem, ex ipsis Scripturis ostendemus. Hoc patet Exod. 3. vbi Deus sic Mosen alloquitur, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*. Ex illo loco duo colligimus. *Primum* est, Deum, quando se horum Deum fore dixit, promisisse aliquid. Perinde enim est, ac si Deus diceret, Ego is Deus sum, qui me fore Deum his tribus promiserim: iam præstabo, quod promisi, & indicabo me esse memorem promissionis meæ, vt omnes intelligant, me esse illorum Deum. *Secundum* est, non modo terrenam hanc fuisse promissionem, sed spiritualem & cœlestem: nam Christus hinc euincit fidelium immortalitatem, quia est Deus non mortuorum sed viuorum. Bellarminus ait, Christi verba nihil aliud significare, nisi Deum non esse Deum eorum qui non sunt, sed qui sunt: est autem Deus Abraham, Isaac, & Iacob: ergo ii sunt, contra errorem Sadducæorum. *Respondeo*: Longe aliud Christus his verbis concludit. *Exod. 3. 6.* *Matth. 22. 32.*

Disputat ibi quidem cum Sadducæis: illi negabant resurrectionem: voluit ergo Christus hinc corporum resurrectionem probare. Sed num hoc probat, resurrecturos esse Abrahamum, Isaacum, & Iacobum? at esse poterant, & tamen non sequitur resurrectio corporum. Si sint tantum, non sequitur resurrectura esse illorum corpora: quia esse possunt, licet illorum corpora non resurgant. Ergo quod se Deus illorum esse Deum ait, manifestum est, eis promisisse vitam æternam, quia tum illorum corpora necessario resurgent, vt Deus illos integros seruare possit. Hoc est, quod Christus alibi ait, *multos cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, discubituros in regno cœlorum*: hoc est, ergo esse Deum Abrahæ, Isaaci, & Iacobi, dare illis regnum cœlorum.

Matth. 8. 11.

Sed vrgeamus adhuc Bellarminum ex verbis Pauli, qui ait, Ephesios vna cum reliquis Gentibus, cum adhuc essent incircumcisi, fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, & alienos à promissionibus: ergo istorum omnium participes erant homines per circumcisionem, & sic Circumcisio spiritualis boni tessera fuit. Bellarminus ait, de Gentibus hæc dici ab Apostolo, non quia Circumcisione carebant, sed quia carebant vera fide, & idola pro Deo colebant. *Respondeo*: Aperte Apostolus Gentes cum Iudæis, & ἀκροβυστίαν cum περιτομῇ, id est, *præputium cum Circumcisione* comparat, & eos qui erant in præputio ait fuisse alienos à Republica Israelis: hoc exiguum damnum fuisset, si non nisi terrena bona huic Reipublicæ promissa fuerunt; nam quod ad hæc attinet, melius multo cum aliis Rebuspublicis actum est, vt Romanorum & aliorum, cum quibus si Iudæi comparentur, in nullo numero fuerunt. Deinde Apostolus ait, illos fuisse peregrinos à promissionibus: ergo circumcisi habebant promissiones, à quibus incircumcisi erant alieni. Et addit, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, *spem non habentes*, quia non erant in fœdere. Concludit denique fuisse ἄθεους ἐν τῷ κόσμῳ, *expertes Dei in hoc mundo*. quia non illis vt Iudæis se fore Deum promisit. Vnde amplissimas promissiones Circumcisioni annexas fuisse intelligimus. Nec pugnat quod pauci pii inter Gentes fuerunt, vt Iob, & alii; nam priuilegium paucorum non tollit communem legem: Apostolus loquitur de multitudine Gentium. Et Circumcisio nonne apertissimum fuit mortificationis signum, & eam adumbrauit? quid illa pelliculæ abscissio significabat, nisi peccata, quod ex propagatione nascitur, purgationem, id est, remissionem, vt in Baptismo? & figura fuit internæ circumcisionis, quando cor circumciditur, id est, prauæ affectiones cordis amputantur: at ei, qui peccatum abiicit, promittitur remissio; & ideo toties in Scripturis

Ephes. 2. 12.

interna cordis circumcisio, quam adumbrauit externa, vigetur; quæ etiam à Prophetis requiritur. Sic igitur circumcisio externa internam circumcisionem repræsentauit, vt apud nos Baptismus externus internum: res eadem ceremoniæ diuersæ. Nam Christus Abrahæ promissus fuit, & in ipso promissum est fore vt Gentes omnes benedictionem consequerentur: huius promissionis gratiæ obsignandæ causa circumcisio addita est.

Deut. 10. 16 & 30. 6

Præterea promissio illa, quam cum circumcisione Deus coniunxit, *Ero Deus tuus & seminis tui*, ad nos non minus pertinet, qui fideles sumus, & qui ad mundi finem erunt, quam ad Iudæos, quia omnes credentes Abrahæ filii sunt: num nobis tantum terrena bona promisit Deus: ergo in illis verbis inclusa est promissio cœlestis, non minus quam promissio rerum terrestrium, nisi nobis quoque terrestres tantum promissiones factas esse dixerit. Ira causa cadit Aduersarius. Nunc nos ad aliud argumentum veniamus.

Leuit. 4. 2. *&c.* 5. 1. *&c.* 6. 2. *&c.*

Secundum ergo nostrum argumentum sumitur ex Leuitico 4. & 5. & 6. vbi Sacrificiis peccata expiari dicuntur: ergo fuit in Sacrificiis remissio peccatorum: promissio remissionis annexa fuit ceremoniis illis, vt nostris Sacramentis. Bellarminus ait, illa Sacrificia non valuisse quoad culpam & pœnam gehennæ, sed quoad pœnam temporalem & quoad immundiciem legalem: at nostra Sacramenta valent quoad peccata & pœnam æternam. *Respondeo*: hanc esse sententiam indignam Theologo, illas ceremonias & Sacrificia non nisi quoad pœnam temporalem & legalem immundiciem valuisse: nam hoc perinde est ac si diceret nihil valuisse. Legalis enim immundicies non nisi ceremonialis erat, nullum in se vitium habuit: tantum adumbrabat spiritualem impuritatem peccati: si ergo ceremoniæ non nisi illam legalem immundiciem purgabant, erant re vera inutiles. Sed erant etiam symbola purgationis internæ, & obsignabant illam: & multa sacrificia instituta sunt pro peccato, & pro reatu & culpa peccati; ideoque iis nomen peccati impositum est, quia pro peccato immolebantur, & Dominus huiusmodi sacrificia immolantibus remissionem peccati promisit: hostiæ pro peccato millies mentio fit: ergo quoad culpam peccati multo magis imo præcipue valebant. *Si peccauerit anima*, inquit Deus, id est, quispiam, loquitur de eo quod vere & proprie peccatum est, & paulo post confessio peccati requiritur; & de eo qui offert sacrificium dicitur, *adducet reatum suum*, id est, oblationem pro reatu, & postea, *expiabit eum sacerdos à peccato quo peccauit, & remittetur ei*: ita expiatio & remissio illis sacrificiis tribuitur.

Leuit. 5. 1. *&* 5. *vers.* *&* 6. *vers.* *&* 10. *vers.*

Si ergo vere fuit culpa commissa, vere etiam remissa fuit.

Quam

Quam enim ille pœnam temporalem intelligit? num post hanc vitam in Purgatorio? at nullum tunc Purgatorium fuit: non enim in Purgatorio, sed in Limbo Patres fuisse volunt: num aliquam huius vitæ mulctam intelligit? at non sunt sacrificia in hunc finem instituta: si quis iniuriam fratri fecerat, iussus est ei satisfacere, imo sæpe duplum aut quadruplum restituere; adeo non remissa his sacrificiis temporalis pœna & satisfactio fuit. Sed præter hanc pœnam, quia in omni iniuria erga hominem est peccatum in Deum, ideo sacrificium ad hoc peccatum expiandum institutum fuit. Iam Bellarminus sacrificia non nisi ad pœnam temporalem valuisse ait; cum tamen quoad hanc pœnam, ii qui sacrificia offerebant, non minus obnoxii ei erant, quam qui non offerebant. Fratri satisfieri potuit sine sacrificiis, at Deo non potuit sine sacrificiis satisfieri: non modo fratri satisfaciendum fuit, sed sacrificium etiam Deo offerendum erat, vt is qui fratrem læserat, Deo reconciliaretur. Sed videte pulchram Pontificiorum theologiam. Vetera sacrificia & Sacramenta dicunt pœnam non culpam sustulisse, nostra culpam non pœnam, ita vt vetera quoad culpam minus valuerint, sic nostra minus valeant quoad pœnam. Desultoria hæc theologia est. At sana theologia docet, nunquam remitti culpam, nisi cum pœna remittitur, & pœnam nunquam remitti, nisi cum culpa remittitur. Sic ista se mutuo consequuntur: culpa pœnam trahit, & remissio pœnæ culpæ quoq; remissionem sequitur. Sed nonne erant hæc signa rerum aliarum, Bellarminus ait non, nisi quatenus erant signa protestantia fidem in Christum. Hinc duo colligo. *Primum* est, ipsum se refellere: si enim aliquo modo remittebant peccata, tum nostris Sacramentis paria fuerunt: ille autem fatetur remisisse & culpam & pœnam gehennæ, quatenus erant signa protestantia fidem in Christum. *Secundum* est, quod ait illa non nisi protestata esse fidem in Christum: at plus quam protestabantur fidem; nam & remissionem peccatorum per sanguinem Christi obsignabant, quod illud Bellarmini, *Nisi quatenus*, satis evincit. Sed ait Bellarminus, suam responsionem posse multis modis probari. *Primò* quia Scriptura non instituit sacrificia pro omnibus peccatis, sed pro leuioribus tantum, non pro grauioribus, vt pro blasphemia, homicidio, adulterio, idololatria. *Respondeo*: Illa tamen leuiora, vt periurium, ex cupiditate habendi res alienas, mortem æternam merebantur: ergo Deus sacrificium expiatorium ab eo reatu instituit; nisi forte Bellarminus periurium vult esse culpam venialem. Numerat ille periurium ex cupiditate rei alienæ inter leuiora peccata, sed absurde: periurium enim est grauissimum peccatum, quod nemo negabit, quia periurus in Deum grauissime peccat.

Quod

Quod si periurium mortalis culpa fuit, tum opus erat aliquo remedio aduersus illud: si autem sacrificium, quod pro periurio offerebatur, non valebat ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ, non erat remedium morbo aptum: at fuit hoc remedium à Deo institutum: ergo procul dubio aptum erat. Quod autem non erant sacrificia aliqua pro peccatis illis grauioribus instituta, ratio fuit, quia sacrificium pro his tantum in specie offerri Deus voluit, quæ morte peccantis non expiabantur: quando enim is, qui peccarat, pœnam dignam sustinuerat, tum Deus sibi satisfactum esse putabat, nullum aliud sacrificium requirebat. Præterea non pro his sacrificium vllum offerri voluit Deus, vt intelligamus Christi mortem nihil iis profuturam esse, qui in peccatis suis moriuntur, sed iis tantum, quos peccatorum suorum pœnitet. Interim si quis fidelis homicida, adulter, blasphemus fuerit, & morte non mulctatus est, quia nesciebatur, vt David & alii, si tamen postea veram pœnitentiam egerit, quis negauit illum in sacrificiis remissionem peccatorum habuisse? Ita de se Propheta Dauid, *Tunc delectaberis sacrificiis iustitiæ, holocausto, & prorsus consumendo, tunc pii offerent iuuencos super altare tuum.* Hoc est quod legimus de hirco illo emissario, qui portabat omnes iniquitates populi & omnes defectiones ex quibuscunque peccatis. Et sic agnus, qui in iuge sacrificium offerebatur, Christum adumbrauit, qui tollit peccatum mundi. Quod autem Thomas ait, vetera Sacramenta minus virium habuisse, quam nostra, quia Christus nondum mortuus est, nihil solidæ Theologiæ habet: nam etsi nondum reipsa mortuus est Christus, vis tamen mortis eius non minor illis fuit, quam nobis est. *Thom. in 1.2. q.103. art.2.*

Semper enim tenendum illud est, Christum fuisse agnum occisum ab origine mundi: ergo Christi mors valuit apud Patres, non minus quam apud nos, & sic certum est, Patres in illis sacrificiis inuenisse æterna bona. Et nisi in illis sacrificiis expiationem à peccatis per Christi sanguinem veteres Patres habuerunt, certe periere omnes: ergo certum est, pios habuisse in illis ceremoniis remissionem peccatorum, non quidem ex solo actu, & opere operato, sed non minus quam nos in nostris Sacramentis, quod & Bellarminus per suum illud. *Nisi quatenus* satis declarat Nam si propter respectum ad Christum illa sacrificia expiabant, sic & nostra, non aliter, nisi & nostra per se secluso Christo valere ad remissionem peccatorum volunt.

Secundò ait Bellarminus, Sacrificia vetera non placuisse Deo ex se, sed ex deuotione & obedientia offerentis. *Respondeo*: hac in re paria fuisse nostris: nam nisi in nobis deuotio & obedientia, nullum fructum ne ex nostris quidem Sacramentis percipimus. Sed iam se apertius prodit; hic enim aperte ait, nostra Sacramenta valere ad

remissionem peccatorum sine deuotione & obedientia suscipientium. Vetera non valebant: aut ergo nostra valent, aut nullum inter vetera & nostra discrimen est.

Quis enim tam impius est, vt si homo nequam & profanus ad Baptismum aut cœnam Dominicam accedat, hunc actum dixerit placere Deo? at hoc Bellarminus vult. Vt ergo vetera placebant cum deuote & religiose suscepta fuerunt, sic & nostra, non aliter. Atque hoc est, quod Gregorius egregie ait, quem Bellarminus contra se citat, *Iram iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis*; idque probat exemplo Abelis, quia Scriptura ait, Deum primo ad Abelem, tum ad eius munera respexisse. *Idcirco*, inquit, *non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera obiata placuerunt.* Bellarminus vult Gregorium loqui de sacrificiis tantum veteris Testamenti, cum ille loquatur de omnibus oblationibus, & illorum & nostris: nam ait ibidem, *Mundari debet prius animus, qui eleemosynam præbet, quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaque malitiæ macula ab interiori nostro homine cogitationis immutatione tergenda est.* Quare Gregorius Papisticam distinctionem sustulit, vetera Sacrificia & Sacramenta contulisse gratiam ex opere operantis, id est, offerentis, nostra ex opere operato; nam & de nostris ait, nisi ex mundicia placeant offerentis, non placare iram iudicis. Obseruanda hic fraus Bellarmini, qui vult videri dictum hoc quasi de veteribus tantum sacrificiis intelligendum esse, cum non minus de nostris intelligatur. Sed Bellarminus dilemma hic obiicit, egregium omnino & dignum tali Theologo, vt illa sacrificia non expiasse peccata docear. Qui offerri iubebat: inquit, illa sacrificia, aut iustus erat, aut iniustus: si iustus, non egebat remissione peccatorum; si iniustus, nihil valebat eius sacrificium. *Respondeo*: Si iustus, non egebat remissione peccatorum: ergo non Sacramento remissionis? non sequitur; etsi enim non noua remissione, tamen signaculo huius remissionis opus habet: eget enim perpetua confirmatione & maiori persuasione remissionis suæ, vt hæc illi luculentius constet. Sic Dauidi Nathan Propheta ait, *Deus remisit tibi peccatum tuum*, tamen obtulit Dauid procul dubio sacrificia, vt fidem suam magis ac magis confirmaret. Quod ait, si iniustus erat, nihil eius sacrificium valuisse, falsum est: nam si iniustus suam iniustitiam ex animo confitebatur, & peccata sua agnoscebat, eorumque illum pœnitebat, sacrificium eius acceptum fuit, & illi remissionem peccatorum obsignauit. Verum Bellarminiano huic dilemmati nos simile referemus. Si iustus fuerit, qui nostra Sacramenta recipit, non eget remissione peccatorum, & sic non

Gregor. Moral. l.22. c.12.

2. Sam. 12.13.

non eget Sacramentis: quare ergo homines iusti ad Eucharistiam accedunt, aut ad vllum Sacramentum? hoc est contradicere Christo, qui vult credentem, id est, iustum baptizari; & sic Apostolus Petrus voluit Cornelium iam iustum baptizari; & Apostolos Christus iussit cœnam frequentare, qui erant iusti. Hoc est quod Augustinus ait, Cornelius, & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter sanctificati essent, tamen baptizati sunt; *nec superflua iudicata est visibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat.* Sic idem alibi, *In Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lauacro Baptismi.* Iam de altero membro dilemmatis dicamus, Si iniustus quis fuerit, qui ad Sacramenta nostra accedit, ei Sacramenta non proderunt ad iustificationem & remissionem peccatorum: nam indignum est Theologo, dicere Sacramenta afferre iustitiam ei qui est ipse iniustissimus. Tamen aut nihil dicit, aut hoc dicit Bellarminus. Hæc præclara Bellarmini Theologia est, homines impuros, sacrilegos, omnibus peccatis contaminatos accipere & inuenire gratiam in nostris Sacramentis. Nam certe aut prorsus nil valent nostra Sacramenta, aut ex illius sententia, ab iniustis & sceleratis tantum vsurpanda sunt.

Marc.16.16. Act.8.37.38. Luc.22.19. August. super Leuit.q.84. idem lib. de Doctr. l.4. c.24.

Hoc enim plane ait Bellarminus, vt differentiam inter nostra & veteta Sacramenta ostendat, illa non habuisse remissionem peccatorum, quia iusti non egebant, remissione, & iniusti non poterant consequi: iam in nouo Testamento iusti non magis indigent remissione, quam in vetere: ergo sequitur esse remissionem in nostris Sacramentis, non modo sine fide, obedientia, deuotione, sed etiam iis, qui sunt iniusti, id est, quorum sacrificium in vetere Testamento erat abominabile. Nonne est quod de Iesuitis istis præclare meritam Ecclesiam existimemus?

Tertiò, Bellarminus ait Ezechielis cap. 18. cum de remissione peccatorum agitur, nusquam fieri mentionem sacrificiorum; imo Prophetas cæteros & Paulum diserte docere, non posse sacrificiis expiari culpas animorum. *Respondeo:* Quis tam cœcus est, vt putet cœdem aut sanguinem arietis potuisse animos à peccatis expiare? sed tamen in illis sacrificiis pii remissionem peccatorum, & expiationem à peccatis inuenerunt, non propter arietum sanguinem, sed propter sanguinem Christi, cuius ille sanguis arietum fuit Sacramentum. Et sic etiam de nostris Sacramentis dici potest: quis enim paululum aquæ animam à peccatis purgare posse existimet? tamen piis in vsu huius aquæ peccata purgantur. Quod autem Ezechiel non meminit sacrificiorum, quid si ob eam causam non meminit, vt intelligamus, non in in sacrificiis per se quærendam

fuisse remissionem peccatorum, sed in Christo. Et quanquam sacrificiorum Ezechiel non meminit, tamen in multis aliis locis sacrificia pro remissione peccatorum expresse commemorantur: & alii Prophetæ vrgent & laudant sacrificia, quando cum fide coniuncta fuerunt.

Tertium nostrum ex Scripturis argumentum sumitur ex 1. Corinth. 10. vbi Patres veteris Testamenti omnes dicuntur eandem escam spiritualem manducasse, & eundem potum spiritualem bibisse. Vnde constat, Apostolum non minus splendide & honorifice loqui de veteribus Sacramentis, quam potest quisquam de nostris; Patres nobis pares facere in Sacramentis, & nullam prærogatiuam nobis relinquere præ illis, quod ad Sacramenta attinet. Quare certum est, Patres in nube, Manna, petra, mari, spiritualiter percepisse Christum. Hoc argumento Caluinus & alii e nostris vtuntur. Sed Bellarminus, antequam ad huius argumenti solutionem veniat, ait Caluinum secum pugnare. Quamobrem vero? quia ille alibi negat, Manna, & nubem & transitum per mare esse Sacramenta; at nunc contra esse ait, & sic Christum fuisse in illis Sacramentis contendit.

1. Cor. 10. 3.

Caluin. instit. l. 4. c. 14. §. 19. Idem l. 4. c. 1. §. 3. instit.

At Caluinus nusquam negauit, nubem, Manna, petram, mare, fuisse Sacramenta. Sed tamen ait Caluinus, non nisi Circumcisionem, & Agnum Paschalem fuisse Sacramenta veteris populi. Verum: sola fuerunt ordinaria & perpetua Sacramenta: hæc tamen extraordinaria fuerunt & temporalia. Et si in his Christus vere fuit, tum etiam in ordinariis Sacramentis: & tum veteres Christum in suis Sacramentis perceperunt, vt nos in nostris. Sed adhuc in alio pugnare secum Caluinum ait, quod nunc nullam prærogatiuæ particulam nostris Sacramentis relinquat, & tamen supra eodem capite dixerat, nostra esse excellentiora, & gratiam in iis vberiorem conferri. Sed non ideo secum pugnat: nam quod nullam prærogatiuæ particulam nostris tribuit, hoc non simpliciter intelligendum est, quasi nulla in re nostra illis meliora sint, sed quoad modum gratiæ conferendæ nostra præstantiora esse fatetur, quoad ipsam vero gratiam non omnino. Nam Patres rem ipsam, id est, Christum in suis Sacramentis perceperunt, vt nos in nostris; sed clarius & vberius quam illi; quæ est modi, non rei differentia. Sed Kemnitium quoque secum pugnare ait, qui & hoc Caluini argumentum vrget: nam Caluinus hoc argumentum profert, vt probet Christi corpus non aliter esse in Eucharistia, quam in Manna fuit: at Kemnitius contra vtpote Lutheranus. *Respondeo*: Caluinus hoc argumentum profert, vt probet non differre nostra Sacramenta à veteribus, & sic Kemnitius. Si vero corpus Domini vere in Eucharistia

Idem instit. l. 4. c. 14. §. 11.

stia sit, non video quomodo hic locus pro Kemnitio faciat: tum enim magnum discrimen est inter vetera & nostra Sacramenta; nam realiter non fuit corpus Christi in vllo sacrificio aut Sacramento veteris Testamenti. Imo cum locus apposite à Kemnitio citetur & vrgeatur ad differentiam falsam refutandam inter vetera Sacramenta & nostra, non video quomodo Kemnitius realem corporis Domini in Eucharistia præsentiam tenere potuit. Hoc ipse Kemnitius & Lutherani viderint. Aut nihil hic locus ad rem facit, aut Christi corpus non aliter quoad rem in nostris Sacramentis est, quam in veteribus fuit: at facere hunc locum ad rem Kemnitius indicauit. Sed nunc ad ipsum locum veniamus, & nostrum ex hoc loco argumentum tractemus & persequamur, quod firmissimum quidem est & contra Papistas, & contra Lutheranos. Tria vrgemus ex hoc loco: tria enim sunt huius argumenti media, quorum vnumquodque ex hoc loco probatur. *Primum* quod vrgemus est, quod Patres omnes dicuntur *eandem escam manducasse, & eundem potum bibisse.* Si illi eandem escam manducarunt, & eundem potum biberunt, tum Christum illi in suis Sacramentis perceperunt, vt nos in nostris. Bellarminus ait, non velle Scripturam dicere, eandem esse illorum & nostram escam, sed eandem illorum omnium, vt sensus sit, Omnes Iudæi eandem escam manducauerunt, & tamen non omnes placuerunt Deo. Sed hoc falsissimum esse, & Paulum voluisse nos & illos eandem escam manducasse, & eundem potum bibisse, non illos eandem inter se escam & eundem potum participasse, constat.

Primò, quia Paulus illis Sacramentis nostri Sacramenti nomen tribuit: Omnes, inquit, baptizati sunt in nube, & in mari: at Baptismus noui Testamenti Sacramentum est.

Secundò, quia & illos Christum percepisse ait, quem nos percipimus: nam & cibum & potum spiritualem participasse ait, & vocat hunc potum Christum: *petra*, inquit, *erat Christus.*

Tertiò, quia Apostolus aperte ait, illos habuisse rem eandem, quam nos in nostris duobus Sacramentis percipimus; nam *primò* ait, illos habuisse Baptismum quoad rem in nube & mari: *secundò* in Manna panem Eucharisticum, in petra potum: ergo illos habuisse nostra Sacramenta quoad rem. Aliter si sensisset Apostolus, vsus fuisset potius exemplo Circumcisionis & Agni Paschalis, & dixisset, etsi circumcisi fuerunt Patres vestri, & Agni Paschalis participes, tamen non omnes placuerunt Deo: ergo non nisi eorum Sacramentorum meminit Apostolus, quæ Iudæi nobiscum communia habuerunt, vt eorum sortem eandem esse doceret, quæ nostrum est.

Quartò, alias hoc nihil ad Apoſtoli inſtitutum pertineret. Voluit enim Corinthios terrere exemplo Iudæorum, ne freti externa profeſſione,& inſignibus Chriſtianiſmi, id eſt, Sacramentis, idololatriam committerent, quoniam illi eandem eſcam & potum, id eſt, eadem Sacramenta nobiſcum participarunt, & tamen illos Deus grauiſſime puniuit; de quo poſtea erit dicendum: cauerent ergo ne placere ſe Deo exiſtimarent propter noſtra Sacramenta,neque huiuſmodi externis religionis inſignibus gloriarentur.

Quintò & poſtremo Patres fere omnes hoc idem teſtantur, & hunc locum ſic interpretantur, vt nos. Sic Auguſtinus. Quid hoc ad rem, inquit, quod omnes illi inter ſe eandem eſcam manducarunt, & tamen multi illorum non placuerunt? quaſi quod communem eundem cibum illi omnes participarunt, ergo ratio eſt, cur magis Deo placerent? Et ibidem, *Idem in myſterio cibus & potus illorum, qui noſter, ſed ſignificatione, non ſpecie.* Sed luculentiſſime alibi, *In ſignis diuerſa ſunt, ſed in re quæ ſignificatur paria ſunt*: & plura ibidem in eandem ſententiam. Sic Ambroſius, *Illis aqua de petra, tibi ſanguis è Chriſto: illos ad horam ſatiauit aqua, te ſanguis diluit in æternum.* Sic idem in hunc locum ait, *Manna, & aquam, quæ fluxit è petra, habuiſſe figuram futuri myſterii, quod nunc nos ſumimus in commemorationem corporis Domini*: illorum Sacramentum ait fuiſſe figuram, noſtrum commemorationem. Sed nos hoc poſtea luculentius tractabimus. Ergo hinc conſtat, illos eandem nobiſcum eſcam manducaſſe, ſi Paulo credimus. Sed Bellarminus contra pugnat tribus rationibus.

Auguſt. in Pſalm. 77.

Idem tract. 26. in Ioan.

Ambroſ. de his, qui initiant. myſter. c. 9

Idem in 1. Cor. 10.

Primò, Illa, inquit, non erant Sacramenta; noſtra ſunt Sacramenta *Reſpondeo*: Erant Sacramenta, etſi non ordinaria & perpetua, & eadem res in illis fuit, quæ in noſtris. Cum noſtris re eadem erant, licet ſignis diuerſa.

Secundò, Illa erant communia etiam beſtiis: nam etiam beſtiæ biberunt ex aqua ſcaturiente ex petra, & tranſierunt mare rubrum. *Reſpondeo*: Sed erant tantum hominibus Sacramenta: non enim propter pecudes inſtituta ſunt, ſed propter homines, id eſt, propter Eccleſiam. Et poteſt Sacramentum eſſe, quod à beſtia ſumitur; alias illorum panis Euchariſticus (ſi modo panis) non eſſet Sacramentum, quia mures illum arrodere poſſunt. Bellarminus ait, ſigna Euchariſtiæ vorari à beſtiis poſſe. *Reſpondeo*: At hæc ſigna ſunt Sacramentum illis: non ergo ratio eſt, cur non illa Iſraelitis Sacramenta fuerint, quia erant beſtiis communia.

Nec Apoſtolus de rebus communibus loquitur, ſed miraculoſis, cuiuſmodi erant mare, nubes, Manna, aqua petræ. Et ſi horum pars aliqua per accidens ad pecudes

des peruenit, tamen non niſi propter Eccleſiam illam Iſraeliticam inſtituta ſunt: ergo illi tantum Sacramenta fuerunt.

Tertiò, ait Bellarminus, nullam illis promiſſionem eſſe factam, cum Manna ederent, aut aquam biberent è petra, aut per mare tranſirent: at noſtra Sacramenta habent ampliſſimas promiſſiones: & Sacramenta omnia habent promiſſiones. Et Bellarminus ait, nos hic plane redigi in anguſtias: ſic ille ſibi placet. Sed nos facile ex his anguſtiis elabemur. *Reſpondeo*: igitur *primò*, Quod negat hæc fuiſſe Sacramenta, cum Paulo, & Patribus, & manifeſta rei veritate pugnat. Nam & ſignum,& rem ſignatam habuerunt, & nomen Baptiſmi, quod eſt Sacramentum, quibuſdam illorum tribuitur, & rem, id eſt, Chriſtum perceperunt, & qui illa participarunt: quomodo ergo non erant Sacramenta? & ſi non omnino Sacramenta erant, tum quid hoc ad Pauli inſtitutum pertinet? non erant quidem ordinaria, ſed tamen erant temporaria Sacramenta.

Secundò, dico fuiſſe factam promiſſionem Manna edentibus, & per mare tranſeuntibus, vt videre eſt Exod. 14. & 16. & 17. & Numer. 20. vbi promiſit Dominus ſe ſeruaturum & paſturum populum ſuum: erat ergo his annexa ſalutis & conſeruationis promiſſio. Sed Bellarminus obiicit, has non niſi temporales promiſſiones fuiſſe. *Reſpondeo primò*: Sic antea dixit, Circumciſioni annexam fuiſſe promiſſionem tantum temporalem, & tamen negare non poteſt, Circumciſionem fuiſſe verum Sacramentum. *Secundò* dico, in his terrenis & temporalibus promiſſionibus latuiſſe promiſſiones ſpirituales & cœleles, & in temporalibus datas fuiſſe ſpirituales & cœleſtes promiſſiones piis. Nam omnes promiſſiones Dei nituntur eius in Chriſto gratuita reconciliatione: ideo ſeruauit Deus Iſraelitas, quia erant populus electus. Sed Bellarminus, vt probet non quælibet bona, quæ Deus dat, inniti reconciliatione Dei & gratia, obiicit epulonem in Euangelio, & Nabuchodonozorem, & Cyrum, quibus Deus affluentiam rerum temporalium & multa terreſtria bona contulit, & tamen non dedit eis gratiam & vitam æternam, nec eos pro amicis habuit. *Reſpondeo*: Bellarminus à ſcopo aberrat: nos enim non dicimus, omnes eſſe Deo reconciliatos, quibus bona hæc externa à Deo dantur, nec omnes Deo exoſos, quia à Deo puniuntur, & his bonis externis carent, ſed bona temporalia eſſe piis tantum pignora diuinæ promiſſionis, non autem impiis, ſed contra potius. Cum ergo ſe nos in anguſtias redegiſſe ait, ſuam imperitiam prodit: non enim ſimpliciter omnibus, ſed piis tantum vetera ſacrificia diuinæ in Chriſto beneuolentiæ pignora fuiſſe, & his tantum ſub tempo-

Exod. 14. 13 14. & 16. 12. & 17. 6. Num. 20. 8.

libus promissionibus factas esse spirituales & cœlestes dicimus: ideo hæc sacrificia fuisse piis Israelitis signa & symbola reconciliationis diuinæ, vtcunque iis alii abusi sunt.

Tertiò respondeo: ne nos nimium his angustiis premi existimet, etsi non essent in Scripturis expositæ hæ promissiones, tamen non dubitandum est, viva voce à Mose edoctam esse Ecclesiam, & institutos esse ptos, quorsum hæc omnia spectarent, nempe quod ad Christum respicerent, necesse in illis terrestribus insistendum, sed ad cœlestia animos illorum eleuandos fuisse. Non expressæ hæ promissiones sunt, quia non futura erant hæc perpetua Sacramenta, nec erant hæ res ad posteros peruenturæ, sed ad breue tantum tempus duraturæ: satis erat, si populus viua voce de his instrueretur. Quod autem Basilium obiicit Bellarminus, qui illa Sacramenta præ nostris extenuat: *Respondeo:* Basilium ideo hoc facere, quia scribit contra eos, qui argumentum pro Spiritus sancti diuinitate ex eo sumptum, quod in Spiritum sanctum baptizamur, eludebant, quia Iudæi in Mosen baptizati dicuntur à Paulo, non tamen sequitur, Mosen Deum fuisse; respondet Basilius, illum Baptismum typicum tantum fuisse, nec aliquid valuisse, & nostrum Baptismum illi præfert.

Basil. lib. de Sp. sancto c. 14.

Quod si sic intelligat, quasi nihil in illo Baptismo πνεῦμα πνεῦμα, id est, *spirituale* fuerit (vt videtur intellexisse) cum Paulo pugnat, cui æquius est vt credamus quam Basilio: nam Paulus aperte ait, eos edisse & bibisse Christum. Sed manifesta est inter ista differentia, quam Basilius non animaduertit: nam Israelitæ in Mosen baptizati sunt, id est, auspicio & ministerio Mosis: at nos in Spiritum sanctum baptizamur, id est, in nomen & fidem Spiritus sancti. Atque hæc de eo quod primo ex hoc Pauli loco colligimus.

Secundum, quod ex hoc testimonio colligimus & vrgemus est, quod cibus & potus ille spiritualis dicatur: ergo habuit effectum spiritualem. Bellarminus ait, spiritualem dici, non propter effectum, sed propter causam & significationem: vtrumque enim, inquit, productum erat per miraculum opera Angelorum: vnde Manna alibi dicitur panis Angelorum, non quod eo vescantur Angeli, sed quia Angeli eum fecerunt. *Respondeo*: Non existimo cibum illum Angelicum dici, quod ab Angelis factus est, sed potius quia de loco vel habitaculo Angelorum delapsus est, vel quia iucundissimus & præstantissimus cibus fuit, vt si Angeli cibo aliquo vescerentur, non possent meliore cibo vesci; vt apud Paulum linguæ Angelorum ponuntur pro linguis diuinissimis: vel possumus interpretari cibum heroum & fortium virorum, id est, qualis viris præstantissimis conueniat, & potentissimis, non quod eum fecerint, sed quod ederint, id est, quo heroes & principes vesci possent. Sed addit etiam Bellarminus, Apostolum non vocare aquam spiritualem, quam bibebant, sed petram, quæ erat causa eius aquæ, id est, Christum petram inuisibilem, qui eos nunquam deserebat. *Respondeo*: At Apostolus aperte ait, omnes bibisse potum spiritualem: aquam autem, non petram bibebant. Sed ait Bellarminus, aquam non dici Christum, sed petram ex qua tanquam ex causa efficiente fluxit. *Respondeo:* sed si illa aqua à Christo fluxit, habuit certe effectum spiritualem.

Psalm. 77. 29.

1. Cor. 13. 1.

Sed Bellarminus ait, dici spiritualem aquam, non nisi quia Christus fecit, vt aqua hæc è petra flueret. *Respondeo*: Qualia hi commenta solent excogitare ad veritatem eludendam? nam si hæc aqua spiritualis dicatur, non nisi quod Christus eius causa fuit, tum quamuis aquam possumus spiritualem vocare, quia Christus facit omnem aquam fluere. At hæc aqua miraculose fluebat. *Respondeo*: Quid tum? non enim quicquid fit miraculose, est spirituale; tum enim illa aqua, quam Sampson bibisse dicitur, erat spiritualis, & panis & aqua, quibus vescebatur Elias in deserto, & oleum ac similia viduæ Sareptanæ, & alia his similia; & tamen nusquam tale quicquam in Scripturis legimus: ergo necesse est hanc aquam spiritualem dici quoad vsum. Etsi enim apta hæc aqua fuit pascendis & recreandis corporibus, tamen non hic eius primus vsus fuit, sed vt pastum cœlestem, id est, gratiam spiritualem significaret, qua animæ illorum ad vitam æternam alerentur: Erat enim Sacramentum Christi, & pii in ea Christum perceperunt. Hæc Pauli, hæc Ecclesiæ semper doctrina fuit; vnde Hilarius, *Sub nube fuerunt & Christo, aquam petra præbente, potati.* Idque tacite Bellarminus innuit, cum ait, hunc cibum & potum dici spiritualem, propter causam & significationem: quid hoc, propter significationem, nisi quod Christum figurabat & significabat: ita erat Christi signum & Sacramentum; sic nos dicimus. Sacramentum vero in vsu legitimo semper habet rem coniunctam. Sed quando Bellarminus significationem seiungit ab effectu, non nisi inutilem & leuem significationem contra Apostoli mentem facit. Sed Bellarminus ait, suam expositionem confirmari ex Iohan. 6. quia Christus ait, eos esse mortuos, qui manducarunt manna: ergo manna, inquit, non fuit cibus spiritualis quoad effectum. *Respondeo*: Sic nec Eucharistia esset cibus spiritualis; nam & Christiani vt Israelitæ moriuntur: & pii Israelitæ non aliter moriebantur, quam nunc pii Christiani. Eucharistia nostra non affert immortalitatem corporibus, nec impedit quo minus

Hilar. in Psalm. 67.

Iudic. 15. 19. 1. Reg. 19. 6. 7 & 17. 16.

Iohan. 6. 58.

nus corpora vel morbo vel senectute intereant. Sed vt nostra Eucharistia est cibus spiritualis, quia etsi non corpus, tamen animas ad æternam vitam pascit: sic & Manna spiritualis cibus fuit. Quare igitur Christus Manna negat fuisse cibum cœlestem? num illi Apostolus contrarius est: nequaquam: sed Christus cum Iudæis rem habuit, qui petebant ab illo panem & cibum è cœlo, quomodo Moses in deserto Israelitis panem & cibum præbuit. Christus respondet, se attulisse cibum longe meliorem & præstantiorem, carnem scilicet suam, quia illi mortui sunt, qui Manna comederunt, at qui hanc comedent, mori non possunt. Quibus verbis non innuit, Manna non fuisse cibum spiritualem, sed Manna non dedisse vitam æternam: ergo alium diuiniorem cibum ab iis quærendum fuisse, ipsum scilicet Christum: fuit tamen Manna cibus spiritualis, quia erat symbolum carnis Christi, vt & nostra Eucharistia est: hac ergo in re par nostræ Eucharistiæ Manna fuit. Sic Christus Manna cum sua carne comparat, non cum Eucharistia, non quasi diceret, qui Manna comederunt, mortui sunt, qui Eucharistiæ participes sunt, mori non possunt; sed perinde ac si diceret, qui Manna comederunt, mortui sunt, qui carnem meam comedunt, mori non possunt: hoc tamen non obstat, quin Manna Sacramentum fuit, & piis cœlestis cibus. Sed quare tum ait Apostolus omnes ediisse & bibisse? non erat ille cibus & potus spiritualis omnibus quoad effectum. *Respondeo*: Verum hoc quidem est, tamen spiritualis fuit, vt & nostra Sacramenta, quæ tamen non quoad effectum omnibus spiritualia sunt. Dicitur spiritualis ex Dei institutione, & quia Christus in Manna offerebatur & proponebatur omnibus, etsi omnes os fidei non habuerunt, quo illum sumerent. Sic Augustinus, *Manducauit Manna & Moses; manducauit Manna & Aaron, manducauit Manna & Phinees; manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quod visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur.* Vbi clare intelligimus, quosdam per Manna vixisse, vt pii nunc per nostra Sacramenta: subiungit enim statim Augustinus, *Nam & nos hodie accepimus visibilem cibum: Sed aliud est Sacramentum aliud est virtus Sacramenti.* *Augustin. tract. 26. in Ioan. Euang.*

Idem ergo plane de nostris etiam Sacramentis statui potest. Quoad externum aspectum corporalia sunt, sed quoad effectum internum spiritualia: gustamus illa spiritualiter, vt spiritualiter saturemur. Imo ita clara res est, vt Pontificii paulo saniores & prudentiores sic hunc Pauli locum more pretentur, quemadmodum & nos.

Aqui-

Aquin. in locum. Aquinas apertissime, per escam spiritualem ait significari corpus Christi in signo spiritualiter intellecto. Sic Catharinus ait, hunc cibum & potum dici spiritualem, quia præbebat alimoniam spiritualem, si ex fide populus accipiebat. Quid amplius desideramus?

Catharin. in locum.

Iam ad tertium illud accedamus, quod ex hoc Apostolico testimonio vrgemus, atque hoc est status causæ, quam tractat Apostolus hoc in loco. Vult hic Apostolus monere Corinthios eosque terrere exemplis Iudæorum, ne desideriis & cupiditatibus suis indulgerent. Nimium enim confidebant Corinthii suis priuilegiis, quod baptizati essent, & Eucharistiam participarent, & hac ratione se saluos fore existimabant, & tamen multa interim contra pietatem commiserunt: vescebantur enim idolothytis, & accedebant ad mensam dæmoniorum, & Christiana sua libertate in rebus mediis abutebantur, nulla habita infirmorum ratione. Quare Apostolus Israelitarum exemplum illis proponit, & monet vt caueant, ne similiter peccant vt illi, qui non minus baptizati & Eucharistiæ participes fuerunt, quam Corinthii, & tamen pœnas dederunt ob idololatriam, scortationem, & alia peccata, vt postea sequitur; ac proinde Corinthiis cauendum esse.

Ergo illa Sacramenta erant eiusdem gratiæ & efficaciæ cum nostris, aut Paulus non apte cum nostris comparat. Bellarminus ait, scopum Apostoli non esse, vt ostenderet non nimium confidendum esse Corinthiis in Sacramentis, sed potius non esse abutendum Sacramentis: si enim Iudæi puniti sunt, quod contempserint figuras Sacramentorum nostrorum, & ingrati fuerint Deo, à quo illa beneficia acceperant; quanto iustius puniendi sunt Christiani, qui contemnunt Sacramenta ipsa, & ingrati sunt Deo, à quo acceperunt beneficia longe maiora? *Respondeo*: Bellarminum Apostoli institutum non intelligere. Non enim is Apostoli scopus est, quem ille fingit, vt moneat Corinthios, ne Sacramentis abuterentur, sed ne impune se crederent idololatriam committere & concupiscentiis suis obsequi posse, quod Christianissimi sacris initiati essent, neue symbolis & priuilegiis Christianissimi nimium confidentes peccatis sese dederent. Idenim Apostolus vult, vt à commercio idololatrarum & idolothytis abstineant: quod ni fecerint, non profuturum illis titulum Christianissimi. Bellarminus fatetur Apostolum de idolothytis Corinthios monere, & hoc versu septimo patet: sed non id modo monet Apostolus, sed etiam in genere, vt non nimium suis cupiditatibus indulgeant, versu sexto, & de aliis etiam peccatis caueant, vt in versibus sequentibus habetur. Vt hoc melius Apostolus Corinthiis persuadeat, reuocat illis in

1. Cor. 10. 7. & 6. & 8. &c.

mentem, Iſraelitas fuiſſe ſimiliter baptizatos & Euchariſtiæ participes, grauiſſimas tamen ſcelerum ſuorum pœnas Deo dediſſe. Hoc Apoſtolus nunquam feciſſet, ſi illorum Sacramenta nihil gratiæ habuerint, noſtra vero gratiæ plena ſint.

Quale enim argumentum hoc fuiſſet, Iſraelitæ in nube baptizati ſunt, & mare tranſierunt, & Manna comederunt, & biberunt de aqua è petra fluente, & tamen peccantes grauiſſime puniti ſunt: ergo metuendum eſt ne vos, etſi Chriſti Sacramenta percipiatis, pœnas maximas ſuſtineatis; ſi illa Sacramenta erant inania gratiæ, & non niſi figuræ noſtrorum Sacramentorum? Nam reſpondere ſtatim potuiſſent Corinthii, & dicere, non eſſe parem rationem; illam nubem non fuiſſe Baptiſmum, neque mare illud & Manna fuiſſe Euchariſtiam, ſed nudas tantum ceremonias, & noſtri Baptiſmi noſtræque Euchariſtiæ figuras duntaxat fuiſſe; illos non tantam gratiam imo nullam in ſuis Sacramentis habuiſſe, at noſtra Sacramenta gratiam ex opere operato conferre; denique nubes, mare, Manna, aqua è petra, non fuerunt illis Sacramenta omnino, at noſtra veriſſima eſſe Sacramenta conſtat. Præterea qualis (obſecro) hæc ratiocinatio eſſet: Iſraelitæ inter ſe eundem cibum ederunt, & eundem potum biberunt, & tamen plerique illorum non placuerunt Deo: ergo ita Corinthiis eueniet, ni caueant. At tum nulla erit comparatio inter Iſraelitas & Corinthios, ſed Iſraelitarum inter ſe: at nullum eſt hoc exemplum, niſi cum Corinthiis conferantur. Auguſtinus ait, *Quid eſt eundem cibum? idem ſignificantem.* Hunc eſſe Pauli ſcopum, non tolerandos eſſe Crointhios propter Baptiſmum aut Euchariſtiam, ſi intemperantes eſſent, quia Deus olim non Iſraelitas tolerauit, qui tamen baptizati ſunt, & Euchariſtiæ participes, ipſa Scriptura clamat, & Chryſoſtomus & Oecumenius in locum, qui aiunt monuiſſe illos Paulum, ne præfidant, quod eſſent βαπτίσματος καὶ πνευματικῶν μυστηρίων, *Baptiſmatis & ſpiritualium myſteriorum* participes: non ergo, ne abuterentur Sacramentis, vt vult Bellarminus, ſed ne propter prærogatiuam aliquam Sacramentorum ſibi peccandi licentiam ſumerent.

Auguſt. in ſerm. de Iacob. & Eſau.

Chryſoſt. & Oecumenius in locum.

Sic Thomas & Catharinus. Quare Bellarminus Soli tenebras offundere conatur. Quod autem obiicit, Si vellet Apoſtolus oſtendere, non eſſe nimium confidendum in Sacramentis, idque exemplo Iudæorum, accepiſſet in exemplum potius vera Sacramenta Iudæorum, vt Circumciſionem & Agnum Paſchalem. *Reſpondeo primò*: fuiſſe & hæc vera Sacramenta, quamdiu durabant: non enim fuerunt perpetua Sacramenta, vt Circumciſio & Paſcha.

Thomas & Catharin. in locum.

Secundò dico hæc exempla fuiſſe

iſſe multo aptiora, quia non modo erant Sacramenta, ſed etiam maxima diuinæ beneuolentiæ monumenta, & miracula diuinam gratiam teſtantia: ſed tamen ſi non niſi miracula aut externa beneficia fuiſſent, non perſuaſiſſent, quod Apoſtolus voluit: quia ſemper plus cauſæ fuiſſet, cur in nouis Sacramentis confiderent, ſi gratiam ex opere operato conferrent. Sed cum & miracula & Sacramenta fuerint, in quorum vſu Iſraelitæ rem eandem acceperunt, quæ nobis in vſu noſtrorum Sacramentorum præbetur, potuit hinc Apoſtolus optime in hunc modum concludere, Si Deus non pepercit illis peccantibus, nec vobis etiam parcet.

Quartum noſtrum ex Scripturis argumentum ſumitur ex Coloſſ. 2. *Circumciſi eſtis.* Circumciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis: vbi Apoſtolus comparat Baptiſmum cum Circumciſione, & Coloſſenſes fideles per Baptiſmum ait habuiſſe, quod veteres per Circumciſionem habuerunt, id eſt, regenerationem. Bellarminus *primò* concedit, Baptiſmum dici hic Circumciſionem. *Reſpondeo*: Ergo ſic dicitur propter ἀναλογίαν. Non ſic diceretur, ſi in Circumciſione nil gratiæ fuiſſet; non ei tum nomen Circumciſionis tribuiſſet, quæ nihil valuit.

Coloſ. 2. 11.

Secundò Bellarminus ait, non fuiſſe eundem effectum vtriuſque, imo nec potuiſſe, cum figuræ & rei figuratæ non poſſit eadem vis eſſe. *Reſpondeo*: Circumciſio non figura fuit Baptiſmi (nam res figurata fuit amputatio peccati, vt Apoſtolus ait, ἀπέκδυσις τὸ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, id eſt, *depoſitio corporis carnis peccatis obnoxiæ*) niſi vt ἀντίτυπα, id eſt, vt vnus typus alteri comparatur, qui ambo eiuſdem rei typi ſunt: & eſt idem effectus τύπου & ἀντιτύπου.

Tertiò Bellarminus ait, Apoſtolum vocare Iudaicam Circumciſionem manu factam, noſtram autem negare eſſe manu factam, quia Deus eſt, qui principaliter baptizat, non homo. *Reſpondeo*: Sic & Deus circumcidebat, non homo: ſic etiam Baptiſmus noſter miniſterio manus indiget. Sed Apoſtolus ait, illos eſſe ſpiritualiter circumciſos in Baptiſmo, cuius ſpiritualis Circumciſionis ſignum & ſigillum fuit Circumciſio manu facta; ergo non nunc opus fuiſſe cumcidi, cum rem illius Circumciſionis haberent.

Quartò ait Bellarminus, Paulum tribuere expoliationem à corpore peccatorum, id eſt, à toto corpore obnoxio peccatis, non Circumciſioni Iudaicæ, ſed Chriſtianæ, id eſt, Baptiſmo. *Reſpondeo*: Si per Baptiſmum intelligat externum opus falſum eſt, quod ait; non enim hoc magis Baptiſmo quam Circumciſioni tribuitur: ſed ſi ſignum & gratiam ſimul intelligat, verum eſt. Nam in Baptiſmo ex minus corpus peccati, vt qui circumciſi ſunt exuebant: & Bellarminus

hunc Circumcisionis effectum fuisse fatetur.

Quintò ait Bellarminus, Circumcisionem Iudaicam non totum corpus sed vnam tantum particulam circumcidisse. *Respondeo*: Etsi vna pars tantum circumcisa fuit, tamen hoc perinde erat, ac si totum corpus fuisset circumcisum: & adumbrauit peccati totius amputationem. Et non necesse est, totum corpus baptizari, satis est si frons aut caput baptizetur. Igitur fitimum est argumentum: Baptismus Circumcisioni comparatur, quando Apostolus docet, quid per Baptismum consecuti sumus: ergo fuit in Circumcisione depositio seu expoliatio corporis peccati: & Circumcisio manu facta fuit symbolum τῆς ἀχειροποιήτου, id est, Circumcisionis *non manufactæ*: ergo pii in Circumcisione externa habuerunt Circumcisionem non manu factam.

Quintum nostrum ex Scriptu-
*Heb.*13.8. ris argumentum sumitur ex Hebræor. 13. *Christus Iesus heri & hodie, idem est & in secula.* Bellarminus ait, Apostolum loqui de fide & doctrina, non de Sacramentis. *Respondeo*: Apostolus non diserte de Sacramentis loquitur, sed quando eandem fidem semper fuisse ait, nempe in Christum; sequitur in Sacramentis priscis Christum fuisse. Nam Christus non minus heri quam hodie fuit, quia semper fuit: ergo materia & substantia fidei vna semper fuit. Quare eundem Christum Patres habuerunt, quem nos habemus: non igitur illorum Sacramenta vacabant Christo, vt Papistæ volunt, sed ibi Christus fuit, vt in nostris Sacramentis est.

Nunc ad argumentum nostrum vltimum veniamus, quod est ex Patrum testimoniis sumptum, ex quibus nunc aliquid afferemus. Inter hos primum numero Augustinum. Ille ait, vetera Sacramenta & nostra esse signis diuersa, re eadem: idque sæpe in multis locis affirmat. Bellarminus ait, Augustinum nusquam dicere, Sacramenta nostra & vetera esse paria, quoad efficaciam, sed tantum quoad significationem. *Respondeo*: Augustinus ait ibidem virtute spirituali paria esse: ergo efficacia: quid aliud virtus, nisi efficacia? Bellarminus ait, fuisse paria quoad vim spiritualem significandi. *August. in tract. 26. in Ioan.*

Sic ille virtutem spiritualem ait esse vim spiritualem significandi. *Respondeo*: Misere tergiuersatur; quid hoc, quoad vim spiritualem significandi? quasi vis aliqua spiritualis necessario requiratur ad nudam significationem? sed Augustinus aperte de re eadem loquitur, & ait veteres Patres etsi non signa eadem, at rem eandem tamen habuisse. Sic enim scribit, *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt; spiritualem vtique eandem; nam corporalem alteram, quia illi Manna, nos aliud; spiritualem vero quam nos.* Ex his duo colligo. *Pri-*

Primum est, quod Apostolus ait, *Omnes eandem escam spiritualem manducarunt*, id ita intelligendum esse, eos non inter se, sed eandem nobiscum escam manducasse. *Secundum* est, hanc escam, quam illi comederunt, eandem fuisse cum nostra non significatione tantum, sed virtute & efficacia, quia illi eandem spiritualem escam manducarunt, quam nos. Si ergo nostra esca habet efficaciam spiritualem, & illa habuit: & illa fuit non modo significatione spiritualis, sed & effectu, quia illi eandem escam spiritualem manducarunt. Ita Augustinus tollit omnes calumnias Aduersariorum, & illis os obstruit. Quare nunc Bellarminus in angustias plane redactus est, vt eius verbis vtar. Nam quod Manna ait dici spiritualem cibum significatione, eodem modo Augustinus panem mysticum, *Hunc panem*, inquit, *significauit Man..a, hunc panem significat altare Dei.*

Sed obstrepit tamen adhuc Bellarminus, non posse vetera Sacramenta nostris esse æqualia ex
August. in Psalm.72. mente Augustini, quia is alibi ait, nostra Sacramenta esse salubriora, & fæliciora, imo virtute maiora, vtilitate meliora. Sed prius responsum est, Christum in nostris clarius percipi, at eundem tamen Christum in vtrisque percipi: differentiam non rei, sed rationis
Idem cót Faust. l.19.c.13. esse. Tandem ait, non esse necessarium sequi hanc expositionem Augustini, quia videt illam sententiæ Pontificiæ ex diametro repugnare. Ita nuncium remittit Augustino: at eius expositio vera est, & Scripturis apta, & Papistas omnes refellit, & nos non desinemus Augustinum vrgere, quia totus noster est in hac causa. Sed obiicit postremò, Apostolum dicere, omnes eandem escam spiritualem manducasse: at multi eorum erant mali. *Respondeo*: Etsi non omnes eandem escam spiritualem manducarunt, quia multi eorum infideles fuerunt, tamen Apostolus omnes eandem manducasse ait, quia Sacramentaliter omnes eandem manducarunt, & in illo corporali cibo omnibus oblata & proposita est gratia spiritualis. Sic nos quoque in Eucharistia eandem spiritualem escam edere dicimur, etsi impii, qui non habent os fidei, non possunt eam edere. Sed si pii Christum in illis Sacramentis perceperunt, & eandem spiritualem gratiam habuerunt, quam nos, satis ad causam facit, Patres fideles percepisse eandem escam spiritualem, quam nos: & hoc *Idem in Psal.77.* Augustinus diserte ait. Sic alibi ait, *Idem in mysterio cibus & potus illorum, qui noster*: ergo si noster cibus gratia diuina quasi sale conditus sit, ita & cibus illorum. *Hilar.in Psal.67.* Atque hoc est, quod Hilarius ait, fuisse illos potatos Christo: quare non vacabat illorum potus gratia. *Augustin. tract.45. in Ioan.*

Iterum clarissime scribit Augustinus, *in signis diuersis eandem fuisse fidem* & bi-

Idem de fide ad Petrum c.19.

& ibidem, *fide manente, signa variata esse*: ergo Patres in illis diuersis signis rem eandem nobiscum perceperunt.

Et alibi, comparat nostra Sacramenta cum antiquis sacrificiis, & ait, in illis victimis fuisse figurationem carnis Christi, in hoc Sacramento, id est, in Eucharistia esse gratiarum actionem; in illis signi*Idem cont. Donat. l.4. c.24.* ficatum esse, quid donandum, in his quid donatum; in illis prænunciatum esse Christum occidendum, in his annunciari Christum occisum. Sic idem alibi exæquat Circumcisionem Baptismo, & quid valeat Baptismi Sacramentum posse intelligi ait ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit: at falsum hoc esset, quod ait Augustinus, nisi essent paria vtriusque Testamenti Sacramenta. *Idem de nupt. & concupisc. l.2. c.11. ad Valer.* Idem ait, Circumcisionem fuisse signaculum iustitiæ fidei in illo populo: ergo falsum est, quod Bellarminus supra dixit, hoc fuisse solius Abrahæ priuilegium. Et eodem loco ait, Circumcisionem ad significationem *Alan. de Sacram. in gen. c.39.* purgationis valuisse. Alanus ait, Augustinum non dicere, ad purgationem, sed ad significationem purgationis valuisse. *Respondeo*: Hoc nihil ad rem: nam ait, vt Baptismus valet, sic Circumcisionem valuisse. Quid autem hoc, quæso, sibi vult, valere ad significationem? Augustinus ait, Circumcisionem liberasse paruulos à morte æterna, vt nunc Baptismus. *Sixt. Sen.* Sixtus Senensis, cum citat hunc locum, legit, ad sanctificationem purgationis: & hæc videtur melior lectio. In eo quidem fateor errasse Augustinum, quod dixerit pueros omnes, qui non circumcisi sunt octauo die periisse ex verbis Legis, *Masculus, qui non circumcidetur, delebitur de populo suo*: at non hoc de paruulis intelligitur eo in loco. Sed Augustinus sic putauit, & ab hac sententia liberari eos in circumcisione. Eodem errore paruulos ait non baptizatos perire, & per Baptismum liberari. Sed palam tantum Circumcisioni, quantum Baptismo tribuit, quod contra Alanum facit.

Biblioth. l.5. annot. 96. Gen.17. 14.

Lombard. l.4. d.1. Gratian. de consec. d.4. c.Et quo.

Vnde Magister sententiarum sic locum citat, quasi scripsisset Augustinus, ad purgationem valuisse. Et similiter Gratianus, & alii. Sic illi Augustinum intellexerunt, & sic reuera intelligendus est. Sed Augustinum Bellarminus respuit, & Chrysostomum sequitur; & tamen Chrysostomus re idem dicit, quod Augustinus. Nam in homilia, quam in hunc locum scripsit, ait esse rem eandem veteris & noui Testamenti, non esse pugnam vel diuersitatem aliquam, & hoc similitudine pulchra à pictore sumpta illustrat. Pictor primo lineas obscuras & tenues ducit, ex quibus tamen possis agnoscere, quam rem velit exprimere, exempli gratia Regem, & Regium seruum, & equos circumstantes: postea splendidos colores adhibet, & opus absoluit, & tum multo cla-

Chrysost. in homil. in loc. tum 3.

clarius omnia intelligis: vetera Sacramenta primæ picturæ, nostra secundæ comparat. Rex ille Christus est, quem vtraque pictura exprimit, sed hæc illustrius. Fateor quidem eum alibi dicere, ad hoc tantum institutam esse Circumcisionem, ut Iudæorum pueri ab infidelibus distinguerentur. Et Sixtus Senensis ait, huic assertioni aduersari omnes tam veteres quam recentiores Theologos: tamen nostet Bellarminus & Alanus in hos scopulos impingunt. Imo secum Bellarminus insigniter pugnat, qui postea ait, vetera Sacramenta non fuisse instituta ad remedium peccati, excepta circumcisione. Ergo falsum est, quod Chrysostomus ait, quem tamen & hic & supra sequitur Bellarminus, Circumcisionem tantum Hebræos ab aliis Gentibus distinxisse. Et Augustinus idem de Circumcisione docuit, quod ante illum Ambrosius, qui eadem fere habet cum Augustino, vt hæc Augustinus ab Ambrosio didicisse videatur. Nam ait Ambrosius *primò*, omnes nasci immundos; *secundò*, vt nunc in Baptismo mundamur, sic veteres olim in Circumcisione mundatos esse; *tertiò*, vt qui nunc non baptizantur, pereunt, sic olim qui non circumcisi sunt, periisse. Sed hoc non perinde verum est, vt diximus. Hoc etiam est, quod Gregorius ait, *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis.* Vbi illud verbum *Egit* obseruari debet: indicat enim, non fuisse Circumcisionem parem Baptismo tãtum significatione, quod vult Bellarminus, sed etiam operatione: nam *egisse* Circumcisio dicitur idem quod nunc Baptismus: ergo & Circumcisio & vetera Sacrificia habebant eam virtutem, quam nostra Sacramenta. Sic Beda tribuit Circumcisioni saluBeda in Luc.2. tiferam curationem, & ait Circumcisionem idem egisse contra originalis peccati vulnus, quod in nouo Testamento Baptismus. Vbi ergo illi sunt, qui efficaciam Circumcisioni adimunt? Verum scitum illud est, quod Alanus ait, *Alan. in lib. de Sacram. in gen. c.39.* illa Sacramenta operata esse eosdem effectus, quos nostra, magna ex parte, sed per accidens. At *primò*, si effecerint eadem, quæ nostra, non multum refert, vtrum per se, an per accidens effecerint: *secundò*, Gregorius & Beda non senserunt per accidens effecisse: nam vt Baptismus nunc efficit, sic illa tunc effecisse dicunt, quia Deus vt nunc Baptismum, sic tunc Circumcisionem in eum finem instituit.

Idem in mil.27. Gen.18.

Sixt. Sen. Biblioth. annot.

Allarm. de Sacra. in gen. l.2. c.26. & c. 25.

Ambros. Epist. 84.

Gregor. Magn. Moral. l. 4. c.2.

Bertramus vir fuit eximiæ & *Bertram. in lib. de Euchar.* strinæ & pietatis, vt liquet ex libello de Eucharistia, quem scripsit ad Carolum Magnum, in quo libello egregie de Manna & petra scribit, Christum Patribus dedisse in Manna & aqua suam carnem & sanguinem, vt nunc nobis in pane & vino. Bernardus ait, in Circum- *Bernard. in serm. de*

Baptism. in cœna Dom. cisione cultellum erasisse rubiginem originalis peccati, quod manabat à primis parentibus. Sixtus
Sixt. Sen. vbi supra. Senensis in loco quem supra citaui, verba Bernardi citat, sed locum non indicat, vbi ait, Circumcisionem attulisse tunc salutem infantibus, vt nunc Baptismus. Hu-
Hugo de Sancto Victor. de Sacram. l. 1 part. 11. go de sancto Victore sic scribit, *Sacramentorum alia fuerunt ante Legem, alia sub Lege, alia sub gratia specie quidem differentia, sed eundem sanctificationis effectum habentia.* Hic aperte dicit non differre, nisi quia aliæ ceremoniæ, & alii ritus externi sunt.

Concil. Trident. sess. 7. can. 2. At iis qui sic dicunt Concilium Tridentinum Anathema denunciat. Magister sententiarum ait, Circumcisionem contulisse idem remedium contra peccatum originale, quod nunc Baptismus. Et licet non sic de aliis Sacramentis veteris Testamenti audet affirmare, tamen aperte de Circumcisione hoc affirmat, cuius ille singulare priuilegium & prærogatiuam inter vetera Sacramenta agnoscit.

Accipimus quod dat: nos de reliquis item statuendum esse contendimus. Hunc secuti reliqui Scholastici huius Magistri discipuli, quia non ausi sunt discedere à Magistro suo, nec tamen ausi sunt tantum Circumcisioni tribuere, quantum Baptismo, in varias sententias distrahuntur. Aliqui aiunt remisisse peccatum originale & actuale, sed non contulisse gratiam. Alii dicunt gratiam contulisse, sed non tantam, quæ posset regnum cœlorum aperire: quo nihil insanius. Nam *primò* non fieri potest, vt remissio peccatorum sit sine gratia maxima: *secundò*, ii quibus peccata remissa sunt, non possunt ab ingressu regni cœlorum arceri, cum Scriptura vbique clamet, beatos esse, quorum remissa sunt peccata, & in remissione peccatorum iustificationem ponat, cum qua sanctificatio necessario coniungitur. Quid ergo potest infantes remorari, quo minus regnum cœlorum ingrediantur, cum liberentur à peccato originali, & nullum aliud peccatum habeant. Alanus ait, & vetustiores & recentiores in ea opinione esse, sed ille tamen, & hunc sequutus Bellarminus, nullam Circumcisioni gratiam aut remissionem peccati tribuunt. Ita isti contra Theologorum torrentem sentiunt, quorum nemo non cum Bellarmino conferendus est. Innocentius tertius hæc verba habet: *Originalis culpa per Circumcisionem remittebatur, & damnationis periculum vitabatur, non tamen ad regnum cœlorum perueniebatur.* Et si quid infantes remoretur, vt diximus, ab ingressu regni cœlorum remissa culpa originali? Thomas ait, datam esse pueris gratiam per Circumcisionem & facultatem perueniendi ad gloriam. Hic longius progreditur quam Innocentius. Imo subiungit, In circumcisione sicut & in aliis Sacramentis

Psal. 31. 1.

Innoc. 3. in Decret. c. maiores de Bap.

Thom. 3 part. sum. q. art. 6.

tis veteris Legis collatam fuisse gratiam, in quantum erat signum passionis futuræ. Recte! nos non aliud postulamus. Et Circumcisio & alia veteris Legis Sacramenta contulerunt gratiam: ergo *primò* non vt Bellarminus & Alanus, Circumcisioni plus tribuit, quam aliis: *secundò*, non per accidens contulisse ait, vt, Alanus: *tertiò*, omnia veteris Legis Sacramenta gratiam conferebant, vt erant signa futuræ passionis Nos de modo conferendæ gratiæ non laboramus, si modo contulerint, satis est. Et hinc constat, falsum esse, quod Aduersarii dicunt, inter vetera & nostra Sacramenta hoc esse discrimen, quod nostra conferant gratiam, illa non conferant. Sed nostra non aliter conferunt, quam illa: nam illa conferebant, vt erant futuræ passionis signa, & nostra conferunt, vt sunt præteritæ passionis signa. Et sic idem alibi, ait Patres comedisse eandem escam spiritualem, quam nos, contra Bellarminum, qui illos nec eandem, quam nos, nec Christum percepisse vult. Ita veteres Scholastici nostris Iesuitis saniores fuerunt. Iam ad Scotum veniamus.

Ille ait, peccatum originale deletum fuisse per Circumcisionem ex opere operato, & Deum instituisse Circumcisionem in remedium peccati originalis: at Bellarminus ait institutam esse, non nisi vt distingueret Israelitas ab aliis; & sic Alanus. At illi opus habebant remedio contra peccatum originale: & si nunc Baptismus est remedium, quidni & tunc circumcisio? Sic Scotus: & ait hoc patere per authoritates Sanctorum: imo addit, non posse fieri, vt culpa originalis remitteretur sine gratiæ infusione: ergo & gratiam contulit Circumcisio, quia nullum est medium inter filium regni, & filium perditionis: quod etiam contra Limbum infantium facit.

Bonaven. in 4. d. 1. q. 3. art. 2. & q. 5.

Bonauentura ait, Circumcisionem & deleuisse peccatum, & contulisse gratiam, sed modicam: sed quæ & qualis hæc modica gratia sit, non explicat. Verum si gratiam, quamuis modicam conferebat, non differebat à nostro Baptismo, nisi secundum magis & minus: & sic nos fatemur, vberius conferri gratiam in nostris Sacramentis, quam in illis. Et ait, sacrificia piorum in vetere Lege, vt Abelis, Abrahæ, Salomonis, placuisse Deo: quod ex Canone Missæ probat. Si enim tantopere Deo placuerunt, vt orent Deum accipere sacrificium Missæ, sicut illa accepit; quomodo non in illis sacrificiis pii cumulatissimam gratiam consecuti sunt? Durandus ait, Circumcisionem contulisse gratiam per modum Sacramenti, id est, vt Sacramentum dicitur conferre gratiam: ergo sic vt noua Sacramenta gratiam conferunt. Gabriel Biel adeo non dubitat, in Circumcisione gratiam collatam esse, vt etiam ex opere operato collatam

Durand. in 4 d. 1. q. 5.

Biel. in 4. d. 1. q. 4.

dicat, quemadmodum antea Scotus, ſicut in nouis Sacramentis fit. Num plura adhuc ſuffragia deſideramus? Catharinus ait, Patres eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe, qua nos paſcimur, & eundem potum bibiſſe, quo nos potamur: non ergo eandem eſcam, & eundem potum inter ſe tantum. Et ſimiliter etiam Sixtus Senenſis, de quo antea. Poſſum ergo meo iure concludere ex Authoritate Scripturæ, & teſtimoniis Patrum, ac Scholaſticorum, veteris Teſtamenti Sacramenta contuliſſe gratiam, æque ac noſtra.

Cathar. in 1. Cor. 10.

Sixt. Sen. Biblioth. l. 5. annot. 96.

CAPVT IV.

In quo proponitur ſtatus Quæſtionis de Sacramentorum Charactere.

ETiam perducta ad exitum hæc Quæſtio eſſet, niſi nobis in fine eiuſdem Bellarminus Characterem, neſcio quem, obtruderet. De re ergo haud magna dicturi nunc ſumus, de qua tamen ita litigant Aduerſarii, ac ſi eſſet maxima. Dicunt illi Characterem eſſe quorundam Sacramentorum effectum, qui etſi qualis ſit, ne inter ipſos quidem conuenit, tamen Patres Tridentini anathema iis denunciant, qui Characterem negant. Oportebat certe eſſe aliquid, quod tanta ſeueritate ſancitur: at hic Character omnino nihil eſt, & non niſi recens commentum, antiquitati inauditum. Non etimus longi in refellendo tam futili commento. χαραχτὴρ verò notam, ſignaculum, formam, figuram ſignificat. Bellarminus ait hanc vocem haberi in Scripturis, nimirum Hebr. 1. & Apocal. 13. at hoc ſenſu, quo ſumunt Pontificii, nuſquam vel in Scripturis vel in Patribus habetur. Nam in priori loco filius dicitur χαραχτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς, quia Patet in Filio ſuam imaginem impreſſit, vt qui Filium viderit, & Patrem viderit, & qui vnum nouerit, alterum quoque nouerit. In poſteriori vero loco mentio fit χαράγματος τοῦ θηρίου, *characteris Beſtiæ*, de quo etiam aliis multis in locis eiuſdem libri legimus. Hunc characterem valde illis conuenire fateor: eſt enim illorum proprius & genuinus character, quia illi indelebilem Antichriſti characterem ſibi penitus iunctum, & frontibus ac manibus ſuis impreſſum habent.

Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 9.

Hebr. 1. Apoc. 13. 16.

Apoc. 14. 9. & 13. & 16. & 20. 4.

Sed illi hunc characterem non agnoſcunt: nuſquam ergo in Scripturis ſuum characterem inueniunt. Fingunt autem certa Sacramenta imprimere in anima ſignum quoddam indelebile, quod characterem vocant, vt qui canterio notam ſeruo inurit. Hæc vero Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Sacramentum Ordinis. Hunc autem characterem dicunt eſſe ſignum ſpirituale, tuale, & qualitatem abſolutam, non modo relationem quandam: hærere in animo tanquam in ſubiecto ſuo, nec inde poſſe deleri: eſſe æternum, & durare poſt hanc vitam ad omnem æternitatem: manere apud inferos, atque etiam in cœlo: neminem poſſe ponere obicem characteri, qui modo Sacramentum ſuſcipit: nec omnia Sacramenta, ſed tantum tria illa, quæ diximus, imprimere characterem, & nullum veteris Teſtamenti Sacramentum hunc characterem impreſſiſſe: Chriſtum vero, etſi circumciſus & baptizatus fuit, tamen nullum ſibi impreſſum characterem habuiſſe. Sic illi nugantur de ſuo charactere, & quaſi dogma præclarum eſſet, ſic exornant. Iam vero ſi quis quærat, quorſum valeat character, aut quæ eius officia ſint, Bellatminus ei tria officia aſſignat. *Primum* eſt, aptum facere hominem ad cultum diuinum; quaſi ſine illo non ſimus apti. *Secundum* eſt, configurare Chriſto; & tamen dicunt Chriſtum nullum habuiſſe characterem. *Tertium* eſt, diſtinguere ab aliis. Sed hæc omnia abſurda, ridicula, & plane commentitia ſunt: & licet initio per errorem fuerint introducta, nunc tamen impudentiſſime defenduntur. De hac Quæſtiuncula, tanquam huius quintæ Quæſtionis appendice, pauca nobis dicenda ſunt, etſi reuera vix digna ſit lucubratione anicularum.

***

CAPVT V.

In quo Pontificiorum argumenta pro Charactere diluuntur.

AD probandum hunc characterem abutitur Bellarminus primo non multis illis quidem Scripturæ teſtimoniis: quod ipſe pene agnoſcit. Ait enim primo non eſſe admodum expreſſa, deinde poſſe hunc characterem ex quibuſdam locis colligi, poſtea vero addit, præſertim adiuncta explicatione Eccleſiæ. At ſic facile erit quoduis dogma Pontificium ex Scripturis probare, ſi Eccleſiæ, id eſt, Romanæ Synagogæ explicationem admittamus: ſed amentes eſſemus, ſi admitteremus. Ita niſi primum admiſeris, quicquid Eccleſia ex Scripturis colligat, nullis locis certo tam inſulſum commentum confirmatur. Quod autem ait nullum dogma Eccleſiaſticum certo ſtatui poſſe ſine explicatione Eccleſiæ, falſum eſt & hæreticum: nam omnes articuli fidei noſtræ, etſi Eccleſia non definiret, aut contra definiret, imo licet omnes homines reclamarent, certi, & rati, & veri in ſe erunt. Mundus à Deo conditus eſt: nonne hoc certum eſt ſine explicatione Eccleſiæ? Sed videamus quemadmodum Eccleſia has Scripturas explicet.

Primum testimonium habetur 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hoc signum, inquit, seu hæc obsignatio, secundo scilicet loco posita, est character. *Respondeo*: Nunquam Ecclesiæ ex hoc loco characterem collegit. Nam aperte loquitur hic locus de gratia: at ipsi characterem non esse gratiam dicunt, quia potest esse in iis, qui nullam gratiam ex Sacramento percipiunt, & manet in anima damnata apud inferos. Apostolus huic obsignationi vnctionem adiungit: nam ait nos vnctos esse à Deo & obsignatos, scilicet ad vitam æternam, quia addit, *deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris*: ergo hæc obsignatio non potest de communi quodam signo intelligi, sed de signo electorum proprio. Recte Photius apud Oecumenium, ἡ χρῖσις καὶ ἡ σφραγὶς ἀῤῥαβὼν ἐστι τῦ παρακλήτυ, *vnctio hæc & obsignatio est arrha Paracleti*, id est, Spiritus sancti: non ergo est character Pontificius. Alanus cum alios Scripturæ locos citasset in hanc sententiam, ait, *fortasse hic locus magis vrget*: ita ipsi non vrgete vident hos Scripturæ locos, & tamen vrgent. Sanè video nihil esse conscientiæ Iesuitis in Scripturis allegandis: nisi enim essent impudentissimi, nunquam hunc locum afferrent.

2. Cor. 1. 22.

Photius apud Oecumen.

Alan. l. de Sacram. in gen. c. 45.

Secundum testimonium habetur Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis.* *Respondeo*: Hic locus multo minus pertinet ad characterem: nam loquitur hic Apostolus de Spiritu sancto, quem nulli nisi pii habent, & de fide: non ergo de characte re, quem posse esse in inferno aiunt: sed qui sigillum Spiritus sancti habet, apud inferos esse non potest. Et character Pontificius potest esse sine fide, nonnunquam ante fidem: at qui Spiritum promissionis acceperunt, iam fide præditi sunt.

Ephes. 1. 13.

Tertium testimonium habetur Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* *Respondeo:* Loquitur hic Apostolus de Spiritu sancto: non ergo intelligit characterem: ait nos à Spiritu sancto signatos esse in diem redemptionis, id est, Spiritum sanctum nos obsignasse ad salutem. Et Alanus ingenue fatetur, hunc locum magis pertinere ad gratiam, quam ad characterem, idque Thomæ videri.

Ephes. 4. 30.

Alan. vbi suprà.

Quare inepte Alphonsus de Castro hunc locum pro Charactere citat; sed multo ineptius Hieronymum, quasi is eum de charactere interpretaretur. Ait Hieronymus quidem, mentes nostras imprimi signaculo Dei; sed hoc signaculum est Spiritus sanctus, quia ait, per hoc signaculum restitui nobis imaginem Dei, ad quam conditi sumus: at illa est gratiæ perfectio; sed characterem aiunt non esse gratiam.

Hieron. loc.

Quartum est figura Circumcisionis, quæ carnem præcidebat, & si aliquid significabat, inquit, certe significabat characterem, quo discernuntur Christiani in æternum à non Christianis. *Respondeo*: Significauit amputationem peccati, non characterem vllum commentitium.

Quintum testimonium habetur Isai. 66. *Omnes Gentes & linguæ venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum.* Nihil repugnat, inquit, si dicamus intelligi characterem, cum Paulus de signo quodam spirituali interno loquatur, & oporteat Scripturam exponere per Scripturam, cum id fieri potest. *Respondeo*: Laudo Bellarminum, quod hanc viam exponendæ Scripturæ sequatur, & quod Isaiam ex Paulo interpretetur, vt ait. Paulus vero de dono Spiritus sancti loquitur, hoc est, de fide iustificante, qua obsignamur ad vitam æternam: si ergo vult Isaiam ex Paulo interpretari, tum illud signum est Spiritus sanctus, quem Deus electis largitur.

Esai. 66. 18. 19.

Sextum testimonium habetur Exod. duodecimo. vbi postes signantur.

Exod. 12. 7.

Septimum Ezech. 9. de signo Thau. *Respondeo*: Bellarminus ipse ingenue fatetur, non esse ad rem hæc testimonia, nec ad characterem pertinere: sed certe non minus ad rem sunt, quam præcedentia. Atque hæc testimonia ex Scripturis attulit, quæ nihil minus quam characterem probant.

Ezech. 9. 4.

Deinceps ex Patribus suam sententiam confirmare conatur, & affert varios Patres, qui de charactere & signo loquuntur, sed non hunc Pontificium characterem intelligunt. Affert vero & vrget inprimis Augustinum, qui sæpe meminit characteris Dominici. *Respondeo* dupliciter: *Primò* Patres per characterem intelligunt sæpe Spiritum sanctum, vt Paulus. Sic Chrysostomus aperte, qui ait nos vt filios signatos esse charactere Spiritus sancti. *Secundò*, aliquando Baptismi formam per characterem intelligunt, nempe hanc, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita non de signo aliquo interno in anima, sed de externa forma, ceremonia, & ritu Baptismi loquuntur sæpe, cum characteris mentionem faciunt. Atq; hanc Augustini mentem fuisse, vbi toties de charactere meminit, ex ipso Augustino patet, qui ait *primò*, hunc characterem videri exterius, imo exterius cognosci, & agnitum approbari: at si character sit qualitas absoluta in anima, non potest videri. Bellarminus ait, characterem posse exterius videri & cognosci, non in se, sed in sua causa. *Respondeo*: Augustinum dicere, hunc characterem exterius videri in se: nam est character ex mente Augustini visibilis Baptismus: Baptismus vero videri potest, quia est Sacramentum. Dicere vero characterem, qui est in corde, esse visibilem propter eius causam, est dicere gratiam etiam dici posse visibilem & regenerationem, & iustificationem, & remissionem peccatorum.

Augustin. l. 6. c. 1. cont. Donat. Idem cit. Parmen. l. 2. c. 13. Idem cont. Petil. l. 2. c. vlt. Idem alibi. Chryso. in Ephes. hom. 2. August. in serm. sup. gest. cum Emerit.

Secun-

Secundò Augustinus ait, Si Donatus in nomine Donati baptizaret, Donati characterem infigeret. Bellarminus ait, eum loqui ex hypothesi Donati. *Respondeo*: Verum est Augustinum sic loqui, Si Donatus in suo nomine baptizasset, non hic fuisset Domini, sed Donati character : vnde per characterem constat intelligi ipsum Baptismum. Vult enim probare Augustinus, à Donato baptizatos non esse denuo baptizandos, quia Donatus non in suo, sed in Christi nomine baptizavit. Si suo nomine baptizasset, non fuisset Christi, sed Donati character : ergo per characterem intelligit Baptismum. Fatetur Aduersarius Baptismum in nomine Donati collatum non potuisse imprimere characterem : ergo si Donatus millies suo nomine baptizasset, nunquam impressisset characterem.

Tertiò Augustinus apertissime ait, characterem esse formam baptizandi à Christo præscriptam, illam nimirum externam formam, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* Bellarminus ait, hunc esse characterem imprimentem, non impressum. *Respondeo*: Augustinus non alium characterem agnoscit, nisi hunc: ait Christum præcepisse Ministris suis, vt hunc characterem imprimerent eis, quos castris suis congregarent, cum dixit, *Ite, baptizate Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ergo hic ritus & forma Baptismi est character, quem Augustinus intelligit, non nota aliqua interna animæ, de qua Augustinus nusquam loquitur. Nam ait, characterem hunc esse in corpore, nempe quia Baptismus est corporis: at illi characterem in anima collocant. Etsi vis Baptismi manat ad animum, cum eius effectus sit spiritualis, tamen corpus est, quod aqua perfunditur non anima. Sic idem alibi, cum dixerat de iis, qui ad Ecclesiam à Donato transierunt, *Destruimus perfidiam desertoris, non destruimus characterem Imperatoris.* Quis hic character fuit ? mox se explicat Augustinus, *Destruimus errorem tuum, suscipimus Christi Baptismum :* ergo character est ipse Baptismus. Sic alibi, *Characterem multi & lupi, & lupis infigunt*; intelligit Baptismum, quia paulo prius Cypriani sententiam attingit, qui apud hæreticos aut schismaticos non esse Baptisinum dixit, quia, inquit, non distinguebatur Sacramentum ab effectu Baptismi : ergo ait characterem posse esse apud malos. Ita Augustinus per characterem semper intelligit non effectum Baptismi, sed ipsum Baptismum, at Aduersarii per characterem Baptismi tantum effectum intelligunt. Ait Augustinus Cyprianum in eo errauisse, cum docuit rebaptizationem eorum, qui ab hæreticis aut schismaticis baptizati sunt, quia non distinxit Sacramentu ab effectu Sacramenti & Baptismi Sacramentum ibidem characterem vocat.

Augustin. cont. Parmen. l. 2. c. 13.

Idem cõt. Petil. l. 2. c. 108.

Idem cont. Donat. l. 6. c. 1.

Idem

Idem eõt. Crescon. l. 1. c. 30. & 31.

Idem adhuc alibi ait, characterem Dominicum debere agnosci à quocunque : sed quis hic character est? certè non Pontificius, sed Baptismus ipse, id est, externum Baptismi Sacramentum : non intellexisse enim Augustinum occultum aliquem characterem, qui proprius noui Testamenti sit, ex eodem postea patet, vbi Circumcisionis exemplo rem demonstrat. Qui inter Samaritanos, inquit, circumcisus erat, non iterum circumcidebatur, cum ad Iudæos veniebat : hominis error, inquit, corrigi debuit, sed fidei signaculum agnosci : vbi & Circumcisioni signaculnm, id est, characterem tribuit.

Et tamen negat Bellarminus, Circumcisionem impressisse characterem; at Augustinus ei characterem tribuit: ergo per characterem Sacramentum intelligit. Nec Augustinus modo signaculum tribuit Circumcisioni, sed & Apo-
om. 4. 11. stolus Panlus hoc in loco, quem tractamus, vbi ait Abrahamum accepisse Circumcisionem tanquam σφραγῖδα, id est, sigillum quæ est ex fide. Ergo aut dicat Bellarminus Circumcisionem impressisse characterem, aut neget de Baptismo. Nec Augustinum modo, sed & alios omnes Patres ita intelligendos esse ait Scotus (non ego aut quisquam nostrum) scilicet de externo Sacramento: nam quod nos de Augustino dicimus, quod attinet ad Baptismum, hoc Scotus affirmat de omnibus testimoniis, quæ ex Patribus pro charactere afferuntur. Hæc ex Patribus testimonia attulit Bellarminus. *Scot. in 4. d. 6. q. 9.*

Tertio loco affert tres rationes, de quibus necesse est respondere. *Prima* hæc est. Deus quando hominem ad officium aliquod deputat, infundit etiam qualitates, quibus fiat aptus & idoneus ad ista ministeria : ergo similiter cum Deus aliquem deputat & consecrat ad Sacramenta vel danda vel recipienda, infundit ei qualitates: & eas qualitates, inquit, vocamus characteres. *Respondeo primò:* Deus non vocat in Baptismo aut Eucharistia homines ad officium aut ministerium aliquod peculiare : est hic communis status omnium Christianorum, communis bonis & malis.

Secundò, multi accedunt ficte ad Sacramenta, qui tamen accipiunt characterem, vt volunt Aduersarii : at tales nihilo sunt aptiores ad officia sancta. Qui enim non habent gratiam Sacramenti, sed tantum characterem, non accipiunt spiritualem virtutem, qua melius aut sanctius fungantur suo munere : nam hoc est gratiæ : at character ex illorum confessione non est gratia. Accipiat à Deo gratiam diuinam necesse est, qui fit aptior ad aliquod officium seu ministerium; nam sine gratia nulla aptitudo : at illi volunt characterem imprimi sine gratia : ergo character non facit hominem vel tantillo meliorem aut aptiorem ad aliquod

ministerium aut officium, quam antea fuit.

Secunda fortasse ratio maioris est momenti : ea vero sic se habet. Baptismus etiam sine fide susceptus Sacramentale aliquid confert : non sic Eucharistia aut Absolutio : ergo effectum aliquem Sacramentalem habet Baptismus præter gratiam. *Respondeo* : Baptismus sine fide non aliquid confert nisi hoc, quod talis fuerit externe baptizatus, & externum Baptismi Sacramentum acceperit, non aut gratiam aut characterem. Sed Bellarminus obiicit : Actio exterior reperitur etiam in Eucharistia & Absolutione. *Respondeo :* Bellarminus vult probare, Baptismum imprimere characterem, non autem Eucharistiam aut Absolutionem, quia qui baptizatur ab infidelibus, & communicat cum eis in infidelitate, vere & proprie baptizatus est, si ritus & forma verborum seruetur: at sine fide nemo vere absoluitur, aut vere corpori Dominico communicat. *Respondeo* : Non est hæc æqua Bellarmini comparatio. Nam si *vere baptizari* sic intelligit, vt de iis qui vere corpus Domini accipiunt, & qui vere absoluti sunt; tum qui ab infidelibus baptizatur, & ipse expers fidei est, non vere baptizatur, quia non nisi externum elementum accepit : sin *vere* sumat, pro eo quod est baptizari secundum ritum Baptismi ; sic possunt Eucharistiam & Absolutionem vere sumere, qui tamen fidem non habent. Nam non minus vere sumit infidelis Eucharistiam, quam Baptismum : sed tamen non qui semel Baptismum sumpsit, iterum debet baptizari, vt qui Eucharistiam & Absolutionem accepit.

Quare quod ait, Alioqui reddant Aduersarii rationem, cur sine fide homo vere baptizetur, & non vere absoluatur aut communicet corpori Domini; dico sine fide sumi posse Sacramentum vere & Baptismi & Eucharistiæ, sed non rem Sacramenti sine fide. Vt potes dicere, illum qui ficte ad Baptismum accedit, esse vere baptizatum, sic qui ficte ad Eucharistiam accedit, tamen vere percepisse Eucharistiam. Sin per *vere* aliud quid intelligat, tum gratiam intelligit, vt qui cum fide Eucharistiam sumit, gratiam sumit : at character non est gratia. Sed Bellarminus ait, hanc fuisse Donatistarum opinionem, Baptismum non habere alium effectum, quam dare gratiam. *Rospondeo :* Illi reuera putabant, Baptismum collatum à malis non esse verum Baptismum, & ideo ab his baptizatos esse denuo baptizandos : at nos nihil tale affirmamus; imo esse verum Baptismum dicimus quoad externum Sacramentum.

Tertia ratio adhuc fortior est, quæ est huiusmodi. Vera causa cur Baptismus, & Confirmatio, & Ordo, non possint repeti, est character, & non alia : ergo fatendum est imprimi per Sacramenta quædam

characterem. *Respondeo* : Confirmationem & Ordinem omitto, quia non sunt Sacramenta, vt postea docebimus. Baptismum vero non esse repetendum dico, quem Minister rite administrauit : nam an repetendus sit, quem non Minister administrauit, alia quæstio est.

Quod vero ait non aliam rationem assignari posse, cur Baptismus non repetatur, nisi characterem, nego. Sed Bellarminus suam assertionem dupliciter probat.

Primò, quia character non potest augeri per iterationem eiusdem Sacramenti : at gratia potest. *Respondeo* : Fingit Bellarminus solam causam, cur Baptismus non iterandus sit, esse characterem. Sed cur character impediat ? nimirum quia character non potest augeri ; ergo semel imprimi sufficit. Sed quidni augeri character possit, cum sit nota aut qualitas aliqua in anima? nam qualitates possunt augeri vt corporis ita & animæ. Quod non augeri characterem ait, omnino commentitium est, aut esse hanc causam non iterandi Baptismi : imò longe alia causa est, vt postea patebit.

Secundò Bellarminus ait, characterem esse & Sacramentum & effectum Sacramenti : ergo non esse repetendum. *Respondeo primò* : idem esse & Sacramentum & effectum Sacramenti est absurdissimum. Potestne eadem res esse sui ipsius effectus? non magis certe, quam causa sui ipsius. Non magis character quam gratia potest esse Sacramentum & effectus Sacramenti. *Secundò*. Dico eum in hoc pugnare cum Alano, qui ait characterem non esse Sacramentum, sed effectum Sacramenti. Imo secum pugnat, quia ait characterem esse signum spirituale, & esse in anima sola, vt in suo subiecto : num sic Sacramentum ? *Tertio* : Si esset character & Sacramentum, & effectus Sacramenti, tamen hæc nulla causa est, cur non repeti possit : quidni enim posset idem Sacramentum & effectus eiusdem iterari, si Deus voluisset ? non ergo propter characterem non repetitur Baptismus, sed propter causam longe maiorem, nempe propter Dei mandatum & ordinationem. Etsi Sacramentum mille characteres imprimeret, tamen repeti posset, si iussisset Deus repeti. Hic bonus Theologns nullam causam non repetendi Baptismi potuit inuenire, nisi characterem : quod certe putare dementissimum est. Nos vero alias multas causas proponemus.

Alan. in lib. de Sacram. in gen. c. 46.

Quærendum igitur nunc breuiter est, quare Baptismus non sit iterandus. Vna ratio non iterandi Baptismi est, quam proponit Caluinus, quia Baptismus est ingressus in Ecclesiam, & semel admitti in Ecclesiam sufficit. Bellarminus, quia tenet nullam aliam esse causam non iterandi

Caluin. instit. l. 4. c. 8. §. 1.

Baptiſmi, niſi characterem, vult probare hanc non eſſe cauſam ſolidam. Sed *reſpondeo*, ſatis ſolidam eſſe. Qui enim ius alicuius hæreditatis, civitatis, aut ſocietatis vult obtinere, ſatis eſt eum ſemel ad illud ius admitti: illa admiſſio non iteratur; imo ſemel admiſſus locum & ius ſuum, quoad vivit, retinet. Similiter vt diuinæ ciuitatis jus obtineas, ſemel te aſcitum eſſe per Baptiſmum ſatis eſt: impie faciunt, qui repetunt. Sed Bellarminus quatuor rationes contra affert. Prima hæc eſt: Qui baptizantur ab hæreticis, & eis credunt, non intrant in Eccleſiam, nec initiantur ad fidem: ergo poſſent iſti iterum baptizari. *Reſpondeo*: Nego argumentum. Nam etſi qui ab hæreticis baptizantur, & cum hæreticis ſentiunt, non ſunt in vera Eccleſia, tamen Baptiſmus in recto & legitimo vſu eſt introitus in Eccleſiam: quare etſi Baptiſmus non prodeſt hæreticis, aut iis qui extra Eccleſiam ſunt, tamen non opus eſt repeti, quia Baptiſmus ab hæretico collatus ſecundum formam Chriſti, ſi hæreſin deſeruerit, & Eccleſiæ te adiunxeris, erit tuus introitus in veram Eccleſiam: nam ne qui à piis Miniſtris baptizantur, omnes in Eccleſiam intrant.

Secunda Bellarmini ratio eſt, quia tum qui baptizantur in Eccleſia, & poſtea per hæreſin aut apoſtaſiam recedunt, iterum in Eccleſiam intrare, & ſic iterum baptizate deberent. *Reſpondeo*: Si talem apoſtaſiam intelligat, qualis fuit Iuliani, qui aperte Chriſto eiuſque Sacramentis nuntium remiſit, forſan non male ſentiunt, qui talem eſſe denuo baptizandum exiſtimant: quanquam non id ſtatuo, nec ad rem facit. Sin leuior fuerit apoſtaſia, non auſim dicere eſſe iterum baptizandum: ſed ſentio cum Auguſtino, cuius hæc verba ſunt, *Quamuis in profundam voraginem malorum irruat baptizatus, vſque ad apoſtaticam ruinam, non caret Baptiſmo*: & ait, *baptizatum ſeparari poſſe ab Eccleſia, ſed Baptiſmum non poſſe ſeparari ab eo, qui baptizatus eſt*. Et ſimiliter alibi. Ergo etſi hæreticus deſerit Eccleſiam, tamen verum Baptiſmum retinet: & vt transfuga non amittit ſignum ſui Imperatoris, ſic nec hæreticus Baptiſmum, vt non neceſſarius ſit nouus Baptiſmus, ſi velit ad Eccleſiam redire: nam vt Auguſtinus ſæpe contra Donatiſtas, *Baptiſmus, qui inutilis eſt extra Eccleſiam in hæreſi, ſi hæreſin deſeras, valet.*

Auguſtin. cont. Donat. l. 5. c. 15.

Idem cont. Parmen. l. 2. c. 13.

Auguſt. in expoſ. inchoat. Epiſt. ad Rom.

Thom. cont. Gent. l. 4. c. 59.

Alan. de Sacram. c. 45.

Tertia Bellarmini ratio eſt, quia non minus intramus in Eccleſiam per verbum, quam per Baptiſmum: at verbum repeti poteſt; quidni ergo & Baptiſmus? *Reſpondeo*: Verbum non eſt proprie introitus vel ingreſſus in Eccleſiam, ſed potius cauſa huius introitus: at Baptiſmus eſt initiatio ipſa, & ſolenne ſymbolum noſtræ admiſſionis in Eccleſiam, per quod qui ſemel in Eccleſiam recipiuntur, non opus habent alio externo ſymbolo. Præterea vero verbum non poteſt repeti

peti vt Baptiſmus: nam quando Baptiſmus iteratur, non hic idem Baptiſmus eſt, ſed alius: at verbum non eſt aliud, per quod regeneramur, ſed idem ſemper. Etſi enim verbum prædicationis non idem eſt: at verbum prædicatum idem eſſe ſemper debet.

Quarta Bellarminus ratio eſt, quia Ordinatio non poteſt repeti, & tamen Ordinatio non eſt ingreſſus in Eccleſiam. *Reſpondeo*: De Ordinatione ſuo loco dicemus. Sed quid ſi Ordinatio repeti non poteſt, quæ non eſt ingreſſus in Eccleſiam, num ergo ingreſſus in Eccleſiam repeti poteſt? eſt hæc aperta fallacia conſequentis. Argumentum igitur Caluini firmum eſt Baptiſmus eſt ingreſſus in Eccleſiam: ergo non eſt iterandus. Et ſic Auguſtinus Baptiſmum fundamento ædificii comparat: manente fundamento ædificium poteſt reparari: at qui fundamentum iterate vult, totum ædificium ſubuertit. Et ſic Thomas, Baptiſmum non eſſe iterandum ait, quia eſt quædam conſecratio: nam res, quæ ſemel conſecrata eſt, quamdiu manet, non iterum conſecratur. Hæc etiam ratio placuit Alano.

Sunt aliæ rationes in Kemnitio, quas Bellarminus omnes improbat; & fateor aliquas non eſſe validas. Si de ſingulis dicerem, longa & ſuperuacanea oratio eſſet. Non neceſſe eſt probare, omnes Kemnitii rationes eſſe ſolidas: ſatis eſt ſi vlla ſolida ſit; imò ſi vna cauſa præter characterem dari poteſt, cur non iterandus ſit Baptiſmus, ſufficit. Eſſe autem ex Scholaſticis patet etiam multas. *Prima* eſt Thomæ, quam etiam Kemnitius habet. Is non facit mentionem characteris, ad probandum non eſſe iterandum Baptiſmi, ſed citat locum ex Paulo, vbi ait, *Vnum Baptiſma*: & hic locus à Kemnitio citatur. Non nunc diſputabo, an hic locus apte citetur; ſed ſic Theologi ſenſerunt, quos Eccleſia Romana pro Catholicis habet: ergo non putabant characterem eſſe vnicam cauſam, vt Bellarminus. Hac etiam ratione vtitur Gratianus ex Leone Papa in Epiſtola ad Leonem Rauennatem: quia Apoſtolus ait, *Vnum Baptiſma*, non eſſe aliquem bis baptizandum. Et ſic etiam Damaſcenus. Similiter Catechiſmus Romanus ex hoc loco demonſtrat, Baptiſmum non eſſe iterandum. Et hoc videtur voluiſſe ſynodus Nicæna, ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν: *Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.*

Thom. 3. q. 66. art. 9.

Epheſ. 4. 5.

Gratian. de conſec. d. 4. c. Cum itaque.

Damaſc. l. 4. c. 10.

Catechiſ. Roman. part. 2. q. 41.

Nican. 1. Synod. in Symb.

Secunda eſt eiuſdem Thomæ, quæ etiam apud Kemnitium habetur: Vnius hominis vna eſt generatio: Baptiſmus eſt ſpiritualis generatio: qui ergo ſemel baptizatur, non eſt iterum baptizandus. Et hæc eſt etiam ratio aliorum Scholaſticorum: ergo quando contra hanc Bellarminus ſeſe opponit, ſummis Scholaſticis contradicit; etiam ipſi Auguſtino, cuius hæc verba ſunt, *Duæ natiuitates*

Thom. cont. Gent. l. 4. c. 59.

Augu. in tract 11. in Euangel. Ioan.

sunt, sed nec illa repeti potest, nec ista. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec Baptismus. Vt Adamus non potest bis generare, sic nec Christus.

Thom. vbi supra. *Tertia* est etiam Thomæ ibidem: Infectio originalis semel hominem inquinat: ergo Baptismus, qui ad hanc infectionem tollendam institutus est, non nisi semel adhiberi debet, ne remedium putemus esse minoris efficaciæ, quam morbum. Originale peccatum non iteratur: ergo nec Baptismus iterari debet. Et hæc est etiam ratio Bonauenturæ.

Bonav. in 4. d. 6.

Thom. 3. q. 66. art. 9. *Quarta* est etiam Thomæ: Baptizamur in Christi mortem; in Baptismo enim morimur peccato: Christus autem non nisi semel mortuus est: ergo nos nisi semel tantum baptizari debemus. Et hanc rationem habet Glossa ordinaria: *Vna Christi mors vnum Baptisma consecrauit: vt Christus semel mortuus est, ita nos in Baptismo semel morimur peccatis.*

Gloss. ord. in Heb. 6.

Thom. in Ephes. 4. lect. 2. Hanc etiam causam Thomas alibi tractat copiose.

Augustin. cont. Cresc. l. 1. c. 31. *Quinta* est Augustini: Vt circumcisio non iterabatur: sic nec Baptismus: & nullum exemplum est in Scripturis alterutrius iterati.

Scot. in 4. d. 6. q. 7. Biel. in 4. d. 6. q. 2. *Sexta* est Scoti & Bielis: causam non iterandi Baptismi esse institutionem & ordinationem diuinam: vbi etiam aperte characterem non esse causam dicunt. Huius institutionis ea ratio iustissima est, quod Dei pactum semel cum hominibus initum perpetuo ratum est resipiscentibus, etiam post commissa peccata: vt non necesse sit nouum fœdus inire, quia Deus suum fœdus omnibus seruat inviolatum, qui ad ipsum conuersi sunt. Deus nobiscum pactum iniit in Baptismo: hoc non fit irritum per peccata nostra, sed semper firmum manet, modo nos pœniteat peccatorum, & modo velimus ad bonam frugem redire. Quare si pecces, non opus est nouo Baptismo, sed vt redeas ad vetus pactum, quod semel initum est. Sed contra hanc pacti perpetuitatem Bellarminus nonnullas futiles rationes affert, de quibus breuiter respondeamus oportet.

Prima eius ratio sumitur ex Heb. 6 Paulus negat, inquit, posse hominem peccantem post Baptismum redire ad pactum Baptismi. *Respondeo:* Non negat hoc Apostolus: non enim ibi sequitur de Baptismo. Eum quidem, qui παραπίπτει, id est, qui *excidit* à Deo, & penitus deficit ab Euangelio, negat posse per pœnitentiam renouari. Loquitur de eo, qui peccat in Spiritum sanctum. *Heb. 6.*

Talis homo perit, non quod Deus, non seruaret pactum suum, si resipisceret, sed quia non potest resipiscere. Ita ratio est, non quod pactum sit irritum ex parte Dei, sed propter hominis impœnitentiam, quæ facit vt ad pactum redire non possit. Bellarminus hoc de omnibus peccantibus post Baptismum intelligit, non posse illos redire ad pactum in Baptismo, sed egere alio Sacramento & alio

& alio pacto: quasi quoduis peccatum dirimat pactum in Baptismo, & Deus nouum pactum in pœnitentia faciat; de qua re postea erit dicendum. Sed hoc pactum Baptismi manet erga peccatores si eos peccatorum suorum pœniteat: at hi, de quibus Apostolus loquitur Hebr. 6. non possunt per pœnitentiam renouari, vt ait Apostolus: ergo non docuit nouum pactum esse in pœnitentia faciendum. *Heb. 6.*

Secunda Bellarmini ratio est; Deus non facit pactum vllum cum eo, qui baptizatur sine fide: ergo is saltem potest rebaptizari. *Respondeo:* hoc non esse simpliciter verum; nam etiam cum illo aliquo modo pactum facit Deus, qui sine fide baptizatur. Etsi enim homo cum Deo ficte agit, Deus tamen dat illi pacti symbolum, quod erit efficax, & valebit vt in fœdere includatur, si aut nunc, aut vnquam postea in vita crediderit, & eum peccatorum suorum pœnituerit.

Tertia Bellarmini ratio est, quia sicut Baptismus est pactum, ita etiam verbum Dei: at verbum quotidie repetitur. *Respondeo*: verbum esse potius causam pacti, aut legationem, quam pactum stabilitum. Sancitur pactum per legationem in verbo: at fit pactum per Sacramentum. Est ergo verbum internuncius pacti, vel legatio per quam fit pactum, non autem pactum ipsum.

Quarta Bellarmini ratio est, quia Eucharistia non minus continet pactum Dei, quam Baptismus: & tamen repeti potest Eucharistia. *Respondeo*: Fateor in Eucharistia esse pactum, sed non eodem modo, quo in Baptismo. Nam Eucharistia est pactum alendi nos, & ad vitam perducendi: Baptismus nos in suam familiam recipiendi. In Eucharistia paciscitur Deus, fore vt nos alat, & ad vitam æternam conseruet: in Baptismo vero fore vt nos in familiam, id est, in Ecclesiam suam admittat. Opus est sæpius ali, at non opus est sæpius admitti & recipi in Ecclesiam: ergo pactum in Baptismo semel tantum fit; at illud in Eucharistia sæpius iteratur.

Quinta & postrema Bellarmini ratio est, pactum Dei non esse perpetuum illi, qui fidem frangit, quia promissiones Dei sunt conditionatæ, nempe si nos perseueremus. *Respondeo*: Etsi nos fidem fallimus, & sic pactum sublatum videtur, tamen ex parte Dei pactum firmum manet, adeo vt si homines tandem aliquando redeant, antequam moriantur, ad fœdus pertineant.

Ei quidem, qui in obstinato proposito perseuerat, nil commodi ex pacto accedit: non tamen ideo peruptum penitus pactum est; nam tum filii eius è pacto excluderentur: adeo autem Dei perpetuum pactum est, vt qui malus diu fuerit, si redeat tandem, in pacto maneat, & posteri, non obstante eius malitia, non excidant è pacto

pacto: seruat enim pactum in mille generationes; tamen Bellarminus quouis peccato pactum rumpi penitus existimat. Hæ causæ grauissimæ sunt non iterandi Baptismi, de quibus diximus, non character tantum, de quo nullus Pater somniauit. Etsi autem hæc sufficiant ad characteris refutationem, tamen è Scholasticis pauca adducemus, vt commenti absurditas magis eluceſcat.

CAPVT VI.

In quo nostra argumenta proponuntur contra Characterem.

NVNC pauca nobis delibanda sunt contra Characterem ex magnis voluminibus Scholasticorum. *Primo*, non conuenit inter illos de natura & quidditate Characteris, quid nimirum & qualis sit. Plerique dicunt esse qualitatem absolutam; & sic Bellarminus, At Durandus ait, esse tantum ens rationis, vt est relatio in Doctoribus, quæ non est absoluta qualitas, sed quidam tantum respectus. Et quanquam Durandus ait, esse characterem, vt dicit Bellarminus, tamen non ille admodum stricte tenuat. Sic enim scribit: *Omnes moderni characterem profitentur in quibusdam Sacramentis, & nos loquentes vt plures dicamus cum eis characterem esse nonnihil.* Ita videmus, quo modo characterem tenuit, nulla certe ratione inductus, sed aliorum tantum authoritate impulsus. Scotus vix potest explicare, quid sentiat; sed ait non esse absolutam qualitatem. Alii aiunt, eum dicere characterem esse realem relationem, vt est paternitas; & sic mihi videtur. Alii eum esse dubium in hac quæstione: & certe valde ambigue scribit. Occanus ait, quicquid de conclusione statuamus, rationes non probare, characterem esse aliquid absolutum. Et quanquam Bellarminus Scotum & Durandum improbat, tamen Sarnanus Cardinalis, qui ante paucos annos edidit conciliationem inter Thomam & Scotum, ait probabilius esse, quod sit relatio; & sic Scoti potius quàm Thomæ sententiam approbat.

Durand. in 4 d. 4. q. 1.

Scot. in 4. d. 6. q. 9.

Occan. in 4. q. 2.

Sarnan. in conciliat. l. 4. controu. 3.

Secundò, inter eos, qui statuunt esse qualitatem absolutam, magna pugna & dissensio est. Thomas ait, non esse habitum, quia nullus habitus potest libere & indifferenter se habere ad bene & male agendum: at character habet se indifferenter: concludit ergo esse potentiam. Bonauentura ait, non esse potentiam, quia potentia omnibus inest: at character non inest omnibus: ergo esse habitum. Alii, vt ex Bonauentura ibidem constat, non esse aliquam qualitatem aiunt, quam ponit Aristoteles, sed nouam & incognitam: at Bonauentura hanc opinionem non probat.

Thom. q. 63. art. 2.

Bonauen. in 4. d. 6. q. 1.

Ter-

Tertiò, quandoquidem statuunt esse in anima, hic quoque contendunt & litigant inter se, in qua parte animæ sit. Thomas non vult esse in essentia animæ, vt in subiecto, sed in animæ potentia. Bellarminus ait, alios ponere characterem in substantia animæ, & hoc videri verius. Sed aliter magnis Magistris videtur, qui probant non esse in substantia animæ, quia per characterem configuramur Christo: at hæc configuratio non est secundum essentiam, sed secundum potentiam animæ; quæ ratio est Thomæ, & hanc certe rationem nunquam soluet Bellarminus.

Thom. 3. part. q. 63. art. 4.

Quartò, inter eos, qui in potentia aliqua animæ statuunt, magna est contentio, vtrum scilicet in intellectu, an in voluntate collocari debeat. Thomas ait esse in intellectu; & sic alii. Scotus ait esse in voluntate, quia gratia est in voluntate, & character est dispositio ad gratiam. Durandus autem ait esse in neutra, sed in manu aut lingua, quam vocat potentiam executiuam. Sed Concilium Tridentinum in anima imprimi ait.

Thom. in 3. part. q. 63. art. 5. Scot. in 4. d. 6. art. 11. Durand. ibid. Concil. Trident. sess. 7. c. 6.

Quintò, statuunt esse indelebilem, sed quomodo indelebilis sit, inter eos non constat: causam enim cum quærunt, inter se non conueniunt. Thomas probat esse indelem, quia intellectus est incorruptibilis; & character est in intellectu: at tum fides esset indelebilis, quam ponit in intellectu, & tamen posse deleri ait. Et multi aiunt esse habitum; habitus autem sunt delebiles; alii esse in voluntate dicunt; quod autem in voluntatem cadit, variabile est. Bonauentura ait, communem esse opinionem, quod characteris proprietas sit indelebilis, sed de causa huius indelebilitatis multos discrepare. Occanus ait, nullam causam afferri necessariam, cur indelebilis sit, siue sit qualitas absoluta, siue relatio respectiua.

Thom. vbi supra.

Bonauen. in 4. d. 6. q. 1.

Occan. ibid.

Sextò, quod attinet ad vsum & vtilitatem characteris admodum inepti sunt Scholastici: quis enim vsus characteris esse potest in Baptismo? Bellarminus ait, facere hominem aptum ad suscipienda alia Sacramenta: sed ad hoc nil opus est charactere; nam ipse externus Baptismus hoc facit sine charactere, quia cum primum admittimur in familiam Dei, participes sumus omnium priuilegiorum eiusdem familiæ. Et Confirmatio ac Ordo faciunt sua effecta sine charactere. Alius vsus est, configurare nos Christo: at nos Christo non non possumus configurari per eam rem, quæ nihil in se virtutis aut gratiæ habet; tum enim nequissimi homines possunt configurari Christo. Alium vsum ponunt, vt distinguat: sed quos? Bellarminus ait, baptizatos à non baptizatis: sed cui distinguit? num Deo? at ille non eget huiusmodi distinctione: num hominibus? at est inuisibilis; ergo homines non possunt aspicere: est enim in mente. Et Baptismus ipse re distinguit, vt nil opus sit charactere. Bonauentura ait, per characterem distingui fidelem ab infideli

Bonauen. in 4. d. 6. q. 2.

infideli: at multi fideles non habent, & multi infideles habent. Certè si hæc officia sint characteris, tum esset character in omnibus Sacramentis, quia reliqua Sacramenta non minus hæc officia præstant.

Alan. de Sacram. c. 45. & c. 48. Alanus absurdissime ait, homines in aliis Sacramentis non deputari ex professo ad exercitium divini cultus, vt in his, quæ Characterem habent. Sed quis negaret, Eucharistiam disponere ad cultum diuinum? Sed postea habet aliud, quod nullo modo est prætermittendum, characterem efficere, vt qui ad Baptismum ficte accedit, ideoque non accepit remissionem peccatorum, si eum postea peccatorum pœniteat, in charactere præteriti Sacramenti ei omnia peccata remittantur. Hos nos de Baptismo dicimus, per illum peccata nostra omnia remitti, si nos illorum pœniteat, ac proinde non opus esse nouo pacto aut nouo Sacramento ad remissionem peccatorum. Quare falsum est, quod ait Bellarminus, aut ruptum esse pactum, si quis post Baptismum peccauerit, aut nullum esse pactum initum, si quis ficti ad Baptismum accesserit. Atque hæc nostra sententia est etiam

Augustin. cont. Donatist. l. 2. c. 5. & l. 1. c. 12. sententia Augustini, cuius hæc verba sunt: *Si quis peruersitate correcta redierit ad Ecclesiam, sub eodem Baptismo, quem ante acceperit, peccata ei dimittentur:* & antea, *Redeunti ad vnitatem iam incipit prodesse Sacramentum ad remissionem peccatorum, quod ante acceptum prodesse non poterat.*

Scot. in 4. d. 6. q. 9. Sed Scotus ait, hanc nullam esse causam ponendi characterem in Baptismo, quod non iteretur. Aut ergo Alanus hoc de Baptismo intelligit, & tum pugnat cum Bellarmino, qui ait pactum nullum esse factum in Baptismo cum iis, qui ficte accedunt; & qui post Baptismum peccauerint, si pœnitentia ducantur, per Sacramentum Pœnitentiæ nouum pactum esse faciendum: aut mauult characteri in eo qui ficte accedit ad Baptismum tribuere remissionem pecatorum, quam ipsi Baptismo.

Septimò, fingunt isti homines, tria Sacramenta imprimere characterem, Baptismum scilicet, Confirmationem, & Ordinationem. Iam vero fieri potest, vt vnus homo habeat hæc tria Sacramenta, atque ita ille ttes diuersos characteres in anima habebit: quod est absurdum. Esse enim hos diuersos characteres necesse est, quia vnus character non potest bis imprimi, & hanc esse causam dicunt, cur Baptismus non sit iterandus, nec potest character aut augeri aut minui. At si anima esset facta ex cera, vix posset tam multos & tam diuersos characteres recipere: sed non est ex cera facta, vt tam multarum figurarum capax sit. Sed quia eundem characterem non posse repeti aiūt, adhuc quærimus, quid inter characterem Baptismi & Confirmationis intersit? Confirmationis characterem ait Bellarminus facere nos aptos ad alia Sacramenta suscipienda, & ad profitendam fidem. At hic vsus est characteris in Baptismo: ergo in Confirmatione character idem renouatur: at non opus est eundem characterem repeti

peti aut renouari. Hinc constat, characterem ex eo fictū esse, quod non iterentur Sacramenta: nam his tribus Sacramentis characterem tribuunt, quia iterari non possunt. Non ergo character est causa non iterationis, sed non iteratio est causa fingendi characterem.

Octauò & postremo, negant Circumcisionem impressisse characterem: & tamen Circumcisio non magis iterari potuit quam Baptismus, vt docet Augustinus: non ergo character causa est, quod non iteretur Baptismus. Sunt & alia multa, quæ afferri possunt contra hoc commentitium de charactere figmentum; sed ne molestus sim, prætermitto. Nihil ergo est, quod cogat nos credere, talem esse characterem; quod etiam Biel, & Durandus, & Scotus affirmant, qui aiunt, nullam fuisse causam ponendi Characterem. Scotus hac de re multa scribit: ego ad certa quædam capita quæ dicit omnia reuocabo.

Augustin. cont. Crescon. l. 1. c. 31.

Primò, ait Scripturam non exprimere tale aliquid, id est, nihil haberi in Scripturis hac de re. *Secundò*, totam Baptismi veritatem consistere in Sacramento visibili, & effectu inuisibili: characterem esse neutrum: non primum esse patet, quia non est externum Sacramentum: non secundum, quia Augustinus Sacramenti effectum inuisibilem ponit gratiam. *Tertiò* obiicit, Patres tamen ponere characterem: at Sancti, inquit, satis aperte tradunt characterem, vt Dionysius, quem etiam Bellarminus citat: respondet Scotus, has authoritates tantum esse vocales, & non ad intentionem eorum; quod etiam probat. *Quartò* ait, propter solam authoritatem Ecclesiæ ponendum esse characterem imprimi: non ergo propter authoritatem Scripturæ, aut Patrum, aut Conciliorum, sed duntaxat propter authoritatē Romanæ Ecclesiæ. *Quintò* & postremo docet, quando Ecclesia Romana cœpit tale aliquid statuere, & citat Innocentium tertium, qui vixit post annos mille ducentos à Christo: vnde constat, non mentitum esse Kemnitium, vt vult Bellarminus, cum diceret eum fuisse primum authorem Characteris, circiter Annum Domini 1200. Et Scotus ait, ne Lombardum quidem facere mentionem Characteris in hoc sensu. Sed de Charactere hæc dixisse sufficiat.

Innocens. 3. Extra. de Baptismo, c. Maiores.

Finis quinta Quæstionis.

Quæstio VI.

De numero Sacramentorum.

CAPVT I.

De ſtatu Quæſtionis.

RELIQVA nunc eſt de numero Sacramentorum Quæſtio vnica, de qua poſtremo loco, quod attinet ad Sacramenta in genere, dicendum eſt. Pontificii plura numerant Sacramenta, quam nos, & nobis iraſcuntur, qui numerum Sacramentorum ab illis propoſitum minuendum eſſe dicimus. Nihil illi hodie maiore conſenſu docent, quam ſeptem eſſe Sacramenta. Innocentius tertius ait, *adeo eſſe hæc profunda & fœcunda, mirifica & magnifica, vt non modo à Theologis, ſed etiam à Philoſophis commendentur.* Concilium Tridentinum anathema denunciat iis, qui dicunt eſſe aut plura aut pauciora quam ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Cõfirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimonium; quod tamen aliqui illorum non eſſe vere & proprie Sacramẽtum affirmant. Quod autem Bellarminus ait, hanc eſſe & ſemper fuiſſe ſententiam Catholicorum, primum concedo, alterum vero pernego. Nam primo vetus Catholica Eccleſia, quam primitiuam vocamus, hunc numerum non agnouit; deinde ne Papiſtica quidem Eccleſia ſemper hanc ſententiam tenuit, imo non niſi nuper admodum hæc inter eos de ſeptem Sacramentis opinio obtinuit: & tamen quaſi hoc perpetuo in Eccleſia obtinuiſſet, & res certiſſima eſſet, ſic iſti anathemata minantur. Iam vero reformatarum Eccleſiarum vna ſententia eſt, nec ſeptem, nec ſex, nec quinque eſſe Sacramenta, imo non plura quam duo, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam.

Innocent. 3. in proœm. in 7. Pſal. Pœnitent.

Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1.

Non alia agnoſcimus, quia non legimus alia à Chriſto inſtituta, & quia accurata definitio Sacramenti non poteſt illis quinque conuenire, quæ Aduerſarii ſolent his duobus annumerare. Quando enim in omni Sacramento requiritur elementum aliquod externum, & verbum de promiſſione remiſſionis peccatorum & reconciliationis cum Deo, & expreſſum Dei præceptum de vſu eius elementi in eum finem: hæc omnia clariſſime de his duobus Sacramentis, Baptiſmo & Euchariſtia, in Scripturis

pturis habentur; de reliquis non item. Quare inducimur, vt neque ſeptenarium numerum agnoſcamus, & non niſi duo pro veris Sacramentis habeamus. Alias ſi in nomine Sacramenti ludere liceret, & inter Sacramenta numerare, quæ nec Chriſti inſtitutionem, nec Sacramenti definitionem habent, non iam ſeptem tantum, ſed ſepties ſeptem Sacramenta apud Patres poſſumus reperire. Nos ergo numerum hunc minuendum, & non niſi duo Sacramenta ſtatuenda eſſe dicimus.

Sed Bellarminus magnam nobis inconſtantiam exprobrat, quia Lutherus, Melanchthon, Zvvinglius, Caluinus, Illyricus, non idem omnes ſentiunt: alii enim horum vnum, alii duo, alii tria, alii quatuor Sacramenta ſtatuunt. *Reſpondeo:* de illis eximiis viris, & ſanctiſſimis Spiritus ſancti organis, etſi non habuerunt conſtantem opinionem de numero Sacramentorum, tamen hoc illis non eſſe vitio vertendum, quia hæc doctrina de Sacramentis miſerrime fuit tunc temporis deprauata, & mirum in modum obfuſcata. Nec mirum ſi Lutherus, & Zvvinglius, & alii non ſatis certo ſtatuere potuerunt de numero Sacramentorum, nec omnia primo viderunt, qui nuper è tenebris Papiſtarum emerſerant; præſertim cum hic error non ſit admodum periculoſus. Si enim vera teneantur Sacramenta, non multum laborandum, nec rem magna contentione dignam exiſtimarunt, ſi tribuat aliquis nomen Sacramenti aliis rebus, quæ non ſunt Sacramenta, vt ſi dicat Ordinem eſſe Sacramentum, aut pœnitentiam, modo non doceat aliam pœnitentiam, aut alios Ordines, quàm Chriſtus in Scriptura inſtituit.

Sed tamen Lutherus & reliqui, quando proprie loquuntur, eundem ſtatuunt Sacramentorum numerum, quem nos; nam vere & proprie non niſi duo Sacramenta eſſe aiunt. Lutherus in libro de Captiuitate Babylonica, quem ſcripſit vno aut altero anno poſt conuerſionem, ait ea proprie vocari Sacramenta, quibus promiſſa ſignis annexis ſunt adhibita; quæ vero non ſunt alligata ſignis, ea eſſe nuda promiſſa non Sacramenta: ergo ait, ſi rigide loqui velimus, duo tantum Sacramenta eſſe, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam. Quid dici clarius potuit? Sed cur tum Lutherus pœnitentiam pro Sacramento poſuit? ait non eſſe proprie Sacramentum, etſi prædictis duobus adiunxit, & annumerauit, & non eſſe niſi reditum ad Baptiſmum; nec Scholaſticos docere poſſe definitionem Sacramenti congruere pœnitentiæ; tamen vocavit Sacramentum; vt nomen Sacramenti largius ſumitur.

Luth. in lib. de Captiu. Babylon.

Ergo non eſt quod Lutherum dicant de numero Sacramentorum aliter atque aliter ſenſiſſe: nam is clare non niſi duo Sacramenta eſſe ait, ſi rigide loqui velimus; ſin aliter, pœnitentiam dici poſſe Sacramentum, & alia quædam.

Melanch. in respons. ad artic. Bauaric. Similiter Melanchthon ait, non esse septem Sacramenta, imo non plura esse quam duo, & tamen ait, si quis velit absolutionem nominare Sacramentum, se nolle repugnare. Sic etiam Zuuinglius, qui Lutherum statim subsequutus est, non nisi duo Sacramenta statuit: *Zuuingl. in lib. de vera & falsa relig. c. de Sacr.* *Sacramenta*, inquit, *duo omnino reliquit nobis Christus, Baptismum & Cœnam Domini.* Quod autem ait Bellarminus, eum non libenter Matrimonium vocare Sacramentum, sed causam non esse, quod putet Sacramenti definitionem non conuenire Matrimonio, sed quia timet, ne Sacramenti vocabulo obscuretur & inquinetur dignitas Matrimonii, quia illustrius est Matrimonii nomen quam Sacramenti, improbe calumniatur. Nam Zuuinglius diserte ait, Matrimonium non esse Sacramentum, & docet Papistas abuti illo loco, qui habetur Ephes. 5. *Ephes. 5. 32.* *Mysterium hoc magnum est.* Sed tamen si quis velit dicere, Matrimonium esse Sacramentum, quia Christum & Ecclesiam figurat, non repugnat, quin ei nomen Sacramenti tribuat. Ait quidem nomen Matrimonii magis esse clarum, quam est nomē Sacramenti, quia omnes sciunt, quid Matrimonium, quid Baptismus sit, non tamen quid sit Sacramentum: non ait, vt Bellarminus vult, nullam esse causam, cur Sacramenti nomen Matrimonio non tribuat, nisi quod timet, ne sic Matrimonium obscuretur.

Caluin. in instit. l. 4. Sed istos non pudet impudenter mentiri: nam & Caluinum ait dicere, Ordinationem esse verum Sacramentum: at Caluinus tantum ait, impositionem manuum in veris & legitimis Ordinationibus esse Sacramentum, id est, quiddam Sacramentale, non ait esse proprium Sacramentum. Bellarminus ait eum dicere Ordinationem esse Sacramentum. Et alibi idem Caluinus manifeste ponit duo tantum Sacramenta, & ait impositionem manuum non esse numerandam inter ordinaria Sacramenta; nam non nisi duo Sacramenta in vsum totius Ecclesiæ instituta esse: & per totum caput. 19. libri quarti quinque reliqua, quæ Papistæ tenent, falso nominari Sacramenta & dicit & probat. *c. 19. §. 31, & c. 4. §. 20.*

Caluin. in Antidot. Concil. Trident. sess. 7. c. 1. Quod vero ait Bellarminus, Caluinum alibi quatuor tātum Sacramenta reiicere à numero Sacramentorum, Confirmationem, Pœnitentiam, Vnctionem extremam, & Matrimonium, omnino falsum est: non enim loquitur ibi Caluinus de ullo Sacramento, nisi de Vnctione extrema, & Matrimonio nullam ille aut Confirmationis, aut Pœnitentiæ mentionem facit; vnde video Bellarminum vsum esse oculis alienis. Caluinus vero de numero Sacramentorum idem plane dicit, quod nos. Neque nos modo, quos Caluinistas vocant, sed & Lutherani duo Sacramenta & non plura statuunt.

Kemnit. in 2. part. Exam. Illyric. in Confess. Antuerp. Sic Kemnitius aperte, atque etiam Illyricus. Bellarminus cum his duobus agit, ac si res esset in foro: accusat enim illos periurii, quia omnes

& in eius defens. c. 11 & in defens. c. 18. omnes Lutherani iurant in verba Confessionis Augustanæ, quæ tria Sacramenta statuit. Sed Illyricus respondet, Confessionis verba non esse præcise & curiose vrgenda; modo res traditæ in Scripturis retineantur, non esse rixandum de vocabulis. Certe omnes nostræ Confessiones in hoc consentiunt: nam etsi in quibusdam illarum dicitur, posse nomen Sacramenti non male conuenire pluribus quam duobus, tamen si proprie de Sacramentis loquantur, non nisi duo esse. Vnde tria illa, quæ Bellarminus colligit, falsa esse constat, quorum *primum* est, miram fuisse inconstantiam Lutheri, & Philippi: *secundum*, non posse apud nos esse veram Ecclesiam, quia non possumus numerare Sacramenta: *tertium*, non posse ejusmodi hæreses diu durare, quia omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Nulla enim inter nos inconstantia est, quia conuenit de numero, si proprie Sacramenti nomen sumatur: & nostram sententiam non esse hæreticam, quia & Scripturis, & antiquissimis Patribus ac Conciliis, congrua est, illorum vero è contra esse nouam & hæreticam, apertissime comprobare possumus.

Caput II.

In quo Aduersariorum argumenta proponuntur & diluuntur.

Nvnc quomodo hic septenarius Sacramentorum numerus à Bellarmino probetur videamus. Tria argumenta affert. *Primum* sumitur ex testimoniis Scripturæ & Patrum, quæ etsi non dicunt esse septem Sacramenta, tamen omnia ista septem Sacramenta vera & propria esse testantur. *Secundum* sumitur ex testimonis aliis Conciliorum & Doctorum, quæ præcise numerum istum septenarium ponunt, *Tertium* ex rationibus sumitur, quas ille congruentias quasdam vocat.

Quod ad *primum* argumentum attinet, leuiter nunc & exiliter admodum tractat, copiosius de eo postea dicturus, vbi de singulis Sacramentis disputabitur. Ego igitur ad illum quoque locum reseruabo: & nunc tantum ea testimonia & argumenta attingam, quæ præcise de septem Sacramentis loquuntur. Ergo primo quid afferat, vt probet esse septem Sacramenta videamus, deinceps vero quomodo illa quinq; esse vera Sacramenta probet, in suis locis docebimus, ne postea repetere cogamur quæ antea diximus, vt Confirmationem non esse Sacramētum docebimus, quādo de Confirmatione dice-

dicemus, & Pœnitentiam non esse, quando de Pœnitentia dicemus, atque ita de reliquis. Sed Bellarminus, antequam ad primum argumentum accedat, tria notanda esse ait, quæ nullo modo omittenda esse censui.

Primò ait, non esse ab illis petendum, vt in Scripturis aut Patribus ostendant nomen septenarii numeri Sacramentorum. *Respondeo:* Fatetur ergo ille, non modo Scripturas, sed ne Patres quidem septem Sacramenta numerare. De Scripturis fatemur, non esse mirum, si Sacramenta non numerent: de Patribus autem, qui Scripturas exposuerunt, mirum est, illos nunquam hunc numerum deprehendisse. Nam etsi Scriptura non numerat Christi miracula (hoc enim exemplo Bellarminus vtitur) at Patres tamen numerant, & quoties flevit, & quoties Hierusalem profectus est, & quot annos docuit, & quoties apparuit post resurrectionem: etsi Scriptura hos numeros diserte nusquam posuit, at Patres tamen & interpretes posuerunt. Ita etsi Scriptura non numerat vspiam septem Sacramenta, tamen Patres hunc numerum ex Scripturis facile collegissent, si Christus hunc numerum instituisset. Sic Patres numerum & articulorum fidei, & librorum Canonicorum tradiderunt; quæ sunt alia etiam exempla à Bellarmino allata: at nemo omnium Patrum dixit vnquam esse septem Sacramenta.

Secundò ait, non esse ab illis petendum, vt ostendant nomen Sacramenti tribui in Scripturis Confessioni aut Ordinationi. *Respondeo*: non esse reuera petendum: nec nos quidem hoc petimus. Nomen enim Sacramenta nusquam legi nouimus in Scripturis hoc sensu, sed à Theologis postea inuentum esse, Nos vero non tam de nomine, quam de re Sacramenti & quærimus & contendimus.

Tertiò ait, sufficere si definitionem Sacramenti conuenire ritibus nec pluribus nec paucioribus quam septem ex Scripturis & Patribus ostendat. *Respondeo*: nos non aliud petere, nec amplius desiderare. Si hoc ille probet, satis est: sed nunquam probabit veram definitionem Sacramenti conuenire pluribus quam duobus. Si pluribus quam duobus conuenire probauerit, fatebor plura esse: si septem conuenire probauerit, fatebor septem esse. Iam igitur videamus, quibus argumentis septem esse Sacramenta probet.

Hæc autem tria sunt. *Primum* argumentum sumitur à testimonio omnium Theologorum, qui per annos iam quadringentos & amplius floruerunt. Nam Magister Sententiarum, & omnes inde Theologi, septem Sacramenta esse tradiderunt. *Lombar. l.4.d.1.*

Respondeo primò: hos Theologos nullius esse antiquitatis. Nam Lombardus vixit post annos à Christo 1160; hunc secuti sunt omnes Scholastici: in tot seculis nullum nominare potest, qui de numero septenario Sacramentorum vllam mentionem fecit, aut vllum omnino verbum dixit. Vnde intelligimus, esse hanc recentem opinionem, & nuper natam, si cum antiquitate comparetur: & tunc magnopere ab illa puritate recessum est, quam Christus & Apostoli in Ecclesia reliquerunt. Reliqui vero Scholastici omnes, quotquot fuerunt, Lombardo recentiores fuerunt. Magna ergo hæc confessio est nouitatis. Nec citat Lombardus aliquem Patrem, qui dixerit esse septem Sacramenta, cum tamen soleat suas conclusiones testimoniis Patrum probare.

Secundò, quod arguit, hanc fuisse sententiam totius Ecclesiæ, quia Magister non nouum aliquid scripsit, sed quod inuenit in vsu Ecclesiæ, certum est, ne tum quidem hoc fuisse receptum: imo constat alios Theologos iisdem temporibus aliter docuisse. Nam Bernardus, qui circa eadem tempora vixit, vehementer contendit, lotionem pedum esse verum Sacramentum: ac tum octo non septem Sacramenta erunt. Similiter Hugo de Sancto Victore, qui fuit æqualis Bernardo, scripsit librum de Sacramentis, & tamen nusquam septem Sacramenta numerat. Cassander ait, ante Lombardum non facile reperiri, qui certum & definitum Sacramentorum numerum statuerit. Et certum est, multa à Lombardo tradi, quæ vulgo improbantur. *Bernard. de Cœna Domini* *Cassand. art.13.*

Tertiò quod ait, Ecclesiam per hos annos periisse de orbe terrarum, si errauerit in numero Sacramentorum; non sequitur. Non enim errauit Ecclesia, si statuit non esse septem Sacramenta, nec periit statim, si in ea re errauit, quia non est error capitalis: omnis vero error non perdit statim aut euertit Ecclesiam. Quin & ipsa Romana Ecclesia potuisset esse Ecclesia, nisi grauiores errores quam hunc teneret.

Secundum Bellarmini argumentum sumitur à testimoniis Conciliorum. *Primum* testimonium est Concilii Florentini, quod post annos à Christo 1400. habitum est, in quo Satanas & Antichristus regnarunt. Nos non tenemur authoritate huius Concilii. *Secundum* testimonium est Concilii Tridentini, quod ante annos paucos nostra memoria habitum est. Fuit hoc Conciliabulum meretricis Babylonicæ, & spelunca latronum ac prædonum: iniquum ergo est, nos huius Concilii authoritate premi.

Et tamen ait Bellarminus, deberc hoc testimonium sufficere, etiamsi nullum haberemus aliud; quo nihil ab illo impudentius dici potuit: ita enim si Scripturæ & omnia Patrum volumina periissent, haberentque solum Concilium Tridentinum, nil amplius à nobis desiderari deberet. Sed quare sufficeret hoc testimonium? quia si tollamus, inquit, auctoritatem præsentis Ecclesiæ, & præsentis Concilii, in dubium reuocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Christiana. *Respondeo*: Quasi aut illa

Ecclesia fuerit, quæ non nisi lustrum prædonum fuit, aut omnis veritas ex nutu Ecclesiæ pendeat.

Quid dici potuit blasphemius in Deum, in Scripturas, in fidem, in religionem? num hæc omnia in dubium vocarentur, nisi extaret Concilium Tridentinum, & nisi propter præsentis Ecclesiæ auctoritatem? ita Deus non erit Deus, & Christus erit seductor, nisi Ecclesiæ visum fuerit Romanæ. Sic enim ait Bellarminus, firmitas omnium dogmatum pendet ab auctoritate præsentis Ecclesiæ. At dogma vnum hoc est, Deus est immortalis, aliud vero, Christus est redemptor generis humani: non firma erunt hæc dogmata, nisi propter Ecclesiam Romanam? non erunt certe, si omnium dogmatum firmitas ab eius authoritate pendeat: tolle enim id, è quo pendet aliquid, & id quod pendet statim corruat necesse est.

Et si omnium dogmatum firmitas ab auctoritate præsentis Ecclesiæ pendeat, tum nullius dogmatis firmitas pendet ex Scripturis, aut ex Patribus, aut ex Conciliis præcedentibus; & tamen Concilium Tridentinum non definiuit omnia fidei dogmata, nec de omnibus canones aut decreta edidit. Tam impudens certe est, vt nunquam crediderim quenquam hominem Christianum id esse dicturum, quod ille dicit,

Quid enim? an esse Deum, & nos Christi sanguine seruari, & alia huiusmodi dogmata infirma erunt, nisi à præsenti Ecclesia stabiliantur? tum multum certe est, quod Deus & Christus Ecclesiæ Romanæ debeant, sine qua nec Deus esset Deus, nec Christus inter Deum & homines mediator, aut generis humani seruator aut redemptor esset, denique omnia Christianæ religionis dogmata ruerent, nisi præsens Ecclesia Romana sustineret. Sed hac de re alibi copiose diximus. *Vide VVhitak. duplicat. aduers. Staplet.*

Nunc ad *tertium* & postremum Bellarmini argumentum veniamus, quod positum est in rationibus quibusdam, quas tamen ille potius congruentias appellandas putat. Congruentia autem non est ratio sufficiens aut fundamentum, sed est aliquid rationi consentaneum. Ita Bellarminus fatetur non hæc fundamenta esse aut demonstrationes, sed nescio quas congruentias, id est, nihil valere nisi fide supposita, hoc est, nisi certo credas ante esse septem Sacramenta, hæ rationes nunquam persuadebunt. Ita inutiles omnino sunt: nos enim non credimus esse septem, imo credimus non esse septem: ergo has congruentias esse omnino incongruas dicimus.

Sunt enim reuera futiles fictiones, & puerilia ludibria nullius ingenii aut iudicii, vt facile agnoscas, è qua officina prodierint. Sunt similes

miles meritis de congruo hæ rationes à congruo: vt illa nullius meriti, ita hæ nullius momenti sunt. Quatuor vero congruentias affert,

Catechis. Roman. part. 2. q. 12. Alan de Sacram. c. 14. Thom. cont. Gent. l. 4. c. 58. & alibi.

Prima, quam & Catechismus Romanus habet, & Alanus, & ante hos Thomas, sumitur à similitudine vitæ spiritualis & corporalis. Sed quis dabit hæc esse similia? quis hanc similitudinem concedet? quasi vita nostra spiritualis ex Sacramentis pendeat, cum Scriptura dicat, iustum ex fide sua vivere, quæ in anima est, non ex Sacramentis, quæ ad animam penetrare non possunt. Sed hæc tota ratio non nisi quædam similitudo est: at similitudines non probant, nec aliquam in se argumenti vim habent.

In vita corporali, inquit, requiritur *primò* generatio, sic in vita spirituali regeneratio, quæ est per Baptismum. Recte! ergo Baptismus non est repetendus, quia vt generatio non nisi semel fit, sic & regeneratio: alias non esset hæc congruentia.

Secundò post generationem debet esse augmentatio: hinc Baptismo additur Confirmatio, quia spiritualis augmentatio fit per Confirmationem. At augmentatio sæpius fit, & iteratur indies, vsque dum ad ἀκμὴν, id est, ad ætatis maturitatem, summumque incrementum peruenerimus: Confirmatio vero semel tantum fit: ergo augmentatio potius Sacramento repetibili assimulari debet. Quare in hac congruentia est aliquid incongruum.

Tertiò opus est nutritione in vita corporali: ea vero in spirituali vita fit per Eucharistiam. At quis post augmentationem statuerit nutritionem, cum nutritio præcedere deberet, quia augmentatio prouenit ex nutritione? postquam enim nascimur, primo nutriuntur tum augentur corpora nostra.

Ergo hic etiam aliquid præposterum & incongruum est: nam in vita corporali primo est nutritio, tum augmentatio; at isti in vita spirituali augmentationem ante nutritionem ponunt.

Quartò, post hæc oportet morbos cauere aut curare: remedium vero contra morbos in vita spirituali est pœnitentia. Et tamen Pontificii dicunt, omnia Sacramenta esse remedia contra morbos spirituales: hic vero Bellarminus pœnitentiæ tantum hoc tribuit, quam solam habere vim remedii ait.

Quintò, oportet esse remedium contra reliquias morborum, atque hoc esse extremam vnctionem ait. At hoc absurdum magis est, quam reliqua: ita enim pœnitentia non est satis efficax remedium, quia tollit morbum, sed non

reliquias morbi: aut ergo medicus imperitus Christus est, aut remedium non satis aptum adhibuit. Verum si pœnitentia potest curare morbos, potest certe etiam morborum reliquias curare. Sed quales, quæso, hæ reliquiæ sunt. Bellarminus non docet; alii autem apertius loquuntur: dicunt enim has reliquias esse venialia peccata.

Compend. Theolog. Bonauen. in 4. d. 2. q 3.

Hinc duo absurdissima colligo. *Primum* est, pœnitentiam posse tollere mortale, at non veniale peccatum. *Secundum* est, vnctionem extremam non nisi peccatum veniale tollere. At Sacramenta gratiam aliquam peculiarem conferunt: aqua vero benedicta potest venialia peccata tollere. Thomas vero ait, Sacramentum nullum institutum esse contra veniale peccatum. Nunquid adhuc aliquid reliquum est? etiam.

Thom. 3. q. 65. art. 1. ad 8.

Sextò, adhuc requiritur Matrimonium, quo propagentur homines ad cultum Dei deputandi. At Matrimonium esse rem politicam non spiritualem omnes norunt. Multi sine Matrimonio vitam spiritualem ducunt, aut certe illorum Monastica vita non est spiritualis.

Septimò requiritur, vt sint Principes & Magistratus. Hinc Sacramentum Ordinis. Nugæ: nam multa alia in vita corporali necessaria sunt, si sic per singula ordine transeamus. Nonne enim vestis requiritur in singulis, qui vitam degunt corporalem? cibum illi requiri fatentur, at de veste ne verbum quidem faciunt: ita oportet nudos vivere. Quanto magis congruum est, non nisi duo Sacramenta statuere, primum regenerationis, quæ generationi nostræ naturali similis est, alterum quo alimur & conseruamur, vt in vita corporali, & quæ ad vitam necessaria sunt percipimus.

Secunda ratio seu congruentia est ex numero peccatorum & vulnerum. Nam Baptismus, inquit, est præcipue contra originale: Pœnitentia contra actuale mortale: Vnctio extrema contra reliquias peccatorum: Confirmatio contra infirmitatem: Eucharistia contra malitiam: Matrimonium contra concupiscentiam: Ordo contra ignorantiam. Quasi vero non sint alia peccata; aut quasi concupiscentia, malitia, & reliquiæ peccatorum, non sint reuera peccata mortalia: at pœnitentiam dicunt esse contra mortale peccatum actuale. Pulchræ diuisa hæc sunt. Sed quanto conuenientius alii non nisi duo esse Sacramenta aiunt, cum duo tantum vulnera sint, culpæ & pœnæ? nam si hæc dixerint multiplicari, certe in plures species quam septem multiplicantur. Imo si vulnerum nostrorum multitudini respondeat Sacramentorum numerus, infinita erunt Sacramenta, quia vulnera nostra spiritualia infinita sunt.

Tertia ratio seu congruentia est ex numero virtutum: Baptismus, inquit, respondet fidei, Confirmatio spei, Eucharistia charitati, Pœnitentia iustitiæ, Vnctio extrema fortitudini, Ordo prudentiæ, & Matrimonium temperantiæ. Sunt hic quidem tres virtutes Theologicæ, & quatuor Cardinales, vt vocantur. at aliæ sunt virtutes præter has. Quid enim de humilitate, liberalitate, mansuetudine, patientia, & aliis huiusmodi virtutibus dicent? quæ Sacramenta his virtutibus respondebunt?

Quarta & postrema congruentia est ex celebritate numeri septenarii in expiationibus, & hic multa testimonia cumulat. Imo ait totam Scripturam quodammodo clamare, futurum aliquando fuisse tempus, in quo septem insignia remedia darentur à Deo in expiationem peccatorum. Sed ego nil tale aut clamantem aut loquentem Scripturam audio. Nam *primò*, vt cum Kemnitio respondeam, si hæ aut rationes, aut congruentiæ, aliquam in se vim habeant, tum debebant esse tot Sacramenta in vetere Testamento; nam idem tum, qui nunc, & peccatorum & virtutum numerus fuit; & tum etiam fuit & vita spiritualis, & corporalis. Bellarminus ait, Sacramenta vetera non fuisse instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali, nec ad remedium peccati, excepta Circumcisione. Bene est, quod Circumcisionem excipiat: ergo saltem vnum Sacramentum veteris Testamenti institutum fuit in remedium peccati: si vnum, quidni cætera.

Sed quorsum reliqua Sacramenta instituta sunt? nempe, inquit, solum ad significanda mysteria Christiana: sed annon ad aliud? imo addit, & ad alios quosdam fines, sed propter quos alios fines instituta sunt, non explicat: certum autem est, ad eosdem fines instituta fuisse, ad quos nostra instituta sunt, nempe vt fidem fulcirent, confirmarent, augerent. Et si Deus Patribus veteris Testamenti nulla remedia dedit contra peccata, tum mortui sunt in suis peccatis, quod nemo de illis dixerit: nam peccata sunt morbi læthales: nisi ergo remedia aliqua habuerunt, actum certe fuit de illorum salute: perinde est enim dicere, non habuisse remedia, ac dicere, periisse illos in peccatis suis. At Deus illam Ecclesiam non minus amauit quam nostram: ergo non illi defuit in necessariis.

Secundò respondeo, si prima congruentia de similitudine vitæ spiritualis & corporalis aliquid in se virium habeat, tum septem etiam Sacramenta in vetere Testamento fuerunt. Nam veterum Israelitarum vitam aut fuisse aut debuisse esse spiritualem nemo nescit: ergo vt septem illis ad corporalem vitam, ita septem ad spiritualem necessaria fuerunt.

Tertiò, quod de celebritate numeri septenarii tam multa loquitur, dico esse alios numeros in Scripturis non minus celebres. Quid enim de numero ternario respon-

respondebit, & de numero duodenario? numerus certe ternarius multo sanctior & celebrior est septenario, & numerus duodenarius sæpius in Scripturis repetitur: num idcirco aut tria aut duodecim Sacramenta statuemus? si tria, pauciora erunt quam septem, si duodecim, plura.

Sed Bellarminus ait, rationem Catholicorum sumi non ex quibuscunque numeris, sed ex numeris, qui significabant expiationem peccatorum. *Respondeo:* hoc aperte falsum esse. Nam alii Papistæ hunc septenarium numerum Sacramentorum probant per numeros etiam qui non significant talem expiationem, vt per septem candelabra in Tabernaculo Exod. trigesimoseptimo, per septem oculos Zachar. 3. per septem sigilla Apocal. 5. per septem tubas Angelorum, Apocal. 8. per septem panes, quibus turbam Christus satiauit, Matth. decimoquinto: hæc & ejusmodi alia in Compendio Theologiæ habentur. In his omnibus locis nulla expiationis mentio fit. Sed quia horum puduit Bellarminum, reuocat hanc à celebritate numeri septenarii ductam rationem ad expiationes tantum. At neque semper in Scripturis septenarii numeri in expiationibus mentio fit.

Exod. 37. 26. *Zach.* 3. 9. *Apoc.* 5. 1, & 8. 2. *Matth.* 15. 34.

Summus Pontifex semel tantum in anno ingressus est Sanctuarium cum sanguine expiationis, vt significaret nos semel tantum per Christum à peccatis expiandos & redimendos esse: & Moses non nisi semel tantum dicitur populum, & librum, & altare, sanguine fœderis aspersisse. Sed quis huiusmodi inanissimis nugis vel verbum respondere dignaretur? Ita septem esse Sacramenta non aliter probat Bellarminus, nisi ex Theologis Scholasticis, & ex Florentino ac Tridentino Concilio, & ex hominum insomniis. Ego non persequar eiusmodi nænias, quibus alii Pontificii vtuntur, vt probent septem esse Sacramenta. De his præclaris Aduersariorum argumentis satis multa diximus.

Exod. 30. 10. *Heb.* 9. 7. 25, 26. *Exod.* 24. 8. *Heb.* 9. 19. 21. 22.

CAPVT III.

In quo nostra argumenta proponuntur & defenduntur.

IAM nos nostra argumenta expromamus, quibus probamus non esse plura quam duo Sacramenta. *Primum* nostrum argumentum non ita proponitur, vt vult Bellarminus, nempe, Scripturæ nusquam tradunt septem esse Sacramenta; si per tradere intelligat expresse numerare, quod eum intellexisse ex eius solutione apparet: non enim requirimus, vt Scriptura vspiam sic expresse loquatur, Non sunt septem Sacramenta, aut, Sunt duo tantum Sacramenta? sed sic

sic argumentum instituimus; Habemus illustrem & claram authoritatem Scripturarum pro duobus Sacramentis & non pluribus: ergo nos, qui debemus sapere ex Scripturis, non possumus plura quam duo Sacramenta statuere, ac proinde quinque illa Sacramenta, quæ addunt Aduersarii, sunt adulterina. Antecedens probatur, quia horum duorum clara Domini institutio habetur, qui addidit signis visibilibus & promissionem gratiæ, & præceptum vtendi; quod arguit esse Sacramenta: reliqua quinque, quia non habent & externum elementum, & verbum, tum promissionis, tum præcepti, non sunt pro Sacramentis habenda. Nam si alterutrum horum desit, tollitur ratio & definitio Sacramenti: deest autem alterum in singulis illis quinque, quæ pro Sacramentis ab Aduersariis habentur, vt nos postea Deo volente ostendemus.

Neque enim omnis ritus, aut ceremonia externa, est continuo Sacramentum: tum enim lotio pedum, & pulueris excussio, & osculum in sacris olim vsurpatum, & alia huiusmodi essent Sacramenta: sed hæc non habent aut promissionem, aut præceptum.

Nec quicquid habet promissionem & præceptum statim erit Sacramentum, nisi adiunctum fuerit elementum externum, quia precibus, & eleemosynis, & crucis, id est, afflictionis tolerationi cum patientia, tum præceptum est adhibitum, tum amplissimæ etiam promissiones factæ sunt; sed hæc nullum externum elementum habent. Ergo hæc duo concurrere debent, aut Sacramenta non tria tantum, aut septem, aut duodecim, sed plusquam viginti, imo fere infinita habebimus.

Secundum nostrum argumentum sumitur ex Iohanne decimo nono, vbi legimus ex perfosso Christi latere aquam & sanguinem effluxisse, quod Patres recte interpretantur de duobus nostris Sacramentis, Baptismo & Eucharistia, quæ è Christi latere manasse dicuntur, quia vim omnem à Christi morte hauriunt.

Iohan. 19. 34.

Ita Chrysostomus ait, *hinc Sacramenta ortum habuisse; per aquam enim regenerati, sanguine & carne*, inquit, *nutriti sumus.* Et hæc vera congruentia est, esse duo tantum Sacramenta, primum, quo regeneramur, secundum, quo alimur, præsertim si teneat similitudo vitæ spiritualis & corporalis, de qua antea multa dixit Bellarminus, quia in vita corporali primo nascimur, tum nutrimur: alioqui si tot sint Sacramenta, quot requiruntur ad vitam corporalem, multo plura Sacramenta erunt, quàm septem. Similiter Cyrillus. Ita etiam Theophylactus, cuius hæc verba sunt, Eccle-

Chrysost. hom 84. *in Ioan.* *Cyrill. in loc.* *Theophylac. in locum.*

Ecclesiæ ἡ ζωὴ, inquit, Δι' τούτων δύο γίνεται καὶ σωίζεται, id est, *Ecclesiæ vita per hæc duo fit & consistit*; per aquam enim γεννώμεθα, inquit, id est, *generamur*, per carnem & sanguinem τρεφόμεθα, id est, *alimur*: & hoc probat, quia è corpore mortuo aut sanguinem aut aquam exire θαῦμα παράδοξον ἐστιν, *miraculum & inopinatum est*. Similiter Damascenus, Christus ex latere suo ἐπήγασεν πηγὴν ἀφέσεως, id est, *effudit fontem remissionis peccatorum*: & tum hæc duo Sacramenta nominat.

Damasc. l.4.c.10. de fid. orthodox.

Bellarminus respondet *primò*, non male posse sic locum exponi. *Respondeo*: ergo nos non male ex hoc loco argumentamur: & addit Bellarminus, Græcos fere omnes sic exponere. Sed ait, duo solum Sacramenta poni, quia sunt illa magis communia & principalia. *Respondeo*: imo quia sola Sacramenta sunt: nam aiunt Patres his absolui nostram salutem: ergo ex Christi latere fluxerunt omnia Sacramenta, quæ ad salutem sufficiunt, imo quæ ad perfectionem salutis requiruntur; & quis amplius desideraret? & ex ipsius Bellarmini confessione nostra Sacramenta sunt communiora & principaliora: at Patres non dicunt, magis principalia Sacramenta fluxisse è latere Christi, sed omnia. Quare hæc ridicula Bellarmini responsio est.

Ergo *secundo* respondet, non esse necessarium sequi illam expositionem Græcorum, *Respondeo*: Quasi hæc Græcorum tantum sit expositio, & non etiam Latinorum: certè Augustinus habet nescio in quam multis locis. Nam ille sic scribit, *Dormit Adam, vt fiat Eva, moritur Christus, vt fiat Ecclesia: dormienti Adæ fit Eva de latere: mortuo Christo lancea percutitur latus, vt profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.* Idem alibi ait, ostium Arcæ Nohæ esse vulnus in latere Christi, quia per hoc ad Christum ingredimur, & *quia hinc Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Simile quiddam in commentariis in Psalmos habet. Et alibi etiam scribit, *hinc manauisse Sacramenta Ecclesiæ, &, sanguinem illum fusum esse in remissionem peccatorum, aquam hanc præstare & lauacrum & potum*: nam hinc est, quod Ecclesia vetus cum vino in Eucharistia miscuit aquam: quod satis docet, quæ opinio Ecclesiæ fuerit de hoc sanguine & aqua. Et idem adhuc alibi hæc verba habet, *Percussum est eius latus, & statim manauit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta.* Similiter Cyprianus ait, ex hoc latere, *emanauisse Sacramenta perpetuo duratura.*

Augustin. tract.9.in Ioan. Euangel.

Idem de ciuit. Dei l.15. c.26.

Idem in Psal.40.

Idem in tract.120. in Ioan.

Idem de symbol.ad catechu. l.2.c.6.

Cyprian. de pass. Christi.

Similiter etiam Beda Alexander Halensis, qui primus scripsit in Lombardum, ait à Christ non nisi duo instituta esse Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam, id. que eo quod è Christo latere sanguis & aqua effluxerint. Si recte hi scripserint, & recte hunc locum exposuerint, non nisi duo Sacramenta sunt, quia non nisi duorum materia ex latere Christi manauit, non oleum, quo in reliquis Sacramentis vtuntur Pontificii, sed tantum aqua & sanguis. Et mihi ista expositio valde placet, non modo quia Sacramenta vim omnem à Christi morte habent, sed quia nos ad fontem suum, id est, ad Christi latus deducunt.

Beda in Ioan.19. & in Luc. l.6.c.24.

Tertium nostrum argumentum sumitur ex 1. Corinth. 10. vbi Apostolus monet Corinthios, ne nimium Sacramentis suis confidant, & impunitatem ex priuilegiis Sacramentorum sperent; nam & vereres Israelitas vsos esse olim iisdem Sacramentis, quibus illi, & tamen multos ex illis misere periisse. Hunc esse huius loci scopum Apostolicum nos supra docuimus. Iam vero Apostolus non nisi duo Sacramenta hoc in loco commemorat, nempe Baptismum & Eucharistiam: ergo duo tantum, & non plura sunt. Si enim Christiani haberent, alia aut plura Sacramenta, potuissent Corinthii respondere, se non reformidare hanc comminationem, quod plura haberent Sacramenta, quam veteres Israelitæ habuerunt, septem nimirum, quæ sunt illustria & præclara remedia peccatorum, in quibus facile possent remedium inuenire, si forte in peccatum aliquod inciderent, nempe præter Baptismum & Eucharistiam, etiam Pœnitentiam, extremam vnctionem, Confirmationem, & reliqua. Vnde constat, Apostolum non nisi duo Sacramenta Ecclesiæ Christianæ agnouisse, quemadmodum reuera non nisi duo Ecclesiæ Israeliticæ fuerunt.

1.Cor.10. 1.2.3.4. &c.

Veteres enim Israelitæ non nisi duo Sacramenta perpetua & ordinaria habuerunt, Circumcisionem, cui respondet Baptismus noster, & Agnum Paschalem, cui nostra Eucharistia respondet. Habebant quidem præterea purificationes & sacrificia, sed hæc eiusdem generis cum Agno Paschali fuerunt, & nostrorum peccatorum expiationem per sanguinem Agni immaculati adumbrarunt.

Et si nostra Sacramenta veteribus repræsentata fuerunt, vt docent Patres ac Scholastici, tum duo tantum sunt nostra Sacramenta: nam doceant illi, quibus Sacramentis veteris Testamenti repræsentata sunt quinque illa adulterina Sacramenta, nempe Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, Extrema vnctio: vnde hæc non esse Sacramenta constat, quia Iudæi non habebant vlla Sacramenta, quæ horum typi fuerunt. At Circumcisionem Baptismi typum fuisse, vt & nubem; & Agnum Paschalem ac reliqua sacrificia Eucharistiæ typos fuisse, nemo nescit.

Et cum vetera Sacramenta à nostris differant non nisi in modo significandi, vt ait Augustinus

oportuit esse præfiguratiuum aliquid in vetere Testamento, vbi est commemoratiuum in nouo: at nulla fuerunt præfiguratiua horum quinque, sed tantum nostrorum duorum: vnde sic concludimus, Duo tantum fuerunt præfiguratiua seu prænunciatiua: ergo duo tantum sunt commemoratiua.

Nunc ex Patribus quædam afferemus, inter quos primum locum Augustino tribuemus propter dignitatem, non propter antiquitatem. Augustinus nostram sententiam non obscure confirmat. Etsi enim nusquam ait, non esse septem Sacramenta, aut non esse nisi duo, imo tribuit etiam nomen Sacramenti pluribus: tamen non alia esse tam proprie Sacramenta, quam hæc duo, apertissime multis in locis docet. Tribuit ille quidem nomen Sacramenti aliis ritibus & ceremoniis præter Baptismum & Eucharistiam; tamen nusquam docet, esse eodem modo aut æque Sacramenta, vt sunt Baptismus & Eucharistia. Vocat ille quidem Ordinationem Sacramentum, sed sic etiam crucem Sacramentum vocat, & alias res, vt postea docebimus. Quando vero expresse, & proprie, & stricte loquitur, duo tantum Sacramenta numerat; aliter vero cum loquitur, multa facit.

August. de doctr. Christ. l. 3. c. 9. In tertio libro de doctrina Christiana hæc verba habet, *Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & conseruatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.*

Bellarminus ait, Augustinum hæc duo exempli loco ponere, quia ait, *sicuti*. Sed *Respondeo*: Tum potuisset alia nominare, æque ac Baptismum & Eucharistiam, nempe Matrimonium & Confirmationem, aut Pœnitentiam & Ordinationem. Sed legendus & expendendus est locus. In eo loco Augustinus statum Christianorum cum statu Israelitarum comparat; illos ait habuisse multa signa, nos pro multis pauca, & quæ illa pauca sint docet, nempe Baptismus & Cœna Domini. Si non numerat omnia, non exponit discrimen inter illorum statum & nostrum. Si enim hæc posuisset tantum exempli loco, & si plura fuissent, potuisset aliquis dicere, ea quæ tacebantur forsan tam multa esse, vt exæquarent numerum Sacramentorum illorum, quæ Iudæi habuerunt. Septem certe Sacramenta non sunt pauca.

Quomodo ostendit Augustinus Christianos habere pauca Sacramenta, si præter hæc duo alia habeant, nescio quam multa? Sic etiam alibi, *Sacramentis numero pauciss imis, significatione præstantissimis, obseruatione facillimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communicatio corporis & sanguinis ipsius*: ergo non sunt plura Sacramenta, quam duo, quia duo sunt pauciss ima. *Idem Ep. 118. c. 1.*

Sed Bellarminus ait, Augustinum subiungere, *& si quid aliud in diuinis literis commendatur*: ergo indicare, etiam plura esse, quam duo. *Respondeo primo*: Hinc intelligimus, quomodo illud *sicuti* vsurpari possit, etiam quando nullum omittitur: nam hic Augustinus complexus est alia omnia, si sint alia, & tamen ait, *sicuti*: *Secundò*, quod ait Augustinus, *& si quid aliud*; non nescio Augustinum tribuere aliquando nomen Sacramenti etiam iis rebus, quæ non sunt Sacramenta omnino, nec quæ ab ipso pro Sacramentis habentur æque ac hæc duo, aut eodem modo, quo hæc duo: imo tribuit nomen Sacramenti multis rebus, quæ ne à Pontificiis quidem ipsis pro Sacramentis agnoscuntur. Illa ergo verba Augustini, *si quid aliud*, non arguunt eum sensisse, esse alia proprie & vere Sacramenta, sed esse alia, quæ possunt eo nomine vocari.

Et fateor Augustinum cum his duobus alia quædam coniungere, vt Ordinationem, & Confirmationem, non quod hæc æque esse Sacramenta sensit, sed quod quandam rationem Sacramentorum habeant. Similis locus alibi habetur, vbi ait, Deum voluisse nostram religionem esse liberam, quam pauciss imis Sacramentis contentam, & tamen ait Ecclesiam eo tempore ita fuisse oneribus & sarcinis humanis oneratam, vt Iudæorum conditio tolerabilior esset, quam fuit tum Christianorum. Si tam multa sint Sacramenta, eaque tam multis ritibus & ceremoniis alligata, quam volunt Papistæ, non modo magis seruilis esset status noster, quam fuit olim Iudæorum, sed multo certe intolerabilior. Nam vt cæteras taceam constitutiones & ritus infinitos apud Pontificios, qualis, quæso, sarcina, & quam intolerabilis, vnum Pœnitentiæ Sacramentum Pontificium fuit? hominem cogi ad confessionem omnium & singulorum peccatorum, quæ vnquam admisit, tale onus est, quale nullum Iudæi habuerunt. Quid dixisset Augustinus, si hoc & alia eiusmodi onera Papistica vidisset? si tempore Augustini tam multæ sarcinæ fuerunt, vt tolerabilior esset Iudæorum conditio, quam Christianorum, quid tandem dicturum illum existimamus, si his nostris seculis vixisset, & tantam molem sarcinarum, quanta nunc est, conspexisset. *Idem in Epist. 119. c. 19.*

Denique idem Augustinus alibi ait, esse Ecclesiæ gemina Sacramenta, eaque è Christi latere fluxisse. Quod gemina dicit, indicat tantum duo esse: nam septem aut plura quam duo non possunt dici *August. de symbol. ad catechum. l. 2. c. 6.*

dici gemina. Gemini dicuntur, quos mulier vno partu edidit; quæ enim fœmina plures liberos quam duos, exempli gratia tres aut quatuor peperit, ea non dicitur gemellos aut geminos peperisse. Ergo Augustinus hæc duo esse gemina & genuina Ecclesiæ Christianæ Sacramenta existimauit: etsi enim nomen Sacramenti aliis tribuit, non tamen proprie, ut his duobus, Fateor Augustinum & Confirmationem & Ordinem vocare Sacramenta, nusquam tamen sic esse Sacramenta proprie ait, ut est Baptismus. Quare non mentitus est Caluinus, cum dixit Augustinum duobus Sacramentis contentum esse, loquitur Caluinus de Sacramentis proprie dictis. Augustinus certe ad alias multas res Sacramenti nomen accommodauit: nam ille omne signum sacrum vocat Sacramentum; *Signa*, inquit, *cum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur:* at hoc non sufficit, vt sit sacrum signum, nisi promissum habeat, & præceptum; alioqui satis multa Sacramenta habebimus: nam sic omnes ritus sacri & Ecclesiastici erunt Sacramenta, vt signum crucis, quo Christiani multum vsi sunt illo tempore, & lotio pedum, & alia huiusmodi.

August. Epist. 5.

Satis est quod Augustinus hæc duo præcipua esse Sacramenta dixit: in eo enim his peculiare quiddam tribuit. De Augustino diximus, nunc reliquos Patres persequamur. Iustinus Martyr, cum Christianæ Ecclesiæ & religionis ritus proponit, non nisi duorum tantum Sacramentorum meminit, Baptismi & Eucharistiæ. Bellarminus fatetur hoc esse verum, sed ait, non fuisse opus, vt quicquam diceret de aliis Sacramentis: quare, quæso? quia erant, inquit, ignota Gentilibus: at hæc nulla ratio est, quia non magis illis ignota fuerunt, quam Baptismus: num Matrimonium iis ignotum fuit? quare ergo? quia exercebantur, inquit, sine calumnia: at tunc ne Baptismi meminisset: nam nunquam Christiani propter Baptismum male audiebant; propter Cœnam, fateor: dictum est enim, illos ad epulas conuenire, & postquam sese ingurgitassent, tum miscere libidines.

Iustinus Mart. in Apolog. 1.

Athenagoras hæc verba habet, *Athen. in* τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, πρῶτον μὲν ἀθεότητα, δυσέρεια δεῖπνα, οἰδιποδείους μίξεις, *Tria aduersus nos crimina diuulgant, quod Deum esse negemus, quod Thyestæa conuiuia, & Oedipodæos concubitus exerceamus:* intelligit vero cruenta conuiuia, & incestuosos ac illicitos concubitus: nam Thyestem filios suos comedisse, Oedipum vero cum matre sua concubuisse, poëtæ referunt.

Iustinus ait, se esse accusatos maxime, quod essent Christiani: ergo velle se, quales Christiani essent, exponere, & illorum ritus ac instituta commemorare: nonne opus

ne opus fuit, vt alia non minus Sacramenta recenseret, si essent alia? & hæc vulgo omnibus Christianis obiecta fuisse ait, λυχνίας ἀνατρεπτὰ, τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς, *quod lucernas extinguerent, & promiscue concumberent, & carnes humanas deuorarent.* Iustinus negat hæc omnia, & docet ritus, quibus vtebantur: opus ergo erat, vt totam rationem professionis Christianæ explicaret.

Ergo Iustinus ait, quomodo nos Deo ἀνεθήκαμεν, id est, consecrauimus, exponam: & tum mox de forma Baptismi & Cœnæ scribit. Quis non videt, quin si Christiani tum alios ritus consecrationis habuissent, Iustinus illorum mentionem fecisset? hæc forma Ecclesiæ fuit, in qua Iustinus vixit, & tum etiam Romanæ Ecclesiæ: nam Romæ scripsit hanc Apologiam Iustinus. Non meminit ille Confirmationis, aut Pœnitentiæ, aut Matrimonii, aut Ordinationis, aut Vnctionis extremæ: Pœnitentiæ quidem mentionem facit, sed quæ Baptismum præcedit; non ergo vt Sacramenti. Hæc simplicitas fuit temporum illorum. Irenæus similiter mentionem facit duorum tantum Sacramentorum, non plurium, Baptismi scilicet & Eucharistiæ, & docet quomodo his abusi sunt hæretici, & quomodo suos sacratos inungunt, vt chrisma Pontificium ab hæreticis fluxisse videatur.

Iren. l. 1. c. 18.

Sed Bellarminus ait, eum facere mentionem Pœnitentiæ & Confessionis. *Respondeo:* in loco à Bellarmino citato facit quidem mentionem Confessionis, sed non Papisticæ: ait Valentinum Romæ ἐξομολόγησιν fecisse, id est, *confessionem* suæ fidei; & alibi ait Deum seruare ἐκ μετανοίας, *per pœnitentiam:* quis negat resipiscentiam requiri à quouis Christiano, postquam peccatum aliquod admisit? non tamen ideo pœnitentia Sacramentum est: tum enim & fides, & charitas Sacramentum erit, quia sine his homo non seruatur. Tertullianus etiam horum meminit, non aliorum.

Idem l. 3. c. 4.

Idem l. 1. c. 2.

Tertull. l. 1. cont. Marcion.

Sed Bellarminus ait, eum facere mentionem olei. *Respondeo:* sic etiam mellis & lactis; quod Bellarminus tacuit: ait enim Christum infantare suos melle & lacte; quod ille nusquam ex Scripturis didicit, sed ex paracleto Montani: vnde illorum Confirmatio ab hæreticis originem traxisse videtur. Sed magis adhuc perspicue alibi, vbi ait, Marcionitas non admittere ad Sacramentum Baptismatis & Eucharistiæ, nisi eos qui coniurauerint aduersus fructus nuptiarum; vbi Beatus Rhenanus annotauit in margine, Baptismum & Eucharistiam fuisse duo Sacramenta Ecclesiæ primitivæ.

Idem l. 4. cont. Marcion.

Sed ait Bellarminus, Tertullianum non dicere, duo tantum esse Sacramenta. *Respondeo:* Non refert; nam quod Marcionitas ait

non nisi hos admittere ad hæc duo, patet Ecclesiam non nisi hæc duo pro Sacramentis habuisse ; nam si habuissent , tum & alia nominasset : non minus enim non nisi hos ad ea admisissent; & sic Rhenanus vir doctissimus. Idem alibi horum duorum meminit: & Bellarminus ait eum ibi non nisi duo nominare: at aliter se res habet: nam baptizatos ait statim post Baptismum prægustare mellis & lactis concordiam , & tum per totam hebdomadam abstinere à lauacro quotidiano: quod Papistæ, nisi fallor, post Confirmationem facere solent.

Idem de coron milit.

Quare ergo ait Bellarminus, eum non nisi duo nominare? latet in hoc mysterium? voluit scilicet nos existimare, hoc de Confirmatione accipi; *primò*, quia qui apud illos confirmantur, non prægustant mellis & lactis concordiam , sed in fronte tantum vnguntur: *secundò* , quia tum videretur Confirmatio à Montano sumpsisse exordium : fuit enim Tertullianus Montanista , cum hunc librum scripsit , & per totum fere librum, atque adeo hoc ipso in loco pro Montano pugnat , & contendit strenue , non totam disciplinam Christianam esse in Scripturis , sed traditiones non scriptas adiungendas esse; quod Papistæ quoque dicunt. Sumant ergo sibi illas traditiones , & tum præclari Catholici, id est , plane Montanistæ erunt.

Idem quoque Tertullianus alibi horum duorum mentionem facit , Baptismi scilicet & Eucharistiæ. Meminit ibi præterea, fateor , vnctionis , & impositionis manuum , sed non ita meminit, quasi putaret esse Sacramenta à Baptismo distincta & separata: nam veteres Christiani his ceremoniis in Baptismo vtebantur: non erant hæc peculiaria Sacramenta , sed ritus aut appendiculæ Baptismi.

Idem in lib. de resurrect. carnis.

Bellarminus vt hoc improbet, non dubitat mendacium manifestum dicere : ait enim Tertullianum posuisse manuum impositionem post Eucharistiam; quod si ita se haberet , verisimile esset, non id sensisse Tertullianum , quod nos dicimus: sed reuera Tertullianus Eucharistiam ponit post impositionem manuum; nam primo loco Baptismi meminit , tum chrismatis.

Miror Bellarminum tam cœcum fuisse. Cyprianus in omnibus fere locis duo nostra Sacramenta commemorat , nusquam vero septem Sacramenta esse dicit. Nam quod aliqui libros eius de vnctione chrismatis , & de ablutione pedum obiiciunt ; omnes norunt , hos non esse Cypriani, idque etiam Pamelius Papista agnoscit , qui edidit Cyprianum : nec in his tamen libris vspiam

Cyprian. lib. 2. ep. 1. ad Steph.

vspiam dicitur , septem esse Sacramenta. Confirmationem quidem alicubi vocat Sacramentum, sed non ita proprie vt Baptismum: nam Sacramenti nomen late patet, & ad multa extenditur, vt nos partim docuimus , partim postea fusius docebimus. Certe in Pontificali commistio salis & aquæ, facta ab Episcopo, cum benedicit lapidi ponendo in fundamento Ecclesiæ ædificandæ, vocatur salutare Sacramentum. Et forsan Cyprianus Confirmationem intellexit vt Baptismo annexam, non vt à Baptismo separatam aut distinctam: nam impositio manuum , vt diximus , erat olim ceremonia & appendicula Baptismi.

Pontificial. 106. a.

Iam vero Cyrillus Hierosolymitanus, qui scripsit librum κατηχήσεων , in quo proprie de Sacramentis tractandum illi fuit , & vbi omnia Sacramenta commemorare debuit, non plura memorat quam duo, Baptismum scilicet & Cœnam Domini.

Cyrill. Hierosol. in lib. κατηχ.

Bellarminus ait, eum meminisse chrismatis. *Respondeo* : Sed non dicit chrisma esse nouum Sacramentum , aut par Baptismo. Solebant quidem olim vngere eos, qui baptizati sunt, sed hæc vnctio quoddam quasi additamentum fuit ad Baptismum : alioqui non satis recte & Orthodoxe à Cyrillo ibidem diceretur , nos ab hoc Chrismate dici Christianos; quasi infantes , qui ante Confirmationem moriuntur , non essent Christiani : nam ait , ante Chrisma neminem posse vere dici Christianum.

Cateches. 3.

Nam olim statim , vt baptizatus quis est , eum oleo vngebant , non quasi nouo Sacramento , sed vt gratiam Baptismi adumbrarent : iam vero Pontificii vt nouum Sacramentum adhibent , & quidem post annos multos à Baptismo.

Et fatetur Cyrillus hoc Chrisma à Mose sumptum esse; at Sacramenta omnia à Christo instituta sunt. Ambrosius scripsit librum de iis, qui initiantur mysteriis , in quo libro quis non videt consentaneum fuisse , vt omnia Sacramenta recitaret , & tamen ille ibi duo tantum commemorat.

Ambros. in lib de iis qui init. mysteri.

Bellarminus ait , eum meminisse Chrismatis. *Respondeo* : Quid tum ? num ergo Sacramentum fuit ? tum candida vestimenta essent Sacramenta ; nam & horum ibidem meminit Ambrosius.

In eod. lib. c. 7.

Præterea idem Ambrosius sex libros scripsit de Sacramentis: mirum est in his libris non meminisse septem Sacramentorum : at ille ne in his quidem vspiam nisi duorum meminit.

Idem in lib. de Sacram.

Bellarminus ait , eum Chrismatis meminisse. *Respondeo :* at tum Chrisma in parte Baptismi fuit, & ritus quidem Baptismalis.

Idem in l. 3. de Sacr. c. 2.

Sed

Sed cur isti Patres, cum ex professo de mysteriis & Sacramentis scribunt, non nisi horum meminerunt? cur non septem Sacramenta diserte posuerunt? si Chrisma pro Sacramento habuerunt, tamen non nisi trium meminerunt. Attendite scitam Bellarmini rationem: quia, inquit, ad Catechumenos ex professo scribunt. *Respondeo:* Quasi Catechumenorum non interfit, scire alia Sacramenta, si modo alia essent? si Patres hi plura esse Sacramenta existimassent, eorum mentionem aliquam fecissent. Certe hodie omnes, qui scribunt Catechismos, Sacramenta omnia numerant, & illorum vsum demonstrant. Clemens Romanus in libris Recognitionum, quos libros Ruffinus transtulit, duo Ecclesiæ Sacramenta ponit, Baptismum & Eucharistiam.

Clem. Rom l.1. Recognit.

Dionysius Areopagita Ecclesiasticam hierarchiam scripsit, in quo libro ratio postulabat, vt omnium Sacramentorum explicatio fierer, quia pastores Ecclesiastici debent omnia administrare. Quare ergo de Pœnitentia, de Matrimonio, de Extrema Vnctione nihil scripsit? facit ille quidem mentionem vnctionis, sed illa fuit mortuorum: at talem vnctionem Papistæ non esse Sacramentum agnoscunt.

Dionys. Areopag. de Eccles. hierarch. c.2.

De Chrismate (fateor) habet nonnulla, sed nihil, vnde Sacramentum esse confter: nam ait, oleo perfusos esse homines, antequam baptizati sunt: at Pontificii vngunt post Baptismum: & ait, oleum infusum fuisse in aquam Baptismi; quod Pontificii non faciunt: & ait præterea Dionysius, post Baptismum etiam Chrismate vnctos fuisse, quemadmodum & Clemens Alexandrinus; vnde constat, fuisse hanc ceremoniam quandam circa Baptismum, non Sacramentum.

Clemens Alexand. ἐν ὑποτυπ. l.3. c.16.

Sed Bellarminus causam assignat, cur non omnium Sacramentorum meminit Dionysius, nimirum quia scribit de solennibus actionibus Hierarchæ, id est, Episcopi: ergo de Baptismo, & Eucharistia tractat, inquit, item de Consecratione olei, & Ordinatione Clericorum: cætera tria omisit. *Respondeo:* At Baptismus potest administrari à Presbytero, imo tempore necessitatis, vt illi volunt, à quouis laico, etiam à fœmina: de Baptismo autem agit Dionysius: deinde de ritibus in sepultura mortuorum agit, qui non à solis Episcopis vsurpari solent.

Non hunc Dionysium adduco, quasi eum vere Areopagitam fuisse existimem, de quo satis multa suo loco diximus. Et hic in capite vltimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ se prodit: nam ait se à magistris accepisse, infantes esse baptizandos; qui id ex antiqua traditione didicerunt: num sic ille scriberet, si cum Apostolis vixisset, & si Pauli discipulus ac auditor fuisset? Sed qualiscunque fuerit,

Vide VVhitak. disput. de Script. q. 6. c.11.

Dionys. Eccles. Hierarch. c.vlt.

rit, aut quandocunque vixerit, constat illum nesciuisse hanc Sacramentorum ἐπωιδὰν, id est, hunc septenarium Sacramentorum numerum. Gregorius Magnus à Gratiano citatur. Ille tria Sacramenta numerat; Sunt Sacramenta, inquit, Baptisma, Chrisma, Corpus & sanguis Domini. Quomodo Chrisma Sacramentum dicatur, satis diximus. Quare non plura numerat Gregorius? in promptu causa est, quia non putauit esse plura.

Gratian. 1.q 1.c. Multi secularium.

Sed Bellarminus negat hoc esse Gregorii testimonium; verba enim illius Canonis in Gregorii operibus non inueniri. *Respondeo:* Mea nihil refert: citavit Gratianus tanquam Gregorii testimonium, & habentur hæc verba apud Isidorum: ergo antiqui authoris sunt, si non Gregorii. Et quanquam non ait, esse tantum hæc tria Sacramenta, tamen perinde est, ac si hoc diceret: nam refellit eos, qui putant à malorum Ministrorum Sacramentis abstinendum, & tum Sacramenta numerat, & his definitionem Sacramenti conuenire docet: debebat ergo alia quoque addere, si alia nosset.

Isidor. l 6. Etym. c. 19.

Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus scripsit multa volumina, & diligenter de Sacramentis scribit, & tamen nusquam numerat septem Sacramenta. Bellarminus ait, eum tractasse de omnibus Sacramentis præter Matrimonium. *Respondeo:* At ille nusquam ait esse septem Sacramenta, imo non nisi tria esse in multis locis affirmat, & alicubi non nisi duo. Ait enim, *Vt Moses virga percutiens petram, produxit fontem viuentis aquæ; sic Christus mortem crucis degustans sanguinem & aquam produxit de latere suo: quibus duobus Sacramentis sancta induitur Ecclesia.*

Raban. Maur. in lib. de Sacram. Eucharist. c. 9. & c.24.

Hinc constat, per Chrisma apud illum non Sacramentum separatum, sed partem Baptismi intelligi: nam Chrisma non fluxit è latere Christi. Nec mirum est, quod Sacramentum dicat esse Chrisma, quod non nisi ceremonia Baptismi fuit, cum alicubi duo faciat Sacramenta in Eucharistia, vnum corporis, alterum sanguinis Domini: quod etiam Cassander obseruauit. Paschasius circa eadem tempora vixit: is librum scripsit de corpore & sanguine Domini.

Idem in lib. 3. de sermone proprio c.1.

Idem l.1. de instit. Clericorum.

Cassand. art. 13. Paschas. in lib. de corp. & sang. Domin. c.3.

Bellarminus ait, non esse mirum, si hoc in libro tractet non nisi de Eucharistia. *Respondeo:* At ille definitionem Sacramenti proponit, & tum quæ talia Sacramenta sunt docet, & vt Rabanus Maurus, Baptismum cum Chrismate & Eucharistiam nominat, non alia. Algerus scripsit libros tres de Eucharistia contra Berengarium: is ait, *Christum duplice Sacramento conformare vnum corpus Christi & Ecclesiæ:* ita hic non nisi duplex Sacramentum statuit, vt prius Augustinus gemina Sacramenta. Rupertus ait, *duo esse Sacramenta maxima,*

Alger. l.1. de Euchar. c.19.

Rupert. l. 3. de Sapient. c.1.

xima, Baptiſmum & Euchariſtiam: & alibi quot ſint præcipua noſtræ ſalutis Sacramenta docet, nempe duo, Baptiſmus & Euchariſtia. Ita quanquam iſti interdum nomen Sacramenti rebus aliis tribuunt, tamen non niſi duo Sacramenta præcipua ſtatuunt, quod perinde eſt ac ſi dicerent, proprie non niſi duo Sacramenta eſſe: alias enim ſi illa alia eſſent non minus Sacramenta, cur hæc præcipua & maxima Sacramenta vocant? Nunc peruenimus ad ſeculum Lombardi: ille primus auſus eſt dicere, ſeptem eſſe Sacramenta; & tamen etiam poſt Lombardum nonnulli dixerunt eſſe duo.

Idem de victoria verbi l. 12. c. 10.

Alexand. Halen. p. 4 q. 8. memb. 2. art. 1.

Alexander Halenſis ait, non niſi duo Sacramenta à Chriſto inſtituta eſſe: reliqua per Apoſtolos data eſſe: non enim quando aut ubi à Chriſto inſtituta ſunt, legi. At idem alibi ſic ſcribit, *Sacramentum Confirmationis, vt eſt Sacramentum, neque Dominus inſtituit, neque Apoſtoli: ſed poſtea inſtitutum eſt in Concilio Meldenſi.* Beſſarion Cardinalis hæc verba habet, *Duo Sacramenta nobis à Saluatore tradita fuerunt:* & poſtea, *Hæc duo ſola Sacramenta in Euangeliis manifeſte tradita legimus*: ergo alia non à Chriſto, nec manifeſte à quoquam tradita ſunt. At Papiſtæ, etſi nullum verbum de aliorum inſtitutione in Scripturis habent, tamen omnia eſſe à Chriſto inſtituta dicunt. Et quidem Scholaſtici ingenue fatentur, quædam ex his ſeptem non eſſe Sacramenta, vt Confirmationem & Matrimonium. Quare iam non poteſt eſſe cuiquam obſcurum, vtra ſententia verior ſit, noſtrane de duobus, an illorum de ſeptem Sacramentis.

Idem p. 4. q. 24. memb. 1.

Beſarion. in lib. de Euch Sacram.

De numero Sacramentorum ea iam diximus, quæ ſatisfacere poſſent Aduerſariis, niſi eſſent peruerſiſſimi & deploratiſſimi: vnus tamen adhuc ſcrupulus reſtat, quomodo Patres non niſi duo eſſe Sacramenta dicant, cum reliqua quinque in multis locis Sacramenta ab illis vocentur. Sic enim argumentum inſtitui poteſt: Patres Confirmationem, Pœnitentiam, & alia nonnulla vocare ſolent aliquando Sacramenta: ergo vere Sacramenta ſunt. *Reſpondeo primò:* I. non poſſe ex Patribus proferri teſtimonia pro omnibus illis quinque ſuppoſititiis Sacramentis: nullum enim ex Patribus pro extrema Vnctione teſtimonium afferre poſſunt. Bellarminus quidem affert aliquid, ſed ex Innocentio tantum primo, & Bernardo. Faciunt quidem Patres interdum mentionem huius ceremoniæ, ſed non aiunt eſſe Sacramentum.

Secundò, fateor Patres aliquando II. tribuere nomen Sacramenti aliis rebus ac ritibus, quam his duobus, tamen hoc cum diſtinctione quadam faciunt, vt palam appareat, hæc magis proprie eſſe Sacramenta, quam alia. Vocant enim hæc maxima, & præcipua, & gemina Sacramenta.

Tertiò

III. *Tertiò* dico Patres aliquando latius ſumere nomen Sacramenti pro quauis ceremonia, aut re ſymbolica, aut ſigno externo, aut actione, quæ aliud quiddam indicat aut adumbrat: & ſic fateor eſſe multa in Eccleſia Sacramenta. Hoc modo non nego Matrimonium dici poſſe Sacramentum, quia adumbrat arctum illud vinculum & coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Sed tamen affirmo, hos eoſdem, cum reſtrictius loquuntur, & Sacramenta ſumunt pro iis ſignis, quæ ex inſtitutione Chriſti annexam gratiæ promiſſionem habent, tum docere Eccleſia Sacramenta è Chriſti latere fluxiſſe, id eſt, non niſi duo Sacramenta eſſe.

IV. *Quartò* dico habere nos illuſtria teſtimonia de duobus Sacramentis, non autem de reliquis quinque. Qui enim dicunt Confirmationem eſſe Sacramentum, non dicunt Ordinationem Sacramentum eſſe; qui pro Ordinatione afferuntur, nihil tale pro pœnitentia dicunt; qui denique Pœnitentiæ Sacramenti nomen tribuunt, non tribuunt Matrimonio: extremam vero vnctionem nemo Patrum Sacramentum vocat. At noſtra duo omnes pro veris Sacramentis agnoſcunt: æquum igitur eſt, vt nos horum longe aliam rationem habeamus, quam cæterorum, & de illis honorificentius, quam de his ſentiamus.

V. *Quintò* non moramur, ſi quis cum Patribus vocet reliqua Sacramenta, modo non contendat, paria eſſe Baptiſmo & Euchariſtiæ: quod Patres nunquam fecerunt; imo ne Scholaſtici quidem ipſi omnia eſſe æque proprie Sacramenta affirmant, quemádmodum & res clamat, & Caſſander teſtatur, & nos poſtea docebimus. Non enim de nominibus, ſed de rebus contendimus: atque hoc eſt, quod Lutherus & Melanchthon dicunt, ſe non admodum de numero Sacramentorum litigare, modo res in Scripturis præceptæ retinerentur.

Caſſand. art. 13.

VI. *Sextò* igitur dico, non valere argumentum; Patres hæc vocant Sacramenta: ergo ſunt vere Sacramenta ſecundum propriam definitionem Sacramenti. *Reſpondeo* enim *primò*, Patres cum hoc dicunt de Sacramento loqui ſecundum illam latiorem nominis notionem, non ſecũdum exquiſitam definitionem rei. *Secundò*, ſi valeret hoc argumentum, ſequetur multo plura eſſe Sacramenta, quam duo: imo hoc modo nullus eſſet numerus Sacramentorum, quia Patres hoc nomẽ multis aliis rebus tribuunt, quod vt reuera ita eſſe appareat, nos quædam teſtimonia proferemus. Auguſtinus ait, panem illum, qui Catechumenis ante Baptiſmum dabatur, quem communionis vicarium vocare ſoliti ſunt, fuiſſe ſanctiorem aliis cibis, quia fuit Sacramentum: & tamen ſumebatur ante Baptiſmum, ac proinde non potuit eſſe Sacramentum, quia nullum eſt Sacramentum ante Baptiſmum. Ille mos nunc deſiit, at fuit

Auguſt. de peccat. merit. & remiſſ. l. 2. c. 26.

at fuit in vetere Ecclesia. Non ergo mirum est, si Augustinus Confirmationem vocet Sacramentum.

Idem de Symbol. ad Catechum. l. 4. c. 1.

Idem omnes illos ritus, qui adhiberi & vsurpari solebant olim circa Catechumenos, vocat Sacramenta. Similiter signum crucis Sacramentum vocat; *In hac*, inquit, *crucis figura continetur Sacramentum*: & sic alibi crucem inter Sacramenta numerat. Imo plura Augustini testimonia afferri possent pro cruce, quam pro vllo fere ex illis quinque, quæ Aduersarii pro Sacramentis habent: num ergo crucem inter Sacramenta Ecclesiæ numerabimus? Sic Leo, *Crux Christi*, inquit, *& Sacramentum est, & exemplum.* Tertullianus hæc verba habet, *Quid manifestius huius ligni Sacramento*? loquitur vero de ligno, quo Elizæus ferrum in aquis mersum eruerat. Sic idem vocat totam religionem Christianam Sacramentum, vt Paulus Apostolus, *Magnum pietatis Sacramentum*: sic enim habet vulgata editio.

Idem ser. 19. de Sanctis.

Idem in Psal. 141.

Leo in ser. 2. de resurrect. Domini.

Tertull. cont. Iudaos c. penult.

Idem l. 4. cont. Marcion. 1. Tim. 3. 16.

Cyprian. Epist. 75 Hilar. in Matt. can. 11.

Cyprianus habet vnitatis Sacramentum: & Arcam Nohæ ait fuisse Ecclesiæ Sacramentum. Hilarius Sacramentum crucis memorat, & Sacramentum esuritionis ac satietatis. Leo virginitatem vocat Sacramentum: ergo non modo Matrimonium, sed & Cælibatus Sacramentum est. Alexander primus, Episcopus Romanus, aquam benedictam vocat Sacramentum. Quod autem Bellarminus ait, hæc non esse Sacramenta, quia hæc esse possunt ante Baptismum, & quia Christus ista non instituit, & quia nullum horum habet promissionem gratiæ: *Respondeo*: Quasi vero nos putaremus, hæc esse Sacramenta, ac non potius argumenti quo Pontificii vtuntur, futilitatem ostenderemus. Nos non esse hæc Sacramenta dicimus, sed illos refellimus, qui ex testimonio Patrum Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinationem, Matrimonium, & Extremam Vnctionem, Sacramenta esse probant, quia apud Patres Sacramenta vocantur: tum enim & hæc omnia, quæ diximus, Sacramenta essent, quia & hæc à Patribus Sacramenta vocantur. Nam quod Christus hæc non instituit, verum est: at sic nos de quinque illis suppositiis Sacramentis dicimus, non fuisse à Christo instituta, & sic etiam Scholastici aliqui affirmant. Quod vero nullam gratiæ gratum facientis promissionem his annexam esse ait: sic nos de quinque illis dicimus: nulla enim talis promissio aut Matrimonio aut Ordinationi annexa est.

Alexand. Epist. 1.

Vide Bellarmin. antea l. 1. c. 14. de Sacram. in genere.

Atque hic obiter, quam pulchre secum conueniat Bellarminus, obseruandum, qui antea negat Sacramenta esse testimonia promissionum, & in definitione Sacramenti nullam fieri debere mentionem promissionis gratiæ contendit. Iam vero quid de pedum lotione statuet, quam à Christo aperto aperte institutam esse legimus, & quam Patres diserte vocant Sacramentum? Ambrosius vocat Sacramentum & mysterium; & ait Romanam Ecclesiam non habere hanc consuetudinem, & putat eam propterea declinauisse propter multitudinem, id est, secutam esse communem errorem. Vnde constat, Ambrosium sensisse, Romanam Ecclesiam posse declinare.

Ioh. 13. 14.

Ambros. de Sacra l. 3. c. 1.

Cyprian. in serm. de ablutione pedum.

Ita Cyprianus hoc Sacramentum à Christo institutum commendat. Bellarminus ait, Cyprianum, si attente legatur, id solum dicere, illam vnicam lotionem pedum Apostolorum, à Christo factam, fuisse Sacramentum. Ego attente Cyprianum legi, & Bellarminum mendacem deprehendi: nam ait Cyprianus, aut quisquis illius sermonis author fuit (Cypriani enim non esse putatur à doctis) lotionem illam *esse omni tempore prosequendam & repetendam, vt adhærentes animæ sordes quotidianæ satisfactione luantur*: & putat ille, vt Baptisma grauiora crimina eluuntur, ita minora peccata (quæ ille *excessus quotidianos* vocat) hac lotione elui.

Bernard. in serm in Cœna Domini de Baptism. & ablut. pedum.

Hoc ipsum etiam de Bernardo respondet Bellarminus, qui hanc etiam lotionem pedum Sacramentum vocat, & quidem Sacramentum remissionis quotidianorum peccatorum: ergo non loquitur tantum de illa vnica ablutione per Christum facta. Ita iam satis erit Sacramentorum, si modo omnia sint Sacramenta, quæ à Patribus Sacramenta vocantur. Quin & Scriptura etiam ipsa plura adhuc Sacramenta nobis suppeditat, vt Sacramentum voluntatis diuinæ, Sacramentum pietatis, Sacramentum septem stellarum, Sacramentum mulieris & bestiæ: atque ibi etiam Euangelium vocatur Sacramentum gloriosum: nam in his omnibus locis Latina vulgatis editio Sacramenti nomen habet. Imo ipsi etiam Pontificii cogentur vel inuiti fateri esse plura quam duodecim Sacramenta. Nam Ordinatio, quam illi vnum Sacramentum faciunt ex suis septem, adeo fœcunda & fertilis est, vt alia septem Sacramenta pariat & producat. Habet enim Ordinatio septem gradus, & quiuis gradus per se Sacramentum est, vt illi volunt: & hi separati ac distincti gradus sunt: ergo totidem separata & distincta Sacramenta sunt. Nam qui est Diaconus, habet Sacramentum Ordinationis, sed non ideo est Presbyter; & qui Presbyter est, habet etiam Sacramentum Ordinationis, at non ideo est Episcopus: atque idem de reliquis gradibus dici potest. Nescio iam quam multa Sacramenta habemus: opinor certe circiter triginta. Ita si Pontificiorum argumentum teneat, de quo diximus, satis magnus Sacramentorum numerus erit.

Ephes. 1. 9. 1. Tim. 3. 16. Apoc. 1. 20. & 17. 7. Coloss. 1. 27.

CAPVT IV.

In quo agitur de ordine & comparatione Sacramentorum.

IN fine autem huius Quæstionis pauca Bellarminus de ordine & comparatione horum septem Sacramentorum inter se subiungit, quod cui præstet: quæ certe est inutilis & ociosa, ne dicam, odiosa contentio. Nam etsi Pontificii non possunt aliter facere, quin de horum dignitate disputent, & aliud alio præstantius esse dicant, quia non potest esse par horum omnium ratio; non enim audent dicere, Matrimonium esse per omnia par reliquis: nos tamen qui duo tantum Sacramenta statuimus; dicimus eandem esse vim & virtutem vtriusque, eundemque effectum; quia in vtroque obsignatur promissio Christi. Si ergo de veris Sacramentis loqui velimus, verum est, quod Lutherus ait, *vnum Sacramentum altero dignus esse non posse.* Nam instituta Sacramenta sunt, vt promissiones Dei nobis obsignent, & vt sigilla sint iustitiæ fidei: habent ergo æqualem hac in re vim in suo recto vsu. Tam enim nobis datur Christus in Baptismo, quam in Eucharistia, & tam in Eucharistia, quam in Baptismo, idem effectus vtriusque est, vt certo persuasi simus Christum esse nostrum.

Luther. in libro de Ministris instituen. ad Pragenses.

Quod autem ait Bellarminus, Caluinistas non ponere Christi corpus in Eucharistia nisi tropice, ac proinde non esse vllam rationem, cur illi Eucharistiam Baptismo anteponant; mera calumnia est, si per tropice intelligat, non vere, vt in Eucharistiæ nihil nisi tropus sit. Nos enim tantum dicimus, panem & vinum, quæ sunt huius Sacramenti altera pars, non nisi Sacramentum corporis & sanguinis Christi esse, non ipsum corpus & sanguinem; non tamen ideo in Eucharistia nil nisi tropum statuimus: nam partem alteram esse verum corpus & sanguinem Christi dicimus, cuius fideles omnes in hoc Sacramento participes fiunt. Panis & vinum symbola tantum sunt, sed est altera pars spiritualis, cuius omnes qui credunt sunt participes.

Sed hinc patet, illos Christum in Baptismo non nisi tropice ponere, quia ait Bellarminus, si Christus tropice in Eucharistia ponatur, tum nullam esse rationem, cur ea Baptismo anteponatur, id est, tum Eucharistiæ esse parem Baptismum: sed Christus est vere in Baptismo, quia in legitimo Baptismi vsu Christum induimus; quod fieri non posset, nisi ibi vere esset.

Con-

Concil. Trident. Sess. 7. can.

Concilium Tridentinum adeo non omnia esse paria existimauit, vt anathema iis denunciet, qui sic sentiunt: iam vero Bellarmino necesse fuit hoc anathema tueri; quare ille huius Concilii authoritate commotus inæqualia esse contendit. Sed illi Patres frustra contra immerentes & temere suos anathematismos fulminant. Totam hanc disputationem quinque obseruationibus complexus est, de quibus breuiter dicemus.

Prima obseruatio est, Caluinum & Kemnitium statum quæstionis dissimulare, & rem totam vertisse ad iocum & calumnias. Quare, quæso? dicunt enim, inquit, se maxime hunc canonem seruare, quia Baptismum & Eucharistiam longe cæteris anteponunt. Sed vbi hic calumnia est? quia Concilium, inquit Bellarminus, non vim facit (noua hæc phrasis est) in numero septenario, sed in ratione Sacramenti. Quis ergo Concilii sensus est? hic, inquit, *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis, quæ in primo Canone septem esse diximus, paria esse, ita vt non sit vnum alio dignius, anathema sit.* At adhuc Caluinus & Kemnitius Concilii verum sensum assecuti videntur.

Sed vult Bellarminus, Concilium non aliud voluisse, nisi anathema iis denunciare, qui inter Baptismum & Eucharistiam discrimen dignitatis non ponunt, id est, qui Eucharistiam Baptismo digniorem non statuunt; quia hic Lutheranorum error est. *Respondeo primo*: At certe Canon est, Si quis hæc septem Sacramenta esse inter se paria dixerit: non instituit ergo Concilium comparationem inter duo tantum Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam, sed inter omnia.

Secundò, Bellarminus postea singulis Sacramentis quandam dignitatem tribuit, id est, de singulis Sacramentis docet, alia aliis aliquo modo præstare, vt non institui comparationem inter hæc duo tantum intelligamus.

Tertiò, si illud tantum dicere voluit Concilium, cur non aperte anathema iis denunciat, qui Baptismum Eucharistiæ exæquant? Nos igitur hoc anathema vere effugimus. Sed hoc non ita magni momenti est.

Secunda obseruatio est, Kemnitium posuisse nouas quasdam causas huius decreti de inæqualitate Sacramentorum, nimirum quod Concilium renouare voluerit antiquam contumeliam, quod Chrisma scilicet præstet Baptismo. Bellarminus ait, hanc meram esse calumniam. Sed esse hoc verum, ipse mox Bellarminus docet, qui Confirmationem Baptismo multis nominibus anteponit. Sed ait præterea Kemnitius,

Con-

Concilium voluiſſe, Ordinis Sacramentum antecellere cæteris, quia opima ſacerdotia & pingues præbendas affert, & eſſe melius coniugio, quia pati ſimul coniugium vt ſe indignum non poteſt. Sed hæc omnia veriſſima eſſe, vt nos poſtea, ſi Deus dederit, ſuis locis docebimus: quam illi autem iniuſte miniſterium Euangelii non poſſe cum Matrimonio conuenire dicunt, prius docuimus. Et ſi qui in Matrimonio vivit non poteſt ſacerdos fieri, quis non videt Matrimonii & Ordinationis imparem dignitatem eſſe.

Tertia obſeruatio eſt, Sacramenta ſeptem licet ſint eiuſdem generis tamen differre ſpecie, & ſecundum varias rationes nullum eſſe, quod alicui alteri non præſtet. *Reſpondeo*: Hoc ſi verum ſit, tum falſum eſt, quod antea dixit Bellarminus, comparationem à Patribus Concilii Tridentini inſtitutam eſſe inter duo tantum Sacramenta, quia error Lutheranorum eſt de paritate Baptiſmi & Euchariſtiæ, cum nullum Sacramentum ſit, quod non aliquo modo alteri alicui impar ſit; quod mirum eſt Bellarminum noſſe, Patres vero Concilii Tridentini non intellexiſſe: ergo hæc comparatio etiam ad omnia Sacramenta extendi & referri debet.

Sed iam de ſingulis videamus. Baptiſmus, inquit, excellit omnibus, quoad effectum remittendi peccata. *Reſpondeo*: Hoc magnum priuilegium eſt, & præſtantia eximia: hoc enim ſi verum ſit, tum certe videtur hoc Sacramentum omnibus ſimpliciter præſtantius, aut ſaltem vtilius eſſe: quid enim nobis optabilius eſt remiſſione peccatorum? & cum remiſſio peccatorum ſecum ſemper gratiam afferat, nec poſſit ſine gratia eſſe, ſi Baptiſmus in remiſſione peccatorum & gratiæ collatione reliquis omnibus Sacramentis præſtet, digniſſimum certe hoc Sacramentum eſt, imò vim habet ſimpliciter excellentiorem vi reliquorum.

Sed quomodo & quare eſt Baptiſmus præſtantior reliquis quoad remiſſionem peccatorum? quia remittit, inquit, peccatum originale, quod nullo alio Sacramento remittitur. *Reſpondeo:* Nunc loquitur Bellarminus ſermone Ashdico: intelligit enim ex opere operato remittere peccatum; quod falſum eſt. Remitti fateor originale peccatum in Baptiſmo, ſed non, vt volunt Aduerſarii, prorſus tolli, ſic vt non remaneat omnino: tum enim certe nunquam poſtea per totam vitam peccaremus: peccati enim radice euulſa, & fonte exhauſto, omnes illius ſurculos marceſcere, & riuulos areſcere neceſſe eſt: hæret ergo in anima, nec adhuc eradicatur: qua de re nos alibi diximus; non enim ſic penitus remiſſum eſt in Baptiſmo, vt non opus ſit poſtea eius remiſſionem petere per omnem vitam.

Nehem. 24.

Vide VVhitak. cont. Duraum l. 3. de paradi. ſed præcipui eius tractat

Ne-

orig. cat. t. Sta- let. poſt rt. edit. per tot.

Neque aliter remittitur peccatum originale in Baptiſmo, quam in Euchariſtia: in vtroque enim Sacramento obſignatur nobis remiſſio omnium peccatorum. In Euchariſtia ergo remittitur etiam originale peccatum, id eſt, remiſſum eſſe nobis, Euchariſtia teſtatur, quia in Euchariſtia Chriſtum cum omnibus mortis ſuæ meritis accipimus: Chriſtus autem pro originali peccato non minus mortuus eſt, quam pro actualibus. Sed quanquam tum in Baptiſmo tum in Euchariſtia peccatum originale remiſſum eſſe credimus, non eſt tamen, vt illi volunt, penitus auulſum & abraſum. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ non remittit originale peccatum: at certe per veram pœnitentiam remittitur. Sed num aliud aliquid de Baptiſmo affirmat Bellarminus? imo ait, Baptiſmum remittere etiam omnia actualia peccata, & omnem pœnam iis debitam; quod non faciunt Sacramenta cætera. *Reſpondeo*: Quis negabit hoc magnum priuilegium eſſe? imo ſic remittere dicunt, vt ſi quis ſtatim poſt Baptiſmum moriatur, nullam eſſe illi moram affirment in Purgatorio, ſed eum ſtatim in cœlum euolare: quod multos fecit ad extremum vitæ diem differre.

Sed nonne Euchariſtia, nonne etiam Pœnitentia (vt illi volunt) omnia actualia peccata remittit? etiam, inquiunt, ſed non pœnam: at nos antea ſatis docuimus, cum

VVhitak. in Prælect. cont. Purgator.

cum peccatum remittitur, remitti etiam pœnam. Sed annon Euchariſtia remittit tam pœnam quam culpam? alioqui quomodo dicitur Miſſa ſacrificium propitiatorium pro mortuis? nonne vt à pœnis ſoluantur, non autem à peccatis? at ſi Miſſa liberare poteſt mortuos à pœnis, quidni & vivos? annon æque prodeſt viuis ac mortuis? Sed dicunt vt ſacrificium hoc facere, non vt Sacramentum: at hoc ineptum eſt; non eſt enim vno modo ſacrificium, & alio Sacramentum, vt nos poſtea ſuo loco oſtendemus.

Iam igitur ſi hæc vera ſint, tum Baptiſmus ſimpliciter melior Euchariſtia erit, quia poteſt per ſe hominem ſeruare, & culpam tollendo & pœnam, & originale peccatum & actualia omnia remittendo, quod non facere poteſt Euchariſtia, ſaltem vt illi volunt: non igitur Euchariſtia eſt melior ſimpliciter Baptiſmo. Sed de Confirmatione quid tandem ſtatuit? ait eam excellere omnibus, etiam ipſi Baptiſmo quoad bene operandum. Quid? num aptiores nos facit ad bene agendum, quam Baptiſmus? quam hoc abſurdum? imo ait, eam eſſe quandam perfectionem & confirmationem Baptiſmi. *Reſpondeo*: Non ergo ſine ea perfectus Baptiſmus eſt: quod ſi verum ſit, tum effectus Baptiſmi non eſt in ſe integer, & tum quia baptizati ſine Confirmatione moriuntur, non

habent plenam & perfectam vim Baptismi, hoc est, non habent perfectam remissionem peccatorum, ac proinde non salutem. Quid dici blasphemius in Christi Baptismum potuit, quam illi tantam contumeliam affingere, euertuare scilicet illum, ad commentitium Sacramentum efferendum? at vbi Christus aut Apostoli hoc docuerunt? imo subiungit, Confirmationem præsupponere totum effectum Baptismi, & superaddere gratiam copiosiorem: sic isti blasphemias euomunt.

Sed *respondeo*: illum aperte secum pugnare: nam dixit antea, Baptismum excellere omnibus quoad remissionem peccatorum & pœnarum, id est, quoad gratiæ collationem, vt diximus: & quomodo tum potest esse gratia copiosior in Confirmatione, cum non possit Confirmatio pœnam cum culpa remittere, quia hoc Baptismus solus facit, vt ipse antea dixit. Quod vero ait Confirmationem præsupponere totum effectum Baptismi, duplicem sensum admittere potest: *primus* est, quod faciat & producat eundem effectum, quem Baptismus: at hoc ex ipsius Bellarmini sententia falsum est; non enim remittit originale peccatum: *secundus* est, quod superaddat aliquid gratiæ ad gratiam in Baptismo: at non ideo erit Baptismo excellentior; non enim quæuis additio facit, vt id quod addit aliquid maius sit eo, ad quod talis additio accedit, id est, non potest quæuis leuissima additio maiorem illius dignitatem arguere. Et ad Confirmationem impudenter accommodat, quod Christus Apostolis post resurrectionem dixit, *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*; & quod cum timidissimi essent Apostoli ante passionem Christi, postea accepto Spiritu sancto, id est, Confirmationis effectu in die Pentecostes, facti essent robustissimi. Sed *respondeo*: num Apostoli tum Sacramentum Confirmationis acceperunt? non potest fieri: nullum enim hic materiale oleum fuit; & illi antea debebant confirmari, quia Pontificii dicunt, qui adulti baptizantur, eos statim confirmari debere: at Apostoli in adulta ætate & quidem multo antea baptizati sunt. Et hic quidem Spiritus, qui in Apostolos est delapsus, extraordinarius fuit, quem non omnia simul Sacramenta possunt conferre. Sed Pontificios honorificentius de Confirmatione sentire; quam de Baptismo, vel hinc patet, quod eam non nisi ab Episcopo conferri volunt, cum cuiuis Presbytero liceat Baptismum administrare. Sic illi sua inuenta institutis diuinis præferunt. Eucharistiam ait omnibus Sacramentis præstare, quoad ipsam substantiam Sacramenti, quia ipsum Christum cõtinet. Sed *respondeo*: cœlum, non Eucharistiam, Christum continere, quoad præsentiã corporalem. Verum hic secum rursus pugnat egregie. Dixit enim antea Sacramenta noua gratiam conferre, non quod in illis gratia insit, sed quia Deus illis vim quandam agendi communicat per motum: quod si verum sit, tum ipse author gratiæ non est in Sacramento vllo: tum enim agens principalis esset in instrumento; quo nihil absurdius, quasi faber esset in serra. At nunc Christum ait esse in Eucharistia: ergo Eucharistia non confert gratiam vt instrumentum, & sic per consequens non erit Sacramentum. Si dixerint esse Eucharistiæ peculiarem rationem, hoc tantum dicitur ad placitum. Bellarminus enim antea dixit simpliciter de omnibus Sacramentis, gratiam non esse in iis, sed omnem illorum gratiam esse vsum & motum Dei.

Luc. 24. 49.

Act. 2. 4.

Act. 3. 21.

Vide Bellarmin. antea l. 2 de Sacra. in gen. c. 11. §. Tertio igitur.

Sed de reali præsentia postea erit dicendum. Pœnitentiam ait excellere cæteris, quoad necessitatem, excepto Baptismo, cum quo est illi hæc excellentia communis: hoc est, Baptismus tam necessarius est, quam Pœnitentia. Sed quid hoc (quæso) est excellere necessitate? num aliqua necessitatis excellentia est? Extremam vnctionem ait excellere aliquo modo Pœnitentiæ, quoad effectum gratiæ, sicut Confirmatio excellit Baptismo, quia tollit reliquias peccatorum.

Sed *respondeo*: Quæ, aut quales (quæso) sunt hæ reliquiæ? certe non potest hoc facile explicari. Sunt enim hæ reliquiæ aut peccata mortalia, aut venalia: non mortalia, quia hæc tolli dicunt in Pœnitentia: non venialia, quia si mortalia peccata per Pœnitentiam tolluntur, tum multo magis venialia; & ipsi dicunt Sacramenta noui Testamenti non instituta esse contra venalia peccata, sed ea deleri aqua benedicta, aut tunsione pectoris, aut aliis huiusmodi cæremoniis. Ordinationem ait excellere omnibus, excepta Confirmatione, ratione Ministri, quia ab Episcopo solo conferri potest. *Respondeo*: Ergo in hoc Confirmatio illi par est: Imo, inquit, etiam videtur excellere hac in re Confirmationi, quia Confirmatio aliquando ex dispensatione confertur à simplici Sacerdote. *Respondeo*: An non similiter Papa, si velit, potest dispensare de Ordinatione, vt Sacerdos aliquando ordinandi potestatem habeat? Sed præterea ait Ordinationem cæteris præstare, quoad aliquid sibi proprium, quia constituit homines in gradu sublimiore, quam sint cæteri Christiani. *Respondeo*: Nimirum hoc non aliud est, nisi quod Kemnitius ait, quia homines pinguium præbendarum capaces facit, vtcunque hoc Bellarminus neget. Matrimonium ait excellere reliquis significatione, quia Christi cum Ecclesia vnionem significat. Sed *Respondeo*: Etsi tale

aliquid significat, tamen non ideo Sacramentum est, quia hoc ipsum per aliud verum Sacramentum significatur, nempe per Eucharistiam. Nonne enim Eucharistia arctissimam nostram cum Christo vnionem & coniunctionem significat? imo vero, tam arcte Christum nobiscum vniri & cõiungi significat, quam cibus cum corpore, quod alit, vnitur: alimentienim & aliti arctissima vnio est, certe arctior, quam quæ est inter sponsum & sponsam. Et de *tertia* obseruatione hactenus.

Quarta obseruatio est, Eucharistiam simpliciter excellere omnibus, quia eius excellentia est in ipsa Sacramenti substantia. *Respondeo*: Imo potius quoad Sacramenti substantiam omnia alia excellunt & præstant illi, si verum sit, quod ipsi volunt: nam in Eucharistia nulla remanet Sacramenti substantia secundum illos. Panis enim & vinum, vt illi volunt, euanescunt, & sic tota Sacramenti substantia in accidentibus consistit: horum vero esse est inesse: at hæc accidentia nulli subiecto inesse possunt.

Dicunt illi post consecrationem non esse ibi aliquam substantiam, nisi corpus & sanguinem Christi, imo ipsum Christum corporaliter: at Christus non est substantia aut materia cuiusquam Sacramenti, sed est interna illa gratia, cuius etiam in Baptismo participes sumus. Substantiam ergo huius Sacramenti ipsa accidentia esse necesse est, quæ illi dicunt externum esse elementum. Sed vult Bellarminus, Eucharistiam excellere in eo, quod in hac sit substantia corporis Christi: & certe fatendum est excellere, si hoc ita esset. Sed hoc Papisticum commentum est, vt nos postea docebimus: non enim magis ibi Christus est, quam in aqua Baptismi. Christus quoad corpus in cœlis est, vt docet Scriptura, & Augustinus, & omnis antiquitas: non ergo in Eucharistia. Et hoc manifestum est, quia Christi corpus habet eadem membra, quæ nostra corpora habent, & habet magnitudinem, & latitudinem, & dimensiones omnes: at illi prodigiosum corpus Christo tribuunt sine quantitate, aut distinctione partium, vt ibi oculus sit, vbi pes est; quod est destruere humanitatem Christi: ergo hoc plane hæreticum est.

Quinta obseruatio est, Tridentinum Concilium in Sacramentis numerandis non seruasse ordinem dignitatis, sed primo proposuisse quinque illa, quæ omnibus sunt communia, nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Vnctionem extremam, deinde duo, quæ non omnibus conueniunt, cuiusmodi sunt Ordinatio, & Matrimonium. Sed *Respondeo:* vel hinc constare, hæc duo non esse Sacramenta, quia omnia Christianæ religionis Sacramenta debent esse omnibus Christianis communia, cum promissiones annexas habeant, de redemptione & reconciliatione, quæ ad omnes pertinent: at hæc duo non modo non omnibus conueniunt, sed & nunquam possunt, simul in vno homine concurrere secundum illos. Qui enim sacros Ordines susceperunt, non possunt illi sumere Sacramentum Matrimonii: quod certe iniquum est, cum Bellarminus antea dixit, Matrimonium esse institutum contra concupiscentiam: & ipsi Sacerdotes eo morbo solent laborare.

Vide Bellarm. antea l. 2. c. 26. de Sacram. effect. §. Secunda ratio.

Cum ergo Matrimonium constet esse ordinarium remedium contra concupiscentiam, cur non illos eo vti sinunt, qui concupiscentiæ morbo ordinarie laborant? quia castitatem vouerunt, inquiunt: at quis iussit illos vouere? scelestum certe illud votum est, quo voues te nolle uti remedio, atque adeo eo remedio, quod Papistæ etiam ipsi ordinarium esse & à Deo institutum affirmant, & adeo sanctum, & adeo sanctum, vt etiam Sacramentum esse dicant, quod vim habeat sanctificandi: nam Sacramenta gratiam ex vi sua conferre statuunt: at illorum Sacerdotes, quasi metuant ne fiant sanctiores, ab hoc Matrimonii Sacramento abstinent.

Caput V.

Contra cæremonias Papisticas in Sacramentis.

Postremo de cæremoniis dicendum est, quæ solent in Sacramentis adhiberi. Erit vero hæc appendix huius Quæstionis, non noua Quæstio: noluimus enim peculiarem hac de re Quæstionem instituere, quia nos non admodum de cæremoniis contendimus, modo non in se aperte impiæ sint, cuiusmodi quidem nonnullæ Papisticæ cæremoniæ sunt. Tamen aliquid etiam de cæremoniis dicere statuimus, vt quid & de Papisticis, & omnino de cæremoniis quibuscunque sentiendum sit, intelligamus. Est autem cæremonia actus aliquis externus aut ritus religionis causa susceptus. Quod ad nomen attinet, Augustinus ait, meminisse se, quod legerit dici à carendo, quasi cæremoniam, quod cæremoniæ à multis rebus abstinere, & multis rebus carere nos cogant, vt olim Iudæi à cibis nonnullis abstinuerunt, & sic hodie Papistæ: hoc Augustinus legerat olim in Aulo Gellio. Etsi Liuius ait Albinum quendam Cere (quod est oppidum in Italia) virgines & sacra aduexisse, cum Roma à Gallis diriperetur, & hinc ceremoniæ nomen originem habuisse. Festus

Augustin. l. 2. c. 37. retract.

Gell. lib. 4. c. 9. Liu. l. 5.

vero à caritate deducit. Non videtur vero cæremonia à carendo dici propter ſyllabam, quæ & longa eſt, & per æ diphthongum ſcribitur.

Sed de nomine non contendimus: intelligimus vero ritus ſacros & religioſos; & ſic ipſa Sacramenta ſunt cæremoniæ, ſunt enim ritus religioſi, quibus in Deo colendo vtimus. Sed nos de cæremoniis loquimur, quæ circa Sacramenta adhibentur. Nam Sacramenta ſunt cæremoniæ diuinitus inſtitutæ; ſed hæ cæremoniæ, de quibus nos loquimur, ab hominibus tantum ſunt excogitatæ. Sunt vero huiuſmodi inter Papiſtas infinitæ. Quando apud illos Miſſa celebratur, quot & quæ cæremoniæ ab illis adhibentur, in veſtibus, in ſignis, in nutibus, in vultu, in digito? nulli hiſtriones tam multis geſticulationibus vtuntur, quam illorum Sacerdotes, cum Miſſam celebrant. Sic in Baptiſmo, & Confirmatione cæremoniis abundant.

Has cæremonias non Deus inſtituit, ſed homines. Bellarminus ait, non pauca eſſe, in quibus inter nos & illos conueniat: *Primò*, præter ipſa Sacramenta eſſe neceſſarias quaſdam cæremonias. *Reſpondeo:* Verum hoc quidem eſt. *Secundò*, eas cæremonias eſſe adhibendas, quæ habent in Scripturis mandatum, vel exemplum, vt preces, gratiarum actiones, pſalmodiam. *Tertiò*, de his cæremoniis, quæ in Scripturis habentur, poſſe Eccleſiam certum ordinem & modum ſtatuere ad vitandam confuſionem. *Reſpondeo:* Hæc quoque vera eſſe fatemur.

Sed addit Bellarminus, multa quidem à nobis reprehendi in illorum doctrina de Cæremoniis, ſed noſtra hæc eſſe mendacia, non illorum dogmata, veluti quod Papa poſſit immutare Chriſti inſtituta. *Reſpondeo*: At hoc non eſt mendacium. Nam Chriſtus inſtituit, vt Euchariſtia in pane & vino celebretur; quod Concilium Conſtantienſe agnoſcit, & tamen nihilominus idem Concilium aſſentiente ſi non iubente Papa contrarium ſanxit. Quid hoc aliud fuit, quam mutare Chriſti inſtitutum? Et quod humanas cæremonias præceptis diuinis præferant, ait hoc eſſe mendacium: ſed nihil eſt verius. Nam vel illa ieiunandi cæremonia magis ab illis vrgetur, quam vllum Dei præpræceptum: & quis non videt illos & acrius vrgere & grauius vindicare Papæ leges & decreta Eccleſiæ Romanæ, quam leges diuinas? Hoc Bellarminus negat, ſed praxis probat.

Præterea mendacium eſſe ait, quod vim Sacramentorum aliquibus cæremoniis tribuant, vt ſali, & oleo, & ſputo, & aliis huiuſmodi cæremoniis: quod tamen

men verum eſt. Nam & aquam benedictam valere aiunt ad veniales culpas delendas: ergo hæc cæremonia, vt illi volunt, tollit peccatum; nam peccatum veniale eſt peccatum, nullum vero peccatum ex ſua natura eſt veniale.

Tam leuiter hic de peccatis æſtimant, vt maxima Sacramentis ex opere operato, minima etiam cæremoniis à ſe inuentis deleri exiſtiment: vbi enim Chriſtus aquam benedictam inſtituit? Mendacium etiam eſſe ait, quod in his cæremoniis præcipuum Dei cultum conſtituant: at quis non ita eſſe videt? adeo enim in ſuis cæremoniis occupantur, vt verum Dei cultum ſuſtulerint, qui in ſpiritu & veritate conſiſtit. *Ioh. 4. 24.*

Nam in Templis illorum omnia ad ſenſus externos exhilarandos & delectandos fiunt; ſplendor & apparatus & magnificentia; ſymphonia exquiſita & muſica; etiam ſuffimenta: ſed vbi interim vera peccatorum Confeſſio, & conſolatio ex Scripturis, & exhortatio? res ipſa loquitur, iſta aut raro aut nunquam apud illos reperiri. Sed iam breuiter notanda capita ſunt, in quibus ait nos ab illis diſſentire. Ea vero ſex ſunt.

Primum eſt, an ſint aliquæ cæremoniæ, à Chriſto vel Apoſtolis inſtitutæ, quæ non habeantur in Scripturis, ſed ex ſola traditione cognoſcuntur.

Secundum, an cæremoniæ, quæ Sacramenta non ſunt, habeant vim aliquam ſpiritualem.

Tertium, an Eccleſia poſſit nouas cæremonias inſtituere.

Quartum, an pii teneantur in conſcientia huiuſmodi cæremonias ſeruare, etiam citra ſcandalum.

Quintum, an eiuſmodi ſint res meritoriæ, & pars cultus diuini.

Sextum, an Sacramenta celebranda & miniſtranda ſint lingua Latina. Ait Catholicos omnes affirmative ad hæc omnia reſpondere; nos vero negatiue ad omnia excepto tertio, de quo nos ait ne inter nos quidem ipſos conuenire.

Nam Lutherus, Melanchthon, & Illyricus, inquit, fatentur Eccleſiam poſſe cæremonias aliquas inſtituere ad eruditionem, ſplendorem, & ordinem Eccleſiæ: at Caluinum ait hoc negare. *Reſpondeo*: Non negat. Diſputat tantum contra conſtitutiones inutiles, in quibus ponitur religio, non ait nullas omnino cæremonias poſſe ad ordinem & decorum Eccleſiæ inſtitui: & ſic Brentius ait, non poſſe nouos ritus ad veritatem adumbrandam inſtitui, vt cereos, vexilla, cruces, ad ſignandam victoriam Chriſti. *Caluin. l. 4. inſtit. c. 10. §. 11.* *Brent. in Confeſſ. VVitemb.*

Nulla hæc diſſenſio eſt. Nos dicimus, poſſe Eccleſiam vtiles & neceſ-

necessarias cæremonias instituere; non licere autem superfluas excogitare, aut eiusmodi, quæ opinionem in se cultus habent, aut nimis multas: paucas enim sufficere. Sed iam de illis sex capitibus quæ affirmatiue tenentur à Pontificiis, paucis respondeamus. I. *Primum* est, Christum & Apostolos instituisse aliquas cæremonias, quas non ex Scripturis sed ex traditione habemus. *August. l.2.c.104. cont.lit. Petulian.* Hoc probat Bellarminus ex Augustino, qui ait Sacramentum Chrismatis esse sacrosanctum, sicut est Baptismi Sacramentum: at Sacramenta, inquit, solus Deus instituere potest: ergo Sacramentum Chrismatis Christus instituit, & tamen nusquam habemus in Scriptura mentionem Chrismatis. *Respondeo*: illam particulam (*sicut*) qua Augustinus vtitur, non æqualitatem sed similitudinem significare. Fateor Augustinum putasse Chrisma esse Sacramentum, sed non putauit sic Sacramentum esse, vt est Baptismus. Num hinc sequitur, aut Chrisma esse proprie Sacramentum, aut à Christo esse institutum, aut traditione sola receptum? *August. de peccat. merit.& remiss.l.2. c.26.* Augustinus panem, qui dabatur Catechumenis ante Baptismum, esse & Sacramentum & sanctum existimauit; non putauit tamen hoc esse Christi institutum. Sed obiicit præterea illud Apostoli, *1. Cor.11. vlt.* *Cætera cum venero disponam*, & ait, Apostolum nihil tamen postea de ritu Eucharistiæ scripsisse, nec tamen credibile esse, eum non præstitisse quod promiserat, aut leges eius postea interiisse. *Respondeo*: De hoc loco in prima Controuersia de Scripturis satis multa diximus. *Vide VVhitak. Prælect. de cultu imag.c. vlt.de cruce.*

Non negamus Apostolos quædam, quæ ad ordinem spectant, tradidisse, quæ non scripta sunt: sed illa erant libera & mutabilia, nec omnes Ecclesias astringebant. Bellarminus existimat, hanc vnam Apostoli legem intelligi, vt Eucharistiam ieiuni susciperemus; idque ex Augustino confirmat. *August. Epist.118.* *Respondeo*: Ego hanc consuetudinem non improbo, sed nego esse necessariam. Sed obiicit postea Bellarminus ex Basilio signum crucis, de quo nos antea satis diximus: item similiter quod Cyprianus ait, aquam cum vino miscendam in Eucharistia, & ex eo Augustinus: quod tamen non habetur expresse in Scripturis. *Respondeo*: At illi id ex eo collegerunt, quod è Christi latere aqua cum sanguine fluxit. Sed nec hoc quidem necessarium est, & non multum refert. Nos nec Christum nec Apostolos vllas cæremonias instituisse dicimus, vt necessarias, aut perpetuo obseruandas, extra scripturas. Quid opus est singula recensere, quæ tantum ad ordinem & decorum pertinebant? *Basil.de Sp.Sancto.c.27. Cyprian. l.2 Epist. 3. August. de doct. Christ.l.3. c.21.* *Vide VVhitakeri disputat. de Scriptur. q.6.c.10.*

II. *Secundum* caput est, aliquas cæremonias habere vim spiritualem, eamque certe mirificam, scilicet coercendi dæmonas. Hoc ille probat de signo crucis; ait enim omnes

omnes Patres passim affirmare, frontem esse armandam & muniendam aduersus omnes insidias dæmonum: & miram eius esse virtutem. *Respondeo*: Nos hac de re antea nonnulla diximus. Ego fateor signum crucis mirifice à Patribus commendatum esse, & ei magnam vim tributam esse. Non dixerim omnia esse falsa, quæ à Patribus de hoc signo dicuntur & narrantur, nec tamen omnia vera. Quis fieri posse neget, vt Deus hoc signo adhibito vim aliquam extraordinariam ostenderit, & mira nonnulla effecerit ad fidem & religionem Christianorum confirmandam, eamque hostibus commendandam? Sed tamen fieri etiam potest, vt fraus Satanæ interuenerit, & intermista fuerit, quæ non ab omnibus animaduersa ac deprehensa est, vt Satanas se hoc signum fugere & timere fingeret, cum illud ne tantilli quidem faceret. Nam Satanas certe non mouetur aut fugatur signis externis, quia spiritus est: opus est ergo aliis telis aduersus eum, quia spiritus rebus externis non terretur.

Fide non signis Satanas vincitur: non ergo satis muniti sumus aduersus Satanam, per signum crucis in fronte factum. *Ephes.6. 11. &c.* Apostolus Paulus, cum Christianam πανοπλίαν omnibus fidelibus commendat, non iubet eos armare frontes signo crucis, imo nullam crucis mentionem facit. *1.Pet.5.9.* Apostolus Petrus iubet nos resistere Diabolo, non muniendo crucibus multis frontem, sed animam fide, *Cui resistite*, inquit, *firmi fide*. Sic Iacobus Apostolus non aliter posse Satanam profligari ait, nisi resistendo: *Resistite Diabolo*, inquit, *& fugiet à vobis*: at figuras ducere digito non est Diabolo resistere. *Luc.4.7.*

Qui vero vtuntur crucibus illis, aut fideles sunt, aut infideles: si fideles, non illis nocere Satanas potest, quia fides illos ab insidiis Satanæ defendit, nam fides est victoria, quæ vincit mundum & Satanam huius mundi Principem: si infideles; quid valebit signum crucis externum sine fide? num potest Satanas extra signo crucis ab illis depelli, quos intus totos tenet, possidet, vicit, profligauit? De Satana, vt de hoste vafro, callido, & astuto iudicare debemus: hostes vero callidi simulant fugam aliquando, vt nos simus securiores, sed postea aggrediuntur, & nos incautos ac oscitantes opprimunt; & videntur interdum quædam arma & tela reformidare, quæ tamen contemnunt, vt nos illis freti facilius vincamur. Sed Bellarminus ait, signum crucis terrere dæmonas tripliciter. *1.Ioh.5.4. 5. Ioh.12.31.*

I. *Primò*, dæmon, cum signum crucis fieri videt, recordatur se Christi cruce deiectum, ac proinde horret illud signum suæ calamitatis, & fugit, quomodo canes fugiunt, cum baculos aut lapides vident. *Respondeo*: Com-

parat Bellarminus dœmonem, qui est leo, timido cani: at ille non ita stultus est & nullius ingenii, vt crucem sicut canis lapidem timeat. Nam canis timet, ne illum baculus feriat, aut lapis lædat: at dœmon nouit non iterum se cruce vincendum, quia id Christus semel præstitit: num veretur Satanas, ne Christus iterum crucifigatur? Nouit ille satis bene, crucem sibi non nocuisse, sed Christum fuisse, qui illum in cruce spoliauit. Neque nobis similes dœmones sunt, vt illis memoria refricanda sit, quia semper illi recordantur, se esse devictos à Christo; nec magis cum intuentur signum crucis, quam alias, cum non intuentur.

II. *Secundò*, vim habet hoc signum, inquit, ex deuotione hominis se signantis, eo modo quo vim habet oratio vocalis: est enim quædam inuocatio meritorum Christi crucifixi signo expressa, quia loquimur, inquit, corde, ore, & nutibus: & tunc effectus, inquit, procedit magis ex interna fide & deuotione, quam ex ipsa figura crucis, vt eorum, quæ orantes petimus, impetratio tribuitur non sono vocis, sed fidei & deuotioni orantis.

I. *Respondeo primò*: si adsit fides, & deuotio, non opus est signo crucis: satis munitus est, qui fide & deuotione præditus est.

II. *Secundò*, facere signum crucis non est inuocare: nam si inuocare nihil aliud sit, quam Deum appellare; hoc melius ore, quam nutu fit; & sic signa omittere possumus. Tum si inuocare, sit Deum ex animo & corde compellare; multi, qui cruces faciunt, non sic inuocant: at qui inuocant Christum sine deuotione, non audiuntur; qui vero deuote inuocant; propter fidem & deuotionem audiuntur.

III. *Tertio*, signum crucis facere, non est signum deuotionis, quia multi etiam nequissimi, qui nihil de Christi meritis cogitant, sed de adulteriis & homicidiis, & qui pessime de religione sentiunt, hoc signo vti aliquando solent.

III. *Tertio* ait Bellarminus, signum crucis ex Dei institutione, & opere operato terrere dœmones. *Respondeo*: At nec Christus hoc instituit, nec Deus, nec Apostolus quisquam: si ab horum aliquo institutum hoc fuerit, doceat ille, vbi: an audet dicere, institutum esse aliquid à Deo, cum non possit docere, vbi institutum sit? Illud vero omnem opinionem superat, quod ait ex opere operato fugare dœmones. Sed ille hoc probat exemplo Iuliani Apostatæ, qui cum in Templo quodam idolis sacrificaret, signasse se signo crucis dicitur, vt solebat cum esset Christianus, atque ita dœmones fugasse. *Respondeo*: Hoc incredibile est, profligari dœmonem signo crucis ex opere operato, vt si quis non modo non cogi-

Ex Nazianz. orat. 1. in Iulian.

cogitet de Christo, nec fidem habeat, sed etiam nequam sit, hæreticus, apostata, imo si sit talis, qualis fuit Iulianus, id est, acerrimus Christianæ religionis hostis. tamen, si se cruce signet, satis tutus à dæmone sit. Habeant sibi suam Theologi sententiam: certe fusum esse Satanam signo crucis sine fide ἀθεόλογον est. Et habeant sibi Pontificii suas cruces cum aliis cæremoniis, quas vel ipsi fateri coguntur aliquando sine fide nihil valere. Nam si ipsa Sacramenta ex opere operato sine deuotione & fide nihil efficiant, quod visus est Bellarminus antea dicere, ne Eucharistia quidem, aut Baptismus, aut Vnctio, in quibus tamen ipsi Pontificii multis etiam crucibus vtuntur: num ipsum per se crucis signum, quod non est Sacramentum, sine omni deuotione ad dæmonem fugandum valebit?

Vide Bellarmin. antea l. 2. de Sacram. in gen. c. 1. §. Igitur vt intelligamus.

Tertium caput est, Ecclesiam posse instituere nouas cæremonias, etsi non ad iustificandum impium, tamen ad alios effectus spirituales: & hic ait cæremonias huiusmodi ab Ecclesia institutas tribus modis posse esse vtiles. *Primo*, ad

I. ornandum & repræsentandum aliquod mysterium religionis, & sic ad iuuandos rudiores. *Respondeo*: rudes non esse cæremoniis erudiendos: dedit Deus Scripturas, vt ex iis rudes institutionem necessariam hautirent. Non est hic mos veræ sed Antichristianæ Ecclesiæ remouere Scripturas, & cæremoniis à se inuentis rudem populum pascere. Posse non nego Ecclesiam aliquas ad ornatum cæremonias instituere, sed aliud ornatus & decorum est, aliud luxus, splendor, & pompa theatrica. Pontificii non contenti ornatu moderato, omnia nitere & splendescere volunt, quemadmodum olim Ethnici ad conciliandam sacris suis dignitatem facere solebant, de quibus Poëta, *In sacris quid facit aurum*? Honestas & simplicitas maxime decet Christianos: at Papistæ modum nullum tenent. Nullus Ecclesiæ ornatus tam pretiosus est, quam verbi ministerium; quod si absit, cæremoniæ sunt quasi ornamenta sepulchrorum; foris splendor, intus fætor. Sed potest Ecclesia, fateor, ad ornatum cæremonias instituere.

Secundo ait, huiusmodi cæremo- 2.
nias vtiles esse ad morbos curandos, & dæmones pellendos, & peccata venialia purganda, & id genus alia. *Respondeo*: hæc plane magica & diabolica esse: nullis cæremoniis Ecclesia hoc potest facere.

Nam *primo* quod ad morbos 1.
attinet, certum est curare morbos sine medicamentis esse miraculosum: at Ecclesia non potest cæremonias instituere, quæ in se vim miraculi habeant: tum enim Deus Ecclesiæ dedisset perpetuam potestatem faciendi miracula: at illa potestas ad tempus tantum durauit, nec omnibus

data est, sed paucis, non toti Ecclesiæ.

II. *Secundò*, quod ad dæmones attinet, illos quidem expellere eiusdem generis est, & magis quidem ἀδύνατον. Non tam leue est pellere dæmones, vt hoc per cæremonias fieri posse existimemus: & cæremonia non nisi res est externa, & ritus externus : at dæmon est spiritus, & ideo non nisi armis spiritualibus profligari potest : externa ista ille non curat. Luc. II. 21. 22. Qui fortem expellit, debet eo esse fortior, inquit Christus, & vim maiorem habere. At Aduersarii ita absurdi sunt, vt putent posse dæmonem terreri crepitaculis & tintinnabulis & cæremoniis nisi quibus, cum tamen ille huiusmodi non magis metuat, quam miles fortis & armatus hastam iunceam.

III. *Tertiò*, magis adhuc incredibile est, cæremoniis purgari peccata: imo horrendum plane est eam vim cæremoniis tribuere. Sed hæc Antichristi fraus est, ad perniciem multorum millium inuenta & excogitata, *primò*, esse quædam peccata leuissima, atque ita non magnopere curanda; *secundò*, posse obtineri horum peccatorum remissionem sine pœnitentia, hoc est, istiusmodi peccata externis cæremoniis expiari. Sed cum omnis remissio peccatorum à Deo sit impetranda, atque ideo quotidie nos Christus docuit orare, Remitte nobis debita nostra, quod Aduersarii etiam de peccatis venialibus interpretantur; quomodo potest Ecclesia cæremonias facere ad remissionem peccatorum, cum non possit ipsa vel minimum peccatum ex ipsorum confessione sine Sacramento remittere: at quæuis cæremonia non est Sacramentum.

Sed Bellarminus ait hoc fieri per modum impetrationis, ex vi orationum Ecclesiæ. *Respondeo*: orationes illas, quæ in benedictione candelarum, palmarum, & aliarum huiusmodi rerum adhibentur, esse Deo exosas & execrabiles, quia & sine eius mandato ac promissione fiunt, atque etiam contra eius gloriam: docent enim homines ad nugas & cæremonias confugere, cum ad solum Deum confugere deberent. Cum ergo nec aliquo mandato aut promissione nitantur huiusmodi preces, & Deum præterea contumelia afficiant : non posse non Deo exosas esse manifestum est. Et quid si Ecclesia forte peteret, vt valerent cæremoniæ ad purgationem peccatorum mortalium? num ideo valerent, quia orationes Ecclesiæ, vt ille ait, sine dubio exaudiuntur.

III. *Tertiò* ait, cæremonias non modo ex vi orationum Ecclesiæ valere, sed etiam posse eosdem effectus habere per applicationem Christi meritorum ex opere operato : & ait Christum reliquisse Ecclesiæ potestatem instituendi signa, quibus eius merita applicentur ad minora beneficia, cum Sacramenta instituit ad principales effectus, id est, ad maiora beneficia consequenda. *Respondeo*: Pertæsum est harum blasphemiarum. At si quæram, vbi Christus Ecclesiæ talem potestatem dedit, & quando, & quibus verbis, ludi se putabit. Sed animaduertite, quæso, quid dicat. Christum ait instituisse signa, Sacramenta scilicet, per quæ eius merita ad gratiam & iustificationem nobis applicentur : at Ecclesiæ potestatem reliquisse instituendi signa, per quæ eius merita ad alia minora beneficia applicentur. Ita vult applicationem meritorum Christi pendere ex cæremoniis ab Ecclesia institutis.

Sed *Respondeo primò* : Christum non dedisse potestatem Ecclesiæ instituendi signa ad applicanda eius merita : nunquam hoc ex Scripturis probari potest.

Secundò, Blasphemum hoc est in merita Christi, dicere vllum Christi meritum purgare tantum venialia peccata, aut minora beneficia procurare, cum vel minima gutta sanguinis Christi morientis ad omnia mundi peccata expianda valeat: at illi aiunt quædam merita Christi ad leuiora tantum peccata tollenda valere.

Tertiò, Dico, totam vim meritorum Christi in Sacramentis applicari: ideo enim à Christo instituta sunt, vt fructus mortis Christi & merita eius ad nos applicarent: hic autem quædam Christi merita esse innuit, quæ non in Sacramentis applicantur.

Quartò, Si in Sacramentis merita Christi applicentur ad maiora beneficia, quanto magis ad maiora? si mortalia peccata purgantur in Sacramentis, qui dubitabit venialia ibi purgari?

Quintò, Quod ait has cæremonias ex opere operato hos effectus, de quibus diximus, producere, id est, sic ad minora hæc beneficia consequenda valere, vt Sacramenta ad maiora; & inter minora numerat, morbos curare, dæmones fugare, & peccata venialia purgare : mirum hoc certe est, in Sacramentis opus operatum nihil sine deuotione valere, in cæremoniis valere, vt possit quis per has cæremonias sine vlla deuotione, imo si animum habeat à religione alienum, dæmones fugare, vt de Iuliano antea dictum est. Ita merita Christi ad quosdam effectus applicari posse vult ex opere operato sine hominis vlla deuotione.

Sed tamen bene se habet, quod addit postea Bellarminus, sic quosdam disputare, sed non esse hoc vsque adeo certum : ergo ait esse probabile; quod perinde est ac si diceret, hunc tertium modum non omnino certum esse. Sed ego dico, hoc non modo non probabile esse, sed etiam esse absurdum, horrendum, blasphemum. Obseruate vero huius Theologiæ fundamenta non nisi probabilia esse.

Sed ait Bellarminus, quicquid de hoc sit, licere Ecclesiæ nouas cæremonias instituere, non ad iustificandum, sed ad alios fines. *Respondeo*: Quasi de hoc quis dubitet? ego sane fateor & agnosco, Ecclesiam posse cæremonias instituere ad alios fines, nempe ad decorum, ad ornatum modicum, & ad ædificationis commoditatem. Verum quæ ille hac de re argumenta afferat videamus. Probat ille hoc triplici ter.

I. *Primò* affert exempla veteris Testamenti: non est enim vlla ratio, inquit, cur non possit Ecclesia Christi id facere, quod Synagoga potuit. *Respondeo primò*: Synagogam nullas instituisse cæremonias tanquam ad salutem necessarias, & quæ conscientias obligarent, id est, nullas cum opinione necessitatis & obligationis in conscientia. *Secundò*. Illud erat vmbrarum & cæremoniarum tempus, vt vere Brentius dixerit, cæremonias esse veteris Testamenti proprias: quare nunc non talis Ecclesiæ libertas est. Ratio est, quia tum Christus nondum venerat: ergo multis tum fidei subsidiis opus erat: nunc vero cæremonias cumulare, est Christi aduentum obscurare. Sed demus Ecclesiam eandem habere authoritatem instituendi cæremonias, quas habuit Synagoga: videamus ergo quas cæremonias Synagoga instituit.

Primo profert exemplum Iacobi, qui cum nondum Patriarcha esset, sed priuatus homo, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper. *Respondeo primo*: Non hæc publica cæremonia fuit, sed priuata; in agro, non in Ecclesia: nos de publicis Ecclesiasticis cæremoniis loquimur. *I. Gen. 28. 18.*

Secundo: Iacobus hoc Spiritus sancti instinctu fecit. Viderat enim in somno Deum, & cum experrectus est, voluit ille signo suam reuerentiam & religionem declarare: struem scilicet lapidum Deo consecrauit, vt hoc signo externo suum erga Deum animum testaretur. Bellarminus fatetur, Iacobum hoc feciſse Deo impellente, sed non mandante expresse. *Respondeo*: Si Dei inspiratione hoc factum fecit, satis est: doceat ille hoc de sua Ecclesia, id est, doceat Ecclesiam Romanam similiter instinctu diuino tot cæremonias instituisse, & nos nihil aliud requirimus.

Secundo affert exemplum Mardochæi ex libro Hester: ait Synagogam Iudæorum auctore Mardochæo addidisse nouum festum diem, quem Deus non instituerat in Lege. *Respondeo*: & hoc Mardochæum fecisse Deo inspirante, & forsan Prophetæ cuiuspiam monitu & authoritate: at Aduersarii nihil tale de suis *II. Hest. 9. 18. 21.*

suis cæremoniis possunt ostendere. Etsi vero non legimus, aut Deum ipsum, aut aliquem Propheram, hoc Mardochæo mandasse, tamen quia in libro Canonico: hoc Mardochæi factum reperitur & commendatur, non dubium est, quin diuina authoritate nitatur.

Iudith. c. vlt. vers. vlt. *Tertio*, affert simile quiddam ex libro Iudith: sed ille liber non est tantæ authoritatis. Bellarminus non amplius postulat, quam vt huic libro fidem habeamus, sicut Liuio aut Salustio. At non pauci sunt, & hi quidem docti & pii, qui ne tantum quidem illi tribuunt: hunc ergo librum missum facio.

Machab. li. c. 4. 59. *Quarto* simile exemplum producit ex libro primo Machabæorum, vbi instituitur nouum festum dedicationis altaris, ad quod celebrandum Christus ipse in Hierusalem ascendisse dicitur. *Respondeo*: Christum ea de causa profectum esse Hierosolymas non constat: fuisse tunc ibi, & arripuisse occasionem docendi ex frequentia populi constat. Puto hoc festum humana authoritate institutum fuisse: tamen caruit superstitione, & propter magni beneficii memoriam institutum fuit, vt & dies ille festus in libro Iudith, nempe in memoriam victoriæ Iudæorum, & liberationis è manu hostium. Et *Ioan. 10. 22. &c.*

nos quidem non negamus, quin Ecclesia possit similiter propter tales causas dies solennes instituere, ad celebrandam memoriam diuini alicuius beneficii, & propter gratiarum actionem. Sic nos recte celebramus memoriam illius, id est, Nouemb. 17. quo die beatæ memoriæ Regina Elizabetha regni Anglicani administrationem iniit diei, quotannis, in quo fugatus ex hoc Regno Papismus, & restituta vera religio fuit. Sed non hinc sequitur, posse Ecclesiam infinitas cæremonias instituere, quæ obligent conscientias; quod Pontificii de suis cæremoniis asserunt.

Secundo, ex nouo Testamento affert Actorum decimoquinto, vbi ait Apostolos nouam cæremoniam instituisse, vt Gentes à sanguine & suffocato abstinerent. *Respondeo*: non fuisse hanc nouam sed veterem cæremoniam: nam in vetere Ecclesia diligentissime seruata fuit. *Act. 15. 28. 29.*

Sed obiicit Bellarminus, legem illam Iudaicam iam fuisse euacuatam & abrogatam per Christi mortem.

Respondeo primo: Erat quidem quoad necessitatem obseruationis ex præscripto legis Mosaicæ abrogata, vt & cæteræ omnes cæremoniæ, sed non quoad legem charitatis, quæ iubet aliis consulere, & fratres non offendere: ex circum-

cumstantia hac non penitus abrogata ne Iudæis quidem fuit. *Secundò.* Non hæc Mosaica cæremonia fuit: nam multis seculis ante Mosen fuit instituta. Legimus Deum in mandatis Noacho de-
Gen.9.4. disse, vt carnem cum sanguine non comederet: & multæ gentes sua sponte sine Lege Mosis à sanguine abstinent. *Tertio.* Non fuit hæc perpetua cæremonia: nam olim abrogata est. Igitur Ecclesia, fateor, potest instituta condere & sancire, ad scandala tollenda, & remouendas offensiones, quale hoc institutum fuit: sed cum metus scandali sublatus est, & nullum est periculum offensionis, tum non amplius opus est huiusmodi institutis. Ita cessante scandalo & offensione; quæ olim ex libero vsu sanguinis & suffocati oriebantur, institutum hoc de abstinendo à sanguine & suffocato cessauit.

Quod autem ait Bellarminus, non esse rationem, cur non possit modo Ecclesia, quod tunc poterat: fateor certe Ecclesiam nunc posse & debere etiam prouidere, ne nascantur offensiones, & ne infirmis obiiciantur scandala, quibus in religione impediantur; sed ille nimium Ecclesiæ, quæ nunc est, tribuit, quando eam cum Apostolica Ecclesia comparat, imo absurde Ecclesiæ Romanæ, quæ nunc est, authoritatem, ipsorum Apostolorum authoritati exæquat. Magna enim differentia est inter Apostolos & ordinarios Pastores: nam Apostoli erant selecta organa Spiritus sancti, & alia dona habuerunt, quam nunc vllus Pastor habet.

Sed Bellarminus, Apostolos hoc non fecisse ex noua aliqua reuelatione sibi concessa. *Respondeo*: Non erat opus noua reuelatione: nam vetere reuelatione die Pentecostes facta satis imbuti Spiritu fuerunt, satisque instructi ad prouidendum de mediis regendæ Ecclesiæ, vt quæ ad Ecclesiæ ordinarium regimen pertinerent, multo melius & intelligere & statuere potuerint, quam vlli post illos Ecclesiæ Pastores.

III. *Tertio* loco probat Bellarminus, quod instituit, ratione in hunc modum: Si Ecclesia non posset huiusmodi cæremonias instituere, hoc ideo fieret, vel quia Ecclesia non habet authoritatem aliquid statuendi, vel quia cæremoniæ repugnant nouo Testamento, & cum illo non conueniunt, vel quia non licet addere aliquid cæremoniis à Christo institutis: at nihil horum, inquit, dici potest: nam Ecclesiam posse aliquid statuere manifestum est, quia Concilia canones semper ediderunt: damnare autem omnia Concilia, manifesta insania esset. *Respondeo:* Fateor Concilia authoritatem habere condendi canones ad decorum & ornatum & εὐταξίαν, id est, bonum ordinem Ecclesiæ, sed non cum perpetua necessitate obligationis. Nam canones, qui ab hac Ecclesiæ fiunt, possunt

sunt ab alia Ecclesia abrogari, vt Augustinus ait, posse vnum Con-
August. cont. Donatist. l.2. c.3. cilium emendare, quod ab alio sancitur, & posse Concilia subsequentia tollere & abrogare ea, quæ à prioribus Conciliis constituta sunt: hoc Aduersarii quoad leges & cānones Conciliorum fieri nolunt. Præterea quibus cæremoniis vna Ecclesia tenetur, iisdem altera non alligatur: at illi cæremonias certas esse volunt, quæ perpetuæ sint, & omnes obstringant, cum vnaquæque Ecclesia eas condat cæremonias, quæ sibi commodissime inseruiant.

Deinde cæremonias non repugnare naturæ noui Testamenti probat, quia Christus instituit Sacramenta, quæ sunt verissimæ cæremoniæ. *Respondeo*: Nos hoc nunquam diximus, cæremonias omnes pugnare cum natura noui Testamenti, nec posse Ecclesiam aliquas cæremonias instituere: Sacramenta vero sunt cæremoniæ à Christo, non ab Ecclesia institutæ. Num vero quia Christus duas cæremonias vel maxime nobis necessarias instituit, ergo illis licet mille cæremonias instituere, quæ ad nihil valent, nisi ad onerandam Ecclesiam? At habere multas cæremonias est contra naturam noui Testamenti: ideo Augustinus ait, societatem noui populi esse alligatam quam paucissimis cæremoniis.

Addit tertio Bellarminus, nouitatem cæremoniarum non repugnare, quia nusquam Christus prohibuit, ne cæremonias adderemus ad Sacramenta ipsius commodius & vtilius administranda. *Respondeo*: prohibuisse Christum eo modo addere, quo illi addunt, nempe vt ex illis fiat cultus diuinus, vel vt pars aliqua cultus diuini aut pietatis & religionis in illis statuatur. *Frustra me colunt docentes doctrinas*, quæ *Matth.15. 9.* sunt *mandata hominum*, inquit Christus; & idem reprehendit Scribas & Pharisæos, quod ligarent onera δυσβάστακτα *difficilia portatu*, & imponerent in humeros hominum. Apostolus Paulus noluit imponere aut iniicere laqueum conscientiis Corinthi- *1. Cor.7. 35.* orum ne in minimis quidem rebus; & idem Apostolus prohibet *Coloss.2. 20.23.* δογματίζεσθαι, id est, ritus humanos & constitutiones humanas obseruare, & mox damnat ἐθελοθρησκείαν, id est, *voluntarium cultum*: & Deum Spiritu ac *Ioh.4.24.* veritate adorandum esse Christus ait: & Paulus Iudæos ra- *Gal.4.2.3.* tionem cæremoniarum paruulis comparat sub pædagogo degentibus: ergo & nos paruulis similes erimus, si tot & talibus cæremoniis subiiciamur: quare Au- *August. Epist. 119. c.19.* gustinus ait ita cæremoniis oneratam esse Ecclesiam suo tempore, vt Iudæorum conditio tolerabilior esset.

Sed Bellarminus ait, Augusti-

num loqui de cæremoniis, quas priuati homines & maxime mulierculæ sibiipsis imponerent. *Respondeo*: Augustinus certe non loquitur de priuatis hominibus, sed de Ecclesiarum ritibus, & de cæremoniis publicis ac publice receptis, quæ ita vrgebantur, vt si quis eas omisisset, magis reprehensus est, quam ii, qui contra Legem Dei peccarunt: nam ait *minus* tum *curari Dei præcepta, quam præsumptiones humanas, vt grauius corripiamur, qui per octauas nudo pede terram tetigerint, quam qui mentem vinolentia sepelierint.* Hoc de ritibus & cæremoniis Pontificiis recte dici potest: quis enim non videt cæremonias Pontificias in Ecclesia Pontificia diligentius obseruari, quam Dei instituta.

Quartum caput, seu quarta propositio, vt à Bellarmino vocatur, est, Cæremonias ab Ecclesia institutas non posse omitti sine peccato, etiam citra scandalum. *Respondeo*: Hoc nos negamus, & hoc antea falsum esse docuimus: sed quædam hic addenda sunt, quæ prius non sunt dicta. Dicimus ergo liberam esse obseruationem cæremoniarum, si seruetur decorum, & vitetur scandalum ac contemptus. Sed ille probat cæremonias omnes non esse liberæ obseruationis, quia propter cæremonias natæ sunt in Ecclesia grauissimæ dissensiones, & quia sub pœnis grauissimis impositæ sunt leges de cæremoniis, & quia tandem hæretici habiti sunt, qui non obediebant.

Vide VVhitak. in Prælect. de Rom. Pon. q.7. per tot.

Prima dissensio, inquit, in Ecclesia fuit ob cæremonias legales, quæ ab Apostolis sopita est Actorum decimoquinto. *Respondeo*: non fuisse hanc dissensionem de cæremoniis aliquibus Ecclesiasticis, de quibus nunc disputamus, sed de Mosaicis & diuinis, quas multi esse perpetuo obseruandas existimabant, vt de Circumcisione, & aliis huiusmodi cæremoniis. Hæ cæremoniæ in Scripturis habentur: at nos loquimur de iis cæremoniis, quæ in Scripturis non habentur: ergo hic locus nihil ad rem facit.

Secunda dissensio de alia cæremonia fuit, quam Ecclesia magni fecit, hoc est, de die Paschatis. *Respondeo*: Fateor fuisse hanc magnam dissensionem, & huius dissensionis causam non leuem fuisse. Nam etsi Paschatis obseruatio per se libera res fuit, tamē quorundam obseruatio, qui eodem die Pascha celebrarunt, quo Iudæi, tolerari non debuit, ne Ecclesia crederetur *ἰουδαΐζειν*, id est, *Iudaizare*. Sed tamen & illud addo, acerbiores fuisse has contentiones, quam oportuit. Quod autem ait, Concilium Nicænum propter istam quæstionem potissimum conuenisse, falsum est: nam propter Arium præcipue congregata hæc synodus est, & secundario propter hanc quæstionem de Paschate.

Tertia dissensio, inquit, fuit, an hæretici vere baptizarent. *Respondeo*: non hanc esse cæremoniam, sed dogma: inepte Bellarminus opinionem falsam pro cæremonia ponit.

Quarta dissensio fuit de delectu ciborum, de temporibus ieiuniorum, de diebus festis, & aliis rebus, de quibus nos alibi diximus. Vltimo ait, si libera esset cæremoniarum obseruatio, nullus ordo in Ecclesia seruaretur. *Respondeo*: Hoc nihil ad rem facit: nos enim cæremonias sic libere obseruari volumus, quin & decorum seruetur, & scandalum ac contemptus vitentur.

Vide VVhitak. vbi supra q.7. c.3. in Argum. post. sex.

Quintum caput, seu quinta propositio est, cæremonias esse res vtiles, meritorias, & partem cultus diuini. *Respondeo*: Nos pertinere ad cultum diuinum, & meritorias esse, negamus. Esse vtiles probat *Primo*, comparatione facta inter illorum templa, crucibus, imaginibus, aris, lampadibus ornata, & nostra, in quibus nihil est nisi sedes ad concionandum, & mensam ligneam ad cœnam faciendam: illorum templa excitare deuotionem: non item nostra. *Respondeo*: non esse aliam deuotionem illam, quam illorum templa excitant, quam olim Idololatrarum fuit, quorum templa non minus ornata fuerunt. In Templis Christianis quid aliud requiritur, nisi locus aptus ad precandum & audiendum verbum Dei? & Christiani olim non tam commoda loca habuerunt, quam nos. *Secundo* intelligentiam, inquit, iuuant, vt Augustinus ex paruulorum exorcismo apertissime se probare putauit, esse in paruulis ante Baptismum originale peccatum. *Respondeo*: Exorcismus Papistarum crassus abusus est: multum differt ab illo, qui olim fuit. *Tertio*. Iuuant memoriam, inquit, vt nisi quotannis, inquit, repræsentaremus variis cæremoniis Christi ortum, apparitionem, passionem, aliaque mysteria redemptionis, facile mandarentur obliuioni tam insignia beneficia. *Respondeo*: Quasi horum beneficiorum memoria non melius multo per verbi prædicationem conseruari possit, quam per vllas cæremonias? Nos non improbamus Festorum celebrationem, in quibus horum beneficiorum commemoratio fit, nec tamen damnamus eas Ecclesias, quæ hæc omnia Festa non obseruant.

August. de peccat. merit. & remiss. l.1. c.34 & in Iulian. l.6. c.2.

Cætera inepta magis quam vtilia sunt. Meritorias esse probat ex Matthæo decimo, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est*; & ex Romanorum decimo. *Ore fit confessio*

Matth. 10. 32.

Rom. 10. 10.

ad ſalutem. Reſpondeo : Diſerta in his locis teſtimonia ſunt pro confeſſione, at pro cæremoniis nullum.

Sextum caput, ſeu ſexta propoſitio eſt de ſacris Latinis, de quibus nos alio loco ſatis multa diximus. *Vide VVhitak. diſput. de Script. q. 2. c. 16. 17. 18.*

Finis ſextæ Quæſtionis, & totius Controuerſiæ de Sacramentis in genere.

CONTROVERSIÆ DE BAPTISMO, QVÆSTIONES SEX.

I.

DE definitione Baptiſmi, Quid Baptiſmus ſit. Pag. 214.

II.

De neceſſitate Baptiſmi, An ſit ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem : Vbi de Baptiſmo flaminis & ſanguinis agitur, & de tempore quando Baptiſmus cœpit eſſe neceſſarius. 223.

III.

De Miniſtris idoneis Baptiſmi, Quibus commiſſa ſit authoritas Baptizandi. 256.

IV. De

IV.

De effectis Baptiſmi, Qui ſint Baptiſmi effectus: Vbi agitur de fide paruulorum cum baptizantur. 264.

V.

De Ioannis Baptiſmo, An Baptiſmus Ioannis idem fuerit cum Chriſti Baptiſmo. 300.

VI.

De cæremoniis Baptiſmi, Quæ cæremoniæ ſint in Baptiſmo adhibendæ, quæ non. 333.

CONTROVERSIÆ DE BAPTISMO.

Quæstio I.

Quid sit Baptismus.

CAPVT I.

De distributione totius Controuersiæ in suas Quæstiones.

SCRIBITVR Marc. 16. 16. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur.* Christus nostræ redemptionis laboribus & negotio perfunctus, reditum nunc in patriam, è qua nostra causa quasi exularat tam diu, parat. Mandat autem prius Apostolis diserte de rebus omnibus, quæ ad illorum officium pertinebant, quia illos oportebat esse testes eorum, quæ viderant & audierant, in toto mundo. Fructus enim beneficiorum, quæ Christi morte continentur, non ad Iudæos modo, sed ad omnes homines spectat. Quare primarium mandatum fuit de prædicando omni creaturæ Euangelio, id est, vt Matthæus habet, omni genti. Tum Matthæus mandatum de Baptismo addit, quod Marcus prætermisit: sed quod Matthæus omisit, Marcus vtilitatem ex fide & Baptismo redundantem commemorat; ὁ πιστεύσας, inquit, καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, *Qui crediderit & baptizatus fuerit seruabitur.* Ex quibus verbis intelligimus, ad quos Euangelium pertinet, ad eos etiam Baptismum pertinere, quo quasi symbolo vis Euangelii consignata est. Aliqui nunc primum à Christo institutum Baptismum esse putant: & Papistæ, quanquam non nunc primo institutum esse contendunt, tamen eius obseruationem nunc primum necessariam factam esse credunt: quæ illorum sententia ex eo errore nascitur, quod Ioannis Baptismum non fuisse Christi Baptismum existiment. Nusquam enim à Christo ante aliquid de Baptismo præceptum legimus, nisi Ioannis Baptismum esse Christi Baptismum dicamus, de quo Ioannes ipse ait, ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, *Qui misit me, vt baptizarem aqua*, quo etiam Christi Apostoli vsi sunt. Igitur antehac non modo Baptismus, sed etiam Circumcisio in vsu fuit, quæ vsque ad Christi mortem durauit: nunc abrogata Circumcisione Christus Baptismum retineri iubet. Ex hac autem sententia male intellecta duo fœdissimi errores nati sunt.

Matth. 28.19.

Ioh. 1.33.

Primus eorum est, qui dicunt, si quis fidem Christianam profiteatur, & Baptismo initiatus fuerit, eum saluum fore, quantumuis post susceptam fidem & Baptismum viuat scelerate; quam etiam nobis opinionem Papistæ falso tribuunt. Nos enim eos, qui flagitiose viuunt, non modo salutis sed & fidei expertes esse dicimus: nam vera fides infructuosa non est, sed semper ex charitate operatur: & Deum cuique secundum opera redditurum affirmamus.

Augustin. in lib. de fide & oper.

De his Augustinus alicubi, & Euthymius non male in hunc ipsum Marci locum, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur*, id est, inquit Euthymius, *modo fidem & Baptismum impollute conseruauerit.* Imo cum Baptismus nouæ vitæ Sacramentum & initium sit, quomodo seruari possunt, qui vitam professioni contrariam degunt? ergo qui crediderit, id est, Euangelium amplexus fuerit, & qui fuerit baptizatus, id est, qui in Sacramento Baptismi veteris vitæ sordes ablucrit, deque aliis postea cauerit, ne sit inanis Baptismus, is σωθήσεται, *seruabitur*, id est, non modo pœnam improborum effugiet, sed summis & sempiternis gaudiis potietur.

Euthym. in locum.

Alter error est Anabaptistarum, qui nullos baptizari volunt, nisi qui Euangelio credere possunt, quia Christus ait, *Qui crediderit, seruabitur*: sed palam Christus de adultis loquitur, quia dixerat antea, *prædicate Euangelium omni creaturæ*; infantibus vero non prædicatur: & subiungit statim, *Qui non crediderit, condemnabitur.* Non ergo prohibet baptizari credentium liberos, sed ex iis, quibus Euangelium prædicatur, eos tantum & alios nullos baptizari vult, qui aut credunt, aut se saltem credere profitentur. Verum ista Quæstio non est inter nos & Papistas agitata; nos enim non minus quam illi Baptismum paruulorum tenemus: quare hanc Quæstionem missam faciemus, & eas

eas tantum, de quibus inter nos & illos controuertitur, tractabimus.

Sunt verò illæ huiusmodi. *Marc.16.16.* Christus ait, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur:* quæritur ergo *primo*, Quid sit Baptismus; vbi de Baptismi nomine, materia, & forma dicendum est: *secundo*, quam sit necessarius Baptismus; quia ex his verbis videtur Baptismus necessarius esse, etiam ad salutem; ait enim Christus, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur: tertio*, à quibus conferendus Baptismus sit: *quarto*, quia hic cum Baptismo fides coniungitur, quærendum est de vi Baptismi, quid valeat, & quæ ac quanta eius effecta sint; vbi etiam nonnihil de fide paruulorum agendum est, quia Bellarminus hac de re Lutheranos & Caluinistas perstringit: *quinto*, quærendum est, vtrum hic Christi Baptismus potior potior sit, quam fuit Ioannis: *sexto* & postremo, quo ritu, & quibus cæremoniis procurandus & celebrandus sit hic Christi Baptismus.

CAPVT II.

In quo prima Quæstio tractatur & explicatur.

PRIMA igitur Quæstio est, quid sit Baptismus, vbi de ipso Baptismi nomine primo loco quærendum est. Βαπτισμὸς aut ἐάπτισμα immersionem in aquam significat, quia olim qui adulti baptizabantur, non leuiter aqua tincti aut aspersi fuerunt, sed immersi, & quibusdam quidem in locis ter immersi; qui mos in Ecclesia diu permansit. Et cum Baptismus nostræ cum Christo & mortis & resurrectionis symbolum sit, mortis quidem peccati, resurrectionis vero ad vitæ nouitatem; multo melius & conuenientius mortem & sepulturam immersio quædam quam aspersio adumbrat, & resurrectionem emersio ex aqua, quam si vel caput, vel frons tantum aqua tingatur seu aspergatur. Hinc olim non caput modo aut frons, sed totum corpus immergebatur, idque non adultorum modo sed & paruulorum.

Alia tamen locorum & populorum quorundam consuetudo fuit, vbi tinctione contenti, quam sufficere putarunt, immersionem non desiderabant. Hinc quæstio nata est de membro, quod sit tingendum, vtrum scilicet caput, an frons, an pectus, an manus, an pedes tingi debeant: sed communi omnium iudicio consentaneum visum est, vt vel caput totum, vel frons perfundatur. Quanquam autem in adultis & sanis immersionem meliorem esse putem, tamen sufficere in paruulis & clinicis aspersionem arbitror.

Nam

Nam Christus iussit βαπτίζειν, non modum præscripsit: βαπτίζειν vero non immergere tantum significat, sed & tingere, etsi nusquam, quod sciam, aspergere, nam illud est ῥαντίζειν. Tertul- *Tertull. cõt. Prax.* lianus ait, Apostolos iussos esse, vt tingerent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & tinctionis sæpe meminit, & sic Cyprianus Tertullianum secutus: sed baptizandi vocabulum aptius est, quàm aut tingendi, aut immergendi, aut etiam mergitandi, quo vocabulo vsus est Tertullianus, aut abluendi. Et debet hæc ablutio per alium fieri, vt sit distinctio inter baptizantem & baptizatum: nam Christus per manus Ministri vult nobis bona cælestia in vsu Sacramentorum conferri. Ideo & Christus se non baptizauit, sed à Iohanne baptizari voluit, & ab eodem Apostolos iussit baptizari. Quare ridiculus est Innocentius quartus, qui ait Iudæum quendam rectè baptizatum esse, qui se baptizarat; & eundem esse seruatum propter fidem Sacramenti, non fidei Sacramentum. Scholastici de passiuo & actiuo Baptismo multa loquuntur, & passiuam ablutionem plus valere volunt, quam actiuam. Nam si vnus Minister decem homines eadem aqua ablueret, & diceret, *baptizo vos &c.* essent baptizati omnes & essent decem Baptismi: contra si decem vnum hominem simul baptizarent, dicentes simul, *Nos baptizamus te*, aut singuli, *Ego te baptizo*, non nisi vnus Baptismus esset. Melius vero est, vt puto, tingere, quam aspergere: nam qui tingitur, in aquam immittitur, & quasi immergitur. Hinc βαπτίζειν pro lauare sumitur, vt qui manus lauant, in aquam immergunt, vt sordes abluãt: *Heb.9.10.* & erant Iudæorum ex Lege διάφοροι βαπτισμοὶ *diuersæ ablutiones*; se enim totos & vestes lauabant, & *Marc.7.4.* Pharisæi has lotiones auxerunt; quoties enim è foro veniebant, se lauabant; & poculorum etiam ac cyathorum crebris lotionibus vtebantur: vnde Iohannes secundo, *Ioan.2.6.* positas esse sex hydrias legimus ad aquam capiendam, quia in more illis positum fuit continuis lotionibus vti. Metaphorice vero hoc vocabulum βαπτίζω, vel βαπτισμὸς pro calamitatibus aut miseriis sumitur, quibus pii grauiter vexantur: nam in Scripturis præsertim in Psalmis aquarum & fluctuum & marium nomine afflictiones significantur. Sed vt qui baptizantur emergunt, sic pii non absorbentur ab huiusmodi afflictionibus, sed tandem aliquando euadunt fæliciter. Sumitur etiam interdum pro donis Spiritus *Act.1.5 & 2.27.* Sancti in nos largissime effusis, vt Actorum primo, & secundo. In priori loco Christus Apostolis suis ait, *vos baptizabimini Spiritu Sancto post non multos hos dies*: in posteriore loco verba Dei apud Prophetam Ioëlem citantur, *Effundam ex Spiritu meo in vniuersam carnem*: non ait, guttatim aspergam, sed vberrime effundam Spi- *Ioel.2.28.*

litum meum vltimis temporibus. Patres variis nominibus Baptismum appellabant propter eius varios effectus, præcipue autem & frequentissime φωτισμὸν, id est, *illuminationem*, quod in Baptismo noua quædam è cœlo lux affulgeat; & diem, quo Baptismus administrari solebat Nazianzenus vocat ἅγια φωτὰ, *sacra lumina*; & mos erat eo die faces accendere, vt se nouo lumine illustratos esse significarent. Non assentior Bellarmino φωτισμὸν dici, quod tum infunditur habitus fidei; nam si adultus baptizetur, ante habet habitum fidei, quam Baptismum, vt Cornelius, & Eunuchus: sed potius quia in Baptismo peccata abluuntur, & noua gratiæ lux confertur, id est, collata obsignatur. Iam postquam ratio nominis satis constat, de Baptismi definitione & eius partibus dicendum est.

Act. 10. 47. 48. *Act.* 8. 37. 38.

Baptismus autem varie à Theologis definitur: Melanchthonis & Caluini definitionem reprehendit Iesuita. Caluini vero definitionem hanc proponit, *Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesia adoptamur societatem, vt Christo insiti inter filios Dei censeamur.* His verbis vsus & finis Baptismi optime describitur, nec credo Caluinum his verbis Baptismum definiisse, sed vim Baptismi docuisse.

Caluin. instit. l. 4. c. 15. §. 1.

Petrus Martyr fuse definiuit. Summa definitionis hæc est, Baptismum esse *signum regenerationis, constans lauacro aquæ in verbo*: cui similis est definitio Catechismi Romani, *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* In postrema huius Catechismi editione illud vocabulum (*vitæ*) omittitur, quod tamen apud Bellarminum habetur: vbi obseruandum, *Primo, signum* seu *Sacramentum* esse genus Baptismi; *Secundo* vocem *regenerationis* esse partem differentiæ, non totam differentiam, vt vult Bellarminus; neque distingui hac voce Baptismum à Sacramentis veteris Legis, vt ait Bellarminus, quia Circumcisio etiam olim fuit signum seu Sacramentum regenerationis, vt nos antea docuimus, sed à Cœna Dominica, quæ non renouationis & regenerationis Sacramentum est, sed vitæ potius & nutritionis per Christum; *Tertio* his verbis, *per aquam*, externum huius Sacramenti elementum & notam differentiæ significari; *Quarto*, hac voce, *in verbo*, formam Baptismi declarari, nempe, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sic vt hæc vltima vocabula, *per aquam in verbo*, ad integram & absolutam differentiam efficiendam pertineant.

Petr. Martyr in epist. ad Rom. 6.

Catechis. Rom par. 2. c. 2. q. 4.

Illud vero rectissime à Bellarmino dicitur, aquam non esse Sacramentum Baptismi, quæ est res permanens, sed ablutionem per aquam, quæ est res transiens. Ita Magister Sententiarum, *Non vtique ipsum elementum fit Sacramentum*, *Lombard. l. 4. d. 3. sed ut. A.*

sed ablutio facta in elemento. Vnde hæc colligimus, *primò*, optime à nostris Sacramentum dici actionem aut ritum: non enim Sacramentum est elementum, sed elementi, quemadmodum Christus instituit, applicatio aut cæremonia, vt hominem abluere eo ritu, quo Christus iussit, est Baptismus; *secundò*, Sacramenta esse in vsu tantum Sacramenta, extra vsum vero non habere rationem Sacramentorum: est enim Sacramétum actio transiens, non aliquid permanens: non ergo aqua in Baptisterio manens post Baptismi administrationem est Sacramentum, aut Sacramenti rationem habet, non magis quam si quis in fluuio baptizaretur, hæreret ratio Sacramenti in fluuio, quia Sacramentum est res transiens; postquam igitur actio transiit, Sacramentum esse desiit.

Sic Bellarminus, *Ipsa aqua non est Sacramentum Baptismi, quæ est res permanens, sed ablutio, quæ est res transiens; tertiò*, transubstantiationem esse merum commentum: nam Sacramentum Eucharistiæ non est panis aut vinum, sed panis & vini sumptio; qua finita actione, nihil remanet, quod Sacramenti rationem habet. Si enim aqua non sit Baptismi Sacramentum, sed ablutio, vt statuit Bellarminus, idem certe de pane & vino sentiendum est, non hæc esse Sacramentum Eucharistiæ, sed horum perceptionem, qua frangitur & editur panis, effunditur vero & bibitur vinum.

Nunc de materia Baptismi dicamus, quam omnes aquam esse volunt: nam Ioannes Christum in Iordane baptizauit; Eunuchus inquit Philippo, ἰδοὺ ὕδωρ, *En aquam: quid prohibet me baptizari?* Apostolus Petrus de Cornelio & cognatis ac amicis eius ait, *Num quis aquam prohibere potest quo minus baptizentur isti?* & Paulus Apostolus Baptismum vocat λουτρὸν ὕδατος, *lauacrum aquæ.*

Matth. 3. 16. *Act.* 8. 36. & 10. 47. *Ephes.* 5. 26.

Hæc aqua Christi sanguinem significat; & congruit analogia: nam vt sordes infusa aqua abluuntur, sic peccata Christi sanguine aspersa: ergo insani Seleucus & Hermias fuerunt, qui Baptismi materiam ignem esse voluerunt, propterea quod Christi Baptismus igni comparatur, & in igne fore dicitur, vt Iohannis in aqua; quemadmodum testatur Augustinus: & Papistæ quidem cum aqua sputum & alia huiusmodi miscentes peccant: etsi enim non ista faciunt, quasi sine his Baptismus non sit, tamen cum sine Scripturæ authoritate faciant, tanquam corruptelæ & sordes respui debent. Iohannes pura aqua baptizauit, sic & eius Apostoli: an nos meliorem Baptismum optemus, præsertim cum Christum ipsum sciamus hoc Baptismo baptizatum fuisse? & est hæc communis sententia, aquam, & quidem aquam elementarem ac

Matth. 3. 11. *Luc.* 3. 16. *August. de hæres.* c. 59.

naturaliter esse materiam Baptismi, & in illo necessario requiri. Lutherum hic perstringit Iesuita, quod rogatus, num si aqua deficiat, in lacte aut ceruisia baptizare liceret, respondisse dicitur, quicquid balnei nomine nuncupari potest, illud esse aptum ad baptizandum: at è lacte balneum fieri & ex oleo ac vino potest. An hoc Lutherus dixerit, nescio; non enim vidi illum librum, quem citat Bellarminus: sed si sic. Lutherus respondit, ei non assentior, nec eius iudicium hac in re probo: neque id Lutherus sensit, vt opinor. Nam analogia seruanda est inter signum & rem signatam; quæ optima & aptissima est inter sordium per aquam & peccatorum per Christi sanguinem ablutionem; at in lacte & oleo non constabit: neque enim lactis & olei ea natura est, vt abluant. Probari ergo non possunt, qui aut aliam materiam adhibent in Baptismo, quam aquam, aut hanc corrumpunt. Neque igitur in niue aut glacie baptizare licet, quia aqua fluida esse debet, alioqui non abluit; neque aquas factitias aut artificiales adhibere licet, qualis est aqua rosacea, quia hæ non elementares aquæ sunt, sed confectæ; ergo æquiuoce tantum aquæ sunt, quia sunt expressiones humorum ex herbis: in aqua autem ex aere concreto licet baptizare, quia est naturalis aqua; at si paulisper mutata aqua fuerit, accidentalis est. In re tam seria non est ludendum. Sed de his rebus non magna inter nos & Pontificios controuersia est.

Luther. in Symposiac. colloq.

Similiter præscripta à Christo & stata forma Baptismi est: non ergo immergere aut aspergere sufficit sine verbis sola voluntate baptizandi, aut quibus quisque verbis voluerit, sed ea verba requiruntur, quæ Christus pronuncianda esse voluit. Nam oportet vt verbum accedat ad elementum, alias non est Sacramentum; & verbum quidem Christi, non hominis cuiusquam, quia debet esse verbum vitæ, quod solius Dei est: ergo iis verbis peragi debet Baptismus, quæ Deus dictauit, & vsurpari præcepit. Facilius in forma peccatur, quam in materia: & vitium formæ naturam tollit potius quam materiæ. Multi hæretici gauiter hac in re peccarunt, dum formam mutarent: nobis sufficit, quod Christus diserte *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* Baptismum administrari iussit, atque ita omnino baptizandum esse credimus. Bellarminus Lutherum improbat, & meo quidem iudicio non sine causa, quod scripserit Baptismum ratum esse quibuscunque verbis collatum, modo in nomine Domini, non hominis cuiusquam, detur; vt si quis sic baptizaret, *Baptizote in nomine Iesu.* Etsi Lutherus vsitatam formam maxime probat, tamen quod hoc in loco scri-

Lutherus lib. de capt. Babylon. c. de Baptism.

scribit, non video qua ratione defendi possit; nam modo in nomine Domini collatus Baptismus sit, non aliud requirit; imo sine collatus quidem in nomine Domini sit, sed tantum susceptus, esse verum Baptismum ait: quod ego non puto verum esse. Christus enim præcepit, vt conferatur Baptismus in ipsius nomine, non modo sumatur; nec in eius nomine tantum, sed etiam Patris & Spiritus Sancti. Non quicquid Lutherus scripsit statim verum est, licet ille insignis Theologus fuerit: seruanda est forma à Christo præscripta. Ne vero damnent Aduersarii Lutherum propter hunc errorem: nam Caietanus Cardinalis æque turpiter erranit, qui Baptismum in nomine Trinitatis collatum sine Personarum expressa mentione verum esse Baptismum ait: quod omnes Scholastici & Pontificii alii negant.

Zuuingl. in lib. de ver. & fals. relig. c. de Baptism. sub finem.

Zuuinglius sic potius baptizandum putat, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quam, *In nomine Patris, &c.* quia Græce dicitur, εἰς τὸ ὄνομα, & sæpe legimus in Scripturis εἰς τὸ ὄνομα χριστοῦ; & efficacius est in nomen Dei, quam in nomine Dei baptizari; nam illud baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, est in horum fidem baptizari, vt qui prius eramus toti mundo dicati, nunc toti Deo consecremur: in nomine autem Patris, & Christi, & Spiritus Sancti baptizari, est auspiciis tantum & mandato horum baptizari. Sed non improbat Zuuinglius hanc baptizandi formam, neque improbanda est, quia legimus etiam in Scripturis administratum esse Baptismum ἐπὶ τῷ ὀνόματι χριστοῦ, & ἐν τῷ ὀνόματι Κυρίου, id est, *in nomine Christi, & in nomine Domini*: sed sensus debet esse, qualem Zuuinglius vult, vt non solum authoritate Dei, sed in eius fidem & cultum nos baptizari intelligamus. Quod vero reprehendit Lutherum Bellarminus, quod dixerit sufficere Christi nomen in Baptismo, certe etsi Lutherus non recte opinione mea sensit, tamen non solus sic sensit, quasi hæc noua Lutheri hæresis fuerit; nam idem ante illum Ambrosius, Beda, Bernardus, & Magister Sententiarum senserunt; quod Bellarminus ipse obseruauit: hi enim omnes putant Apostolos sic baptizauisse, & plerique etiam Scholastici, qui tenendam hanc plenam formam esse affirmant, & omnia Christi verba vsurpanda esse dicunt, Apostolos vero aliter baptizasse, scilicet tantum in Christi nomine, ex dispensatione quadam, quæ tamen nusquam in Scripturis habetur. Verum hoc non satis recte ab illis tenetur: si enim Apostoli tantum in nomine Christi baptizarunt, hanc esse veram formam non dubium est; & tum licet aliis Ministris eodem modo baptizare, & tamen Scholastici non esse hanc veram formam contendunt: at impium inprimis est putare, Apostolos legi-

Act. 2. 38, & 10. vlt. vers.

Ambros. in l. 1. de Spir. S. c. 3. Beda in Act. c. 10. Bernard. Epist. 340. Lombar. l. 4. d. 3.

legitimam Baptismi formam non seruasse. Quod vero interdum in Actis legimus, Apostolos tantum in nomine Christi baptizasse, id non de forma Baptismi, sed de fine & scopo intelligendum est : tota enim Baptismi vis in Christo continetur, qui solus confert, quod Baptismus significat. Et hanc quoque opinionem tenet Bellarminus, quam videtur à nostris Theologis hausisse: vnde illud colligi potest, eum cum suis pugnare; nam alii Papistæ arbitrantur & vno ore affirmant, Baptismi formam ab Apostolis mutatam esse, ex eoque colligunt, non necessario obseruandam esse formam Eucharistiæ, vt in vtraque scilicet specie administretur: sed discant illi ex Bellarmino suo, si nos audire nolunt, non esse ab Apostolis Baptismi formam mutatam. Neq; tamen ita superstitiose verbis adhærescendum esse existimamus, quasi esset vis occulta & magica in ipsis literis, modo sensus verborum retineatur; nec sentimus, vt ex illis quidam, ne vna quidem vocula aut syllaba à verbis aberrandum esse. In quorum numero est Innocentius quartus, qui tam delirus fuit, vt si quis sic baptizaret, *Ego Petrus baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, non esse verum Baptismum diceret : sed illum reprehendit Adrianus Pontifex, atque etiam Dominicus a Soto. Quare Græcorum formula legitima est, quæ est huiusmodi, *Baptizetur N. seruus Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* : & Bellarminus ipse, si quis sic baptizetur, *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii eius Iesu Christi, & Spiritus Sancti*, eum recte baptizatum esse putat, & illud, *Ego*, omitti posse existimat. At Græci in eo non probandi, quod Latinorum formam ita improbarunt, vt eos etiam rebaptizarent, qui à Latinis baptizati sunt. Debemus igitur formam à Christo præscriptam obseruare, sed non debemus tamen ita superstitiose verbis adhærere, vt nefas esse putemus vel vna vocula ab iis discedere. Græci vero sic potius baptizandum putant, vt diximus, quam cum expressione nominis Ministri propter illud Apostoli, qui hinc schisma autem esse dixit, dum alii se Pauli, alii Cephæ, alii Apollo se esse dicerent. Quod autem hanc Baptismi formam negat Bellarminus nos tueri posse sine Ecclesiæ authoritate & traditione, non mediocrem meretur reprehensionem; nam Euangelii expressa verba nos hanc formam docent, *Profecti docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: & licet quis contra calumniari possit, tamen dilui hæc calumniæ facile possunt. Sed ridiculum est tam leues consectari rixas,

in 4. d. 3. art. 3.

Adrian. in 4. q. 1. art. 3. Dom. 16.

Matth. 28. 19.

Finis primæ Quæstionis.

Quæ-

Quæstio II.

De necessitate Baptismi.

CAPVT I.

De statu Quæstionis.

MARC. 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur* : His verbis Christus credentibus & baptizatis salutem promittit: hinc quæri potest, num Baptismus tam sit ad salutem necessarius, quam fides, quia Christus cum fide Baptismum coniungit. Sine fide vero salui esse non possunt, qui modo ad audiendum Euangelium & credendum idonei sunt: paruulorum autem ante vsum rationis morientium alia videtur esse ratio. Igitur proxima Quæstio est num paruuli damnentur, si casu aliquo Baptismo priuentur, & num adultis credentibus, & tamen antequam baptizentur morientibus, modo nulla sua culpa Baptismo caruerint, non sufficiat fides ad salutem.

Bellarminus ex authoritate Concilii Tridentini statuit. Baptismum esse ad salutem necessarium: imo tantam esse Baptismi necessitatem contendunt Aduersarii, vt non modo adulti, si recusent, damnentur, sed etiam tam infantes quam adulti propter solam eius priuationem pereant. Nos, etsi contemptissse Baptismum sit morte dignum peccatum, quia qui Christi institutum contemnit, Christum contemnit; & non sumptisse cum possis, aut distulisse longius quam oportet sine necessaria causa, defendi nullo modo possit; tamen si homo ex animo credat, illi remissa esse peccata, & eum nihil à cœlo arcere posse, non Baptismi aut rei vllius externæ priuationem, dicimus; paruulis autem non magis fraudi esse, caruisse Baptismo, quam quod non actu credunt; nec posse illos propterea à salute excludi, sed quemadmodum sine actu credendi, ita & sine Baptismo seruari posse. Mortiferum est contemnere, at non mortiferum, si careat aliquis non sua culpa sine contemptu. Nos ergo sic esse necessarium Baptismum affirmamus, vt non debeat contemni, non autem simpliciter necessarium esse contendimus:

Concil. Trident. sess. 7. c. 2.

mus: non ergo pueros ideo perire, quod non baptizentur.

Bellarminus tres partes facit huius Quæstionis de Baptismi necessitate: *prima* est, an sit necessarius Baptismus: *secunda*, quando cæperit esse necessarius: *tertia*, an Baptismi defectus suppleri possit per Baptismum flaminis & sanguinis, id est, per martyrium & pœnitentiam: sed prima tantum nos attingit, reliquæ duæ inter ipsos agitantur; nos tamen quid doceant exponemus. Quod ad *primam* ergo partem attinet, Bellarminus nos esse Pelagianis peiores dicit, quia illi Baptismum necessarium esse dixerunt ad regnum cœlorum assequendum, etsi non ad remissionem peccati originalis; nos vero ad neutrum horum necessarium esse volumus. Sed hæc impudentissima calumnia est: duplex enim inter nos & Pelagianos dissimilitudo est. *Primo*, Pelagiani dixerunt infantes non habere peccatum vllum originale: ergo non esse necessarium Baptismum ad purgandum id quod omnino non est: nos infantes esse origiuali vitio coinquinatos dicimus: ideo egere purgatione, cuius Sacramentum Baptismus est.

Secundò, Pelagiani sine Baptismo paruulis salutem ac vitam æternam pollicebantur, sed eos esse à regno cœlorum alienos dicebant, vt testatur Augustinus; quo nihil stultius dici potest, quasi esset salus aut vita æterna extra regnum cœlorum. Imo hac in re Pelagianis simillimi sunt Papistæ: nam illi volunt parvulos sine *Baptismo* morientes nec gaudium nec pœnam sentire, id est, nec cœlum nec infernum adire: habent ergo vitam & salutem; non enim damnati sunt; tum enim ad pœnam adiudicarentur: & tamen non in cœlo sunt. Certe non fuit absurdior opinio Pelagianorum.

Augusti. de peccat. merit. l. 1. c. 10.

Caput II.

In quo diluuntur argumenta Aduersariorum.

Bellarminus Baptismi necessitatem tribus argumentis conatur confirmare. *Primum* eius argumentum sumitur ex Scripturis, ex quibus vnicum tantum locum affert, qui habetur Iohan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hæc verba ait non præceptum sed medium sonare, id est, vt alii Papistæ loquuntur, docent *Baptismum* esse necessarium necessitate finis, non præcepti. Nam finis necessitas maior est quam præcepti: multa enim præcipiuntur, quæ non simpliciter necessaria sunt, vt Eucharistia præcipitur, non tamen pereunt omnes, qui non percipiunt

Ioan. 3. 5.

piunt Eucharistiam, & eiusmodi sunt infinita: at necessitas finis est, quando nisi hoc fecerimus, non illum finem assequemur, vt nisi baptizeris, non saluus eris, quemadmodum volunt Papistæ.

Et hoc Bellarminus ex hoc ipso capite probat, quia ibidem legimus, *Quod natum est ex carne, caro est*, & *Oportet nasci denuo.* At non ait hic Christus neminem sine Baptismo seruari: carnales nascimur, & denuo nasci oportet, id est, regenerari; regeneramur autem per fidem, & Sacramentum regenerationis huius est Baptismus: quis enim sanus externum Baptismum regenerationem esse dixerit? externus Baptismus non nisi ablutio est in aqua, at regeneratio est interna. quædam gratia, eaque inuisibilis Sed hoc etiam probat Bellarminus ex figura ænei serpentis: vt olim serpens æneus (inquit) fuit remedium vnicum contra morsum serpentum: sic contra mortem æternam remedium est, renasci per fidem & Baptismum. At hoc de serpente æneo nostram sententiam confirmat: non enim ait Christus, Fide & Baptismo salutem consequentur homines æternam, vt qui olim æneum serpentem oculis intuebantur, corporis sanitatem consecuti sunt, sed vsum huius similitudinis postea docet, nempe *ita extolli oportere Filium hominis, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Christus ergo non intellexit per aquam Baptismum; tum enim hic cum fide Baptismum coniungeret: at fidei sollus mentionem facit. Quemadmodum ergo perfecte sanati sunt, qui serpentem spectabant: sic eos qui in Christum credunt à regno cœlorum nihil impedire potest. Sed exemplis adhuc rem illustrat Bellarminus: sic enim intelligenda vult esse hæc Christi verba, ac si quis diceret, Nisi comedas, non vives, vel, Nisi pharmacum sumas, non conualescres. Non minus ergo necessarius est Baptismus ad salutem illorum iudicio, quam cibus ad vitam sustentandam, aut pharmacum ad sanitatem recuperandam. Nos de hoc loco semel atque iterum antea respondimus, sed quia omnis hæc Quæstio hoc testimonio nitirur, nunc quoque sed presse & breuiter respondebimus.

Ioan. 3. 6. & 3.

Iohan. 3. 14. 15.

Negamus igitur expositionem, quam Papistæ faciunt huius loci, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; & respondemus *primo* cum Caluino, per aquam hic intelligi non elementum aquæ, sed mortificationem; oportere eos, qui in regnum cœlorum ingredi cupiunt, mori sibi & peccatis suis: & sic etiam Patres exponunt. Basilius per aquam intelligi mortificationem, per Spiritum viuificationem: neque vt

Ioan. 3. 5.

I. Caluin. in Antidot. Conc. Trid. ad sess. 6. c. 5.

Basil. in lib. de Sp. S. c. 15.

Bellarminus ait, præsupponit aquam significare veram & naturalem aquam, & tum quærit, cur aqua cum Spiritu coniungatur, sed cum de Baptismo multa dixisset, & adumbrari in Baptismo mortificationem docuisse: (*ὅτι νεκρὰ ἐνθάπτεται τῷ ὕδατι τῶν βαπτιζομένων τὰ σώματα, vt sepeliuntur in aqua baptizatorum corpora*) atque etiam viuificationem; huc accommodat quod Christus hic ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* id est, nisi quis peccatis moritur & viuit iustitiæ. Et nos sine mortificatione neminem seruari dicimus: sed sine Baptismo esse mortificatio potest. Sic Basilius hunc locum interpretatur, licet Bellarminus aliter.

II. *Secundò* cum eodem Caluino dico, per aquam Spiritum Sanctum intelligi, qui est instar aquæ, aquam igitur esse ἐξήγησιν & epithetum Spiritus Sancti: & hunc esse sensum, oportere nasci ex Spiritu, qui purgat, vt aqua.

Bellarm. de Sacr. l. 2. c. 3. Bellarminus ait, se refutauisse supra hanc expositionem, quia attulit quindecim testimonia Patrum, qui hunc locum de aqua Baptismi intelligunt. *Respondeo*: At expositio Scripturæ authoritate fundata non potest infringi aut eneruari Patrum etiam quinquaginta authoritate. Quasi vero Patres in suis expositionibus non errarint aliquando. Christus per aquam vim Spiritus Sancti intelligit, vt Ioannes Baptista per ignem: vtrumque elementum vim purgandi habet, & sic Spiritus Sanctus. *Matth. 3. 11.*

III. *Tertio*, Petrus Martyr ait, non esse vim faciendam in copula (&) quasi perinde aqua necessaria sit ac Spiritus: nam etsi copula (&) coniungit quædam, non tamen facit esse eiusdem conditionis & necessitatis: Paulus enim ait, *Corde creditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad salutem*: at quis dixerit parem esse necessitatem confessionis & fidei? nam sine confessione potest quis seruari, at non sine fide: potest enim aliquis ex metu Christum negare, & postea pœnitere. Bellarminus ait hoc esse miserum effugium, quia fides cordis necessaria est ad iustitiam acquirendam, confessio oris ad salutem non amittendam. At certe hæc misera responsio est: nam Paulus vult vtrumque esse ad salutem necessarium; & tamen vtrumque non est æque necessarium. Sed dicamus cum Bellarmino, confessionem esse necessariam, ne amittamus salutem; & sic aquam, ne amittamus regnum cœlorum: quemadmodum ergo qui volunt salutis participes esse, debent Christum confiteri, si hoc requiratur, nec salutem assequi possunt, qui confessionem, si ea opus fuerit, subterfugiunt: ita qui volunt intrare in regnum cœlorum, non debent recusare Baptismum, si haberi *III. Pet. Mart. in comment. in 1. Cor. 7. Rom. 10.*

haberi potest. Atque si hoc necessario de vera aqua sit intelligendum, ad eos tantum accommodari debet, de quibus hic Christus agit, nempe ad adultos Nicodemo similes, ad eos qui non crediderint, aut qui Baptismum contempserint.

Quartò, cum Wicleffo possem respondere, posse intelligi aquam, quæ fluxit ex Christi latere, vt sensus sit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, quæ fluet ex meo latere, id est, ex passione mea, saluus esse non potest. Pia hæc responsio est, sed non propria, quam proinde non sequor; nihil tamen contra hanc responsionem affert Bellarminus, quod solidum sit.

Primò affert consensum Patrum: sed consentiens expositio Patrum est in Theologia probabile tantum non necessarium argumentum.

Secundò ait, Scripturam intelligendam esse secundum verborum proprietatem, nisi aliter cogamur euidenti absurdo. At nullum dico posse esse euidentius absurdum, quam sic ad aquam alligare salutem, vt nisi corpus aqua abluatur, anima non seruetur; & hominem sine peccato suo aliquo perire. Nam carere Baptismo sine aliquo contemptu, non est peccatum vel originale vel actuale: non originale, quia tum fuisset peccatum ante institutionem Baptismi carere Baptismo: non actuale, quia sine voluntate committitur.

Tertio ait, quia nisi aqua hic pro naturali aqua sumatur, difficile erit statuere, Sacramentum Baptismi ex aqua constare. Imo facillimum. Ioannes enim in aqua baptizauit Christum: Eunuchus ait, *Ecce aquam: quid prohibet me baptizari?* Petrus ait, *Quis aquam prohibere potest, quo minus baptizentur isti?* in quibus locis omnibus necesse est veram aquam intelligi sine metaphora omni. Sed Bellarminus aliam VVicleffi rationem a responsionem prætermisit, quæ plus valuit; quia eam vidit non posse refutari. Itaque postremo cum eodem VVicleffo respondeo & dico, si Christus hic aquam Baptismi intelexisset, tum omnes ab eo tempore, quo Christus ea verba protulit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* sine Baptismo morientes periissent: Christus enim aperte ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: ergo Baptismus etiam tum necessarius fuit: at hoc falsum. *Matth. 3. 16. Act. 8. 36. & 10. 47.* *Vide VValens. tom. 2. c. 101.*

V. Nam *primò*, tum Christus viam ad cœlum arctiorem fecisset, si omnes per aquam Baptismi transite ad salutem debeant: at hoc insanum: Christus enim viam ad cœlum dilatauit: regenerari vero semper necessarium fuit.

Secundo, hoc cum Papistarum sententia, etiam cum disertis ipsius

Bellarm. de Sacra. Baptiſ. l. 1. c. 3.

ipſius Bellarmini verbis pugnat, qui in capite proximo, propoſitione tertia, affirmat, Baptiſmum non fuiſſe neceſſarium aut neceſſitate medii, aut præcepti, ante Chriſti mortem, hoc eſt, nullo modo neceſſarium fuiſſe ante mortem Chriſti: at quando Chriſtus dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* tum neceſſarium fuit etiam neceſſitate medii renaſci ex aqua: quare Chriſtus his verbis regenerationem neceſſariam eſſe ſtatuit, non Baptiſmum. Id patet ex ſcopo loci: nam Chriſtus Nicodemo viam ad ſalutem monſtrat; non vt ſe aqua abluat, ſed vt naſcatur denuo verſ. tertio, tum quid hoc ſit ἄνωθεν γεννηθῆναι, id eſt, *denuo naſci*, verſu quinto aliis verbis docet, ſcilicet purgari & renouari. Huic ſimile eſt, quod

Ioh. 6. 53. Chriſtus alibi ait, *Niſi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis*: non ibi de Sacramentali manducatione loquitur Chriſtus, ſed de ſpirituali: ita hic per aquam & Spiritum renaſci, eſt ſpiritualis non Sacramentalis natiuitas. Hæc VVicleffi ratio certiſſime euincit, Chriſtum non de Baptiſmo loqui; de qua nihil habet Bellarminus. Et quia adeo vehementer Patres vrget Bellarminus, de aqua hunc locum exponentes: reſpondeo cauendum eſſe, ne nimium Patribus hac in re adhæreſcamus. Id ex eo patet, quod Auguſtinus diſerte ſcribat, ex illo tempore, quo Seruator Chriſtus dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ſine Sacramento Baptiſmi neminem ſeruatum eſſe: at Bellarminus non fuiſſe neceſſarium Baptiſmum ait niſi poſt Chriſti mortem. Falſum ergo eſt, quod ait Auguſtinus. Atque hæc de primo Bellarmini argumento: habet enim non niſi hunc vnum locum ex Scripturis. Nam etſi quidam hunc Marci locum ſolent allegare, quem nos nunc tractamus: tamen Bellarminus, vt eſt cautus, vidit contra ſe facere: tum enim vt Baptiſmus infantibus neceſſarius eſſet, ita etiam fides actualis.

Augaſt. in lib. ad Petrum, c. 3.

Secundum argumentum ſumitur à teſtimoniis Patrum, & traditione Eccleſiæ: Semper Eccleſia credidit (inquit Bellarminus) infantes perire, ſi abſque Baptiſmo de hac vita recedant. At non ſic Eccleſia ſemper ſenſit, neque id Bellarminus docere poteſt. Quid Eccleſia primitiua ſenſerit, incertum eſt: nam licet multi Patres ſic ſcripſerunt, tamen multi Paſtores Eccleſiarum nihil omnino ſcripſerunt: itaque neſcit Bellarminus, an hæc conſtans Eccleſiæ opinio fuerit: & quidam etiam ex Patribus, qui ſcripſerunt, docent poſſe homines ſine Baptiſmi Sacramento ſeruari, nempe per Baptiſmum flaminis & ſanguinis. Imo inter Papiſtas ipſos aliqui contra ſtatuunt: nam Caietanus diſerte ait, ſi Baptiſmi facultas

cultas deſit, ſufficere crucis ſignum cum inuocatione Trinitatis.

Si verum ſit, quod Bellarminus ait, hic turpiter errauit. Affert Bellarminus Concilium Mileuitanum & Carthaginenſe, quibus interfuit Auguſtinus. Fateor illa Concilia ſic dixiſſe & ſenſiſſe: ſed reſpondeo ſine rubore erraſſe. Occaſionem errandi iis Patribus hæreſis Pelagianorum præbuit, qui infantes non habere originale peccatum dixerunt, ac proinde non opus habere Baptiſmo, quia non ſunt nati in ſordibus peccati. Iam vero vt huic errori acrius reſiſterent hi Patres, docuerunt infantes ita non naſci puros, vt ſine Sacramento regenerationis, quod contra originale peccatum valet, non ſeruentur: imo eo progreſſi hi Patres ſunt, vt non modo paruulis non baptizatis aditum in cœlum præcluſerint, ſed etiam in Tartarum & locum damnatorum eos detruſerint, & damnatorum ſuppliciis adiudicarint, cum Papiſtæ iis tantum Limbum quendam aſſignent, in quo nihil pœnæ ſentiunt.

Sed ego fateor Patres pleroſque nimium Baptiſmo tribuiſſe, inprimis Auguſtinum, quia rem habuit cum Pelagianis: imo ſimiliter ex ſimili errore (de quo monendi ſunt Aduerſarii) & Auguſtinus, & multi alii Patres, pueros etiam ſine Euchariſtia morientes perire affirmarunt: & Dionyſius Areopagita, vt vulgo vocatur (qui quanquam non eſt verus Dionyſius, tamen eſt Author antiquus) ait infantes ſtatim, vt baptizati ſunt, ſumpſiſſe Euchariſtiam, quemadmodum obſeruauit & Faber Stapulenſis, & Dominicus à Soto. Videte quam tutum ſit ex Patrum voce pendere.

Dionyſ. Areopag. c 2. de Hierarch. Eccleſ. Faber Stapulen. in cõment. in loc Domin. à Soto in 4. d. 12 art. 1. q. 9.

Vtrumque Scripturæ locum eodem modo interpretandum eſſe ſenſerunt hi Patres, & illum, de quo nuper reſpondimus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & alium illum, quem nuper citauimus, *Niſi manducaueritis carnem Filii hominis, &c.* ſimilem vtriuſque loci ſententiam eſſe dicunt. Et hoc certe Patres ſenſerunt, Papiſtæ vero de Baptiſmo quod ſenſerunt Patres, vrgent acerrime, de Euchariſtia autem cum illis non ſentiunt.

Tertium & poſtremum Bellarmini argumentum ſumitur à ratione deprompta ex noſtris fundamentis, vt ille ait. Noſtra fundamenta ille facile euerti poſſe putat: ſi vero fundamenta noſtra facile euertantur, tum illi rectius ſentiunt quam nos. Noſtrum vero fundamentum ait eſſe, filios Chriſtianorum naſci liberos à reatu peccati originalis, quia non eis imputatur, cum ſint filii Sanctorum. Sed non hoc noſtrum fundamentum eſt: neque enim omnes Chriſtianorum liberos putamus naſci

sine reatu originalis peccati, aut si moriantur vel post Baptismum, omnes seruari: hoc Deo soli notum est.

Nostrum hoc fundamentum est, Nouit Deus, qui sint sui; & aliud, Salus non est sita in rebus externis, vt carere re externa, præsertim sine culpa nostra, sit nobis fraudi capitali; & aliud, Electi non possunt perire vllo casu: at possunt pueri casu non baptizari. Hæc fundamenta debuit Bellarminus euertere: at non potuit: ergo nouum fundamentum excogitauit, quod nostrum non est. Quid tamen afferat videamus, quia quæ obiicit, & ad eorum errores melius intelligendos, & ad nostræ sententiæ veritatem magis perspicuam reddendam, multum conducunt.

Rom.9.13. *Primò* igitur obiicit Iacobum & Esau, qui erant filii optimi patris, & tamen Deus Iacobum dilexit, Esau autem odio habuit, antequam aliquid boni vel mali egissent: non ergo filii sanctorum nascuntur sancti. Petrus Martyr respondet, filios sanctorum nasci sanctos, quando sunt prædestinati: & quia nos nescimus, qui prædestinati sint, bene sperandum de omnibus filiis sanctorum, donec suam reprobationem probant.

Pet. Mar. in comment. in 1. Cor. 7.

Bellarminus ait, hanc esse ineptam responsionem, quia bene sperandum de omnibus infantibus; sæpissime enim contingere, vt filii fidelium sint reprobi, & filii infidelium sint prædestinati. *Respondeo primo*, Si Deus inter infideles, id est, ethnicos habeat vllos prædestinatos, id esse extraordinarium: nobis autem huius rei nulla est notitia. At nouimus Ecclesiam prædestinatorum esse inter eos, qui fidem profitentur. Sperandum quidem de omnibus, donec contrarium appareat. *Secundo.* Filii sanctorum sancti dicuntur, non quod singuli gratiam sanctificationis habeant, sed quod omnes beneficio fœderis diuini pro sanctis reputentur: nam omnes Adæ posteri in peccato nascuntur: ex his Deus quosdam selegit, quibus cum fœdus percussit: hos omnes sanctos esse dicimus ratione fœderis: quos vero Deus suo Spiritu ex his sanctificet, nos nescimus: sperandum vero bene, quia in hoc semine est Dei gratia. *Si radix sancta sit* (inquit Paulus) *etiam rami: si primitiæ sanctæ*, sancta *etiam messis*. *Tertio.* Illud, in quo præcipua vis responsionis consistit, quam adhibet Petrus Martyr, hoc est, quod ii, qui vere sancti sunt, quales multi sunt fidelium filii, non possunt propter Dei prædestinationem perire; quod probat exemplo Iacobi, de quo dicitur, *Iacob dilexi*: non ergo perire is potuit, etiamsi non circumcisus fuisset: sic Deus multos diligit antequam nascuntur, & tales perire non possunt, etiamsi careant Baptismo:

smo: quos vero Deus odit, vt Esau, non ii seruari possunt, quia Sacramenta sumunt. De hoc nihil respondet Bellarminus, quia non potuit diluere.

II. *Secundo* Dauidis exemplum obiicit: Dauid (inquit) erat filius *Psal.51.6.* fidelis hominis, & tamen ait, *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: & Paulus Apostolus erat filius sanctorum, vt ipse affirmat, & tamen ait, *Eramus & nos natura filii* *2. Cor. 11. 21. Ephes. 2. 3.* *iræ*. *Respondeo.* Hi loci docent, quales homines in se sint: sed quando Deus quosdam suo Spiritu sanctificat, & non imputat illis peccatum, sancti esse possunt, quia hoc est gratiæ, illud naturæ.

Bellarminus ait, esse filium iræ, sonare reatum; & certe qui sunt filii iræ, sunt in reatu, quamdiu sunt in natura sua filii iræ, id est, donec à Christo liberentur. Apostolus de cuiusque conditione naturali loquitur, & quidem etiam prædestinati nascuntur filii iræ, & sic manent, quoad sanctificentur: sed è filiis iræ, quales omnes sumus natura, quid nos facit filios gratiæ & Dei? num Baptismus? non; sed tantum Spiritus per se; cuius beneficii Baptismus est Sacramentum. Sed Papistæ Baptismum nos facere filios Dei affirmant: quod si verum sit, tum omnes qui baptizantur, salutem æternam consequentur: at hoc absurdissimum, cum electi, & prædestinati, atque etiam reprobati sint homines, antequam nati sint; quod exemplum Esaui & Iacobi demonstrat. III.

Tertiò, obiicit Bellarminus, loca Apostoli Pauli de peccato originali generalia esse, vt Roma- *Rom.5.* 12. norum quinto, *In quo omnes pec-* 1. Cor. 15. *cauerunt*, & priori Corinthiorum decimoquinto. *Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Bellarminus ait, *primo*, hæc loca (quanquam in loco posteriori ab illo citato nihil tale habetur, quale ille vult) non posse exponi de vitio naturæ, non de reatu: nam alias (inquit) nemo haberet reatum. *Respondeo*: Omnes peccauimus, & omnes in peccatis mortui sumus: sed tamen non omnes in reatu nascimur; nam quidam in vtero sancti sunt, vt Ioannes Baptista & Ieremias: Num vero sequitur, nullos nasci in reatu, aut neminem habere reatum, quia è communi conditione Deus quos vult eximit?

Secundo, Bellarminus ait, non posse dici, filios fidelium contrahere originale peccatum, sed mox dimitti eis, antequam nascantur: nam si filii fidelium ideo sanctificantur, quia sunt filii fidelium, eodem momento incipient sancti esse, quo incipiunt esse filii fidelium: at eodem momento incipiunt esse filii fidelium, quo incipiunt esse simpliciter:

citer: ergo nunquam habent peccatum originale: quod est contra Paulum, inquit, & contra ipsos Aduersarios. *Respondeo primo*: Non sanctificantur, quia sunt filii fidelium, sed sancti nascuntur; nec natiuitas ipsa facit sanctos, sed Spiritus. Spiritus autem ex Dei fœdere eos sanctificat, qui è sanctis nascuntur, quos voluerit. *Secundo* Dico, posse habere originale peccatum, qui sancti sunt; alias nemo sanctus esset: semper enim originale peccatum hæret.

IV. *Quartò*, obiicit Bellarminus, nostrum fundamentum pugnare cum communi axiomate omnium Christianorum, & omnium Patrum, quod est, Christianos non nasci, sed fieri: & citat Hieronymum & Tertullianum: at secundum Caluinum & Martyrem, inquit, Christiani nascuntur, non fiunt. *Respondeo*: Nostrum fundamentum non pugnat cum illo axiomate. Nemo nascitur Christianus, id est, nemo ex natura sua in Adamo est Christianus, aut filius Dei: at gratiæ munere possunt aliqui nasci filii Dei, vt Iacob, Iohannes Baptista, Ieremias & alii huiusmodi.

Hieron. in Epist. 7. ad Letan. Tertull. in Apolo. c. 17. in fine.

***

CAPVT III.

In quo nostra argumenta proponuntur & defenduntur.

POSTQVAM Papistarum argumenta pro necessitate Baptismi diluimus, sequitur vt priuationem Baptismi non esse infantibus fraudi aut noxæ capitali doceamus. *Primum* nostrum argumentum sumitur ex Geneseos decimoseptimo. *Ero Deus tuus, & seminis tui.* Hoc Abrahæ eiusque posteris dictum est, & nos in eorum locum successimus: nos enim sumus filii Abrahæ per Christum: dirupta nunc maceria est, quæ nos à populo Dei diremit. Bellarminus ait, *primo*, se supra docuisse, hanc non esse promissionem de remissione peccatorum, sed de peculiari protectione, & fælicitate terrena. Et nos supra abunde docuimus, quam hæc falsa & absurda responsio sit. *Secundo*, ait, sensu mystico esse promissionem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, & ad nos pertinere. *Respondeo*: Imo in sensu genuino & maxime proprio. Confitetur ergo illam promissionem aliquo modo esse de remissione peccatorum, & vita æterna, & ad nos pertinere: ergo semini nostro promissa est peccatorum remissio. *Tertio* at, hoc esse verum, sed hanc promissionem descendere ad nos non per carnalem generationem parentum, sed per spiritualem regenerationem Christi, quia illi sunt veri filii Abrahæ, non qui carnis, sed qui fidei fiii sunt, id est, qui imitantur fidem Abrahæ. *Respondeo primo*: Si illa promissio ad nos pertinet, tum aut eo modo, quo ad Abrahæ posteros, aut non: si non eo modo, tum frustra diruta & sublata materia est, qua disiunctio à Iudæis fuimus: sed non frustra sublata est: ergo nos in Abrahæ familiam asciti sumus, & eo modo hæc promissio ad nos pertinet, quo ad illos pertinuit, ita vt quam primum quis natus est ex fideli parente, statim sit filius Abrahæ, & censeatur in semine fidelium, etiam antequam baptizatus est: nam priusquam Iudæus aliquis circumcisus fuit, habebatur in numero filiorum Abrahæ: ergo nunc etiam, quando aliquis nascitur ex fideli parente, est filius Abrahæ, etiamsi non fuerit baptizatus: Baptismus enim non facit filios Abrahæ, sed natiuitas, quia nascimur in fœdere. *Secundo*, Hæc promissio pertinet ad semen: ergo ad liberos fidelium, eo quod fidelium liberi sint: Deus enim non modo se Abrahæ, sed & eius semini se Deum fore promittit; vnde quiuis è posteris Abrahæ potuit hanc promissionem vendicare: similiter omnes Christianorum liberi possunt eandem iure natalium vendicare, quia ex fidelibus nascuntur. *Tertio*, Quod ait fidem facere filios Abrahæ, id est, eos pro veris filiis Abrahæ habendos, qui fidei, non carnis filii sunt, idque ex Romanorum quarto, & nono, & ex Galat. tertio & quarto probat, dico illud non solum nunc verum esse, sed etiam in vetere Testamento verum fuisse: nam Isaac eius verus filius, Ismael adulterinus fuit: Deus enim Abrahæ ait, *In Isaaco vocabitur semen tuum*; non, in Ismaele. Sicut ergo in vetere Testamento non nisi in electis suum plenum complementum habuit hæc promissio: similiter etiam in nouo Testamento. *Quarto*, Quod ait, tum nos incipere esse filios Abrahæ, cum incipimus esse fideles, quod paruuli non faciunt, nisi cum baptizantur; *Respondeo*: paruulos esse filios Abrahæ, antequam baptizantur, etiam vt primum nati sunt: alias enim non deberent baptizari. Vt olim in vetere Testamento nullus infans circumcisus est, nisi qui fuit Abrahæ filius, quia Deus nulli nisi Abrahæ semini hanc promissionem fecit, *Ero Deus tuus*: ita nunc nemo ad Baptismum adducitur, nisi quod Abrahæ filius sit: non ergo fiunt Abrahæ filii in Baptismo, sed quia sunt Abrahæ filii, ideo baptizantur, vt circumcisio olim non fecit Abrahæ filiorum, sed quia quis Abrahæ filius fuit, ideo est circumcisus:

Gen. 21. 12.

ergo adducere aliquem ad Baptiſmum nunc, qui non ſit filius Abrahæ, eſt ſigillum affigere falſo diplomati. *Quinto*, Quod ait, Auguſtinum dicere, Paruulis baptizari eſt credere: *Reſpondeo*, me non poſſe Auguſtini teſtimonium admittere in hac cauſa, quia hic multa durius ſcripſit hac de re, & præbuit occaſionem multorum errorum de Baptiſmo. Si verum ſit, quod Auguſtinus ait, *Credere eſt infantibus baptizari, non credere non baptizari*, tum omnes infantes qui baptizantur, credunt, ideoque ſeruantur, & omnes non baptizati non credunt, ideoque damnantur; quod palam cum æterna Dei electione pugnat, qui ait, *Iacob dilexi, Eſau odio habui*, antequam naſcerentur, &, *Miſerebor cuius miſertus fuero*. *Sexto*, & poſtremo, quod ait, non poſſe nos fieri filios Abrahæ per carnalem generationem, cum parentes noſtri ab Abraham non deſcendant; *Reſpondeo*: non ſic quidem nos eſſe filios Abrahæ, vt Iudæi fuerunt, nempe ſecundum ſanguinem; ſed dici tamen filios Abrahæ, quia ex Dei dono in locum Iudæorum ſucceſſimus. Veri rami defracti ſunt, & nos in radicem inſiti, accenſemur eius legitimis filiis: & quia Deus nobiſcum nunc idem fœdus pepigit, quod cum illis, ideo filii Abrahæ dicimur, non quod carnaliter ab Abrahamo deſcendimus, ſed quia iiſdem priuilegiis fruimur. Iam ergo cum priuilegium Abrahæ, & fœdus cum Abraha factum ad nos pertineat, ſicut omnes Abrahæ liberi erant in fœdere; ſic noſtri omnes: & ſicut Deus omnibus eius liberis erat Deus, etiam ante octauum diem, imo vt primum nati ſunt, quia dixit, *Ero Deus tuus & ſeminis tui*; ſic & noſtris liberis ante Baptiſmum: & cum illa promiſſio confitente Bellarmino ſit remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ: ergo promiſſio hæc ad omnes Chriſtianorum liberos, quoſcunque Deus elegerit, ex vi fœderis pertinet.

Auguſt. de peccat. merit. & remiſſ. l. 1. c. 27.

Rom. 9. 13. 15.

Secundum noſtrum argumentum ſumitur ex priori Corinthiorum ſeptimo, *Alioqui filii veſtri immundi eſſent; nunc autem ſancti ſunt*: vnde ſic diſputamus, Fidelium parentum liberi ſancti ſunt & mundi etiam ante Baptiſmum: ergo ſine Baptiſmo ſeruari poſſunt. Bellarminus cum Auguſtino reſpondet, quæcunque ſanctificatio hic intelligatur, non poſſe vllo modo hinc colligi, filios fieri ſanctos ſine Baptiſmo. *Reſpondeo*: At Auguſtinus multo rectius in eodem capite de tali ſanctificatione hunc locum intelligit, qua ſancti naſcebantur filii fidelium, & hoc Apoſtoli verba ſonare, & quodammodo cogere. Si recte Auguſtinus ſcripſerit, dicamus neceſſe eſt, quoſdam naſci ſanctos. Sed obiicit ſecundo Bellarminus, Paulum ibidem dicere, ſanctificari coniugem infidelem per fidelem, & tamen, inquit, ſtultiſſimum eſſet credere, coniugem infidelem peruenire poſſe ad remiſſionem peccatorum ſine conuerſione ad Deum & Baptiſmo.

1. Cor. 7. 14.

Auguſt. de pecc. merit. & remiſſ. l. 1. c. 27.

Reſpondeo: Quod Paulus ait, vir infidelis ἡγίασται, id eſt, *ſanctificatur* in vxore, vel, per vxorem, non hoc de priuata perſona viri, ſed de conditione illa qua eſt maritus, intelligendum eſt, fidelem ſcilicet vxorem ſanctificare matrimonium & ipſum coniugium purum facere, vt vxor fidelis non polluatur conſuetudine viri infidelis: cum ergo ipſum coniugium ſanctum ſit inter eos, quorum impar eſt religio, id eſt, quorum alter tantum eſt fidelis, quanto magis ſanctum eſt coniugium, quod contrahitur inter duos fideles? & ſi coniugium mundum & ſanctum ſit, & non quale ethnicorum, ſemen quoque illorum purum ſit neceſſe eſt: nam *ſi radix ſancta fuerit, rami etiam ſancti ſunt*. Sicut ergo illa ſanctificatio coniugii facit, vt hoc coniugium multo ſanctius ſit, quam infidelium: ſic neceſſe eſt liberos horum ſanctiores cenſeri, quam liberos infidelium.

Rom 11. 16.

At Bellarminus inter filium Chriſtiani fidelis & pagani nihil differre putat ante Baptiſmum: quod aperte pugnat cum hoc loco. Ita videtis, quid interſit inter noſtram ſententiam & illius: ille docet Chriſtianorum liberos ante Baptiſmum eſſe tam impuros, quam ſunt liberi infidelium: at nos contra, vt coniugium illorum ſanctum eſt, ita liberos etiam ſanctos eſſe dicimus. Sed Bellarminus, quia nondum ſatis ſibi reſpondiſſe videtur: ait eſſe tres Patrum expoſitiones huius loci.

Prima eſt, ſanctitatem hic quandam ciuilem intelligi, qua filii ſint legitimi, non ſpurii: & hæc expoſitio eſt Ambroſii, Anſhelmi, & Thomæ Aquinatis: at Petrus Martyr hanc expoſitionem iuſte reprehendit, quod etiam infidelium filii ſint legitimi, ſi in coniugio legitimo nati fuerint: ergo alia ſanctitas hoc loco neceſſario intelligenda eſt.

Pet. Mar. in comment. in 1. Cor. 7.

Bellarminus hanc expoſitionem defendit, & Petrum Martyrem reprehendit, ſed non ſatis commode: ait enim, etſi coniugium inter ambos fideles, aut ambos infideles legitimum ſine dubio ſit, tamen de coniugio inter fidelem & infidelem dubitari poſſe, an coniugium legitimum ſit, propter religionis diſparitatem: nam fidelis videtur pollui conſortio infidelis. *Reſpondeo primo*, liberos fidelium dici ſanctos ciuili quadam ratione, nimirum propterea quod nati ſint in legitimo matrimonio, abſurdum eſt. Nuſquam ſic Apoſtolus: & quis nunc Iudæorum aut Saracenorum liberos naſci ſanctos diceret? nam

nam ſanctitas eſt contraria natiuæ corruptioni : at illi in peccatis toti naſcuntur, quia à fœdere prorſus alieni ſunt. *Secundo.* Apoſtolus ait, virum infidelem ſanctificari in coniuge fideli: num hic ſenſus eſſe poteſt, eum fieri legitimum maritum propter coniugem fidelem : imo ſenſus eſt, coniugium hoc ſanctum eſſe, non modo legitimum, propter alterius ſanctitatem. *Tertio,* Quod ad Ambroſium attinet, illius incommoda expoſitio eſt : nam iuxta illum, ſi fidelis dimitteret infidelem nolentem vna habitare, & ſe alteri copularet, illius liberi forent adulterini : quod verum quidem eſt, ſed Apoſtolus tali hypotheſi non eſt vſus, vt fidelis dimittat infidelem, ſed ait, niſi infidelis per fidelem ſanctificaretur, liberos eorum eſſe immundos; non ait, quos in altero coniugio, id eſt, in adulterio, ſed quos in hoc coniugio ſuſcipiunt. Sed Ambroſii alia quoque expoſitio eſt, illorum liberos mundos vel ſanctos dici, quia nati ſunt ſub creatoris veneratione ex parte propenſiore, id eſt, quia parens alter fidelis Deum veneratur. Thomas autem non recte, quando illud, vir infidelis ſanctificatur per coniugem fidelem, ſic exponit, id eſt, fidelis nullam ex cohabitatione pollutionem accipit : at Apoſtolus non modo fidelem non pollui ex infideli, ſed infidelem ſanctificari ex fideli ait.

Secunda expoſitio eſt, filios horum coniugum dici ſanctos, quia conſecrantur Deo ab altero coniuge fideli, & Chriſtiani per Baptiſmum fiunt, & in timore Dei educantur. Sic Patres nonnulli, inter quos eſt Auguſtinus, qui alicubi ait *quandam aſperginem ſanctitatis à piis parentibus ad liberos peruenire* : & Hieronymus ait, *infidelem cum fideli permanentem eſſe quaſi candidatum fidei, quia non ſic odit nomen Chriſtianum, vt non poſſit pati vxorem eſſe Chriſtianam.* Sed Petrus Martyr hanc etiam expoſitionem reprehendit, quia ſæpe ex ſtupro nati liberi Deo conſecrantur, vt Adeodatus Auguſtini filius, quem pater pie educauit.

Auguſt. de peccat. merit. & remiſſ. l. 1. c. 26. & l. 3. c. 11. & de ſerm. Dom. in monte, l. 1. c. 27. Hieron. cont. Iouinian. l. 1.

Nec valet quod Bellarminus ait, ſcortationem rem impuram & illicitam eſſe: nam nihilo minus qui ex ſtupro naſcuntur poſſunt Deo conſecrari; nunc enim de liberis loquimur, non de parentibus: ſi ergo ſancti ſunt, qui Deo conſecrantur, ex illicito coitu nati non minus ſancti dici poſſent, quam ex licito; & cum vir ſanctificatur infidelis, num Deo ſtatim conſecratur ? Sed addit Martyr præterea, quod Bellarminus tacuit, Apoſtolum velle illius matrimonii ſanctitatem confirmare : quod autem filii ſic conſecrantur Deo, hic fructus potius eſt talis matrimonii: non ergo ipſius matrimonii ſanctitatem probat. Tum ſæpe non permittuntur fideles baptizare ſuos

ſuos liberos ab infideli parente. Et quod Hieronymus ait, infidelem cum fideli habitantem eſſe candidatum fidei, & non penitus ſibi exoſum eſſe nomen Chriſtianum illa cohabitatione indicare; ſæpe legimus viros à Chriſtianiſmo abhorruiſſe, qui tamen cum Chriſtianis coniugibus vixerint: non ergo hæc vera expoſitio eſt.

Tertia expoſitio eſt, infidelem coniugem per fidelem ſanctificari, quia diſcebat leges coniugii ſeruare, & non abuti Matrimonio. At ſeruare leges coniugii multi ſolent inter Ethnicos optima fide, & non abuti matrimonio : Apoſtolus vero de tali ſanctitate loquitur, quæ non reperitur inter duos infideles. Has omnes expoſitiones commentitias eſſe patet : ergo noſtra vera eſt, ſanctos naſci, quia ſunt in ſancto fœdere, non quales Ethnicorum liberi toti impuri. Catharinus doctiſſimus Papiſtæ, ait ſe aliorum commenta nolle dicere: nullam enim videre ſe expoſitionem, in qua acquieſcat: ergo ille non probat has Bellarmini expoſitiones, ſed ſequitur noſtram, qui tamen fuit à noſtra propoſitione alieniſſimus. Ait ſcilicet matrimonum infidelium eſſe immundum, quia non generant liberos Deo; ſi vero alter fuerit fidelis, liberos non eſſe immundus Deo, quia partus ſequitur parentem fidelem, & poteſt alter parens baptizare : at ambo-

Cathar. in locum.

rum infidelium liberi non baptizandi: Deum enim ſpecialiter reſpicere filios fidelium : & filios dici mundos propter parentes mundos. Ergo cum primum naſcuntur mundi ſunt, etiam antequam baptizantur.

Tertium noſtrum argumentum nunc proferemus, quod eſt huiuſmodi : Baptiſmus profanaretur, ſi iis, qui ad Chriſtum non pertinent, daretur, vt Regium ſigillum profanatur, cum falſo diplomati apponitur. Bellarminus alt, non profanari : Baptiſmum, cum datur immundis, ſed contra potius ſanctificare & purgare immundos. *Reſpondeo* : Si Baptiſmus eſſet cauſa ſanctificationis, verum eſſet, quod ait Bellarminus: gratia enim cum datur immundis, non profanatur, ſed ſanctificat eum cui datur: at nos antea docuimus, nec Baptiſmum nec vllum Sacramentum eſſe cauſam ad inſtrumentum phyſicum ſanctitatis & gratiæ, ſed eſſe gratiæ ſigillum : ſigillum autem ſemper ſequitur donum: ei vero ſigillum dare, qui non habet donum, imo cui nihil promiſſum eſt, eſt abuti ſigillo.

Sed Bellarmiuus negat Baptiſmum eſſe ſigillum acceptæ gratiæ, ſed ait eſſe inſtrumentum conferens gratiam; quod à nobis ſupra refutatum eſt. At Apoſtolus Circumciſionem vocat ſigillum, & quidem gratiæ ac muneris antea accepti ; nam ait accepiſſe Abraham ſignum Cir- *Rom. 4 11.*

cumcisionis, quod obsignaret iustitiam fidei, quam in præputio habuit: cum ergo Baptismus in locum Circumcisionis successerit, eandem naturam & vsum habeat necesse est. Quemadmodum ergo Circumcisio nullis immundis adhiberi debuit, id est, alienis à fœdere: ita Baptismus nunc nullis immundis dari debet, quia hoc est profanare Baptismum.

Nam si Baptismus dari potest ils, qui ad Christum non pertinent, vt vult Bellarminus, tum quidni adultis infidelibus, si modo se baptizari patiantur, quia Baptismus illis statim gratiam conferret, & illos sanctificaret? quod nemo dixerit. Cur autem non dari debet iis, si modo velint accipere, quantumuis se in Christum non credere profiteantur? ratio est, quia ad Christum non pertinent: ergo nec vllis dari Baptismus debet, qui ad Christum non pertinent. Videte hic, vt Bellarminus Christianorum infantes ante Baptismum ad Christum non pertinere, sed plane immundos esse statuat; quo nihil magis Christianis auribus absonum dici potest: nam qui non habent partem in Christo, iis Baptismus adoptionis in Christo symbolum & sigillum dari non debet. Sed hoc palam cum Scripturis pugnat; nam Deus se Iacob dilexisse ait, antequam natus est: ergo ad Deum pertinebat. Quid? an nullos nunc Deus ante natiuitatem eligit & diligit? imo omnes prædestinatos & electos etiam πρὸ καταβολῆς κόσμου, id est, *ante iacta mundi fundamenta*: an eos quos Deus prædestinauit, dicemus ad Deum pertinere? sic quidem Bellarminus, cum nullos infantes ad Christum pertinere ante Baptismum ait. At quos Deus ad vitam prædestinauit, antequam nati sunt, non possunt ii non ad eum pertinere, cum nati sunt. *Ephes.* 1. 4.

Quartum nostrum argumentum sumitur ab exemplo Circumcisionis: Infantes Iudæorum ante octauum diem non poterant circumcidi: at nemo dicet omnes periisse, qui ante octauum diem moriebantur: eadem vero apud nos Baptismi ratio est, quæ olim Circumcisionis apud Iudæos fuit. Bellarminus ait, argumentum totum constare ex rebus incertis: nam *primo* multos veterum negare Circumcisionem datam esse in remedium contra peccatum. *Respondeo*: Nos supra ex Scripturis, & Patribus, & Scholasticis docuimus, fuisse illis Circumcisionem, quod nobis Baptismus, & eandem vim habuisse: cum ergo non perierunt omnes, qui mortui sunt ante Circumcisionem, quare pereunt, qui moriuntur ante Baptismum.

Secundo ait Bellarminus, nescire nos, an ante octauum diem haberent infantes Iudæorum aliquod remedium, & quod illud esset: quanquam Dominicus à Soto putat licuisse circumcidere aliquem ante octauum diem in tempore necessitatis, hoc est, in periculo mortis: quod plane contra diuinum institutum fuit. Sic illi coguntur multa comminisci. At reuera nullum fuisse remedium certissimum est, quia Deus non vllum præcepit, nec de vllo in Lege prouidit: nusquam Scriptura docuit, quid fieri oportuit, si infantes ante octauum diem periclitarentur: quod certe non tacuisset, si sine aliquo remedio de illorum æterna salute actum fuisset. Nec aliquis vnquam legitur pro filio ante diem octauum moriente tanquam pro perdito luxisse. Legimus septimo die mortuum esse puerum, qui fuit Dauidi natus ex adulterio; quod plerique de septimo die à natiuitate interpretantur: non tamen propter hoc lugebat illum Dauid tanquam damnatum. Et si in pueris fuisse remedium dicamus, quid de illis statuemus, qui per quadraginta annos in deserto caruerunt circumcisione; quo tempore multi procul dubio mortui sunt: num illi omnes perierunt? aut num alio remedio vsi sunt? at quo? & quare non æque circumcisione ac illo remedio vsi sunt? absurdum vero est, quod dicunt Scholastici, ideo non fuisse circumcisos, qui erat illis quotidie progrediendum: nam aliquando per integrum annum morati sunt in vno loco. 2. *Sam.* 12. 18.

Tertio ait Bellarminus, non esse eandem rationem Christianorum & Iudæorum. *Respondeo*: at certe non est iniquior conditio Christianorum: esset autem multo iniquior, si sine Baptismo morientes pereunt.

Quarto ait, omnes homines nasci, peccatores, & non nisi per Christi passionem certis mediis applicatam saluari. *Respondeo*: ergo circumcisio fuit medium applicandæ mortis Christi, quod tamen ille negat: aut illi nullum medium habuerunt, & sic perierunt. Certe Scholastici fere omnes statuunt, seruatos esse infantes in vetere Testamento, quotquot ante octauum diem mortui sunt, per fidem parentum, sine aliquo commentitio remedio: quidni ergo etiam nunc in nouo Testamento per Parentum fidem seruentur?

Quintum & postremum nostrum argumentum hoc est: Si Baptismus sit necessarius, peribunt sine sua culpa infiniti infantes. Bellarminus ait, Dei iudicia esse occulta. *Respondeo*: at hoc non est iudicium, vt aliquis sine culpa sua pereat. At habent (inquit) peccatum originale. *Respondeo*: At huius peccati remedio carent sine culpa sua, quod alii habent sine opera sua.

Et

Et quid si prædestinati fuerint? an tum etiam sine Baptismo non seruantur? Bellarminus ait, Bucerum & Martyrem ineptissime dicere, infantes prædestinatos etiam sine Baptismo saluari: quos enim Deus prædestinauit, inquit, iis remedia ad salutem efficacissime prouidit. *Respondeo:* Verum hoc quidem est: nam hoc remedium est Christus, non Baptismus; *prædestinauit nos*, inquit Apostolus, *ad adoptionem per Iesum Christum*, non, per Baptismum. Sed Bellarminus clausulam subiungit Theologo indignissimam, omnes qui in infantia moriuntur, si sint prædestinati, sine dubio baptizari; vnde sequitur, eos qui non baptizantur, sine dubio non esse prædestinatos: quo nihil absurdius. Nemo enim Dei prædestinationem nouit: at si certum sit Baptismo cum moritur carentem non esse prædestinatum: tum certo posses dicere, eum esse reprobatum; quod parentes perpetuo torqueret. Sed vt Dei gratia, sic Dei prædestinatio est libera, nullis astricta Sacramentis: & vt qui prædestinantur, ante Baptismum sunt prædestinati; sic ante Baptismum ad Deum pertinent.

Ephes. 1. 5.

***

CAPVT IV.

De Baptismo sanguinis & flaminis.

DE Baptismo proprie dicto hucusque disseruimus: sed est quidam metaphoricus Baptismus, isque duplex, sanguinis scilicet & flaminis. Cum ergo Papistæ Baptismi necessitatem tuentur, de Baptismi Sacramento loquuntur: cum tamen vrgentur acrius, & exempla proferuntur, tum Baptismi quædam supplementa substituunt. Multi enim sine Baptismo mortui sunt, quos plane periisse non audent dicere: dicunt ergo martyrio & pœnitentia Baptismum suppleri: ex quo nos argumentum colligimus contra Baptismi necessitatem in hunc modum: Martyrium & pœnitentia non sunt Baptismus nisi metaphorice: ergo sine Baptismo saluari possumus, si absit contemptus. Scriptura enim si Baptismum esse necessarium dicit, de vero Baptismo loquitur; non admittit vllas Baptismi commutationes: si ergo ex confessione Aduersariorum sine Baptismo vero seruari possumus, falsum est Baptismum esse necessarium: docent autem Baptismum sanguinis & flaminis sufficere, cum veri Baptismi facultas deest: ergo non est Baptismus aquæ simpliciter necessarius. De Martyrio Bellarminus ait, recte dici esse quoddam Baptisma: nos vero non nisi improprie & æquiuoce Baptismum esse dicimus; & si Baptismus sic, vt illi volunt, necessarius sit, non posse ad salutem sufficere sine vero Baptismo affirmamus. Sed Bellarminus dupliciter probat, Martyrium recte dici & esse Baptisma quoddam.

Primo, quia Scriptura vocat Baptismum, & sic etiam Patres: Scriptura, vt Marc. 10. *Potestis Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Patres vero passim; quod omnes norunt. *Respondeo primo*: à nomine argumentari ridiculum est, cum esse æquiuocum constet. Martyrium Baptismus dicitur, non vt Baptismus est Sacramentum à Christo institutum, sed vt est immersio in aquam: & aqua calamitatem ac summa pericula significat. Sic etiam Baptismi nomen doctrinam Ioannis, & dona Spiritus Sancti extraordinaria significat: stultum esset, propter nominis communicationem, res easdem esse. Martyrium ergo Baptismus in Scripturis dicitur, quia extremum discrimen & periculosissimus conflictus est. Sic Apocal. 7. legimus, *Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna*, & *lauerunt stolas suas in sanguine Agni*: At Sacramentum Baptismi dicitur à purgando, non à periclitando. *Secundo Respondeo*: Patres quidem Martyrium Baptismo assimulare, sed propter aliam causam, nempe quia Martyres suo quasi sanguine tinguntur; vt qui baptizantur madent aquis, sic illi suo sanguine: non ergo vt quasi Baptismi vicarium Martyrium statuerent (nam in iis etiam, qui ante baptizati sunt, Martyrium Baptismum vocant) sed propter eam quam diximus similitudinem. *Tertio*, Baptismo Martyrium præferunt Patres: sic Cyprianus ait Martyrium esse Baptismo præstantius: non ergo vult Martyrium habere naturam Baptismi aut Sacramenti: nam tum necesse esset Baptismum aquæ in suo genere præstantiorem esse: certe si Martyrium Baptismi supplementum esset, non posset esse Baptismi respectu præstantius. Sed quia maius quiddam est, & opus difficilius, mori pro Christo, quam baptizari pro Christo: ergo Patres Martyrium præstantius esse dicunt. Hoc enim omnium est, illud perpaucorum: baptizatus Christum coram Sacerdote confitetur, martyr vero coram persecutore. *Quarto*, Luserunt Patres in his vocabulis, & nil minus voluerunt, quam vllum alium Baptismum statuere. Ex huiusmodi allusionibus nata est illa triplex Baptismi distinctio: Sed Patres etiam plures Baptismos faciunt. Nam Ambrosius aquæ sanguinis, & Purgatorii Baptismos commemorat; vbi non ille Papisticum Purgatorium intelligit, sed vt alii multi Patres, Purgatorium quod fore credidit in fine mundi, in die iudicii. Et quan-

Marc. 10. 38.

Apoc. 7. 14.

Cyprian. in exhort. ad Martyr.

Ambros. in Psal. 118. serm. 3.

quam multi Patres de Baptismo Martyrii scribunt, non nulli tamen de Baptismo flaminis: certe Scriptura nusquam aut sanguinis aut flaminis Baptismum nominat.

Thom. in 3.q.66. art.11. Et Thomas Aquinas non esse Baptismos ait, sed sic vocari, quia supplent Baptismum.

Secundò, probat Bellarminus, Martyrium recte dici & esse Baptismum, quia conuenit cum Baptismo aquæ in tribus effectis: *primo*, inquit, configurat hominem Christi passioni & morti, *Secundo*, remittit originale peccatum, & reliqua omnia, si quæ sunt admissa. *Tertio*, remittit etiam omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quam temporalem: nam ista Baptismus facere putatur. Sed Bellarminus tamen caute ait, hæc omnia non æque certa esse.

Quod ad *primum* attinet, notum esse ait: quod Martyrium nobilior sit configuratio mortis Domini quam Baptismus aquæ, quia est realis, at Baptismi configuratio est Sacramentalis: ex quo sequitur, vt ille vult, esse meliorem Baptismum, quam aquæ, & quidem sequatur necesse est, si verus & proprius Baptismus sit. Sed etsi opus nobilius & melius est, tamen non habet meliorem rationem Sacramenti, ac proinde non potest nobilius esse Sacramentum; nullum enim nobilius Sacramentum est, quam quod Christus instituit: sed Bellarminus etiam in eo quod Sacramenti proprium est, præfert Martyrium Baptismo: quod sine contumelia Christi fieri non potest.

Quod ad *tertium* attinet, certum est apud omnes, inquit, quod remittat omnem pœnam, ita vt Martyres continuo perueniant ad coronam, ac proinde Ecclesia nunquam orat pro animabus Martyrum: hoc idem de Baptismo illi affirmant. Sed tum etiam neque pro adultis Baptismum tantum flaminis habentibus, & sine Baptismo aquæ morientibus Ecclesia precari deberet, si flaminis Baptismus sufficiat, & Baptismum fluminis suppleat: at hoc non dixerim: nam dicunt Ambrosium precatum esse pro Valentiniano. Iam vero de *secundo*, an vt Baptismus scilicet tollit peccatum originale, ita etiam Martyrium, maiorem esse difficultatem ait. Hoc autem illius sententia est, per Martyrium ex opere operato remitti peccatum, vt si quis adhuc existens in peccatis accedat ad Martyrium, modo sine affectu peccandi, & cum fide inchoata, & pœnitentia imperfecta, is ex vi Martyrii iustificetur & saluetur: & hanc ait esse Thomæ & Scholasticorum sententiam. Sed hæc absurdissima sententia est, quam sic refello.

Primo, absurdum est, posse aliquem venire ad Martyrium cum fide

fide & dilectione imperfecta, qualem Papistæ intelligunt, cum

Ioh. 15. 13. Christus dicat, hoc esse perfectissimi amoris signum, pro altero mori: & plus amare Christum, quam mundum, aut quicquam in mundo, quis dixerit imperfectæ aut fidei aut charitatis signum esse? nisi quis eo animo fuerit, inuitus ad Martyrium accedit, & tum non potest eius Martyrium esse meritorium: nam actio inuoluntaria non est meritoria: & Apostolus ait, *Si tradidero corpus meum,*

1. Cor. 13. 3. *vt comburar, charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodest.* At

Maior. in 4. d. 4. q. 3. Georgius Maior in Lombardum ait, *vt ad Sacramentum non requiritur interna volitio, sic nec ad Martyrium*: ita vt quis apud hos Martyr sit, ei non esse necessariam internam voluntatem existimant: *Secundo*, quod ait, posse aliquem esse in peccatis suis, cum moritur, & tamen esse Christi Martyrem; nam ipsum Martyrium delere peccata, absurdum etiam est, quia tum in peccatis moritur. Tales scilicet istorum Martyres sunt.

Tertio, absurdum est, martyrium ex opere operato conferre gratiam remissionis peccatorum & omnium pœnarum illis debitarum, adeo vt aliquis in peccatis existens, ex eo quod pro Christo occiditur, etsi nil tale cogitet, vt infantes, iustificetur tamen & saluetur. At quod est ex opere operato, id esse supra meritum Papistæ docent: ergo iustificatio & saluatio est supra meritum Martyrii, vt in Baptismo: at illi volunt Martyrium mereri salutem, Baptismum autem non mereri salutem, sed in Baptismo salutem ex opere operato supra meritum conferri.

Quarto, & postremo etiam alii Papistæ aliter docent: nam Dominicus à Soto & alii nonnulli *Domin. Sot. in 4. d. 3. q. vnic. art 11.* docent, Martyrium non ex opere operato dare gratiam aut iustificare: non ergo supplet Baptismum: itaque illi opus esse charitate dicunt, vt aliquis fiat Martyr. Sed Bellarminus sex rationibus hanc opinionem refellit, & probat Martyrium ex opere operato saluare.

Prima eius ratio sumitur ab exemplo infantum, qui ab Herode occisi sunt, qui nihil operari potuerunt: ergo illi ex opere operato salutem consecuti sunt, quod Martyres essent. Sed quidam aiunt illos fuisse circumcisos: ergo salutem ex circumcisione nactos esse, ex *M*artyrio vero non nisi gradum in salute. Sed Bellarminus ait, esse incertum, an omnes circumcisi fuerint, imo ait, esse fere certum, non fuisse omnes circumcisos: nam occidisse Herodem omnes pueros, qui erant in Bethlehem & finibus eius, non Iudæorum tantum filios; & à bimatu ac infra: ergo eos

etiam, qui nondum peruenerant ad octauum diem, quo solo poterant circumcidi. Sed Armachanus eos qui non circumcisi sunt periisse ait : cui etiam subscribit & suffragatur Adrianus Papa. Meum non est de illorum dissidiis decernere: at certum est Ecclesiam absolute omnes illos infantes saluos esse credere, & omnes vt Martyres honorare.

Armach. l.8.c.37.

Adrian. Papa. in g.3. de Baptis. ad arg.3.

Secundò hoc ex Thoma probat: & tamen Dominicus à Soto, qui ait Martyrium non dare gratiam ex opere operato, nec habere rationem Baptismi, si sit sine charitate, Thomam pro se facere putat, & pro sua sententia Thomam citat. Scholastici affirmant nullum actum exteriorem conferre gratiam, nisi proprie Sacramentalis sit : at Martyrium non est proprie Sacramentum. Sed Bellarminus hic ait, Martyrium conferre primam gratiam ex opere operato, id est, etiamsi quis gratiæ expers sit, vt infans est ante Baptismum, tamen Martyrium ex opere operato ei primam gratiam conferre, quod est absurdissimum : nemo enim Martyr est, antequam sit mortuus : ergo non primam gratiam viuus accipit.

Tertiò, ait Ecclesiam non examinare, qualis quis fuerit ante Martyrium, sed omnes honorare indifferenter, quos constat pro Christo occisos esse in confessione veræ fidei, & vnitate Ecclesiæ. At sic quiuis Martyr erit æqualis Petro aut Stephano. Sed hæretici, inquit, & Schismatici Martyres esse non possunt: quare? quia in actu infidelitatis & schismatis perseuerant: sed vnde hoc constat? quidni in ipso Martyrio & schismati & infidelitati renuncient? Alia multa eiusmodi habet Bellarminus, quæ non est opus diluere.

Ad extremum ait, virtutem Martyrii maiorem esse, quam Baptismi, & Patres hoc dicere: at Patres aiunt Martyrium non nisi supplere defectum Baptismi, & tantum conferre, quantum Baptismus: & Alexander, Bonauentura, Durandus, Paludanus, pares esse virtute omnes Baptismos aiunt; imo Alexander ait, Baptismum aquæ esse meliorem & virtute superiorem Martyrio, quia remittit & mortale & veniale peccatum, & confert gratiam; Martyrium autem non confert gratiam, sed conseruat gratiam, & remittit non mortale sed veniale tantum peccatum. Ita ludus est attendere, vt isti secum in suis commentis pugnent. Nos vero Martyrium non esse Baptismum dicimus, nec ex opere operato gratiam conferre, sed confessionem vsque ad mortem esse necessariam, & Deum ex sua gratia coronare eos, qui fortiter ad sanguinem restiterunt : Papisticum vero illud Martyrium ex opere operato conferre gratiam, negamus. Iam quod ad locum Apostoli attinet, *Si tradidero corpus meum*, 3.

1. Cor. 13.

meum, vt comburar, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, Bellarminus sic intelligi vult, ex vi ipsius Martyrii infundi charitatem; quo nihil stultius dici potest: nam Apostolus requirit charitatem ante Martyrium, Nisi charitatem, inquit, habuero, nihil mihi proderit, licet corpus comburendum tradam: at Bellarminus charitatem facit Martyrio posteriorem, cum ait vi Martyrii infundi charitatem. At quemadmodum vis Sacramenti non potest conferre gratiam nisi post Sacramentum sumptum: sic reuera nec Martyrium, si aliquam gratiam conferat, potest eam nisi post ipsum Martyrii opus conferre, quia Bellarminus ait ex opere operato conferre: at post Martyrium homo non est in statu gratiæ: ergo post Martyrium nec charitas infundi potest, nec fides, nec spes, nec vlla virtus: Atque hæc de Martyrio.

Nunc de Baptismo flaminis pauca dicenda sunt, quem ait Bellarminus esse perfectam conuersionem ac pœnitentiam: nam hæc duo etiam supplere Baptismum affirmant Aduersarii, & sine Baptismo ad salutem valere. Et hic duo notanda esse ait. *Primum* est, in hac conuersione includi veram charitatem, & desiderium seu votum Baptismi. *Respondeo primo*: Si hæc conuersio veram perfectamque charitatem includat, atque etiam contritionem, vt vult Bellarminus, tum certe Baptismus flaminis est melior Baptismo sanguinis: nam in Baptismo sanguinis, id est, in Martyrio, aut nulla charitas, aut inchoata tantum, & non contritio, sed attritio sufficit, vt antea dixit Bellarminus. Si autem in vera conuersione contritio & charitas vera requiritur, & hæc in Martyrio non requiruntur: ergo potest aliquis seruari sine conuersione per Martyrium; quo nil monstrosius, cum Christus aperte dicat, *Nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis*. *Secundò*, quod ait, votum Baptismi cum contritione cordis requiri ad Baptismum flaminis, falsum est: votum enim Baptismi non necessario requiri, docet exemplum Latronis, qui de Baptismo nihil audierat, ac proinde eum desiderare non potuit: & tamen Augustinus huius exemplo probat, pœnitentiam esse instar Baptismi: ergo pœnitentia sine voto Baptismi sufficit. *Secundum*, quod hic notari vult, hoc est, non perinde certum fuisse apud veteres, an conuersio, & pœnitentia, id est, an Baptismus flaminis suppleat Baptismum aquæ, atque an Martyrium suppleat: nam liber, inquit, qui inscribitur de Ecclesiasticis dogmatibus, qui falso tribuitur Augustino, aperte dicit, Catechumenum non saluari, etiamsi in bonis operibus vixerit, nisi Baptismo aquæ aut sanguinis purgatus fuerit: & Bernardus hoc idem suo seculo receptum fuisse docet. Bellarminus tamen hoc esse sine dubio tenendum dicit, & probat

Luc. 13. 5.

Author libri de Ecclesiast. dogmat. c. 47.

Bernard. Epist. 77.

Ezech. 18. 21. 22. ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis suis, iniquitatum eius non recordabor amplius*: qui locus docet quidem pœnitentiam veram sufficere, at non supplere locum Baptismi: neque hic vlla mentio desiderati Baptismi fit: nam hæc semper valuit sententia etiam ante Baptismi institutionem. Tum & Ambrosium profert, qui de Valentiniano ait, *Ambros. in orat. de obit. Valentin. iunior.* *Quem eram regeneraturus amisi; sed ille gratiam, quam sperauerat, non amisit*: qui locus docet salutem sine Baptismo posse acquiri; nam hic Valentinianus baptizatus non est. Sed vnde probat Bellarminus, pœnitẽtiam esse Baptismum quendam? scilicet ex Marc. 1. & Luc. 3. *Marc. 1. 4. Luc. 3. 3.* vbi Ioannes Baptista dicitur *prædicasse Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: at hi loci aut non probant, quod vult; aut Ioannis Baptismus fuit verus Baptismus; quod illi negant. Sed affert 1. Cor. 15. 29. alium locum, *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis? si mortui non resurgant, vt quid baptizantur pro illis?* per Baptismum hic intelligit opera pœnitentiæ & afflictionis, quæ viuentes suscipiunt pro animabus defunctorum. *Respondeo*: Vnde hanc esse veram huius loci expositionem docet Bellarminus? de hoc loco nos antea in alia Controuersia diximus, vbi & hanc expositionem refutauimus, & aliam longe meliorem proposuimus. Sed hæ meræ nugæ sunt, & indignæ quæ recitentur.

Verum totum hoc vnico argumento refelli potest, quod in hunc modum instituo: Si conuersio supplet Baptismum, vt illi volunt, id est, si Baptismus flaminis tam valeat, quam Baptismus fluminis, vt mos loquendi obtinuit; tum hic flaminis Baptismus, siue hæc conuersio, aut totam pœnam dimittit aut culpam, aut non: si omnem pœnam & culpam remittant, tum melius cum illis agitur, qui vere conuersi, & Baptismi votum habentes statim non baptizati moriuntur, modo adulti sint, & non contemnant Baptismum, quam qui moriuntur baptizati, si aliquandiu post Baptismum vixerint: nam Baptismum dicunt omnes culpas & pœnas simul remittere, vt ne in Purgatorio ad momentum futuri sint, qui baptizati statim ex hac vita migrant; at si per aliquot annos post Baptismum vixerint, illis remanet pœna adhuc multiplex subeunda, quia satisfacere illos oportet pro omnibus peccatis post Baptismum commissis: ergo si pœnitentia cum voto Baptismi supplet Baptismum, & tantum valet, quantum Baptismus; quis non videt longe melius esse iis, qui vere conuersi sunt, & Baptismum ex animo desiderant, statim sine Baptismo mori, quam baptizari, quia sic non remanet illis pœna aliqua subeunda, aut culpa vlla luenda, cum flaminis Baptismus antea omnem & culpam & pœnam sustulerit. At non dixerint, opinor melius esse cuiquam sine Baptismo mori, quam cum Baptismo. Si vero Baptismus flaminis, id est, pœnitentia & perfecta conuersio, non tollat totam pœnã & culpam (quod Bellarminus hic ait, *nisi sit conuersio ita perfecta & feruens*, inquit, *vt omnem rubiginem peccati tollat*) tum non supplet Baptismum, quia Baptismus omnem & culpam & pœnam tollit; nec confert gratiam ex opere operato instar Baptismi: tum enim etsi non esset tanta intensio charitatis, tamen suum plenum effectum haberet, vt de Martyrio nuper dixit Bellarminus, in quo dilectionem inchoatam & pœnitentiam imperfectam sufficere aiebat. Quomodo autem pœnitentia & Martyrium remittant peccata, & an per solam fidem remittantur peccata, non est huius loci dicere: non enim ista ad hanc Quæstionem pertinent.

Postremo loco ait, neque martyrium, neque pœnitentiam, esse Sacramenta, licet Baptismata quædam sint. Sed ego hoc commentum refello, & docco, nec martyrium nec pœnitentiam esse Baptisma, aut baptismi vicem supplere quatuor argumentis. *Primo*, Martyrium & conuersio dicuntur supplere Baptismum, quia quod facit Baptismus, id hæc faciunt, id est, conferunt gratiam, & remittunt peccatum, vt illi volunt: at omnia opera charitatis isti aiunt hæc eadem facere, vt eleemosynam largiri, & dimittere aliis debita: ergo hæc quoque supplent Baptismum, si verum sit, quod illi aiunt. *Secundo*, vt Baptismus gratiam confert, sic & reliqua sex Sacramenta, vt illi volunt: ergo etiam res illæ, quæ gratiam conferunt, non minus supplent reliqua Sacramenta, quam Baptismum, & sic non minus erunt tres Eucharistiæ, quam tres Baptismi. *Tertio*, multi Pontificii quosdam in vtero sanctificatos esse concedunt, qui nec flaminis, nec fluminis, nec sanguinis Baptismum habent: ergo aut pereunt qui sanctificati sunt, aut sine Baptismo aliqui seruantur, aut Baptismus flaminis non tentum est in adultis, vt illi volunt. *Quarto*, aliqui Baptismo flaminis plene baptizati sunt, qui mox aquæ Baptismo baptizantur: ergo Baptismus flaminis non supplet in illis vicem Baptismi aquæ: nam id supplere vicem alterius dicitur, quod adhibetur cum illud alterum deest: at Cornelius antea Spiritum sanctum habuit, & postea Baptismum, *Quis prohibere aquam potest*, inquit Petrus, *quo minus baptizentur isti, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos*? & Paulus Baptismo flaminis prius quam fluminis baptizatus est: ergo Baptismus non nisi Sacramentum est remissionis peccatorum, non ipsa remissio. *Act. 10. 47. & 9. 18.*

***

CAPVT V.

Quando Baptismus cæpit esse necessarius ex sententia Pontificiorum.

ANTEQVAM hanc de Baptismi necessitate Quæstionem dimittimus, necesse est discutere, quando primum necessarius esse cœperit: qua de re inter ipsos Pontificios magnæ & rixæ & pugnæ sunt. Et quanquam hæc fere tota inter illos contentio est, tamen qualis illa sit, nosse expedit. Bellarminus hanc omnem rem quatuor propositionibus complexus est, de quibus sigillatim dicemus. *Prima* propositio hæc est: ***Baptismus ante passionem Domini institutus est***: & fuisse in vsu Baptismum aliquem ante constare ait ex Ioan. 3. & 4. Sed tamen an is Baptismus fuerit Sacramentum, quod nunc habemus, an quædam præparatio, qualis Baptismus Ioannis, dubitari ait. Certe Chrysostomus, inquit, & Theophylactus, non nisi fuisse præparationem quandam ad fidem aiunt, vt Baptismum Ioannis: ideo Christum noluisse baptizare, quia non decebat Christum baptizare sine Spiritu. Sed nulla hæc ratio est, quia horum *Baptismus* Christi *Baptismus* dicitur: ergo non minorem vim habuit, quam si Christus ipse baptizasset: & quanquam Christus ipse non baptizauit tamen quod per Apostolos fecit, id ipse fecisse dicitur. Hinc cernimus non mirum esse, si Ioannis *Baptismum* tam parum valere dicant Aduersarii, cum ne Christi Baptismum esse Sacramentum aut gratiam conferre affirment. Solent enim obiicere Patres, qui aiunt Ioannis *Baptismum* non remisisse peccata, & non nostro simile fuisse: at Patres ne Christi quidem *Baptismum* ante mortem eius fuisse tam bonum dicunt, quam noster *Baptismus* est. Hoc ipsum etiam alii Patres præter Chrysostomum & Theophylactum affirmant: ergo Patrum sententiæ ex Scripturis examinandæ sunt. At alii Patres aliter, vt Augustinus & præter eum alii; etiam plerique Scholastici: & hanc sententiam Bellarminus sequitur: qua in re habet Aduersarios non modo Chrysostomum & Theophylactum, vt diximus, verum etiam Leonem Papam, qui ait Christum non instruxisse Apostolos suos de *Baptismo* ante passionem, quia voluit intelligi, ***regenerationis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse***. Sed hæc nulla ratio est, quia tum non de Eucharistia instruxisset, cuius tota ratio è Christi morte pendet. Et quanquam institutum esse *Baptismum* à Christo fateor ante passionem eius, tamen non eo tempore, quo vult Bellarminus, ideoque eius rationes ad rem non faciunt: nam nos *Baptismum* à Christo institutum esse in persona Ioannis *Baptistæ* dicimus: ergo eundem fuisse eius

Ioan. 3. 26. & 4. 1, 2.

Chrysost. hom. 28. *in Ioan.* *Theophyl. in c.* 3. *Ioan.*

Ioan. 3. 22.

August. in Ioan. tractat. 13. & 15. & *in Epistol.* 108.

Leo Papa in Epist. 4. c. 3.

eius & Christi Baptismum: illi qui hos Baptismos diuidunt, dicunt quidem esse institutum ante, sed nec quando sciunt, nec omnino fuisse probant. Bellarminus probat Ioannis Baptismum alium fuisse à Christi Baptismo quatuor rationibus. *Primo*, quia Ioan. 3. dicitur Christus baptizasse: ergo hic distinctus fuit Baptismus à Ioannis Baptismo. *Respondeo*: nullarum virium esse hoc argumentum; Christus baptizabat: ergo eius alius Baptismus fuit, quam Ioannis: nam idem quoad effectum & vim esse potuit, etsi non ab iisdem collatus: qua de re postea erit dicendum. *Secundo*, ex eo probat, quia Act. 19. legimus, rebaptizatos fuisse, quos Ioannes baptizauerat: at nusquam legimus rebaptizatos, quos discipuli Christi ante eius passionem baptizauerant. *Respondeo primo*: Illi non sunt rebaptizati, vt nos postea docebimus, cum ad illam Quæstionem peruentum fuerit, *secundo*, Etiam Apostolos fuisse post Christi passionem baptizatos Dominicus Sotus affirmat. Hæc enim ponit, 1. quod Apostoli tenebantur post ascensionem Christi baptizari. 2. Christum tamen potuisse dispensare, ne illi baptizarentur, 3. probabilius longe esse, imo fere certum, fuisse baptizatos, sed quomodo & quando nescit: putat tamen se mutuo baptizasse. Si ipsi Apostoli, qui à Ioanne baptizati sunt, post mortem Christi rebaptizari debuerunt: tum certe rebaptizari oportuit, qui ab illis sunt baptizati. *Tertia* & *quarta* Bellarmini ratio nihil ad rem faciunt. De aqua Iordanis in proxima propositione dicendum erit. Ad Chrysostomum vero quod attinet, ille certe aperte ait, Apostolos eo Baptismo fuisse baptizatos, qui non habuit remissionem peccatorum, & qui fuit in aqua tantum sine Spiritu: ergo non nisi Ioannis Baptismo. Quare Bellarminus nullam rationem afferre potuit, qua probet Ioannis Baptismum alium fuisse à Christi Baptismo, nec potest probare, Apostolos fuisse baptizatos, si Ioannis Baptismus verum Sacramentum non fuit. Sed tribus rationibus aperte refelli potest. *Prima* hæc est: Pontificii ipsi dicunt, Apostolos non fuisse factos sacerdotes ante cœnam: ergo non baptizabant alio Baptismo, quam Ioannis: nam sacerdotum est tantum baptizare, nisi necessitas vrgeat, vt ipsi volunt: at nulla tum necessitas erat, quia Baptismus non ante passionem Christi obligabat. *Secunda* nostra ratio sic se habet: Christus non baptizauit: ergo à nemine poterant Apostoli baptizari, qui meliorem Baptismum habuit, quam Ioannes: qui vero non nisi Baptismum Ioannis habuerunt, ii, vt illi volunt, non potuerũt Christi Baptismum conferre: at Apostoli, vt vult Bellarminus, Christi Baptismum contulerunt, nec debuerunt ab illis baptizati rebaptizari: ergo idem Ioannis & Christi Baptismus fuit. *Tertia* nostra ratio est huiusmodi: Postquam Baptismus cœpit esse in præcepto, tum demum omnes obligabat: at non nisi die Pentecostes cœpit

Ioan. 3. 26.

Dominic. Sot. in 4. *d.* 5. *art.* 2.

pit esse in præcepto, vt Bellarminus postea in quarta propositione statuit: ergo tum omnes obligabat, ac proinde tum aut postea baptizati Apostoli sunt; quod ait Dominicus Sotus. At hoc Bellarminus negat.

Secundo Bellarmini propositio est, *Baptismum Christi institutum esse, quando Dominus ipse in Iordane à Ioanne baptizatus est.* Hic tamen duo notanda esse ait, quorum *primum* est Scholasticorum diuersas esse opiniones de puncto temporis, quo Christus Baptismum instituit, quas tamen ille non commemorat; sed vere hoc ab illo dictum est. Nam Scotus articulum temporis in dubio positum esse ait: non institutum esse, cum Christus baptizatus est in Iordane, nec tum suo, sed Ioannis Baptismo Christum vsum esse; nec formam aliquam præscripsisse: nec cum locutus est cum Nicodemo, eique dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* quia improbabile est, inquit, Dominum instituisse tam celebre Sacramentum in conclaui coram priuata persona. Et Dominicus Sotus ait, postquam constat institutum esse ante passionem, non ita multum referre, quando institutus est. Videte quo redacti sunt, qui Ioannis Baptismum alium à Christi Baptismo esse volunt. *Secundum*, quod notari vult Bellarminus, est *Christum in die sui Baptismi non docuisse vllam materiam aut formam Baptismi*: nam hoc esse tutum. Ergo certe non omnino tum Baptismum instituit, & falsum est, quod ille ait, tum fuisse institutum: nam instituere aliquid, est docere & præcipere certum vsum rei alicuius: at Christus tum non nisi à Ioanne baptizatus est: non hoc est aliquid instituere: tum enim quando erat circumcisus, instituit Circumcisionem. At illi volunt nunc institutum Baptismum esse, & ex hoc tempore fuisse in consilio, etsi non in præcepto: at quomodo aut institutus est, aut in consilio esse potuit, si nullis verbis Christus vsus est, nec eius aut materiam aut formam præscripsit? Atque hic etiam inter se Scholastici litigant & dissentiunt de cæremoniis Mosaicis, vtrum Circumcisio & Baptismus simul in vsu fuerint, an Circumcisio statim cessauit, vt Baptismus institutus est.

Scotus in 4. d. 3. q. 4.

Ioh. 3. 5.

Sunt quidem tria tempora obseruanda: *primum* tempus est antiquæ Legis vsque ad Christi passionem & resurrectionem, quo legalia & cæremonialia non modo viua erant, sed etiam obligabant. De hoc inter Augustinum & Hieronymum conuenit: *secundum* tempus fuit ab ipso passionis articulo, à quo Lex vetus extincta & mortua est, & Lex noua cœpit obligare. De his quoque inter Hieronymum & Augustinum conuenit. Sed tamen Augustinus non statim vt sunt mortua legalia, fuisse mortifera existimat, sed incusse ad tempus seruare, vt Synagoga honorifice sepeliretur: at Hieronymus statim vt sunt mortua, mortifera fuisse ait: *tertium* tempus est à promulgatione Euangelii, ex quo tempore Lex mortifera fuit. Hinc Scholastici quatuor documenta colligunt.

Primum est huiusmodi, Etsi Baptismus ab institutione fuit in consilio ante Christi passionem, tamen Circumcisio manebat, & erat in in præcepto.

Secundum hoc est, statim à passione & resurrectione Christi totam Legem veterem vim suam omnem perdidisse, & tum Baptismum cœpisse; etsi Bellarminus vult cœpisse in præcepto non ante diem Pentecostes.

Tertium est, nonnullo tempore post licuisse Legem seruare, & sic Circumcisione vti, non quod vim aliquam haberet (nam ea tota Christi morte sublata est) sed ad vitanda scandala.

Quartum Scholasticorum documentum est, post sufficientem promulgationem Euangelii non licuisse Legem mortuam sine impietate seruare. Sed multi cum nequeant satis explicare, quemadmodum Circumcisio simul cum Baptismo in vsu esse potuerit. Circumcisionem putant non obligasse, vt primum institutus est Baptismus. Sic Scotus: quod quidem absurdum est, cum cæremonias non abrogari constet nisi morte Christi.

Tertia Bellarmini propositio hæc est: *Baptismus Christi non fuit necessarius necessitate medii aut præcepti ante Christi mortem.* Certe necessitate medii non fuit necessarius, neque nunc est, sic vt illi volunt: nam sine Baptismo homines seruari & potuerunt antea, & nunc possunt. Sed fuit in præcepto ante: *Primo*, quandoquidem ante erat institutus, vt illi fatentur; quicquid autem est institutum, id à tempore institutionis est in præcepto, quia omnis institutio semel sancita obligat necessitate præcepti. *Secundo* si Christus non præcepisset baptizare, tum nec Apostoli baptizassent, nec ille Baptismus Christi esse diceretur: at & Apostoli baptizarunt, & illorum Baptismus Christi Baptismus dicitur. *Tertio*, illud quod habetur Iohan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Bellarminus antea obiecit, vt Baptismum necessarium esse necessitate medii probaret: at hoc fuit ante mortem Christi: si ergo ex illo loco necessarius sit Baptismus, tum ab illo tempore fuit necessarius, & sic ante mortem Christi. Bellarminus ait, illud Christi verbum, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non significare, ab eo die, quo Dominus cum Nicodemo loquebatur, fuisse Baptismum necessarium, sed necessarium futurum fuisse in Lege noua, postquam cessarent cæremoniæ legales. Sed hoc refello.

Ioan. 3. 5.

Nam *primo* Christus ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, ἐ δύνατω, non potest introire in regnum Dei*; non ait, ἐ δυνήσεται, id est, non poterit post meam mortem & resurrectionem introire.

Ergo vera illa sententia fuit, quando Christus cum Nicodemo collocutus est. Et subiungit statim
Ioan 3. 6. Christus rationem, *Quod ex carne natum est, caro est:* at ante Christi mortem homines carnales nascebantur: ergo ex aqua & Spiritu renasci etiam tum necessarium fuit.

Secundo, Nicodemus quærebat remedium, quo ipse seruari posset: ergo Christus proponit illi remedium, quod tum vim habuit, & tum necessarium fuit: at hoc illi proponit remedium, vt ex aqua & Spiritu renasceretur: ergo aut non tunc de Baptismo locutus est Christus, aut tunc Baptismus fuit necessarius.

Tertio, vt alia Christi instituta in præcepto erant & necessaria ante Christi mortem, etiam ab illo tempore, quo primum edita & instituta sunt: sic hoc de Baptismo, quem tunc quidam Papistæ institutum esse volunt, quando Christus cum Nicodemo locutus est, Bellarminus vero antea, cum Christus in Iordane baptizatus esset. Sed Papistæ nullum Christi præceptum fuisse nobis necessarium volunt ante Christi mortem, quia non antea legalia sublata sunt: quo nihil absurdius. Nam hoc Euangelii præceptum est, vt Euangelium à Lege Mosaica distinguitur, de non dimittenda vxore, &
Matt. 19. 9. noua ducenda: at hoc ex eo tempore valuit, quo Christus locutus est. Reuocat Christus Matth. 19. Legem Mosaicam de repudio: nemo, opinor, negat hanc Christi prohibitionem ab illo tempore cœpisse esse necessariam. Sic & illud, *Dic Ecclesiæ* ab eo tempore necessarium fuit, quo Christus hoc præceptum dedit. Si ergo Baptismus antea à Christo institutus & promulgatus fuit, certe antea obligauit & necessarius fuit.

Quarto, nisi dicamus Baptismum ante Christi mortem in præcepto fuisse, non possumus aliquod Christi præceptum de Baptismo reperire. Nam quod Christus discipulis dixit, *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,* Matth. 28. 19. *& Filii, & Spiritus Sancti*, non tam præceptum nobis est de sumendo Baptismo, quam Apostolis impositum, vt suo docendi & baptizandi munere fungerentur, quod illis ante præceptum est.

Quinto, Augustinus aperte in libro de fide ad Petrum, quem librum Bellarminus Fulgentii esse vult, ab eo tempore, quo Nicodemo Christus dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* neminem sine Baptismo introire posse in regnum cœlorum affirmat. Bellarminus ait, intelligi tempus futurum nouæ Legis, postquam scilicet cessarent cæremoniæ, non tempus in quo Christus hoc dixit: at hoc aperte falsum: ait enim Augustinus, *Ex illo tempore, quo Saluator noster dixit:* ergo si nolunt Aduersarii, Baptismum tunc obligasse; aut non adhuc institutus fuit, aut non fuit ad salutem necessarius, aut hic locus non probat necessitatem Baptismi; quod certissimum est: nam loquitur Christus de regeneratione, quæ

August. in lib. de fide ad Petrum. c. 3.

semper

semper necessaria fuit, & ante Christi mortem scilicet, & post.

Quarta Bellarmini propositio hæc est: *Baptismus Christi cœpit esse necessarius necessitate medii & præcepti à die Pentecostes.* Sed hoc inprimis absurdissimum est. Nam Lex vetus simpliciter abrogata est in morte Christi: ergo nullam vim post habuit: si ergo noua Lex, vt Aduersarii loquuntur, non ante diem Pentecostes in eius locum successit, nec Baptismus, nouæ Legis Sacramentum, cœpit ante illum diem esse necessarius; tum per quinquaginta dies (tot enim dies intercesserunt inter mortem Christi & Pentecosten) nullum fuit remedium originalis peccati. Nam Circumcisio mortua est moriente Christo, & omnem vim purgandi ac remittendi peccata, atque etiam iustificandi, amisit; Baptismus vero (vt ipsi volunt) non ante promulgationem Euangelii obligabat: ergo quotquot mortui sunt in illo interuallo, damnati sunt, quia nullum remedium originalis peccati habuerunt; & tamen non sunt damnati, quia Baptismo carebant, quia nondum fuit necessarius. Quid hac de re statuemus? Deinde Bellarminus aperte contradicit aliis Pontificiis, & cum illis pugnat, qui Baptismum in præcepto fuisse aiunt, cum Christus iussit
Matt. 28. 19. discipulos baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: at hoc fuit ante ascensionem, id est, decem diebus ante Pentecosten ad minimum. Et quanquam non legimus, in illo medio interuallo aliquos esse ab Apostolis baptizatos, tamen ab eo tempore, quo iussi sunt Apostoli baptizare, fuit Baptismus præcepto necessarius: nam multa sunt necessaria necessitate præcepti, quæ tamen non perpetuo obseruantur. Sic dimicant illi inter se, quia nolunt concedere, Ioannis Baptismum eundem fuisse cum Christi Baptismo. Quis non videt, quam nullis illorum Theologia nitatur fundamentis?

Quare vt hanc Quæstionem tandem concludamus, de qua supra multa diximus, ostendemus iam ex ipsis Pontificiis, non esse Baptismum eo modo necessarium, quo illi volunt, id est, simpliciter carere Baptismo, nemini exitium afferre. *Primo*, Dominicus à Soto probat eum, qui non habet Baptismum in voto saltem, non seruari, quia qui Dei præceptum violat, & præsertim rei ad salutem necessariæ vsum contemnit, non potest amicitiam cum Deo habere: at infantes non contemnunt: ergo culpæ contemptus rei esse non possunt. Quis non videt, hanc Dominici rationem infantes excusare. *Secundo*, dicunt Pontificii, Deum neminem obligare ad impossibile: at hoc infanti vel maxime impossibile, vt baptizetur, cum moritur, antequam aqua afferri possit. *Tertio*, illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Petrus Lombardus docet, quo-
Lombard l. 4. d. 4. lit. E. modo commode exponi possit, vt non fingamus Baptismi necessitatem, nempe vt intelligatur de illis, *qui possunt & contemnunt baptizari*; vel sic, Nisi quis renatus fuerit *ex*

Domin. à Soto in 4. d. 5. art. 2.

ea regeneratione, quæ fit per aquam & Spiritum sanctum: id est, nisi quis vere regeneratus fuerit, non potest ingredi in regnum cœlorum. *Quarto*, substituunt Pontificii Baptismum flaminis & sanguinis Sacramento Baptismi, & dicunt hæc duo esse supplementa Baptismi: at neutrum horum est Baptismi Sacramentum: ergo sine Sacramento Baptismi potest aliquis salutem consequi. *Quinto*, falsum etiam illud est, quod dicunt, solos adultos baptizari Baptismo flaminis, quia Deus confert Spiritum suum etiam infantibus, & quosdam etiam in vtero sanctificauit, vt quidam Pontificii fatentur. *Sexto*, quia solent illi nobis obiicere Patres in hac causa, nos quoque Patres possumus in illos retorquere. Augustinus ait, *inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse & profuisse sine visibilibus Sacramentis: visibilem vero sanctificationem, quæ fit Sacramento visibili, sine inuisibili, posse adesse, non posse prodesse: nec tamen visibile Sacramentum ideo contemnendum esse; quia contemptor eius inuisibiliter sanctificari non potest:* ergo qui non contemnunt, cuiusmodi sunt infantes, etiam sine Sacramento sanctificari possunt. Et hanc Augustini sententiam citat Petrus Lombardus, qui etiam ipse ibidem ait, *Deum potentiam suam Sacramentis alligasse.* Præterea Ambrosius de Valentiniano ante Baptismum mortuo ait, *Quem in Euangelio regeneraturus eram amisi, sed ille non amisit gratiam, quam popo-scit:* & tamen non potuit Valentinianus omnino excusari, quia distulit Baptismum, cum potuit habere. Si ille non amisit gratiam, qui potuit baptizari, & distulit, multo minus infantes, qui baptizari non possunt. Bernardus ait, non priuationem sed contemptum Baptismi esse capitalem. Huc etiam facit, quod Aduersarii paruulos sine Baptismo morientes non seruari, tamen non puniri aiunt contra Patres. Nam Augustinus in libro de fide ad Petrum hæc verba habet, *Firmissime tene, paruulos, qui sine Baptismo ex hoc seculo transeunt, æterno supplicio puniri.* Hoc cum iniquissimum sit, Papistæ mitigarunt, & non seruari aiunt, tamen nihil perpeti: itaque Limbum excogitarunt, in quo illos sine omni pœna ponunt. Ita non docent idem quod Patres. *Postremo*, priuata hæc sententia fuit Cardinalis Caietani, si desit aqua, sufficere signum crucis cum inuocatione Trinitatis, & posse sic baptizatum seruari. Itaque absoluimus hanc Quæstionem de necessitate Baptismi.

Ambros. in orat. de obitu Valentin. paulo ante med.

Bernard. Epist. 77.

August. in lib. de fide ad Petrum. c. 17.

August. in Leuit. c. 84.

Lombard. vbi supra.

Finis secunda Quæstionis.

Quæ-

Quæstio III.

Quibus commissa sit authoritas baptizandi.

CAPVT I.

De statu Quæstionis.

TRACTANDA nunc nobis est Quæstio tertia huius Controuersiæ, in qua docendum, quibus commissa sit authoritas baptizandi, de qua re acres inter nos & Pontificios contentiones sunt. Bellarminus suorum sententiam sex capitibus complexus est. *Primo* ait, ius baptizandi solis Episcopis ac Presbyteris ex officio ordinario conuenire, sed non æqualiter, seu ex æquo: nam Presbyteris ait conuenire non nisi cum quadam subordinatione & dependentia ab Episcopo: ita Presbyteri ex illorum sententia non possunt vti hac potestate, nisi quantum eis Episcopi concedunt. At hoc absurdum: nam ex Christi institutione ad Presbyterorum officium spectat, vt cœnam administrare, sic baptizare. Illorum Sacerdotes, cum initiati sunt, authoritatem celebrandi missam accipiunt: ergo etiam proprium officium est Sacerdotum baptizare, vt Dominicus Sotus probat: cum enim Sacerdoti incumbat, porrigere populo Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum vnitatis, sequatur necesse est, eum habere authoritatem administrand: Baptismi Sacramentum, per quod homo fit particeps huius vnitatis, & ius accipit accedi ad mensam Domini. Nam est eiusdem causæ & totum facere, & partes ad ipsum totum disponere. Thomas autem ait, Apostolis vtrumque munus commissum esse; quibus Episcopi succedunt: sed officium prædicandi per ipsos exercendum esse, baptizandi autem per alios exercere: quod si verum sit, ergo Sacerdotes, vt primum facti sunt Sacerdotes, possunt sine alia concessione baptizare. Atque sic Hieronymus, *Quid Episcopi faciunt excepta ordinatione, quod non Presbyteri?*

Secundò ait Bellarminus, suos docere, Diaconis quoq; conuenire ex officio baptizare, sed in absentia Sacerdotum, aut eorum iussu.

At

At hoc falsissimum est, quia non hoc illis commissum est in sua vocatione: nam Diaconorum aliud munus est, vt legimus Actor. 6. Et Ignatius diserte ait, βαπτίζειν esse Episcoporum. Et Epiphanius ait, Diaconis non conuenire munus baptizandi. Et Hieronymus Diaconos vocat mensarum & viduarum ministros. Bellarminus ait, eos loqui de ordinario officio. Sed hæc nulla responsio est, quia etiam Laicis permittunt Aduersarii extra ordinem baptizandi officium. Si ergo non possunt Diaconi baptizare nisi in absentia Sacerdotum, non ex officio possunt: nam tum Laici baptizare possunt, vt illi volunt: & si non nisi iussi possunt baptizare (quanquam iubere nemo potest) ex officio non possunt: nam quiuis debet officium suum facere etiam iniussus. Fateor tamen olim Diaconos baptizasse: sed ab initio aliter fuit; quod etiam ex ipsis patet: non enim permittunt Diaconum baptizare, nisi cum deest Presbyter, aut cum à Presbytero iussus fuerit. Et Dominicus Sotus ait, *Sacerdos potest in præsentia Episcopi baptizare, quia sibi ex officio incumbit*: ergo non est officium Diaconi baptizare, quia non potest baptizare in præsentia Presbyteri.

Act. 6. 2-3. *Ignatius in Epist. ad Heron.* *Epiphan. hæres. 79.* *Hieron. ad Euagr.* *Dominic. Soto.*

Tertio ait, Catholicos docere, non licere Laicis solenniter baptizare, nec priuatim, præsente Sacerdote aut Diacono, aut iis etiam absentibus, extra casum necessitatis. Sed quod ad solennem baptizationem attinet, si Bellarminus putat Laicis licere vnquam solenniter baptizare, aut suorum decreta nescit, aut à communi sententia discedit. Nam solenniter baptizare, est cæremoniis adhibitis solennibus baptizare: sed Laicum volunt aquam tantum cum verbis vsitatis posse adhibere. Ergo Dominicus à Soto ait, mortale sacrilegium esse Laico baptizare solenniter, vel in necessitate, vel extra casum necessitatis, & eiusmodi baptizatorem fieri ipso facto irregularem, quia est vsurpatio alieni muneris. Si vero non licet munus alienum vsurpare, certe Laico nunquam baptizare licet, nec solenniter, nec priuatim, quia hoc non eius est, sed alterius munus. Neque necessitas potest facere, vt eius sit munus, quia non est ei legitime impositum: nunquam enim vocatus est ad sacrum Ministerium.

Quarto ait, suos docere, Laicis baptizatis licere in casu necessitatis baptizare, & ait de hoc nunquam in Ecclesia dubitatum. Certe olim inauditus in Ecclesia casus necessitatis fuit: de quo postea erit dicendum.

Quinto ait, à suis doceri, etiam non baptizatis in casu necessitatis licere baptizare, si modo ritum norint. Neque mirum hoc est, cum eo progressi sint, vt quemuis hominem, qui mentis compos sit, etiam paganum, baptizare posse dixerint; quo nihil dementius. Quare Bellarminus ait de hoc dubitatum. Fateor Patres nonnullos hoc

hoc concedere Laicis baptizatis. Tertullianus ait, eos qui baptizantur posse baptizare, *quia quod ex æquo ab omnibus accipitur, ex æquo ab omnibus dari potest.* Sed Bellarminus, opinor, hanc rationem non probabit, quia Eucharistia ex æquo ab omnibus accipitur, tamen Laico non permittunt, Eucharistiam vnquam administrare; & qui fiunt ex æquo Sacerdotes, non possunt illi alios Sacerdotes ordinare. Hieronymus tamen Tertullianum imitatus idem asserit eadem ratione fretus. Similiter Concilium Elibertinum Laicis baptizatis baptizandi facultatem concedit, modo non sint bigami. De non baptizatis quæri igitur potest, num iis baptizare liceat, cum non habeant Baptismum. Augustinus quæstionem proponit, sed non audet decidere, quia in nullo generali Concilio res antea definita fuit. At Bellarminus audacter affirmat, scilicet quia in Florentino Concilio iam res definita est, licere in casu necessitatis Laico, seu viro, seu fœminæ, seu Christiano, seu pagano, baptizare, modo adsint materia, forma, & intentio debita: & rationem adhibet, quia cum non requiratur in Ministro Baptismi, aut fides, aut probitas, aut ordinatio, nulla ratio est, cur Baptismus pagani aut Iudæi non sit verus, si adsint ea, quæ necessaria sunt ad Baptismi essentiam. At requiritur in Ministro vocatio, & ius, & officium, quæ nec paganus, nec quiuis baptizatus habet. Et quanquam Nicolaus Papa, quendam à Iudæo baptizatum, vere baptizatum esse ait; tamen Gregorius secundus iubet à paganis baptizatos rebaptizari. Sic hi pulchre inter se consentiunt.

Tertull. in lib. de Baptism. *Hieron. in dialog. cont. Luciferian.* *Concil. Elibert. can. 38.* *August. cont. Parmen. l. 2. c. 13.* *Nicolaus Papa de consecrat. dist. 4. can. A quodam Iudæo.* *Gregor. 2. de consecrat. d. 4. can. Quos à pagans.*

Sexto, à suis doceri ait, non modo viros, sed etiam fœminas in extrema necessitate posse baptizare. Nos contra licere solis Ministris baptizare dicimus. Si vero alii homines forte baptizauerint, illos peccare affirmamus; etsi non irritum esse hunc Baptismum audemus statuere: nam hæc alia quæstio est. At fœminas baptizare, audaciam sacrilegam esse asserimus.

CAPVT II.

Argumenta Aduersariorum pro Baptismo Laicorum, etiam fœminarum.

NVNC Bellarmini argumenta excutiamus. *Primum* eius argumentum ab exemplo veteris Testamenti sumitur. Nam Exod. 4. Sephora vxor Mosis filium suum circumcidit: & eo modo Mosen virum suum à periculo mortis liberauit: at Circumcisio fuit tale Sacramentum illis, quale nobis Baptismus est: ergo licet etiam in casu necessitatis mulieribus baptizare. Caluinus respondet, eam male fecisse, ac proinde non trahendum esse ad imitationem eius exemplum. Male autem fecisse, nonnullis argumentis docet.

Exod. 4. 25. *Caluin. instit. l. 4. c. 15. §. 20. 21. 22.*

1. *Primum* eius argumentum est, quod coram Mose fecerit: at Aduersatii fœminæ non permittunt vel præsente viro, nedum presbytero, baptizare: Moses autem Propheta fuit. Bellarminus ait, Mosen non potuisse filium circumcidere, quia in angustiis maximis fuit, & pene exanimatus: Deus enim ei occurrit, & voluit occidere, id est, vel morbum ei inflixit mortiferum, vt volunt Iudæi, vel Angelum misit, qui cum gladio nudato ei apparuit, vt alii exponunt, (quanquam de hoc gladio in Scriptura nihil habetur) ergo Mosen significasse Sephoræ vxori suæ, vt ipsa circumcideret,
1. *Respondeo primo*: de iussione nullum verbum reperitur in Scriptura: fingi hoc facilius potest, quam probari. Imo incredibile est iussisse fœminæ, vt suum filium circumcideret, & eiusmodi præsertim fœminæ, quæ nondum persuasa de circumcisione fuit: non enim Iu-
2. dæa erat. *Secundo*, etsi Moses fuisset in tantis angustiis, vt non ipse posset circumcidere, nunquam tamen fœminæ iussisset, sed potius viro alicui. Non deerant viri, qui id facerent: erat enim in diuersorio: & certe non ille sine famulis fuit: ergo illa iniussa &
3. temere hoc fecit. *Tertio*, etsi ei Dominus occurrit, non tamen sequitur, in iis angustiis fuisse, vt non posset circumcidere, præsertim si Angelus cum gladio illi adstitit: nam Angelus procul dubio permisisset circumcidere: & Moses ipse sine dubio circumcidisset, nisi hoc mulier prius fecisset. Et quid si Moses tum non potuit circumcidere? si in animo habuisset postea hoc facere, destitisset Angelus: sciebat vero Moses se tum non moriturum, quia certus erat perueniendi in Ægyptum, quo illum Dominus miserat. Sed *quarto* & postremo *respondeo*, ipsum sibi respondisse Bellarminum, cum ait, Mosen iussisse. Probet ille alias fœminas ab aliquo Propheta similiter iussas esse baptizare, vt illam à Mose iussam fuisse ait circumcidere. 4.

Secundum Caluini argumentum, II.
quo probat Sephoram male fecisse, hoc est, quia obmurmurauit Deo & marito, & præputium proiecit in terram. Bellarminus hæc esse mera mendacia ait, sine vllo fundamento, & ex mera libidine detrahendi. Sed *respondeo*, hæc esse verissima. Nam vocat Mosen virum sanguinum, & hoc propter circumcisionem, quod ei necesse fuit circumcidere filios: non ergo hoc placide fecit, & animo obediendi Deo, sed fremens & indignabunda: ideo & præputium in terram abiecit ante pedes Mosis, & ei exprobrati quod manifestum argumentum temeritatis fuit. Idque hinc etiam apparet, quia virum nunc dimisit, rediitque in patriam, vt ex cap. 18. patet vbi Iethro dicitur *Exod.* 18.
venisse ad Mosen cum vxore il- 2.5.
lius & filiis duobus. Nam etsi

quod

quod in textu habetur, *& dimisit eum*, de Angelo non Sephora intelligatur, cum verbum masculinum sit: tamen aliqui eam offensam noluisse longius progredi aiunt; quod verum est, quia postea cum patre in solitudine Mosi occurrit. Hoc igitur exemplum non est in imitationem trahendum. Postquam hoc quidem Sephora fecisset, Angelus destitit: quod tamen non recte factum esse probat. Nam causa, cur iratus fuit Deus, hæc erat, quod filii eius incircumcisi essent (etsi enim non nisi vnius filii mentio fit, tamen ambo erant circumcisi) iam ergo his vtcunque circumcisis placatus est Deus, ne Mosen occideret. Erat probrum præputii nunc sublatum; sed non hoc probat factum Sephoræ placuisse Deo: non enim semper Deo gratum est, quod eius vltionem remoratur. Sed Caluinus etiam aliam responsionem habet, quam prætermisit Bellarminus: ait enim fuisse hic aliquid singulare, quod in exemplum trahi non debet, ac præsertim cum nusquam legatur olim circumcidendi speciale datum fuisse Sacerdotibus mandatum, dissimilem esse rationem Circumcisionis & Baptismi. Hoc ab illo recte dicitur: extat enim disertum Christi mandatum Apostolis datum de Baptismo, *docete baptizantes*, vbi eosdem constituit Euangelii præcones & ministros Baptismi: de Circumcisione vero nihil tale ostendi potest.

Secundum Bellarmini argumentum sumitur ex verbis Christi Matthæi vigesimo octavo, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Hinc sic argumentatur: Ministerium verbi est proprium Apostolorum & Episcoporum: omnes tamen in articulo necessitatis tenentur docere & instruere ignorantes, præsertim in periculo æternæ salutis: ergo eodem modo licet munus baptizandi sit proprium Sacerdotum, tamen in necessitate licebit etiam Laicis & fœminis baptizare. *Respondeo primo*, Facere, quod Apostoli iussi sunt facere, nullis licet ne in articulo quidem necessitatis: nam illi non modo docere iussi sunt, sed & omnes Gentes docere. *Matth.* 28.19.

Secundo, illud μαθητεύσατε, *docete*, non de priuata institutione sed de publico ministerio intelligendum est: hoc nulli ne in necessitate quidem licet nisi legitime vocato: at priuatim docere, est cuiusuis docti. Sicut ergo non licet laico prædicare, sic nec baptizare.

Tertium Bellarmini argumentum sumitur ab exemplis Scripturæ. *Primum* exemplum habetur Actorum octavo, vbi legimus *Act.* 8.38.
Philippum baptizasse Enunchum. *Respondeo primo*: Philippus saltem fuit Diaconus: non ergo mere Laicus. *Secundo*, Fuit è *Act.* 21.8.
Diacono factus Euangelista: ergo etiam Samaritanis prædicauit. *& 8.5. & 8.26.*

Tertio. Constat Philippum Spiritus Sancti authoritate prædicasse Eunucho, & eum baptizasse. *Secundum* exemplum est Ananiæ, quem Bellarminus fuisse plane laicum, & tamen baptizasse Paulum. Fuisse autem Laicum probat, quia hoc factum est primo anno à passione Domini, quo tempore nondum ordinati erant vlli Episcopi aut Sacerdotes præter Apostolos, neque erant vlli Diaconi præter septem, inter quos Ananias non numeratur. *Respondeo primo*: nullos tunc fuisse Episcopos, id est, Ecclesiarum rectores, non potest probare. Nam cum Ecclesiæ passim constituerentur, eæ certe non carebant suis Pastoribus. Samaria tota conuersa est: an ei nulli præpositi sunt Pastores. Verisimile certe est, hunc Ananiam fuisse non modo discipulum, sed & Pastorem. *Secundo* Dico hoc Ananiam fecisse iussu Domini: si Laici aut mulieres talem authoritatem habeant, possunt baptizare. *Tertium* exemplum est Petri, qui Cornelium & eius familiam baptizari iussit à fratribus, qui secum venerant, quos probabile est non fuisse nisi simplices discipulos. *Respondeo*: Fuisse tantum discipulos, non certum est: poterant esse Ministri ac prædicatores. Nec vero certum est, non fuisse à Petro baptizatos: non illud, *iussit baptizari*, commode exponi potest in hunc modum; iussit aquam afferri, qua baptizarentur. Sed non puto tamen Petrum baptizasse. Fuisse autem mere Laicos, nulla ratio suadet. *Quartum* exemplum sumitur ex Act. 2. vbi legimus die Pentecostes baptizata esse tria hominum millia, antequam vlli ordinarentur Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi; quod non potuit commode fieri per solos Apostolos: ergo alii baptizarunt, qui erant Laici. *Respondeo*: Erant alii Ministri præter Apostolos: nam Christus præter Apostolos septuaginta duos discipulos habuit, qui non erant Laici, quia eos Christus ad prædicandum ante passionem suam misit.

Act. 9. 18.

Act. 9. 10.

Act. 10. 48.

Act. 2. 41.

Quartum & postremum Bellarmini argumentum sumitur à testimoniis & exemplis Patrum. Ter tullianus hæc verba habet, *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* *Respondeo*: Hoc si verum sit, quius sumere potest ius baptizandi, etiam præsente Episcopo; quod ne ipsi quidem Pontificii concedunt: at Tertulliani ratio bona sit, hoc licet. Non ergo ad dandum sufficit vt habeas, sed etiam oportet, vt dandi authoritatem habeas. Deinde obiicit Bellarminus Alexandri Alexandrini Episcopi iudicium, qui ratum habuit Baptismum, quem Athanasius adhuc puer & laicus aliis pueris contulerat. *Respondeo*: Ergo pueri etiam baptizare possunt, & quidem per lusum: nam illi tum ludebant. Hoc est è rebus factis atque seriis facere ludicras. Non est igitur hoc probandum. Erat Athanasius potius dignus verberibus, quam alicuius approbatione, qui ausus est imitari sacras actiones. Adhuc puer fuit, & egit pueriliter, etsi postea egregius Episcopus fuit. Obiicit postea Concilium Nicænum, quod teste Hieronymo statuit Baptisma hæreticorum esse ratum. *Respondeo*: Sic & nos quoque: sed inter hæreticos sunt, qui Ministrorum locum obtinent. Et nos Baptismum à Papisticis Sacerdotibus datum ratum habemus. Obiicit etiam Concilium Elibertinum, quod statuit fideles laicos posse baptizare, cum Ecclesia procul abest, & aliquis morti vicinus est. *Respondeo*: Sed quo iure? de eo enim controuertitur. Obiicit item Ambrosium, qui ait in primitiua Ecclesia omnibus licuisse & prædicare & baptizare ob Ministrorum paucitatem; tamen ait nunc non licere clericis aut laicis alterutrum facere: Sed ait Bellarminus, quod licuit in primitiua Ecclesia ob Ministrorum paucitatem, idem nunc licere debet in extrema necessitate. Sed certe non assentior Ambrosio, licuisse hoc in Ecclesia primitiua, nec id, opinor, Bellarminus sentit. Hieronymus & Augustinus, fateor, Laicis permittunt baptizare. Tandem Concilium Carthaginense quartum affert, in quo hæc verba habentur, *Mulier baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente.* *Respondeo*: Illa conditio seu exceptiua clausula, *nisi necessitate cogente*, in Concilio non habetur, sed est appendix tantum Lombardi, & Gratiani, qui sic Concilium exposuerunt, vt abusum suorum temporum defenderent. Sed Concilium plane habet, *Mulier non præsumat baptizare*: est in Concilio simplex interdictum; & sic habetur in omnibus exemplaribus Conciliorum. Quod ad recentiores attinet, quos nominat, Gelasium, Isidorum, Lombardum, Concilii Florentini Patres, de iis non necesse est respondere, cum hic abusus tum irrepserat in Ecclesiam: & de facto quidem constat, sed tamen citius probatur hoc fuisse factum, quam recte factum fuisse. Nam abusum hunc peperit error de simplice necessitate Baptismi, de qua cum persuasi essent, non mirum si permiserint libere viris, fœminis, imo pueris, baptizare. Quanquam de fœminis non modo nullum præceptum aut exemplum extat, sed etiam diserte prohibentur baptizare in Concilio Carthaginensi quarto, vt antea diximus, cui Concilio Augustinus interfuit. Et Canus Papista ait, Baptismum, qui non à Ministro datur, esse Baptismum quidem, sed non esse Sacramentum.

Hieron. in lib. con. Lucifer. an.

Concil. Elibert. can 38.

Ambros. in 4. c. ad Ephes.

Tertull. l. de Baptismo.

Ruffin. l. 10. c. 14.

Concil. Carthag. 4 can. 100.

Can. l. 8. c. 5.

Argumenta nostra in hac causa qui cupit videre, quærat apud Caluinum in loco citato, quibus quicquid hic à Bellarmino respondetur partim ex ipso Caluino, partim ex his, quæ à nobis antea dicta sunt facile dilui ac refelli potest.

***

Finis tertiæ Quæstionis.

Quæstio IV.

Qui sint Baptismi effectus.

CAPVT I.

De statu Quæstionis.

SCRIBITVR Marc. 16. 16. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Sequitur nunc quarto loco, vt de effectis Baptismi dicamus: Christus enim ait, *Qui crediderit & baptizatus fuerit seruabitur*: ita finis videtur esse Baptismi effectus. Bellarminus Baptismo tres effectus tribuit. *Vnus* effectus est, quod characterem indelebilem imprimat. *Alter*, quod ex opere operato gratiam conferat, & dona diuina, quibus homo vere & formaliter iustificatur. Sed hisce de rebus nos antea satis in Controuersia de Sacramentis in genere diximus: nam characterem esse rem prorsus commentitiam, & & Sacramentum nullam ex opere operato conferre gratiam docuimus, & monstrum illud operis operati refutauimus. *Tertius* Baptismi effectus est, quod tollat ac vere deleat omnem culpam & pœnam. De hoc nunc nostra omnis contentio est. Duo autem huius effectus membra sunt, *primum* de culpa, *secundum* de pœna, quorum vtrumque in Baptismo penitus sublatum esse contendunt. Per culpam intelligunt & originalem omnem & actualem culpam, vt qui adulti baptizantur, non modo originali peccato, sed & omnibus quæcunque ante Baptismum commiserunt, liberentur. Baptismum enim aiunt aliter delere peccatum, quam reliqua Sacramenta: nam etsi omnia noui Testamenti Sacramenta & gratiam conferunt, & peccata mortalia delent, nisi obicem inueniant, tamen solum Baptismum aiunt delere originalem culpam & mortalia etiam peccata ex suo peculiari effectu. Nam cætera Sacramenta, vt illi volunt, non sunt proprie ad hoc instituta, vt peccatum tollant, tamen tollunt consequenter: at Baptismum volunt proprie ad hoc institutum esse,

esse, vt peccatum omne tollat. In quo non possunt explicare sententiam suam; ideoque Bellarminus tantum posuit, tolli peccatum in Baptismo. Sed nos oportet ex aliis Sophistis sumere, quæ ab illo prætermissa sunt. Dominicus à Soto ait, alia Sacramenta non per se & proprie ad generandum hominem ordinari; & si gratiam conferunt, non tamen per se cuncta peccata remittere, sed secundum dispositionem sumentis. Hæc cum Bellarmino & perpetua Papistarum sententia pugnant. Nam *primo* Bellarminus contendit, Sacramenta esse instituta ad iustitiam conferendam, idque probat ex definitione Sacramenti, quam Catechismus Tridentinus habet, in qua Sacramentum à Deo institui dicitur, vt habeat sanctitatis & iustitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim; & omnes Papistæ Sacramenta esse ordinata dicunt, vt gratiam conferant. At Dominicus à Soto negat reliqua Sacramenta per se & proprie ordinari ad regenerandum hominem; ergo ex consequente ad gratiam, & iustitiam, & sanctitatem conferendam; quod tamen & Bellarminus & omnes Papistæ affirmant.

Dominic. Sot. d. 6. q. 1. & 6. art. 1.

Bellarm. de Sacram. in gen. l. 1. c. 11. Catechis. Roman. part. 2. c. 1. q. 9.

Secundo, ait Dominicus à Soto, alia Sacramenta conferre gratiam, sed non remittere cuncta peccata; quod est apertissime contra Bellarminum & alios Papistas: nam illi dicunt, peccatum non posse cum gratia constare, quia non conuenit tenebris cum luce, vt postea Bellarminus contra nos disputat: si ergo Sacramenta gratiam conferunt, tum omne peccatum tollunt, & sic non minus ad tollenda peccata ordinantur, quam Baptismus.

Tertio, si reliqua Sacramenta non remittunt per se peccata, sed secundum sumentis dispositionem; tum non conferunt gratiam ex opere operato, quia collatio gratiæ ex opere operato fit vi ipsius Sacramenti, non vi dispositionis aut deuotionis eius, qui sumit Sacramentum. Quod ad pœnam attinet, quam etiam per Baptismum tolli volunt, intelligunt pœnam æternam, quæ peccatis actualibus debetur, non pœnalitates huius vitæ, quas cum originali culpa contraximus, qualis est concupiscentia, & calamitas multiplex, & mors: Baptismus enim ab his non liberat. In quo suam sententiam euertunt, vt postea dicemus. Si enim nihil in baptizato remaneret, quod esset peccatum, nec mors, nec vlla calamitas in eum irrueret, quia hæc ex peccato fluunt, quo sublato remanere non possunt.

Iam paucis quæ nostra sit hac de re sententia explicabimus. Bellarminus ait nos docere, peccata per Baptismum non vere tolli, sed tantum non imputari. Sed non plene nostram sententiam proponit. Nam nos tolli in Baptismo peccata dicimus, eo modo quo Scriptura peccatum tolli ait: vt cum Ioãnes Baptista de Christo ait,

Ecce

Ioan. 1. 29. *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi*, non vult Christum suos omnibus peccatis expedire, vt nil in eis peccati hæreat, sed remissionem omnium peccatorum morte sua meruisse. Vere igitur tolluntur in Baptismo peccata, quia vere remittuntur: cum enim remittitur peccatum, perinde est, ac si non sit commissum. Reatus ergo totus in Baptismo tollitur, & hoc est peccatum vere tolli. Calumniatur ergo Bellarminus: & sic etiam Patres Tridentini, qui aiunt nos dicere, peccatum tantum radi in Baptismo, non tolli; quod olim Augustino Pelagiani obiecerunt, quorum ille calumniam diluit. Non enim peccatum in Baptismo tanquam noxacula resecatur, sic vt radix hæreat, & statim renascatur, quemadmodum isti insulsi nos sentire putant; sed nos in Baptismo duplicem gratiam consequimur: *prima* est remissio peccatorum, *secunda*, regeneratio. Remissio est perfecta, regeneratio inchoata propter peccati reliquias, & propter originale peccatum, quod in nobis perpetuo quoad suam substantiam remanet. Regeneratio est opus multorum dierum; quod probat peccatum vere in nobis remanere, etsi non nocet nobis, quia remittitur: id quod ipsi etiam Patres Tridentini concedunt imprudentes: aiunt enim renatos esse innocentes, innoxios, & puros, quia veterem hominem exuentes, & nouum. induentes, non secundum carnem ambulant.

Concil. Trident. sess. 5.

Augusti. l. 1. c. 13. ad Bonifacium.

Si ergo renati exuunt quotidie veterem hominem, & induunt nouum, tum non in totum vnquam vel veterem hominem exuerunt, vel nouum induerunt in hac vita: ergo adhuc peccatum in eorum natura remanet. Quod autem aiunt Deum nihil in renatis odisse; verum est, quatenus renati sunt: non enim odit suam in illis gratiam, fidem, spem, charitatem: ex altera parte scilicet quatenus non sunt renati, multa odit. Sed etsi hoc ita sit, tamen potest esse in renatis aliquid dignum odio. Deinde quod aiunt, nihil in eis esse, quod eos ab ingressu cœli remoretur; hoc verum est ex gratia & indulgentia Dei, quia Christi innocentia vestiti, propriis peccatis non impediuntur: at multa Deus impedimenta inueniret, si summo iure cum illis ageret. Baptismus igitur Sacramentum quidem est mortificationis: sed hæc mortificatio non statim perficitur, vt baptizamur; tamen aliquando perficietur: interim in renatis vis peccati indies minuitur & moritur: non ergo radi tantum in Baptismo peccatum dicimus. Tolli quidem incipit in Baptismo, sed durat vsque ad mortem carnis, in aliis quidem minus, in aliis magis. Peccatum autem etsi remanet, tamen non nocet duplici de causa, *primo* quia in Christo Iesu per fidem sunt renati omnes, quo mediatore illis peccata omnia ignoscuntur, *secundo*, quia pugnant contra peccatum, & inuiti in se peccatum habent: Deus ergo sic de illis

illis æstimat, ac si plane innocentes essent; interim peccati materiale hæret. Rectissime ergo Lutherus ait, *Qui negat in puero remanere peccatum post Baptismum, contra Paulum & Christum loquitur.* Sic status Quæstionis apertus est: illi non manere verum peccatum post Baptismum aiunt; nos manere, sed aculeum & reatum tolli: illi peccatum plene tolli aiunt; nos reatum quidem peccati plene & totaliter tolli, peccatum autem ipsum non nisi inchoate tolli. Bellarminus ait, nos non habere aliud fundamentum, nisi quod concupiscentiam in baptizatis vere & proprie peccatum esse putamus: sed nos alia fundamenta habemus, vt postea patebit. Si vero non aliud haberemus, hoc satis esset, quia Scriptura concupiscentiam in renatis esse peccatum ait: & Bellarminus fatetur, eam remanere in renatis vsque ad mortem: ergo peccatum remanet vsque ad mortem: non concupiscentia est vere peccatum, vt postea ostendemus.

Luther. art. 2.

Scripturis multa argumenta profert, quæ propter varietatem in certa quædam capita distribuit. Nihil factius, quã ad singula respondere. *Primum* caput est eorum, quæ habent vocabula mundandi, lavandi, tollendi, delendi, auferendi, & similia vt Psalm. 51. *Dele iniquitatem meam*, *Amplius laua me*: Mich. 7. *Aufers iniquitatem*: Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ.* Hæc, inquit, non possunt nisi ineptissime exponi per non imputari, quia non recte quis dicitur tollere ab alio ignorantiam vel malitiam, quia ignoscit illi, quod aliquid ignoranter, aut malitiose fecerit. *Respondeo primo*, tolli, lauari, mundari, deleri, auferri peccata dicuntur, non quod nil in nobis relinquatur, quod peccati rationem habet, sed quia reatus omnino tollitur: cui enim tegantur & non imputantur peccata, is apud Deum innocens est, quia eum Deus in Christo intuetur: non ergo ineptum est, *tolli*, exponi, per *non imputari*. *Secundo* tolli & mundari dicuntur peccata, quia noua iustitia in nobis inchoatur, & quia incipimus nouam vitam agere: esset inconueniens, vt *tollere* per *non imputare* exponeremus, si peccatum in nobis dominaretur, vt prius; sed cum iam non regnet peccatum sed mortificetur, ergo re tollitur, etsi ex parte tantum. Quod vero ille de ignorantia & malitia obiicit, non recte aliquem dici tollere ista, qui ignoscit tantum & remittit; verum est, nisi non modo ignoscat

Psal. 51. 3. Mich. 7. 18. Ioan 1. 29. Ephes. 5. 20.

Caput II.

In quo Aduersariorum argumenta diluuntur.

Bellarminus igitur probat, sic tolli in Baptismo peccata omnia, vt non solum non imputentur, sed non sit aliquod, quod imputari possit ad culpam. Ex

iis, quæ ignorarent aut malitioſe geſta ſunt, ſed etiam ignorantiam & malitiam etſi non penitus, tamen aliqua ex parte tollat, & tandem prorſus remoueat. Ita peccata noſtra in Baptiſmo recte tolli & auferri dicuntur, quia etſi non penitus, tamen inchoate tolluntur & auferuntur etiam in hac vita, & poſtea tandem prorſus tollentur & penitus auferentur.

Secundum caput eſt eorum locorum, qui dicunt tolli maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates: nam maculæ vox & ſimiles, peccati fœditatem non reatum ſignificant: at ſecundum Aduerſarios, inquit, non tollitur per Baptiſmum peccatum, niſi quoad reatum. *Reſpondeo*: Errat Bellarminus: nam quoad reatum plane, quoad fœditatem & maculam inchoate peccata tolli dicimus. Qui enim fœdi ſunt, iis peccata non remittuntur: ſed fœdi non ſunt, qui deſerunt peccata, etſi peccatis multis laborent; & in quibus peccata incipiunt abſtergi, & natura ad integritatem reſtitui. Ad loca Scripturæ facilis eſt reſponſio. Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Hoc loco vſi olim ſunt Pelagiani, vt teſtatur Hieronymus, & ait de Eccleſia intelligi, qualis futura ſit, non qualis nunc ſit: Chriſtum Eccleſiæ dicturum in cœleſtibus, *Tota pulchra es, &c.* Sic Auguſtinus non quaſi iam ſit Eccleſia tota pulchra, ſed quod præparetur: & idem alibi ait, Eccleſiam in reſurrectione futuram eſſe totam pulchram, propter gloriam Chriſti, qui eſt vita Eccleſiæ: & alibi Hilario quærenti, quænam illa Eccleſia ſit, de qua hoc intelligatur, reſpondet quod Eccleſia in fine ſeculi has laudes ſuſcipiet: tum enim, vt habetur in Apocalypſi, erit *ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.* Obiicit præterea Bellarminus Chriſti verba, *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*: non vere poteſt dici mundus totus (inquit) in quo aliquid relinquitur, quod maculæ rationem habeat. *Reſpondeo*: Totus mundus eſt, cui omnia peccata condonantur, & qui fide purgatur & ſanctificatur, quia nullis peccatis dilectatur. Per imputatam Chriſti iuſtitiam maculæ eius tegunrur, vt non appareant. Quod vero ait Bellarminus, Gregorium hunc locum ponderare; ponderat ille quidem, fateor, & recte exponit: *Si peccata*, inquit, *in baptiſmate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus eſt, mundus eſt totus?* at nos dicimus peccata funditus dimitti: ideo toti mundi ſunt, qui baptizantur. Sed non ita nos mundos eſſe dicit Gregorius, quin opus ſit pedum lotione: pedes ſemper lauandi ſunt; ita aliquid in nobis ſemper eſt impurum. Obiicit adhuc Bellarminus Epheſ. 1. *Elegit nos, vt eſſemus ſancti immaculati*, & Coloſſ. 1. *Reconciliauit nos in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles.* *Reſpondeo*: Sumus ſancti, immaculati, & irreprehenſibiles, non in nobis, ſed in Chriſto, quia Chriſti innocentia induti ſumus, vt Apoſtolus Paulus ait, *Quis accuſabit electos Dei?* Chriſto aduocato damnari nequeunt electi: ſunt igitur innocentes. Sed hæc tamen innocentia non eſt nobis inſita in hac vita.

Tertium caput ſumitur à figuris, quibus Baptiſmus reſpondet. Comparatur Baptiſmus Circumciſioni, mari rubro, fluuio Iordanis, ſuffocationi porcorum, probaticæ piſcinæ, lotioni & curationi cæci nati. Sed harum comparationum quædam ſunt omnino commentitiæ. At in Circumciſione ver, inquit, non autem per ſolam imputationem abſcindebatur caro, & in mari rubro vere & proprie ſuffocati ſunt Ægyptii, quibus ante Hebræi ſeruiebant. Idem quoque, inquit, de aliis dicendum. *Reſpondeo*: Non neceſſe eſt, vt figura rei, cuius eſt figura, per omnia reſpondeat: non ergo neceſſe eſt, vt ſicut caro non per imputationem abſciſſa eſt in Circumciſione, ſic peccata in Baptiſmo non per imputationem tollantur. Non ſunt figuræ & ſimilitudines per omnia vrgendæ. In eo figura & res conueniunt, quod vere aliquid tollatur, etſi modus tollendi non ſit idem. Vere abſcinduntur & ſubmerguntur in Baptiſmo peccata, quia vere dimittuntur. Atque hoc eſt, quod Gregorius ait, *Qui dicit peccata in Baptiſmate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter ſubmerſos*: ergo peccatorum dimiſſio eſt ſubmerſio peccatorum; illa huic reſpondet.

Quartum caput continet ea loca, quæ mundationem iuſtificationis rebus vere & proprie mundis comparant. Pſalm. 51. *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Iſai. 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua*: at ſol nebulas facit prorſus euaneſcere. Sic Iſaiæ primo. *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, ſicut nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, vt vermiculus, ſicut lana alba erunt.* *Reſpondeo*: His ſimilitudinibus remiſſio peccatorum deſcribitur. In Chriſto per imputationem eius iuſtitiæ & innocentiæ niue albiores ſumus, & peccata noſtra vt nebulæ euanuerunt. Vrget hoc argumentum Roffenſis noſter, cum tamen nihil in ſe virium habeat.

Quintum continet ſimilitudinem peccati originalis, Romanorum quinto. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi*: at in Adamo vere peccatores ſumus: ergo in Chriſto vere iuſti. *Reſpondeo*: Vere iuſti ſumus in Chriſto, ſed non eodem modo iuſti, quo in Adamo peccatores. Non id ſimilitudo vult: ſufficit vt ſicut ab Adamo peccatum fluxit, ſic à Chriſto iuſtitia non neceſſe eſt eadem ratione iuſtitiam ab hoc deriuatã eſſe, qua peccatum ab illo. Obiicit Bellarminus verba

Cant. 4. 7.

Hieron. cont. Pelag. l. 3. Auguſt. Retract. l. 2. c. 18. & l. 1 c. 19. & Epiſt 89.

Rom. 8. 33.

Coloſſ. 2. 11. 12. 1. Cor. 10. 2. 2. Reg. 5. 14 Matth. 8. 32. Nazian. in orat. in ſanct. lauacr. Ioan. 5. 4. Ioan. 9. 7. Auguſt. tract. 44. in Ioan.

Gregor. l. 9. Epiſt. 39.

Pſal. 51. 8. Eſa. 44. 22. & 25.

Rom. 5. 19.

Apoc. 21. 18.

Ioh. 13. 10.

Gregor. l. 9. Epiſt. 39.

Epheſ. 1. 4.

Coloſſ. 1. 22.

Ioan. 3. 6. Christi Ioan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Illi vere sunt carnales, inquit, igitur isti vere spirituales. *Respondeo*: Qui ex Spiritu nati sunt, vere sunt spirituales, etsi non toti, propter carnem, quæ militat aduersus Spiritum. Obiicit etiam id quod habetur 1. Corinth. 15.

1. Cor. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes viuificabuntur. Respondeo*: Quis negat veram esse vitam, quam à Christo accipimus? sed ea vita tamen potest cum peccato stare, non regnante illo quidem, sed tamen habitante in nobis, quamdiu in hac vita sumus.

Rom. 6. 4. *Sextum* continet similitudinem mortis Christi, *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in morte*: at Christi mors vera fuit: vere ergo nos morimur peccato. *Respondeo*: Nemo negat: nam in Baptismo vere peccato morimur, non quod non sit in nobis peccatum, sed quia non regnat. Morimur vere peccatis, sed ex parte tantum. Sed affert hic Bellarminus ex Augustino aliquid: *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio.* *Respondeo*: Nos hoc libenter concedimus: nam hic Augustinus cum nobis plane consentit. Comparat morti Christi nostram remissionem peccatorum, & resurrectioni eius nostram iustificationem: at remitti possunt peccata, & nos iustificari, vt maneat interim peccatum in membris nostris.

August. in Enchirid. c. 52.

Septimum caput continet ea, quæ docent Baptismo nos renasci, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, &c. Noua generatio, inquit, requirit veram mortem peccatorum. *Respondeo*: In renatis est vera mors peccatorum, quia etsi peccatum non plane exterminatur è natura nostra, tamen non ei seruimus, sed vitam in Christo viuere incipimus. Ioan. 3. 3. Tit. 3. 5.

Octauum ea continet, quæ docent non posse simul habitare lucem & tenebras, *Quæ societas luci ad tenebras?* at si in nobis peccatum est, in nobis Diabolus habitat. Aduersarii, inquit, volunt simul & Diabolum in nobis habitare per peccatum, quod vere semper est in nobis, & Christum per iustificationem. *Respondeo*: hoc falsum esse. Non in omnibus Diabolus habitat, qui sunt peccatores, quia tum in omnibus habitaret Christianis: nam si dicimus nos peccatum non habere, mentimur. In iis quidem, qui ex proposito peccant, habitat Diabolus, at non in iis, qui peccant ex infirmitate: vbi regnat peccatum, ibi est Diabolus, at non vbi habitat: quamdiu enim viuimus, tamdiu in nobis peccatum habitabit. Nec conuenit luci cum tenebris in renatis, quia nouus homo perpetuo bellum gerit contra veterem. Igitur hoc argumentum prouenit ab ignoratione vere Theologiæ. 2. Cor. 6. 14. 1. Ioh. 1. 8.

Nonum & vltimum caput continet ea loco, quæ docent Deo odio esse peccata, *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Odio est Deo impius, & impietas eius.* Si peccatum, inquit, maneret, Deus illud odisset, si odisset, punire vellet; si punire vellet, non ignosceret: dicere ergo Deum non imputare peccata, quæ vere manent, atque ea nolle punire, est manifesta contradictio. *Respondeo*: Est in renatis peccatum, quod Deus odit: non punit autem, quia iam olim in Christo puniit: nam pœnam nostrorum peccatorum Christus pertulit. Non est autem contradictio, vt in nobis peccata maneant, nec imputentur tamen, quia Christo imputata, & in Christo punita sunt. Psal. 5. 6. 45. 7. Sap. 14. 9.

CAPVT III.

In quo argumenta nostra proponuntur.

QVID ergo? an Baptismus totam peccati sentinam exhaurit? sic Papistæ quidem, quorum nos argumenta diluimus: nunc ad nostræ sententiæ confirmationem veniemus. Lutherus ait, vt antea diximus, *Qui negat in puero post Baptismum remanere peccatum, Paulum & Christum conculcat.* Hanc propositionem Leo decimus damnauit: sed Christum simul & Paulum cum Luthero damnauit. Nam Baptismus etsi remissionem peccatorum confert, non tamen ab originali peccato, aut peccati reliquiis, & malis concupiscentiis liberat: remanet ergo substantia peccati, & fundamentum, etsi reatus plane tollitur. Limes est lapis, etsi non amplius distinguit agrum: fundamenta relinqui possunt extinctis relationibus: lapis remanet, sed limes amplius non est: ita peccatum in baptizatis remanet, sed quia tollitur eius reatus, non est mortiferum. Hoc multis argumentis ex Scripturis, & ratione, & Patribus, distincte & breuiter confirmabimus. Sequemur vero Bellarminum, & totam hanc Quæstionem in capita quædam distribuemus.

Luther. art. 2.

Primum caput continebit ea Scripturæ loca, quæ docent concupiscentiam esse peccatum. Apostolus Paulus ait, *Peccatum non cognoui, nisi per Legem: non enim nossem concupiscentiam nisi Lex dixisset, Non concupisces*: ergo Lex pronunciat concupiscentiam esse peccatum: quod enim Lex prohibet, peccatum est: at concupiscentiam Lex prohibet: ergo est peccatum. At forsan concupiscentia in baptizatis non remanet: imo certe; omnes enim cum adolescunt, multas in se concupiscentias habitare ostendunt, & multis concupiscentiis vrgentur: ergo culpa originalis à parentibus traducta remanet in liberis etiam post Baptismum. Et Paulus in hoc capite suam concupiscentiam accusat, qui & baptizatus & sanctissimus fuit. Roffensis noster, qui scripsit contra Lutheri articulos locum hunc ait obscurum esse; sed non est. Ait forsan accipi hic con- Rom. 7. 7. Rom. 7. 23. 24.

Rhemenſ. in c.7.ad Rom.

cupiſcentiam pro conſenſu mentis in carnis deſideria: & ſic Rhemenſes aiunt, non habitualem concupiſcentiam intelligi, ſed con-

1. cupiſcentiam cum rationis ac voluntatis conſenſu. *Reſpondeo primo*: Mentis conſenſum in carnis deſideria ipſa ratio docet eſſe rem malam: ſed Apoſtolus Legem de tali concupiſcentia exponit, quam nemo niſi per Legem ſcire poſſet: ergo quæuis inclinatio ad malum damnatur, ac proinde peccatum eſt, etiam illa, quæ mentis conſenſum nondum aſſecuta eſt. Et Apoſtolus hanc in ſe concupiſcentiam

Rom. 7. 8. fuiſſe fatetur: *Peccatum*, inquit, *occaſione ſumpta genuit in me omnem concupiſcentiam*: vbi videmus originale peccatum inprimis in concupiſcentiis effloreſcere, & ſeſe oſtendere: eſt enim concupiſcentia primus motus actuſque peccati: ergo quęuis mentis inclinatio contra Legem Dei concupiſcens aliquid malum, eſt peccatum, etiamſi

2. conſenſus non acceſſerit. *Secundo*, concupiſcentiam hanc, cuius Apoſtolus meminit, de conſenſu mentis interpretari, abſurdum eſt. Etſi enim in Paulo fuit concupiſcentia, non tamen fuit in illo conſenſus in carnis deſideria: ergo de concupiſcentia quadam minus craſſa loquitur, quæ etiam in viros ſanctiſſimos cadit, quia hanc Paulus in ſe fuiſſe ſcribit & deplorat. Alii ergo reſpondent, Paulum hic non de ſe renato, ſed non renato loqui, & eius orationem totam ad non renatos accommodandam eſſe: ſic Origenes, & interdum etiam Hieronymus, & ſic Pelagianos hunc locum interpretatos eſſe, teſtis eſt Auguſtinus; imo ſic etiam Auguſtinus ipſe aliquando: ait enim, olim ſe ſic ſenſiſſe, ſed poſt verbis Apoſtoli melius expenſis, intellexiſſe Apoſtolum de ſe loqui: Apoſtolus ergo in ſe renato concupiſcentiam remanere ſenſit, & concupiſcentiam vocat peccatum, & in ſe peccatum remanere confitetur. Recentiores Sophiſtæ peccatum dici aiunt, quia ad peccatum inclinat, non quia vere peccatum eſt. Sic Andradius peccatum dici ait, quia mentem ad ſcelera inflectit, & Legi diuinæ contraria ſuadet. *Reſpondeo primo*: Quod inclinat & inflectit mentem ad peccatum & ſcelera, illud neceſſario peccatum eſt: hoc concupiſcentia ex ipſorum confeſſione facit: ergo peccatum eſt. Maior patet, quia omnis inclinatio contra Legem Dei peccatum eſt: Lex enim requirit, vt toto corde amemus Deum, at inclinatio hæc eſt contraria amori Dei: ergo eſt Legi contraria: imo impellere & inſtigare ad peccatum perpetuo, & ſuadere quæ ſunt pugnantia cum Lege & voluntate Dei, eſt motus diuinæ iuſtitiæ & voluntati maxime contrarius: ergo eſt peccatum: tentare enim ad peccatum, eſt peccatum: concupiſcentia tentat & inducit ad peccandum: ergo eſt peccatum. Apud Apoſtolum Iacobum Deus dicitur neminem tentare ad malum, quia ipſe eſt ἀπείραστος τῶν κακῶν, καὶ πειράζει ἀδένα, id eſt; *tentari malis non poteſt, nec quenquam tentat*: quod ergo

Auguſt. ad Boni. fac. l.1.c.

Idem cit. Iulian. l.6. c.11.

Rom.7. 15.20.22. & 17.

Andrad. in defenſ. Concil. Tridem. l.5.

Iacob.1. 13.

ergo ad malum tentat, eſt malum,

11. id eſt, peccatum. *Secundo* igitur ex ipſis Scripturæ verbis probo, hanc concupiſcentiam vere peccatum

Rom.7. eſſe, quia Paulus ait, legem hanc

23. membrorum, rebellare legi mentis: lex autem mentis eſt ſancta lex Dei: quod vero Legi Dei repugnat, neceſſario peccatum eſt: & idem ait,

Rom.7. ſe facere, quod odit: nihil autem

15. odio dignum eſt, niſi peccatum. Papiſtæ aiunt, nihil remanere in homine poſt Baptiſmum dignum odio Dei: at ſe odiſſe ait Paulus, qnod in ſe erat: ergo Deus etiam odit: nam quod renatus odit, quatenus renatus, hoc Deus ipſe odit, & è contra: Deus autem nihil odit,

Rom.7. niſi peccatum. Et alibi in eodem

25. capite, ait ſe ſeruire legi peccati in carne ſua: ſi lex peccati erat in ipſius carne, id eſt, carnali natura: ergo peccatum: nam lex peccati eſt peccatum, quia eſt contra legem iu-

Gal.5.16. ſtitiæ. Quare idem Apoſtolus alibi prohibet τελεῖν ἐπιθυμίαν σαρκὸς, *perficere concupiſcentiam carnis*, quia hæc ἐπιθυμία, id eſt, *concupiſcentia* eſt peccatum: quicquid enim facere non licet, peccatum eſt: at

Gal.5.17. hanc concupiſcentiam facere non licet: ergo peccatum eſt. Tum poſtea ait in eodem capite, carnem concupiſcere aduerſus ſpiritum, id eſt, aduerſus pios motus Spiritus, eique ἀντικεῖσθαι, *opponi*; quod autem opponitur & contrarium eſt pietati, peccatum eſt: at ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς concupiſcentia carnis eſt pietati ἀντικειμένη, id eſt, *oppoſita*, & *contraria*: ergo peccatum eſt. Quare ex doctrina Scripturarum concupiſcentia peccatum dicitur, non modo quia inclinat ad peccatum, ſed quia veram peccati rationem habet. Sic Apoſtolus monet, vt abiiciamus *Heb.12.1.* τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, *circumſtans* ſeu *inuoluens peccatum*, quia pertinaciter inhæret naturæ noſtræ. Loquitur vero de ſanctis.

III. Iam igitur *tertio* loco *reſpondeo*: Si liceat ſic interpretari Scripturas, & negare eſſe vere peccatum, quod Scriptura peccatum vocat, eadem ratione licebit dicere, concupiſcentiam ne ante Baptiſmum quidem eſſe peccatum, & ſic etiam de reliquis peccatis idem dicere licebit: ita nihil erit peccatum, quantumuis in Scripturis dicatur peccatum. Et eo quidem impudentiæ Pigghius venit hoc nixus fundamento, vt auſus ſit dicere, peccatum originale non eſſe culpam, ſed tantum pœnam peccati, & tamen fatetur dici peccatum, vt Andradius, de quo antea, id eſt, non vere & proprie, ſed ficte quodammodo peccati nomen illi accommodat. Hæc ſequuntur ex illa nimia licentia eludendi Scripturas. Niſi ergo velimus perpetuo errare, debemus cum Scripturis loqui, & peccatum appellare, quod Scriptura peccatum appellat.

Pigghius in controu. de orig. peccat.

Andrad. in defenſ. Concil. Trid. l.5.

Secundum caput continet eas Scripturas, quæ homines indies renouandos eſſe docent. Sic Apoſtolus Paulus nos hortatur

μετα-

Rom.12.2. 2.Cor.4.16. Ephes.4.22 23.24. μεταμορφοῦσθαι τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς, *transformari per renouationem mentis*: & alibi ait, *internus noster homo de die in diem* ἀνακαινοῦται, *renouatur*: & adhuc alibi iubet ἀποθέσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, *abiicere* vel, *deponere veterem hominem*, καὶ ἀνανεοῦσθαι τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς, *& renouari spiritu mentis*, καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον, *& induere nouum hominem*: renouari autem est è vetustate in nouitatem mutari: vetustas autem quid aliud est, nisi peccatum veteris hominis, sicut nouitas est gratia noui hominis? si ergo renouandi homines indies sint, & quidem omnes homines; remanet in omnibus vetustas, id est, peccatum. Roffensis negat hanc vetustatem vere peccatum esse; quo nihil absurdius; tum enim nouitas non est vere gratia aut virtus: nam hæc duo sunt contraria. Si ergo nouitas est contraria peccato, tum vetustas est peccatum, & si nouus homo Deo placet, vetus displicet. At illi nil manere in homine renato aiunt, quod displiceat Deo: nisi autem vetus homo displiceret Deo, certe nec exuere eum iuberemur, nec nouus homo Deo placeret. Vnde quam illorum fœda sint subterfugia videmus.

Tertium caput continet eas Scripturas, quæ peccatum aperte in sanctis remanere dicunt. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est*; vbi obseruat Augustinus Apostolum dicere, *Si dixerimus quod peccatum non habemus*, non, *quod peccatum non habuimus*: id est, *si dixerimus nos peccatum non habere*, non autem, *si dixerimus nos peccatum non habuisse*: Apostoli ergo ipsi peccatum habuerunt. Et Christus ait, Patrem suum *omnem palmitem in se non ferentem fructum tollere, & omnem qui fert fructum purgare, vt plus fructus afferat*: si purgandi sumus, ergo immundum aliquid in nobis remanet. Roffensis fatetur fomitem esse immundum, sed non peccatum; quasi quod mentem intus polluat, non vere peccatum dici possit. Christus ait, quod hominem polluit, esse intus, id est, quod hominem facit peccatorem: quod ergo purgandum, id immundum & peccatum est. Propheta Dauid inquit, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*: sunt ergo occulta & ignota etiam in renatis peccata, quæ sunt expurganda. Si mundandi sumus, immundi ergo sumus. Idem Propheta, cum etiam remissum peccatum esset (dixerat enim ei Prophetа Nathan, *Dominus transtulit peccatum tuum*) petit *in se creari cor mundum*: sensit ergo in se quandam immundiciem, a qua liberari cupit; & habuit cor ex parte immundum, etiam postquam ei peccatum remissum fuit: ergo etiam tum in eo peccatum erat. Sed quorsum longius progrediamur? nonne quotidie in oratione Dominica precamur, vt *remittantur nobis debita nostra*? debita vero quid aliud sunt, quam peccata? sanctissimi ergo in se peccata habent, quia hæc oratio omnibus & quidem semper conuenit. Pontifici hanc petitionem de venialibus

1. Ioh. 1. 8.

Ioh. 15. 2.

Matth. 15.

Psal. 19. 13.

Psal. 51. 12.

2. Sam. 12. 13.

Matth. 6. 12.

bus peccatis interpretantur. Recte! & nonne etiam in Baptismo venialia peccata remittuntur? si ergo remittere idem sit quod prorsus tollere, tum post remissionem peccatorum & Baptismum non necesse est vti hac petitione, quia nihil debent, qui nullum peccatum habent. Apostolus Paulus, cum ait, *Non regnet peccatum in corpore mortali vestro*, indicat esse in nobis peccatum, sed monet ne ei regnum concedamus. Hoc enim inter pios & impios interest: in impiis regnat peccatum, in piis est, sed non regnat. Imo tota oratio Dominica hoc probat. Quid enim petitiones illæ designant, quibus precamur vt *Dei nomen sanctificetur*, vt *adueniat regnum eius*, vt *fiat voluntas eius*, nos non esse idoneos & paratos ad sanctificandum Dei nomen; regnum Christi nondum ad nos aduenisse, nec in nobis esse, eo modo quo oportet; & non ex parte Dei voluntatem non facere, ex parte tantum facere?

Rom. 6. 12.

Quartum caput ex parabolis quibusdam Euangelii sumitur. Hominem Hierichunta proficiscentem, qui in latrones inciderat, & vulneratus erat, Samaritanus, id est, Christus, cum se mi mortuum inuenisset, non subito, sed paulatim sanauit. Hoc indicat, neminem repente sanum fieri, sed postquam quis in Christum per fidem insitus est, indies sanatur: quod autem sanatione indiget, peccatum est; nihil enim nos vulnerat præter peccatum. Christus nos peccato vulneratos sanat paulatim: ægri enim sumus aliqua ex parte, quamdiu viuimus. Huc etiam pertinet parabola de fermento, quod non statim farinam fermentat, sed paulatim. Fermentum significat gratiam Euangelicam, qua nos non statim, sed paulatim fermentamur, id est, mutamur: igitur peccatum in nobis hæret, quoad viuimus, quia hoc fermentum expellit peccatum; est enim peccato contrarium. Quare dum hic viuimus non sanctitas est in nobis, sed sanctificatio; non sanitas, sed sanatio; non finis, sed *phase*, id est, *transitus*; non terra hic est, sed migratio, vt recte Lutherus dixit. Quamdiu hic vixerimus, non erimus fermentati. Quanquam secundum aliam huius vocis metaphoram, est in nobis nimium fermenti: quare Apostolus ait, *Expurgate vetus fermentum*. Quid aliud hoc fermentum est, quam peccatum, quod quotidie expurgandum est? Est ergo in nobis semper fermentum, id est peccatum, etiamsi in Christo ἄζυμοι, *infermentati*, seu, *fermenti* experres, id est, renati sumus.

Luc. 10. 34. 35.

Matth. 13. 33.

1. Cor. 5. 7.

Quintum caput sumitur à pœnis, quæ ex peccato fluxerunt, cuiusmodi sunt res aduersæ, morbi, & mors. Renati non liberantur ab his malis: sunt ergo peccatis obnoxii: nam ex peccato mors fluxit, & quicquid tendit ad mortem: at infans etiam baptizatus moritur. Si autem Baptismus tolleret omnino peccatum, cur moritur infans baptizatus? nam causa sublata tollitur effectus: causa autem mortis peccatum est, iuxta illam commi-

nationem primis parentibus nostris factam, *In quorumque die comederis, morieris*: & peccatum quidem sola mortis causa est. Nam vt Adamus mori non potuit, nisi propter peccatum; sic nulli mori possunt, nisi in quibus peccatum est: at nullum est in infantibus peccatum, vt volunt Aduersarii, post Baptismum; sed infantium morbi & mortes esse in illis vere peccatum declarant. Non dico hæc mala omnibus in pœnam infligi, sed certe non infligerentur alicui, nisi ei peccatum inesset. Sic igitur concludo, Omnes huius vitæ calamitates, & omnia mortis genera ex peccato inhærente nascuntur: at infantes baptizati & renati morbis laborant, affliguntur, & moriuntur: ergo inhærens peccatum habent. Christus quidem mortuus est, in quo nihil peccati fuit; tamen ille mortuus est *primo*, quia volens mortem subiit, eique se sponte subiecit, *secundo*, quia noster vas fuit, eique nostra peccata imputata sunt: nihil autem per se iuris mors in Christum habuit, quia nullum in eo peccatum inuenire potuit: nos vero & morbis, & morti, & omnibus huius vitæ calamitatibus obnoxii sumus, quia insitum nobis peccatum est.

Gen. 2. 17.

Iam igitur vt pergamus, *sextum* caput habet quædam testimonia Patrum. Lutherus quoddam Augustini testimonium citat in hunc modum, *Peccatum in Baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur:* & idem testimonium citat Melanchthon: sed Roffensis & Eckius clamant, & sic etiam Bellarminus, Augustinum nusquam id dicere. Et fateor non esse hæc Augustini verba: sic tamen Augustinus, quod eodem redundat, & idem plane valet, in eodem libro & capite, *Dimittitur concupiscentia carnis in Baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.* Et Melanchthon in Act. Wormat. fatetur male citatum esse locum; sed certe in sensu non erratum. Nam hic aperte ait Augustinus, concupiscentiam esse peccatum, quia ait, etsi est, tamen non imputatur in peccatum: in peccatum autem nil imputari potest, nisi quod est peccatum: quæ sunt peccata, possunt non imputari; quod autem non est peccatum, non potest in peccatum imputari. Inepte Augustinus diceret, non imputari in peccatum, quod omnino peccatum non sit. Et in eodem etiam capite concupiscentiam vocat affectionem malæ qualitatis: affectio autem malæ qualitatis est peccatum. Negat quidem Augustinus interdum esse peccatum in regeneratis, quia remittitur: sic imputatiue non est peccatum, at in se est peccatum. Idque Augustinus & sensit, & dixi; nam in eodem libro vbi negat esse peccatum, tamen ibidem ait, *non fieri à nobis quod scriptum est, Non concupisces*: at qui Legem transgreditur, peccat, quia facit quod Deus prohibuit. Et in aliis locis sæpe peccatum vocat. Sic enim

Melanch. in Act. art 2.

Bellarm. de amiss. grat. & stat. pec. cat. l. 4. c. 13.

Luther. tom. 2. Augustin. de spi. & lit. c. 28.

August. de nupt. & concu. l. 1. c. 25.

Idem cont. Iulian. l. 1. c. 3.

enim alibi scribit, *Concupiscentia carnis (aduersus quam bonus concupiscit spiritus) & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Pontificii fatentur esse pœnam peccati, & causam peccati, ideoque tantum peccatum dici aiunt; sed Augustinus ait, non modo esse pœnam peccati, & causam peccati, sed etiam peccatum; & rationem subiungit; *quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis.* Quid planius dici potuit? Et quidem coactus est Augustinus sic scribere, quia Iulianus disputauit, si concupiscentia non nisi pœna peccati sit, vt Augustinus interdum scripsit, tum laudandam potius esse: ergo ait Augustinus, non modo pœnam esse peccati, sed & causam peccati, imo & peccatum. Et alibi sic scribit *Lex ista peccati & remissa est in regeneratione spirituali, & manet in carne mortali*: ergo lex peccati manet, & quomodo maneat docet, *quia operatur desideria, contra quæ dimicant fideles.* Et ibidem ait, *Multa operatur in nobis peccatum; nobis reluctantibus redituæ plerumque voluptates resurgunt.* Eiusdem tractatus 41. in Ioannem totus huiusmodi sententiis refertus est. *Quemlibet valde iustum in hac vita dicimus*, inquit, *quamuis iam sit dignus iusti vocabulo, non est tamen sine peccato.* Est post. *Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? si non remansisset, sine peccato hic viueremus*: ergo & deleta est, & tamen remanet. Et post, *Non ait, non sit, sed non regnet* peccatum. *Quamdiu viuis, peccatum necesse est esse in membris tuis.* Satis ergo constat ex perpetua Augustini sententia, peccatum post Baptismum & regenerationem remanere. His adiungi possent alia testimonia & ipsius Augustini, & aliorum Patrum, sed hæc de re in controuersia de concupiscentia erit fusius dicendum.

Idem cont. Iulian. l. 2.

Idem tract. 41. in Ioan.

CAPVT IV.

De quinque effectis, quæ à nobis Baptismo tribui, Bellarminus falso affirmat.

VIM Baptismi maximam esse constat, cum Christus dicat, ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, *Qui crediderit & baptizatus fuerit seruabitur*; sed tamen difficile est modum seruare, & Baptismo tantum tribuere, quantum ei conueniat, non plus nec minus. Papistæ non modo in Baptismo remitti peccata omnia aiunt, sed & tolli funditus: quod nos falsum esse antea docuimus. Nos qui medium tenemus, & cum Scripturis loquimur ac sentimus, remitti peccata dicimus in Baptismo, non extingui, vt non sint. Cum autem Papistæ plus Baptismo tribu-

Marc. 16. 16.

tribuant, quam Scriptura ferat, tamen affirmant nos in eo errare, quod plus Baptismo tribuamus quam oportet. Bellarminus ex Concilio Tridentino ait nos statuere alios effectus Baptismi; enumerat autem non errores nostros, sed suas suorumque calumnias, vt nostram de Baptismo doctrinam malis artibus infamem faciat. Videndum igitur paucis, quid sit quod de nobis mentitur. Quinque effectus numerat, quos à nobis ait Baptismo tribui.

Concil. Trident. can. 6. 7. 8. 9. 10.

Primus est Baptismum facere homines impeccabiles, id est, eiusmodi, qui peccare non possunt. *Respondeo*: esse hanc insignem calumniam. Nemo vnquam nostrum sic scripsit aut docuit: qui enim possit, cum nostrarum omnium Ecclesiarum sententia sit, peccatum remanere post Baptismum, & homines etiam iustissimos peccare, non modo cum vincuntur à suis cupiditatibus, sed etiam quando bonis actionibus incumbunt? etsi enim quod faciunt bonum sit, tamen agendi modus non per omnia Legi diuinæ respondet. Ita in bonis etiam actionibus peccare homines dicimus, & Aduersarii nos docere affirmant, homines fieri in Baptismo impeccabiles. Atque hic Bellarminus duos veterum errores commemorat, & nobis obiicit. *Primum* ait fuisse Iouiniani, vt referunt Hieronymus & Augustinus, qui docuit, hominem vere baptizatum non posse amplius peccare. *Respondeo*: Quid Iouinianus senserit, non aliunde nisi ex Hieronymo constat, qui fuit eius aduersarius, & libros in eum maledicos scripsit. Si vero sic sensit Iouinianus, insanus hæreticus fuit: nam Petrus vere baptizatus fuit, & tamen peccauit, cum Christum negaret, & de baptizatis Iacobus ait, *In multis labimuromnes*, id est, peccamus. *Secundum* errorem ait fuisse quorundam, qui, vt refert Augustinus, docebant baptizatos non posse damnari, etiamsi, perditissime viuerent, modo ab Ecclesia Catholica non recederent, id est, modo externam professionem Catholicam retinerent. Hucusque homines nimia Baptismi admiratio & commendatio impulit. Sed hanc Libertinorum insaniam Scriptura vbique damnat, quæ viuentibus secundum carnem mortem denunciat, & authoramentum peccati mortem esse ait. Nos igitur vtramque opinionem damnamus & anathematizamus. Tamen Bellarminus ait à nobis vtrumque errorem esse instauratum; *priorem* à Caluino, qui ait Baptismo tanquam Dei Chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia. Sed videte istorum Iesuitarum frontem. Caluinus ait, Baptismum nos certiores reddere de perpetua adoptionis gratia: an ergo nos ait non peccare post lauacrum regenerationis; quod Iouinianum dixisse aiunt? Quid dici potuit σωφιστικώτερον? nam & Baptismus instar sigilli nostram adoptionem obsignat, vt nos supra copiose docuimus, & quoduis peccatum non abrogat gratiam adoptionis. *Posteriorem* errorem esse à Luthero instauratum ait, qui affirmat hominem non posse damnari, nisi nolit credere: & Concilium Tridentinum hanc propositionem damnauit. Sed illi Lutherum male interpretantur. Nam per *credere* Lutherus non vt illi, de quibus Augustinus scribit, professionem externam fidei Catholicæ intelligit, sed habere certam fiduciam de remissione peccatorum: non illum ergo errorem instaurauit Lutherus. Sed Bellarminus hanc propositionem posse tripliciter intelligi ait. *Primo*, vt sensus sit, nullum esse peccatum vere & in se mortale, nisi incredulitatem: & fatetur Bellarminus, nos id non dicere. Non nos id quidem dicimus: non enim video quomodo defendi possit, quod Iacobus Andreas in colloquio Mompelgartensi dixit, homines propter solam incredulitatem damnari. *Secundo*, vt sensus sit, posse hominem dum peccat retinere fidem, atque ideo non amittere Dei gratiam, quia fides in corde permanens facit ne peccata imputentur & damnent. Sed non id Lutherus sensit. Nam vere Epicuræorum est, volutare in peccatis, & sibi fidem arrogare, propter quam non imputentur peccata. Etsi non dicimus quouis peccato amitti fidem; tamen peccatum quod conscientiam vastat, lumen fidei extinguit, non ipsam penitus fidem destruit: peccato fides non vt aqua extinguitur, sed vt cinere obruitur: non ergo cum peccato mortali consistit fides, vt est à Bucero in Ratisbonensi colloquio contra Maluendam defensum. *Tertio* sic intelligi possunt Lutheri verba, vt sensus sit, fidem ita coniunctam esse cum iustificatione, vt qui fidem habet non possit perire, nec vllum peccatum habere quod damnet. Et sic vera propositio est; homo baptizatus non potest perire, nisi nolit credere; quantacunque peccata commiserit: nam si crediderit remissa esse peccata, non damnabitur. Quid enim aliud docet Scriptura, quam propter Christum remissa esse peccata credenti, & saluos nos fore, si credamus? Quis vnquam à Tridentinis Patribus talem sententiam damnari crederet, quæ Euangelii summam continet? Et sic Lutherus sensit, non aliter. Sed Bellarminus etiam in hoc sensu falsam esse Lutheri propositionem conatur probare ex 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: vbi Paulus docet, inquit, posse fidem esse sine charitate, ac proinde posse hominem cum vera fide damnari. *Respondeo* cum nostris, non loqui Apostolum de fide iustificante, quia ea nunquam potest à charitate separari: at loquitur Paulus de tali fide, quæ sine charitate esse potest: ergo loquitur de fide miraculorum: ea enim potest expers esse charitatis. Sic Oecumenius hunc locum interpretatur: ait enim Apostolū non intelligere καθολικὴν πίστιν, ἀλλὰ εἶδος χαρίσματος ὁμωνύμως τῇ πίστει λεγόμενον, *non fidem catholicam, sed speciem doni æquiuoce fidei nomine appellatam*. Bellarminus

Hieron. in c. 2. Ezech. Iouin. August. de haref. c. 82.

Luther. in lib. de captiu. Bab. libert. cap. de Baptismo.

Iacob. 3.

August. de ciuit. Dei, l. 21. c. 25.

Caluin. in Antid. Concil. Tridint. sess. 7. can.

1. Cor. 13. 2.

Oecumen. in locum.

larminus ait, fidem miraculorum nihil esse aliud, nisi excellentem fidem Catholicam, & suo modo iustificantem. At hoc absurdissime ab illo dicitur: nam & potest habere fidem excellentissimam, qui non potest miracula edere; & est fides miraculorum donum extraordinarium; at fides Catholica est ordinaria. Et tum quisquis ad fidei Catholicæ excellentiam peruenire posset, idem posset miracula edere: at hoc falsum: nam Episcopi in Concilio congregati habent fidem excellentissimam, qui tamen non possunt miracula edere. Et non iustificare hanc fidem patet, quia potest esse sine charitate: iustificat autem tantum illa fides, quæ per charitatem operatur; & Christus in vltimo die dicet quibusdam, qui ediderunt miracula, atque ita hanc fidem habuerunt, *Non noui vos.* Sed Bellarminus adhuc ait, nullam esse rationem secundum Lutheranos, cur non possit fides ipsa iustificans manere cum peccato, cum ipsi passim definiant, nihil esse aliud, nisi fiduciam diuinæ misericordiæ: quid autem prohibet, inquit, quo minus possit aliquis, dum furatur, vel mœchatur, confidere, Deum non imputaturum eam actionem ad peccatum? *Respondeo*: Loquitur, vt nouitius, & non modo vt Lutheranæ doctrinæ ignarus, sed vt in religione plane ἀναλφάβητος. Nemo potest credere, Deum peccata sibi non imputaturum, nisi qui peccata deserit, & quem peccatorum

Matth. 7. 23.

suorum pœnitet: quis enim potest confidere, remissa esse sibi peccata, cum pergit in peccatis? præsumptio hæc est, non fides. Sed iterum Bellarminus ait, peccatum factum remanet in iustificatis cur non etiam peccatum, quod fit? *Respondeo*: Peccatum, quod ex infirmitate facimus, potest cum fide consistere, sed peccatum, quod vastat conscientiam, non potest. At remanet, inquit, id enim nos dicimus. *Respondeo*: Calumniatur sciens: non enim dicimus peccatum actuale, vt furtum aut homicidium remanere in renatis: nam quoad actum transit, quoad maculam abluitur, quoad reatum tollitur; ita omnino non manet: sed quod de peccato remanente & inhærente in natura nostra dicimus, id de originali peccato & concupiscentia intelligimus, non de peccatis actualibus. Nihil ergo sucri aut c[illegible]modi ex hac Lutheri pro[illegible]one nactus est Bellarminus.

Secundo [illegible] ctum ait esse, quod Bapti[illegible] liberet nos ab obedientia [illegible] gis. *Respondeo*: Nemo nost[illegible] e vnq[illegible] tenuit: est Lu[illegible]am, qui ansas captant [illegible] suis libidinibus. Non hoc [illegible] Lutheri aut quoquam nostrum [illegible] ire potest. Nam quod ex Lutheri[illegible] Bellarminus affert, *Nullo opere, nulla Lege, Christiano homini opus est, cum per fidem liber sit ab omni lege.* Lutherus intelligit ad iustificationem non [illegible] esse opus nobis [illegible] Lege, cum fide liberati [illegible] rgo Lex nos con-

Luther. de libertate Christian.

condemnare potest, nec vllum opus ad iustitiam est præscribendum: non tamen Lutherus ait, non esse necessariam Legis obedientiam, quam vbique viget. Merum hoc mendacium & futilis calumnia est Tridentinorum Patrum: quare non diutius in hoc effectu consistam.

Tertius effectus est, quod Baptismus liberet ab obseruatione legum humanarum. Lutherus quidem, fateor, homines Christianos nullis legibus, tanquam necessariis ad diuinum cultum, nisi diuinis, alligari ait, quia Christus dixit, *Docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis:* non ergo astringi conscientias legibus humanis extra casum scandali & contemptus, vt nos alibi fusius docuimus: non tamen temere violandas aut contemnendas esse leges humanas: nam hoc esse contra Legem diuinam, & seditionibus excitandis inseruire.

Luther. de Captiu. Babylon.

Matt. 28. 20.

VVhitak. in centre. 4. de Rom. Pont. q. 7.

Quartus effectus est, quod Baptismus liberet ab omnibus votis. Sic Lutherus. Atque vt Lutherus sensit est verissimum. Obligamur vero, quod in Baptismo fit, in perpetuum, nos scilicet Dei populum fore, eiusque mandata seruaturos, & Satanæ renunciaturos. Hoc optimum, & maximum, & à Deo institutum votum est: vota autem ab hominibus inuenta, non sunt nobis necessario seruanda: sufficit seruare votum Baptismi, quod perfectissimum est, & cui nihil accedere potest. Nos autem, qui Christiani sumus, ab humanis votis liberari patet, *primo*, quia in vetere Testamento de votis præcepit Deus, quæ, quomodo, quando, & quibus de rebus fierent: in nouo vero Testamento nihil de votis peculiaribus præscripsit, sed tantum de voto generali, quod fit in Baptismo. At si voluit nos Deus vota facere, præcepisset aliquid de votis etiam in nouo Testamento. Sed Bellarminus ait vota esse de iure naturæ, vt patet ex voto Patriarchæ Iacob: non mirum ergo esse, quod Christus & Apostoli nihil de votis præscripserint: quasi vero Christus non præceperit de iis rebus, quæ sunt de iure naturæ. Sed *Respondeo primo*, vouere non esse de iure naturæ, nisi voueatur id, quod constat Deo gratum fore: at nihil Deus de Aduersatiorum votis mandauit. *Secundo*, quod ad Iacobi exemplum attinet, non probat vouere esse de iure naturæ: nam eodem exemplo probare posset, non minus decimas esse de iure naturæ, quam votum: vouit enim Iacobus decimas, quas non omnes Papistæ de iure naturæ esse tenent. *Secundo*, Christianos à votis humanis liberari patet, quia vouere quod Deus non præcepit est superstitio, *Frustra me colunt docentes doctrinas,* quæ sunt *mandata hominum*: & *Docentes seruare omnia, quæ ego mandaui vobis*, non quæ alius: iam vero votum in Baptismo præcipitur, & est præstantissimum: hoc ergo nobis seruandum est: alia vota non sunt præcepta: non ergo seruanda sunt, & nihil valent. Sed Bellarminus ait, vota magis

I.

I.

2.

II.

Matth. 15. 9.

magis subiicere nos Deo, & homi-
nem per votum magis ligari. *Re-
spondeo*: Qui se non putat arctissi-
me teneri voto, quod in Baptismo
fit, is nulla voti vera conscientia te-
nebitur. Nam hoc votum à Deo
præscriptum est, & est de seruandis
Dei mandatis ; est à Deo impos-
tum, & de rebus maximis : quis
humanis inuentis sic astringi ho-
minem dicet, atque voto in Bapti-
smo facto ? Sed Bellarminus ait,
vota non esse humana inuenta,
Psal.75. quia Dauid ait, *Vouete & reddite,*
11. & omnes Patres illud Pauli de vi-
1.Tim.5. duis iunioribus, *habentes damnatio-*
12. *nem, quia primam fidem irritam fece-
runt*, de voto intellexerunt. *Re-
spondeo*: Dauid quidem ait, *Vouete*,
sed non quicquid libuerit, aut
quicquid vobis placuerit. Et lo-
quitur Dauid pro statu temporum
illorum, quæ erant sub vetere Te-
stamento. At liber Psalmorum,
inquit Bellarminus, moralia docu-
menta tradit, quæ omnibus conue-
niunt. *Respondeo*: tamen non o-
mnia in Libro Psalmorum sunt
moralia, sed miscentur interdum
quædam cæremonialia, vt illud,
Psal.51. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, obla-
tiones, & holocausta, tunc imponent su-
per altare tuum vitulos.* Quod ad lo-
cum Pauli Apostoli attinet, non
omnes Patres de voto continentiæ
interpretantur, sed aliqui de fide
Christiana, quam viduæ illæ prius
professæ fuerant, & postea lasciui-
endo aduersus Christum, & vitæ
turpitudinem sectando, deseruе-
runt; alii de proposito seruiendi Ec-
clesiæ.

Tertio, in Baptismo plus vouе- III.
mus, quam præstare possumus: er-
go inepte faceremus, si nos aliis vo-
tis obligaremus. Bellarminus ait,
hoc blasphemum esse: sed est veris-
simum, vt nos suo loco docebimus:
nemo enim Dei mandata imple-
uit. At Christi iugum, inquit, suaue *Matth.11.*
est & onus leue. *Respondeo*: verum 30.
hoc quidem est, quia Christus hoc
iugum & onus nobiscum portat, &
humeros suos eidem subiicit. Re-
mittuntur quæ non possumus, in
bonam partem accipiuntur, quæ
possumus : & sic suauissime & le-
uissime hoc iugum & onus à nobis
portatur: At si nos ipsos viresque
nostras consideremus, graue hoc
iugum est, & onus quod portare
non possimus. Quis enim vnquam
aut Prophetarum aut Apostolo-
rum totam Legem impleuit, quam
tamen nos in Baptismo impleturos
vouemus.

Quintus effectus est, quod sola
memoria Baptismi iustificet à pec- *Lutherus*
catis post Baptismum. Sed Luthe- *lib de Ca-*
rus non solam & nudam memo- *ptiu. Ba-*
riam Baptismi sufficere vult ad re- *bylon.*
missionem peccatorum, quæ post
Baptismum committimus : nam
multi sui Baptismi meminerunt,
qui nullum ex hac memoria fru-
ctum perceperunt ; sed qui cum
fide & pœnitentia reuocant in me-
moriam suum Baptismum, iis ta-
lem memoriam vult valere ad re-
missionem peccatorum post Bapti-
smum commissorum. Papistæ enim
Baptismum ad præterita tantum
peccata valere volunt : ea omnia
deleri in Baptismo aiunt; quæ au-
tem

tem postea à nobis commissa pec-
cata sunt, ea nullo Baptismi bene-
ficio remitti, sed indigere nouo re-
medio, nempe Sacramento Pœni-
tentiæ. Atque hic Bellarminus
quatuor affirmari à Catholicis ait.
Primum est, peccata in Baptismo ex
opere operato vi Sacramenti re-
mitti. *Secundum*, Baptismi effica-
ciam non se extendere ad futurum,
sed tantum ad præteritum. *Tertium*,
gratiam Baptismi amissam non
posse per Baptismum recuperari,
sed opus esse remedio difficiliore,
nempe Sacramento Pœnitentiæ.
Quartum, vere à Patribus dici, Pœ-
nitentiam post Baptismum esse se-
cundam tabulam post naufragium:
non enim posse homines redire ad
nauim Baptismi, sed arripiendam
esse nobis tabulam, per quam cum
difficultate enatemus. At contra
Lutherus, non opus esse nobis no-
ua tabula, sed redeundum esse ad
Baptismum, in quo obsignatur no-
bis remissio peccatorum omnium:
nam efficaciam Baptismi etiam ad
futura tempora sese extendere. Sed
quia hæc disputatio pertinet ad lo-
cum de Pœnitentia, ad eum locum
reseruandam esse vult Bellarminus.
Hic tamen vnum Scripturæ locum
Heb.6.4. affert, nempe Heb. 6. *Impossibile est,*
5.6. *eos qui sunt illuminati, iterum renouari
ad pœnitentiam. Respondeo primo*: Apo-
stolus ait, τὰς φωτισθέντας, id est, se-
mel *illustratos* scilicet luce Euange-
lii, καὶ παραπεσόντας, id est, postea
prolapsos, nempe per vniuersalem
apostasiam, non posse denuo per
resipiscentiam renouari. Loquitur
de peccato in Spiritum Sanctum, vt
Patres vere omnes interpretantur.
Secundo. Si hic locus ad rem aliquid
faciat, tum non modo Baptismi ef-
ficacia non potest repeti, sed ne pœ-
nitentiæ quidem locus relictus est
aliquis: nam Apostolus aperte ait,
impossibile esse, eos de quibus lo-
quitur, restaurari εἰς μετάνοιαν, *ad
pœnitentiam*. Ita euertit Pontificio-
rum sententiam : tollit enim tabu-
lam pœnitentiæ. Bellarminus ait,
Baptismalem pœnitentiam intel-
ligi. Sed Apostolus in genere ait,
non posse instaurari per pœniten-
tiam, qui prolabuntur : nihil ergo
ad rem hic locus facit. Quod au-
tem de secunda tabula Tertullia- *Tertull.*
nus & Hieronymus scribunt, com- *in lib de*
mentitium est. Non enim Bapti- *pœnit. ex*
smus naui similis est, quæ aut frangi *Montano.*
aut submergi possit : nam in Bapti- *Hieron. in*
smo Deus nobiscum fœdus perpe- *Epist. ad*
tuum de remissione peccatorum *Demetri-*
pepigit: quoties ergo nos peccato- *ad. ex*
rum pœnitet, toties certam ex Ba- *Tertul-*
ptismo consolationem de illorum *liano.*
remissione habemus. Nam Bapti-
smus ipse est proprium Sacramen-
tum pœnitentiæ, quia obsignat
pœnitenti, quoad vivit, peccato-
rum suorum remissionem. Breuis
certe vis Baptismi esset, si tantum
in præteritis valeret: imo cum per-
petua eius vis sit, semel baptizari
sufficit. Sed de hoc commento suo
loco videbimus: nunc Bellar-
mini calumnias ab-
unde dilui-
mus.

CAPVT V.

De fide paruulorum cum baptizantur variæ sententiæ proponuntur & examinantur, & Pontificia refellitur.

AD hanc Quæstionem de Baptismi effectu pertinet, vt quid Baptismus in paruulis seu infantibus efficiat videamus. Est autem ea quæstio cum difficilis & plena controuersiæ, tum digna quæ tractetur & explicetur diligenter. Christus enim ait, qui crediderit & baptizatus fuerit, eum saluum fore: puerine autem credunt? si non credunt, quo iure ad Baptismum adducuntur? si credunt, num ante Baptismum, an in Baptismo fides infunditur? & qualis tandem ea fides est? qui hanc causam difficultatibus omnibus expedire posset, eius ego me auditorem libentissime profiterer. Sed quia nostræ disputationis ratio postulat, vt de hac quæstione aliquid dicamus, necessitati parendum est, alioqui libenter certe prætermisissem propter & rei difficultatem, & fratrum quorundam offensionem. Cum enim Papistis omnes fere aduersemur, non omnes tamen in eadem sententia versamur de fide paruulorum. Ego pro ea facultate, quam mihi Deus dederit, ingenue exponam sententiam meam, & quidem sine cuiusquam, qui aliter senserit, præiudicio; semperque ero paratus sententiam meliorem amplecti, si quis ostenderit. Cum autem variæ hac de re opiniones sint, eas proponere oportet, vt quæ aut verissima sit, aut proxima veritati, indicemus. Pontificii vero quid sentiant, primo exponam, tum quid ii, qui Papistarum sententiam improbant.

Pontificii igitur *primo* dicunt, infantes non habere post Baptismum actualem fidem, hoc est, non credere actu, quia hoc intelligentiam requirit: infantes autem non intelligere quæ fidei sunt; non ergo actu credere. *Secundo*, non modo non actu credere infantes dicunt, sed ne nouos quidem motus aut inclinationes habere, quæ actibus fidei & charitatis similes sint. Nam multi Protestantes etsi non fidem actualem infantibus tribuunt, tamen inclinationes quasdam bonas, nouosque motus in pueris esse dicunt, cum baptizantur. Hoc Pontificiis absurdum videtur. *Tertio*, tamen infantes iustificari affirmant in Baptismo, nec sine fide iustificari, quia nulla sine fide iustificatio est, aut esse potest: cum ergo medium iustificationis & salutis fides sit, & infantes iustificentur & salutem consequantur, esse in infantibus necessario fidem aliquam volunt. *Quarto* igitur dicunt, in Baptismo infundi infantibus habitum fidei, spei, & charitatis. Etsi enim non admodum antiqua hæc confessio est, vt fatetur Dominicus à Soto cum

Dominic. à Soto in 4. d. 6. q. 1. art. 4.

Innocent. in c. Maiores de Baptismo.

cum Innocentio, qui rem inter Theologos dubiam relinquunt: tamen postea in Concilio Viennensi & Tridentino definitum est, habitus harum virtutum infundi in Baptismo. Sed tamen habitus fidei non idem est quod credere, quia distinguuntur habitus & actus. Quid ergo de Patribus statuent, qui infantes credere aiunt? Bellarminus ergo *quinto* ait, infantes actu credere. Itane vero? at idem ait infantes non habere actualem fidem: quomodo igitur actu credunt? Dupliciter ait, *primo*, reipsa dum baptizantur; non quod vllum internum fidei actum habeant, sed improprie, quia baptizantur: idque ex Augustino probat, qui ait infantibus ipsum baptizari esse credere. Ita credunt, & actu credunt, quemadmodum exponit Bellarminus, quia Baptismum suscipiunt, & ipsa Baptismi susceptio fidei professio est. Sed hoc non est proprie credere, quia multi externam professionem faciunt, qui tamen non credunt.

August. de pec. merit. & remiss. l. 1. c. 27.

Secundo ait Bellarminus, infantes actu credere, quia credunt fide aliena. Si enim infantes credunt actu, certe non sua, sed aliena fide credunt, nempe parentum, aut offerentium, aut Ecclesiæ, vt Patres dicunt. Iam autem quod infantes credere dicuntur fide aliena, non est sensus, inquit Bellarminus, eos iustificari formaliter, aut esse fideles aliena fide, vt perperam ait nonnullos nostrum colligere; neque sensus est, inquit, vt exponit Lutherus, impetrari fidem paruulis, qua iustificentur, à fide & precibus offerentium & Ecclesiæ: sed sensus est, ipsos non habere fidem actualem propriam & suam, sed offerentium fidem actualem dici horum, & sic credunt fide actuali, non tamen sua, sed aliena. Sed hoc & stultissimum est, & contra sententiam Patrum, qui infantes eadem fide, qua credunt, etiam iustificari intelligunt, vt postea videbimus; quod hic negat Bellarminus. Nunc quid ii de hac re sentiant, qui à Papistis dissentiunt, videamus. Lutherus infantibus suam & actualem fidem tribuit; quam eius sententiam Papistæ admodum exagitant.

Luther. in lib. de captiu. Babylon & in lib. cōt. Coclæum.

In hanc opinionem delatus fuit vir doctissimus, *primo* ratione doctrinæ de Sacramentis: Cum enim Sacramenta sint sigilla promissionum diuinarum, & promissiones fidem requirant, videtur consentaneum, vt fidem iis tribuamus, qui promissionum harum in Sacramentis participes sunt: *secundo* Anabaptistarum importunitas & contradictio Lutherum huc impulerunt, qui paruulos nullo modo baptizandos esse contenderunt, quod fidem habere non possent. Hinc Lutherus non veritus est affirmare, ne baptizandos quidem pueros esse, si verum sit eos non credere; quod ab illo forsan inconsulte pronunciatum est. Etsi autem nonnulli conati

sunt hanc sententiam mitigare, vt
Melanch. in loc. com in loco de Baptism. Melanchthon in locis communibus, qui ait, etsi non ipse actus fidei in paruulis sit, tamen fieri in illis nouos sanctosque motus ineffabili vi Spiritus sancti, qui motus sint instar fidei, ne nullam haberi in infante mutationem existimemus: tamen Lutherani hodie non contenti hac mitiore expositione, actualem in pueris fidem constituunt. Nam in colloquio Montpelgartensi Iacobus Andreas illam Lutheri priorem opinionem renouauit & defendit, à quo in hoc capite doctissimus Beza cum suis collegis dissensit. Non omnes igitur Protestantes illam Lutheri de actuali fide sententiam sequuntur.
Caluin. instit. l. 4. c. 16. §. 18. 19. Caluinus etsi Deum posse in infantibus operari miro & arcano modo fatetur, & Anabaptistis repugnat, qui negant ab iis cognosci Deum posse, cum nihil periculi sit, si dicamus particulam aliquam iis concessam esse in hac vita gratiæ, cuius plena post largitate perfruentur; & cum nonnulli in prima infantia morientes mox Dei faciem contemplentur, quos statim pleno lucis suę fulgore illustraturus est nil impedire, quo minus exigua aliqua scintilla eos in hac vita irradiare possit: etsi, inquam, sic scribit, tamen eandem in iis fidem esse, quam nos in nobis experimur, aut esse in eis notitiam fidei similem, non audet affirmare. Agnosco, Caluine, modestiam prudentiamque tuam: neque audes actualem illis fidem tribuere; quod videtur à ratione alienissimum; nec negas Deum posse arcane supra captum ingenii nostri; & de re obscurissima non temere pronuncias. Certe quam sit hæc quæstio difficilis explicatu, satis ex Caluino constat, qui cum acerrimo ingenio esset, tamen vix inuenerit, quid statueret, nec secum quidem constet per omnia: cum enim dixisset, non esse tutum adimere Deo, ne se possit infantibus cognoscendum exhibere, tamen non audet dicere, eos notitiam habere fidei similem: at si Deus se illis cognoscendum exhibet, habent notitiam, & si notitiam, cur non fidem? Petrus Martyr vir grauissimi iudicii, ait se non audere eorum sententiam amplecti, qui fidem tribuunt infantibus, non quin Deus iis infundere fidem possit, si velit, & rationem producere in eorum mentibus ante naturæ tempus. & efficere, vt quanquam ipsi non intelligant neque cognoscant quæ creduntur, tamen Spiritus sanctus in eis apprehendat illa & illis consentiat, vt dicitur idem Spiritus nobis nescientibus intercedere pro nobis & orare quemadmodum oportet, & Deum, cum nouerit eius sensum, illum audire: tamen cum Scriptura non dicat paruulos credere, neque hoc videat iis esse necessarium ad salutem, satis esse indicat, vt dicamus eos qui seruantur, cum sint de peculio Domini per prædestinationem & electionem, Spiritu sancto perfundi, qui radix est fidei, spei, & charitatis, & omnium virtutum, quas postea exerit & declarat in

Pet. Mar. in 1. Cor. 7. *Rom. 8. 26. 27.*

filiis

filiis Dei cum per ætatem licet: posse ergo sic dici fideles, vt dicuntur rationales. Nam etsi non possunt infantes ratiocinari, tamen animam habent ea facultate præditam, vt possint, cum ætas accesserit, ratiocinari: ergo rationales dicuntur non propter præsentem vsum rationis, sed propter insitum principium rationis, nempe animam, quæ artium & doctrinarum omnium capax est: fidem igitur expressam requiri in adultis, in paruulis sufficere fidem inchoatam in suo principio & radice, id est, Spiritu sancto, quo præditi sunt, ex quo fides suo tempore & virtutes aliæ manant: nam infantes à Spiritu sancto purgari, cum sint in Ecclesia, & ad Ecclesiam pertineant; Ecclesiam autem Christus sanctificauit, *mundans eam lauacro aquæ per verbum*. Si ad Ecclesiam pertinent, Spiritu ornantur, si in cœlum recipiuntur, à peccato purgantur: hoc fieri à Spiritu sancto sine actu fidei: neque, vt Papistæ dicunt, infundi hanc gratiam in Baptismo, sed obsignari, cum sancti sint infantes fidelium ante Baptismum Dei gratia, quæ cum eius fœdere coniuncta est. Non ergo baptizantur infantes, vt fiant sancti, sed quia sancti sunt, ideo baptizantur, id est, sigillum accipiunt: alias qui sine Baptismo morerentur, perirent, cum necesse sit, qui sancti non sunt, petire in æternum; quod etsi Papistæ de paruulis sine Baptismo morientibus pronunciant, tamen supra id esse absurdissimum ex Scri-

Ephes. 5. 26.

ptutis & Patrum testimoniis docuimus.

Iam Pontificiorum sententiam excutiamus, qui infundi infantibus in Baptismo habitum fidei affirmant. Hæc cum sit Concilii Tridentini Ecclesiæque Papisticæ sententia, certis argumentis comprobanda erat: nullus enim Pater antiquus sic docuit; nullum Concilium sic definiuit: quare recens hoc dogma est de infusione habitus. Thomas affirmat, antiquiores quosdam dixisse, non infundi infantibus gratiam, sed characterem imprimi, cuius virtute consequuntur gratiam, cum ad ætatem perfectam venerint. Sed ait Bellarminus hanc sententiam colligi posse ex Scripturis, quibus probauit sine fide paruulos non seruari. Sed nullas huiusmodi Scripturas affert, quæ in pueris fidem propriam esse docent, aut eos propria fide seruari. Possunt seruari fide aliena, vt nos postea ex communi Ecclesiæ Catholicæ sententia ostendemus: nihil enim impedit, quo minus vt eos Bellarminus aliena fide actualiter credere affirmat, sic etiam & habitualiter aliena fide credant. Salus enim non ex habitu solo, sed ex actu fidei sequitur: nemo ex fide sua saluus, nisi qui credit. Fingit Bellarminus infantes habere fidem habitualem, ex eaque seruari, & tamen non credere: sed Christus requirit, non modo vt sit fides in iustis, sed etiam vt credant. *Ita Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitũ dederit, vt quis-*

Thom. in 3. part. summæ q. 69. art. 6.

Ioan. 3. 16.

quis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam : datus autem missusque Christus est ad seruandos paruulos : credunt ergo : at credere designat actum ; &, *Qui non credit, iam condemnatus est* ; & Apostolus ait, *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius pro iustitia.* Hæc & alia loca si rigide vrgeantur, actualem non habitualem fidem requirunt. Sed addit Bellarminus, fidem aut actum aut habitum significare : in paruulis vero actum fidei esse non posse: ergo in eis habitum fidei esse. *Respondeo:* Non sequitur: nam vt actus non est in iis proprius, ita nec habitum in iis proprium esse necesse est. Sed subiungit, infantes recte baptizari, & per Baptismum iustificari & saluari, & nullam iustificationem esse sine fide : ergo infantes habere saltem habitualem fidem. Sed non probant hæc: semper enim respondemus, baptizari & seruari infantes propter fidem quidem, sed non propriam, quæ tamen vt propria illorum reputatur; vel credere illos, quia principium & semen fidei, id est, Spiritum sanctum habent : hæc ergo pro fide habituali nihil faciunt, imo potius pro fide actuali : nam iustificatio non potest esse ex fide, quæ nunquam in actu est, & habitus cogitari non potest sine actu vel præcedente, vel subsequente. Quis de habitu vnquam aut deuotionis, aut charitatis sine vllo actu audiuit ? Sed addit Bellarminus, paruulos baptizatos vere esse fideles : at fideles ab habitu non actu dici; alias, inquit, non essemus fideles, cum dormimus. *Respondeo* : paruulos etiam ante Baptismum eo modo fideles dici, quo post Baptismum dicuntur : nam Apostolus sanctos vocat etiam fidelium infantes nondum baptizatos : nisi enim aliquo modo fideles essent, non adducerentur ad Baptismum: non igitur hinc probatur, infundi in Baptismo habitum fidei. Etsi autem fideles dicimur non à solo actu, tamen nemo vnquam fidelis aut fuit aut dictus est ex solo habitu, sed fideles dicimur ex fide, qua credimus: etsi fideles sumus etiam, quando ab actu abstinemus. Sed ait Christum habitare in infantibus per fidem : ergo habere eos fidem saltem quoad habitum. *Respondeo*: At hoc non minus de actu quam de habitu fidei intelligitur. Quid si enim dicamus, in nullis Christum habitare, nisi qui actu credunt? & pueri habent tum actum tum habitum fidei in suo semine, id est, in Spiritu sancto, vt antea diximus. *Postremo* ait, infundi paruulis occultam gratiam, cum baptizentur, idque Augustinum docere. *Respondeo:* Id nos quoque dicimus: sed Augustinus non ait habitum fidei infundi, sed gratiam : & Bellarminus nescit an hæc gratia sit charitas cum fide & spe, an qualitas alia, cum qua tres illæ virtutes perpetuo sunt coniunctæ. Quis vnquam de eiusmodi qualitate audiuit, quæ nec spes, nec charitas, nec fides est, sed has secum coniunctas habet : infundi gratia potest sine harum virtutum aut actu aut habitu.

Ioan. 3. 18.

Rom. 4. 5.

August. de peccat. merit. & remiss. l. 1. c. 9.

Vi-

Videtur Augustinus id sensisse, hanc gratiam esse Spiritum S. qui efficit fidem, licet non statim, in infantibus.

Hanc ego sententiam Papistarum non minus absurdam esse dico, quam ea est, quæ ab illis vt absurdissima reiicitur, infantes nempe habere fidem actualem. Qualis enim, quæso, hæc illorum fides habitualis est ? *Primo* fides perficit intellectum, & expellit ignorantiam, etiam fides habitualis, & accendit lumen in mente: fidelem enim dormientem nemo fidei ignarum esse dixerit, vt nec doctum dormientem indoctum esse: at nulla est talis perfectio intellectus in infantibus, nec lumen aliquod tale in illorum mentibus, cum Scriptura dicat, eos nescire discrimen inter dexteram & sinistram, multo ergo minus fidei mysteria sciunt.

I.

Ion. 4. 11.

Secundo, habitus elicit assensum circa suum obiectum proprium: nam vt habitus non potest esse sine notitia, ita nec sine assensu : at nullus in pueris assensus est: tum enim & notitia & actus fidei in illis esset.

II.

Tertio, Author huius insulsæ distinctionis fuit Thomas, qui ait causam, cur pueri, cum habeant habitus, tamen inhabiles sint ad actus, esse impedimentum corporale, vt dormientes licet habitus virtutum habeant, tamen propter somnum non operantur. Sed hanc esse fictam causam patet. Nam dormientes sublato impedimento possunt actus exercere: at si puer baptizatus transferretur ad Turcas aut Paganos, vbi de Christo nihil audiret, non crederet actu, etiam remoto ætatis impedimento ; quod indicat eum nullum talem fidei habitum habuisse, nam si habuisset, ætate iam prouectus sciret aliquid eorum, quæ fidei sunt, & posset aliquem fidei actum ex illo habitu elicere.

III.

Quarto, fides in mente gignitur aut immediate, aut mediate, id est, aut extraordinarie & miraculose, aut ordinarie per prædicationem verbi : vtrouis modo esse fidem dixerint in pueris, erit miraculum : nam sine miraculo non possunt audire & intelligere prædicationem verbi : & si extraordinaria reuelatione credant, hoc quoque miraculum erit ; & hoc nullis nisi diuinis viris, Apostolis scilicet & Prophetis contigit, habere reuelationes: at Pontificii omnibus baptizatis infundi habitum fidei volunt; sic miracula etiam nunc iuxta illos non raro sed indies fere fierent, imo sæpe multa miracula in vno die. Et hac ratione paruulorum fides esset certior quam adultorum, quia fides ex reuelatione certior & absolutior est ea, quam doctrina & auditione percipimus. Nullus igitur habitus fidei in infantibus est.

IV.

Ca-

CAPVT VI.

In quo ex Patrum teſtimoniis tum Pontificiorum de fide infantium ſententia plenius refellitur, tum noſtra confirmatur.

QVAM hæc difficilis quæſtio ſit de fide Baptiſmoque infantium, tanta inter Theologos acutiſſimos ſententiarum pugna docet. Nec Papiſtæ actualem fidem Lutheri probant, & nos illorum habitualem fidem non minus improbandam dicimus. Igitur ſi placet, ambo ad antiquos Eccleſiæ Doctores prouocemus, eoſque de hac controuerſia conſulamus; & tum ſequamur eam ſententiam, quam Scripturarum veterumque Patrum authoritas maxime comprobabit. Iuſtinus Martyr ait, pueros poſt Baptiſmum morientes, conſequi illa bona, quæ ex Baptiſmo proueniunt: τῇ πίσει τῶν προσφερόντων αὐτὰ τῷ βαπτίσματι, *fide illorum, qui eos Baptiſmo offerunt*: ergo non ſua ſed aliena fide: fide ergo aliena iuſtificantur. Et quanquam certum eſt, Iuſtinum non fuiſſe authorem huius libri, cum in Quæſtione, 82. Originis mentio fiat, qui centum poſt annis floruit; tamen liber viſus eſt non indignus Iuſtino, quia multa præclara habet. Nam fidem ineſſe in paruulis, in quibus nulla eſt rerum aut humanarum aut diuinarum intelligentia, veterum nemo vnquam exiſtimauit. Dionyſius, quem Papiſtæ falſo Areopagitam eſſe dicunt, ait παιδας ἅπω τὰ θεῖα συνιέναι δύνασθαι, *pueros nondum poſſe diuina intelligere.* Auguſtinus ait, infantes non poſſe corde credere, vt eis deputetur ad iuſtitiam: & ibidem diſerte ait, infantes non iuſtificari ſua fide: negat enim eam fidem, quæ iuſtificat, eſſe in paruulis: at Papiſtæ eos habituali fide iuſtificari aiunt: eſt ergo hoc nouum quoddam genus fidei, & Scripturis ac Patribus inauditum, qua infantes non credunt ad iuſtitiam, & tamen iuſtificantur; quod plane abſurdiſſimum eſt. Et ibidem Auguſtinus ait, in infantibus præcedere Sacramentum regenerationis, & ſequi cordis conuerſionem, ſi Chriſtianam fidem tenuerint: non ergo exiſtimauit, infundi eam gratiam in Baptiſmo, qua infantes iuſtificantur: præcedere enim ait Sacramentum regenerationis. Quid hoc eſt, *præcedit*, niſi illos cum baptizantur non niſi Sacramentum regenerationis accipere? non igitur iuſtitiam accipiunt. Quomodo ergo ſeruantur? reſpondet Auguſtinus, Sicut latroni non obfuit Baptiſmo caruiſſe, quia non contemptu, ſed neceſſitate caruit: ſic in infantibus, qui poſt Baptiſmum moriuntur, Dei gratiam ſupplere, quod deeſt ex ætatibus indigentia: igitur illis deeſt fides iuſtificans: non ergo in Baptiſmo infunditur. Idem Dardano quærenti, ſi paruuli adhuc Deum ignorent, quomodo Ioannes ad Domini præſentiam in matris vtero exultauit, reſpondet, hoc inſtar

Dionyſ. Areopag. Hierarch. Eccleſ. c. vlt. in fine.

Auguſt. cont. Do. nat. l. 4. c. 24.

Iuſtin. Martyr in Reſpõſ. ad Orthodox q. 56.

Idem Epiſt. 57.

inſtar miraculi habendum; factum hoc eſſe diuinitus in infante, non humanitus ab infante: tum ait, *Si velimus verbis oſtendere, paruulos neſcire diuina, cum nec humana nouerint, vereor ne ſenſibus noſtris facere iniuriam videamur, cum omnes ſermonis vires ſuperet euidentia veritatis.*

Si iniuriam ſenſibus faciunt, qui conantur docere, paruulos neſcire diuina, certe Auguſtinus maiorem iniuriam facturum exiſtimauit, ſi quis docere conaretur, ſcire eos diuina. Cum primum enim edere cœperint ſigna vocis articulatæ, videmus eos talia ſentire ac dicere, vt ſi tales perſiſterent, nemo eos vel fatuus nimium fatuos eſſe dubitaret: tum ex abſurdo id oſtendit; *niſi forte id reſtat*, inquit, *vt in vagitu infantiæ, aut veteri ſilentio ſapientes fuiſſe dicamus, vt primum vero loqui nobiſcum cœperint, deniſſe ad hanc ignorantiam, quam videmus.* Nunquam igitur Auguſtinus de paruulorum aut actuali aut habituali fide ſomniauit: num enim in vagitu infantiæ fidem habuiſſe infantes exiſtimauit, quam ſtatim amiſerint, vt loqui nobiſcum cœperunt? Idque etiam ex eo adhuc luculentius conſtat, quod infantes cum baptizantur, & vocibus & motibus, quibus poſſunt, reluctantur; quod non facerent, ſi aut fidem aut intelligentiam haberent. Concludit tamen Auguſtinus, habitare in paruulis Spiritum ſanctum, quamuis ipſi neſciant, vt mentem habent, quam neſciunt, in qua ratio, vt ſcintilla quædam, ſopita eſt, acceſſu ætatis excitanda: & hanc ex Auguſtino Petrus Martyr ſententiam ſumpſit. Vbi notandum eſt, quod non fidem ait Auguſtinus in infantibus habitare, ſed Spiritum ſanctum; non ergo agnouit habitualem fidem in infantibus.

Ita cum paruulis intelligentiam adimunt Patres, vna etiam fidem in eis nullam eſſe dicunt, quæ ſine intelligentia ne cogitari quidem poteſt. At quomodo ergo fideles appellantur paruuli, aut quare baptizantur, ſi neque intelligentiam, neque fidem habeant? iam igitur de fide paruulorum quid Patres ſentiant conſiderandum eſt. Non loquuntur vt Papiſtæ, infantes habere fidem habitualem, qua vti nequeunt propter ætatem, ſed vt eis fidem, ſic fidei actum tribuunt. Auguſtinus hæc verba habet, *Accommodat mater Eccleſia infantibus aliorum pedes, vt veniant, cor vt credant, linguam vt confiteantur.* Ita ſic illi credunt, vt veniunt & confitentur: non ipſi autem veniunt aut confitentur, ſed vt aliorum pedibus veniunt, & lingua confitentur, ſic aliorum fide credunt. Idem ait, *Abſit vt paruulos dicam non credentes, quia Chriſtus non prodeſt non credentibus: credit in altero, qui peccauit in altero*: & ibidem poſtea, *Credunt & infantes*: ſed vnde credunt? & quomodo credunt? fide parentum ſcilicet: *fide parentum purgantur*, inquit, *peccato parentum polluti ſunt*: non ergo aliam infanti-

Auguſt. de verbis Apoſtoli ſerm. 10.

Idem ſermon. 14.

bus fidem tribuit Augustinus, nisi qua crednnt : ait enim purgari ea fide, qua credunt: credunt autem non sua sed parentum fide : non igitur habituali sed actuali fide purgantur , si Augustino credimus.

Bernard. Epist. 77. Cum Augustino Bernardus consentit, quem fere nouum Augustinum dicamus. Is ait infantes habere fidem, sine qua impossibile est placere Deo, & saluari per fidem, at non suam, sed alienam: ergo falsum est, quod Bellarminus ait, nullum Catholicum docuisse vnquam, paruulos viuere id est, iustificari & saluari fide aliena: nam Augustinus & Bernardus aperte dicunt, saluari non per suam, sed per alienam fidem: si saluantur, ergo viuunt & iustificantur: aitque Bernardus, *dignum esse, & ad Dei spectare benignitatem, vt quibus fidem ætas denegat propriam, gratiam prodesse concedat alienam.*

Sed quare non exigenda ab eis est fides propria ? nempe quia nullam habent culpam propriam: atque Augustini in multis locis *August. Epist. 23.* hæc ratio est, *paruuli per alios credunt, sicut per alios peccatum contraxerunt* : igitur vt vere impii sunt propter peccatum parentum, sic vere iusti sunt propter fidem parentum. Neque hoc Scholasti- *Thomas in 3. part. sum. q 68. a. 9.* cis displicet : sic enim Thomas: nec obstat, si parentes sint non fideles, quia offeruntur infantes non tam ab eis, quorum manibus gestantur, quam à societate fidelium. Nam vt infantes in maternis vteris non accipiunt per se nutrimentum, sed ex matris nutrimento sustentantur : sic infantes in Ecclesiæ vtero non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Idemque ait, *fidem Ecclesiæ paruulis prodesse propter operationem Spiritus Sancti, qui vnit Ecclesiam, & bona vnius alteri communicat:* ergo si sibi constare velit, non fide propria & habituali iustificantur infantes, sed Ecclesiæ, quæ ipsorum mater est, cuius fides eis vi Spiritus Sancti communicatur.

Vnde videmus, quam falsum sit, quod Bellarminus ait, Patres non dicere, paruulos iustificari fide Ecclesiæ : nam Patres dicunt illos credere corde ad iustitiam fide parentum : & sic iustificari fide aliena, vt peccato alieno coinquinati sunt: purgari parentum fide, quod est, vt Aduersarii volunt, iustificari : Ecclesiæ bona eis communicari, id est, Ecclesiæ fide illos iustificari : saluari per fidem alienam : igitur de habituali Papistarum fide, quam illi volunt in Baptismo ex opere operato infusam esse, Patres ne somniarunt quidem.

Minus ergo Lutherus à sententia Patrum discessit, qui actualem infantibus fidem tribuit: nam Patres eos fide actuali iustificari aiunt, quod est necesse; nemo enim iustificari potest, nisi ea fide qua credimus: sed hanc esse alienam

nam fidem non suam Patres dicunt, Lutherus esse suam & propriam ; quod mihi longissime à vero dissentire videtur. Imo eis tribui duplicem fidem, habitualem qua iustificantur, sed non credunt, actualem qua credunt, non iustificantur, & illam sequi Baptismum, hanc præcedere, quod vult Bellarminus, absurdum est: cum enim fides actualis Ecclesiæ, vt Thomas docet, per Spiritum sanctum infantibus communicetur ; necesse est actualis fidei meliores esse partes, quam habitualis, cum & habitum præsupponat, & actum ex habitu: aut ergo non infantibus communicatur Ecclesiæ fides, aut ea iustificantur. Falsum etiam & illud est, quod Bellarminus ait, paruulis fidem alienam non sic esse necessariam, vt si desit, non sit Baptismus verus aut fructuosus: nam Patres omnes ne baptizandos quidem infantes esse volunt, nisi propter alienam fidem, & eos baptizari aiunt in fide aliena: quam igitur infanti, dum adhuc in vtero est, necessarius est cibus matris, tam paruulis baptizandis necessaria est fides Ecclesiæ, si aut Patrum aut Scholasticorum sententiam sequamur. Atque hoc vsque adeo patet, vt etiam Scholastici pueros infidelium nullo modo baptizandos esse statuant.

Thom. 22. q. 10. art. 12. & alibi. Sic Thomas sæpe: & hæc semper Ecclesiæ consuetudo fuit: nisi autem paruulis aliena fides necessaria sit in Baptismo, non minus pueri infidelium possent & deberent baptizari etiam inuitis parentibus, quam fidelium & Christianorum ; nam malitia parentum non debet infantibus obesse: multum autem obesset, si propter culpam parentum priuarentur iis bonis, quæ ex Baptismo proueniunt. Imo si actu baptizentur huiusmodi infidelium pueri, hunc esse nullum Baptismum Durandus contendit, & Paludanus ait, non magis esse Sacramentum, quam si quis brutum animal baptizaret; etli non omnes Scholastici idem hac de re sentiunt.

Sed hic quærerem à Papistis, qui infantes fidelium non esse sanctos dicunt ante Baptismum propter fœdus, quod Deus cum suo populo pepigit, cur fidelium pueri magis baptizari debent, quam infidelium : nam ante Baptismum non illi magis habent fidem, quam hi : & nisi Ecclesiæ fides ex Dei fœdere communicaretur infantibus fidelium, posset non minus communicari infidelium infantibus, cum quod in Ecclesiæ voluntate positum est, æque his atque illis communicari possit: ergo propter fœdus diuinum, quod certum & perpetuum est, & sancti censendi & baptizandi sunt fidelium infantes. Vnde etiam constat, quam absurde faciunt ii, qui infidelium liberos baptizant, si parentes volunt eos baptizari,

quasi Ecclesia suo arbitrio, quibus vellet, Baptismum dare posset: tum enim etiam inuitis parentibus baptizandi essent.

Matth. 18.6. At si paruuli non credunt, quæri potest, quomodo Christus dixit, *versſ.* 3. ὃς δ' ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, *Quisquis offenderit aliquem ex paruis istis, qui in me credunt*: tales etiam supra vocantur παιδία, id est, *pueruli*: & *Marc.* 9. 36. Marcus Euangelista ait, Καὶ λαβὼν παιδίον ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ, εἶπεν αὐτοῖς, *Et acceptum puerulum statuit in medio eorum, eoque in vlnas recepto, dixit eis*: pueri autem grandiores non gestari in vlnis solent: & *Luc.* 18. 15, 16. Lucas Euangelista βρέφη vocat, id est, *infantes*, & non illos venisse ait, sed allatos fuisse, προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, *Afferebant autem ad eum infantes*: imo etiam nostræ Ecclesiæ hoc testimonio Baptismum paruulorum confirmant: nisi autem hi prorsus infantes essent, non valeret hic locus ad Baptismum paruulorum confirmandum: etiam Papistæ contra Anabaptistas hoc loco vtuntur, vt ipse *Bellarm. de Sacrament. Baptism. l. 1. c. 8.* Bellarminus; & tamen hoc in capite paulo post idem Bellarminus hos pusillos fuisse pueros grandiores ait: si vero tam grandes fuerunt, vt possent credere, quomodo hoc exemplo probatur Baptismus infantium, quos ait non credere? Hunc locum Lutherus & Lutherani pro fide infantium afferunt; nec Bellarminus Luthero satisfacit, cum ait fuisse pueros grandiores; nam si fuerunt pueri grandiores, hoc exemplum non facit pro Baptismo infantium, sed grandiorum, qui iam per ætatem fidei capaces sunt, & sic apette secum pugnaret Bellarminus, qui antea hunc locum attulit pro Baptismo infantium contra Anabaptistas. Tamen opinor esse verum, Christum cum dixit, ὃς δ' *Matth.* ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, *Quisquis offenderit aliquem ex pusillis istis, qui credunt in me*, non de infantibus loqui; aut si loquatur de infantibus, sic eos credere velle, vt Patres dicunt paruulos credere, nempe fide aliena, id est, offerentium: Sed non de infantibus loqui videtur, quia dicitur hunc puerum ad se vocasse: ergo de iis loquitur, qui & se vocari intelligunt, & venire per se possunt, tamen adhuc in tenera ætate sunt; quia Christus talis *versſ.* 4. pueri humilitatem nobis proponit imitandam; pueri vero paulo adultiores satis superbiæ habent, & satis peruersitatis ostendunt: ea tamen ætate fuit hic puer, vt & intelligere & credere posset; nam Christus ait, τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ: *versſ.* 6. vbi etiam de talibus pueris, qui scandalizari possent, se loqui ostendit: at mere infantes recens nati, nec venire vocati, nec scandalum pati possunt: ergo de iis loquitur, qui scandali capaces sunt. Sed præter hos grandiores, adductos esse ad Christum etiam infantes constat, qui παιδία vocantur, & hos Lucas vocat βρέφη: nam hos vere infantes fuisse ex eo patet, quod discipuli irati iis essent, qui

Matth. 18.16. *Matth.* 19.13. *Luc.* 18.15.

afferebant: quod vero Christus ait, *Matth.* 19. 14. *Luc.* 18. 16. *Sinite paruulos venire ad me*, venire, ibi ponitur, pro afferri, aut adduci. Constat igitur ex Euangelistis, Christum bis tractasse pueros, nempe primo paulo prouectiores, qui & venire per se poterant, & scandalizari, & credere; postea vero infantes, quibus manus imposuit; vnde paruulos ad Christum pertinere, & nostram Ecclesiam recte hunc Euangelii locum ad infantes iam baptizandos accommodare constat: hos infantes Christus non ait credere, sed illos prouectiores; & hoc fallit quosdam. Sed hic sane vtiliter quæri posset, quoto anno pueri apti ad credendum sint: hinc certe apparet, primis etiam annis, cum adhuc teneri sunt, aptos esse; nam de talibus hic Christus loquitur. Scholastici quærunt, quando pueri ad vsum rationis veniunt, & alii vnum tempus assignant, alii aliud: ego eos, vt primum apti ad ratiocinandum sunt, etiam ad credendum aptos esse sentio, & puto citius posse aptos fieri ad sumendam Eucharistiam, quam hodie vulgo fit. Papistæ, qui infantibus fidem habitualem tribuunt, vix dicere possunt, cur pueri non statim à Baptismo ad Eucharistiam admittendi sint, vt olim mos fuit, si Dionysio Areopagitæ credamus: nam ne accedenti quidem ad Eucharistiam, necessariam esse putant actualem fidem; dispositi autem satis sunt accedentes ex habituali fide.

Igitur cum antiquis Patribus, Augustino & reliquis, atque item cum nostris libenter sentio, fidem alienam paruulis sufficere ad salutem. Quemadmodum enim nequeo fidem actualem paruulis cum Luthero tribuere, qui certe vt in aliis rebus, ita in hac se hominem esse prodidit; nimis enim certe incredibile est, credere infantes actualiter, qui ne rationis adhuc vsum habent: ita nihilo magis cum Scholasticis sentire possum, fidem eis habitualem inesse, propter eas causas quas diximus. Infundi autem talem gratiam infantibus in Baptismo, falsum esse experientia adultorum docet: non enim plus in infantibus quam adultis Sacramenta efficiunt: etiam minor dispositio in infante, quam in adulto, quia non potest se disponere, vt adultus; quod si eis dispositio aliena sufficit, quidni & fides aliena? quomodo ergo non impedit infusionem gratiæ labes originalis, quæ tanta est, vt propter eam damnentur infantes iuxta illos, si sine Baptismo moriantur? Iam autem adulti bene dispositi, qui non habent illud ætatis impedimentum, quod in paruulis fingunt, post Sacramenti perceptionem non sentiunt infusam nouam gratiam: qui enim adulti baptizantur, non magis credunt post Baptismum, quam antea, quia eadem mens, idem actus, idem habitus in iis manent post Baptismum, qui prius fuerunt: non igitur ex opere operato gratia fidei habitualis pueris infunditur. Commentum hoc antiquæ Ecclesiæ inauditum fuit, & Scripturis ac rationi est contrarium. Si fides infantibus in Ba-

ptiſmo infunditur, quidni etiam adultis? non enim video, quomodo tanta gratia infundatur paruulis, cum adultis negetur. Sed etſi infantes non habere fidem habitualem, tamen à Spiritu ſancto purgari dicimus, & fieri nouas creaturas, quia caro & ſanguis regnum cœlorum non poſſidebunt, & niſi ex aqua & Spiritu ſancto renati fuerint, non poſſunt intrare in regnum cœlorum: ergo in eis operari Spiritum ſanctum ineffabiliter dicimus. Expoſui quod mihi viſum eſt; iudicium Eccleſiæ relinquo.

Finis quarta Quæſtionis.

Quæstio V.

An Baptiſmus Ioannis idem fuerit cum Chriſti Baptiſmo.

Caput I.

De ſtatu Quæſtionis.

Marc. 16. 16. πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſeruabitur.* Quando hanc primum de Baptiſmo Controuerſiam aggreſſi ſumus, eam in ſex Quæſtiones diſtribuimus, quarum adhuc vna vel altera teſtat explicanda. Curſum enim diſputationis noſtræ calamitas ſuperiorum temporum interrupit; qua factum eſt, vt non modo hæ ſcholæ ſiluerint, ſed & ipſa Academia ſuis ſedibus exularit. Triſte exemplum diuinæ offenſionis, qui ne ſacratis quidem literarum ac pietatis domiciliis pepercerit, noſtraque hęc religioſa ſtudia mortiferæ contagionis metu diſturbarit. Hoc iam periculo defuncti, ad priſtinos labores & officium multo alacriores redeamus, quæque intermiſſa iamdudum deſiderabamus, ea nunc reſtituta maiore quodam impetu repetamus. Quid enim prodeſt, patere ſcholas, ſi nos languemus animis, & faſtidio optimarum artium ſcholas quaſi molas fugimus? Quare vt qui amiſſis gaudiis, ſi denuo potiantur, ſuauis vtuntur: ita nos incitatiorem ad hæc ſtudia, quibus tamdiu cum dolore & damno caruimus, alacritatem afferamus, & nunc de Baptiſmo reliqua audiamus. Expoſitum enim eſt, & quid Baptiſmus ſit, quæque eius materia, quæ forma; quæ prima Quæſtio fuit: & an ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius ſit; quæ ſecunda Quæſtio fuit: & à quibus adminiſtrandis; quæ tertia: & quæ eius vires, quæque effecta ſint; quæ quarta fuit Quæſtio. Conſequens nunc eſt, vt ad quintam Quæſtionem veniamus, quæ eſt de comparatione Baptiſmi, qui Ioannis vocatur, & qui Chriſti fuit, vbi idemne vterque, an natura & vi diuerſus fuerit, quærendum eſt. Non enim exigua hæc inter nos atque Aduerſarios noſtros Controuerſia eſt; quam vt ordine & dilucide tractemus, opinionum differentia proponenda eſt.

Habita eſt hac Prælectio poſt longam intermiſſionem ratione peſtis graſſantis Cantabrigiæ.

Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. Concilium Tridentinum anathema ei denunciat, ſi quis Ioannis Baptiſmum habuiſſe vim eandem dixerit, quam habet Baptiſmus Chriſti: vbi capitalem errorem eſſe indicat, ſi quis Ioannis & Chriſti eundem Baptiſmum ſtatuerit. Bellarminus hanc Concilii definitionem tribus propoſitionibus complexus eſt.

Prima propoſitio eſt, Ioannis Baptiſmum non fuiſſe idem Sacramentum cum Baptiſmo Chriſti.

Secunda, non eandem vim & efficaciam habuiſſe.

Tertia, poſt Ioannis Baptiſmum Chriſti Baptiſmum neceſſario fuiſſe adhibendum. Ita ex Ioannis Baptiſmo non niſi rem ludicram faciunt: non enim modo non idoneum Baptiſmum fuiſſe, ſed nec contuliſſe gratiam, nec omnino Sacramentum fuiſſe noui Teſtamenti aiunt: volunt ergo fuiſſe tantum quandam præparationem ad Baptiſmum Chriſti: ſed quam hoc verum ſit, poſtea videbimus, vbi etiam Scholaſticorum multiplices pugnas referemus. Nihil ergo eſt, quod Bellarminus obiicit, Lutherum in initio ſenſiſſe de Ioannis Baptiſmo, vt ipſi; etſi non lego vbi ſic ſenſerit, ſed ſic ſenſiſſe non eſt incredibile: nam ne ipſi quidem Pontificii, certi quid poſſunt adhuc hac de re ſtatuere: & hanc Bellarmini ſententiam pugnare cum Scripturis apertiſſime oſtendemus.

Noſtri fere omnes Theologi Ioannis Baptiſmum non diſtinguunt à Baptiſmo Chriſti quoad vim & efficaciam, ſed tantum circumſtantia quadam diſcrepaſſe aiunt: nam Ioannis Baptiſmum datum fuiſſe in Chriſtum paſſurum, Apoſtolorum vero Baptiſmum in Chriſtum paſſum. Et quidam è noſtris, etſi Ioannis Baptiſmum fuiſſe verum Sacramentum, & remiſſionem peccatorum contuliſſe putarunt, in ea tamen ſententia ſunt, vt exiſtiment, eos qui hoc Baptiſmo baptizati ſunt, poſt Chriſti mortem nouo Baptiſmo initiandos fuiſſe, propter difficilem illum locum, qui Actorum decimo nono habetur, *Act. 19. 4.* de quo

de quo postea dicemus. Sic Lutherus, & Melanchthon, & alii: quæ illorum opinio num tolerabilis sit, nos suo loco videbimus. Kemnitius hanc quæstionem putat esse in medio relinquendam, quia non multum incommodi esse ait, siue isto siue illo modo sentiamus. Nos putantes eandem gratiam in Baptismo Ioannis collatam fuisse, quæ in Christi Baptismo est collata, nihil contra Scripturas, aut antiquam Ecclesiæ doctrinam tenemus: Aduersarii vero de Ioannis Baptismo tam exiliter sentientes, aperta Sctipturarum authoritate refelluntur. Bellarminus nos eundem Ioannis & Christi Baptismum facientes Donatistis comparat: ait enim Petilianum Donatistam docuisse vnum esse Baptismum Christi & Ioannis. Sed in eo manifestam nobis iniuriam facit: non enim Petilianus Ioannis Baptismum esse eundem cum Christi Baptismo dixit, id est, vim eandem & efficaciam habuisse, sed vnum eundemque Baptismum docuit esse tribus gradibus consecratum: Ioannem dedisse aquam, Christum dedisse Spiritum, & paracletum dedisse ignem; quod ridiculum est, cum & Christus in suo Baptismo aquam dederit non minus quam Ioannes: & Petilianus negat Ioannem dedisse Spiritum sanctum in suo Baptismo, quod nos, qui eius Baptismum eundem fuisse cum Christi Baptismo dicimus, non docemus. Nil nobis igitur commercii cum Petiliano, qui Spiritum à Ioannis Baptismo seiunxit, & nos collatum à Ioanne Baptismū negamus Spiritu caruisse. Nūc ad Bellarmini propotiones veniamus, & primo de prima dicamus, qua contendit non fuisse Ioannis Baptismum idē Sacramentum cum Baptismo Christi. Neque ego plane idem fuisse dixerim; quadam enim circumstantiæ ratione differebat: nam Ioannes non potuit baptizare in Christum mortuum, quia Ioanni Christus superfuit: Baptismus autem datur in remissionem peccatorum, & remissio peccatorum fluit ex vulneribus & sanguine Christi: noster ergo Baptismus Christi mortem præteritam spectat, Ioannis vero Baptismus Christi mortem futuram. Fuit tamen Baptismus Ioannis Sacramentum, & eandem gratiam obsignauit, quam noster Baptismus; quemadmodum & quos Apostoli ante Christi mortem baptizabant, iis verum Baptismum dederunt, & fuit hic Baptismus verum Sacramentum; & tamen dabatur in Christum morituram: ita quodammodo alius Apostolorum Baptismus fuit ante & post mortem Christi, non quoad materiam Sacramenti, quæ est Christus, nec quoad formam baptizandi, sed quoad circumstantiam quandam formæ, id est, Christi morituri & mortui. Sed quemadmodum Petrus & Ioannes verum Sacramentum conferebant, etiam ante Christi mortem, ita & Ioannes Baptista verum Sacramentum contulit, non modo

Vide August. cōt. lit. Petil. l. 2. c. 32. 34. & 37.

modo nudam quandam cæremoniam gratiæ & Spiritus inanem, vt Aduersarii volunt. Iam ad Bellarmini argumenta veniamus.

CAPVT II.

In quo Bellarmini argumenta pro prima propositione, nempe, Ioannis Baptismum non fuisse idem Sacramentum cum Baptismo Christi, diluuntur.

ARGUMENTA Bellarmini pro prima propositione quatuor sunt. *Primum* est huiusmodi: Baptismus Ioannis erat ab ipso Ioanne institutus, non à Christo, nec à Deo: ergo non erat verum Sacramentum noui Testamenti. Consequentia patet, quia purus homo non potest Sacramenta instituere: id ex nostra confessione probat. Antecedens probatur, quia in Scripturis passim Ioannis Baptismus vocatur: ergo eius author Ioannes fuit, non Minister tantum: alias Baptismus Christi posset vocari Baptismus Petri, Pauli, Philippi, & aliorum. *Respondeo primo*: de consequentia; eam scilicet non esse firmam. Homo enim purus potest instituere Sacramentum, non sua authoritate, sed Dei, id est, vi & virtute mandati diuini. Sic Abrahamus Circumcisionem instituit, & Moses Agnum Paschalem: & erant hæc vera Sacramenta. Deus non circumcidit quenquam, sed Abrahæ præcepit vt circumcideret, nec Deus Agnum Paschalem occidit, sed Mosi præcepit occidere: hæc Sacramenta ab his Prophetis iussu Domini instituta sunt: similiter Sacramentum aliquod noui Testamenti ab homine institui potest mandante Domino: & sic Ioannes instituit Baptismum.

Quare *secundo* respondeō deantecedente, Ioannem sic baptizasse, vt in mandatis à Deo acceperat: author ergo huius Baptismi non Ioannes sed Deus fuit; idque ex eo patet, quod Ioannes ipse ait, ὁ πέμψας με βαπτίζειν, *Qui misit me, vt baptizarem*: missus ergo à Deo est, id est, iussus vt hoc faceret: ergo Ioannes Baptismum suum non instituit, sed Deus. Bellarminus ridicule de hoc loco respondet, Deum in genere mandasse, vt baptizaret Ioannes, sed ritum baptizandi in particulari à Ioanne institutum fuisse, non à Deo præscriptum. *Respondeo*: Ioannem & iussum esse à Deo baptizare, & edoctum quomodo baptizaret: nam ait, *Qui misit me, vt baptizarem* ἐν ὕδατι, *in aqua*: ibi habemus externum Baptismi elementum. Et baptizauit Ioannes in nomen Christi, quemadmodum Apostoli fecerunt, vt ex Act. 19. patet, vbi legimus Ioannem baptizasse in Christum venturum: quod indicat eum non instinctu suo, sed iussu Domini baptizasse: hocque ex isto loco Hieronymus, & Ambrosius, & Lombardus colligunt, vt suo loco docebimus. Sic Tho-

II.

Ioan. 1. 33

Act. 19. 4.

Thom. in 4. d. 2. art. 3. mas ait, Ioannis Baptismum fuisse datum in nomine venturi: Ioannes ergo non instituit ritum baptizandi, quia hic ritus, quo is vsus est, idem fuit quoad substantiam cum eo, quo Apostoli vsi sunt. Et *Idem in 3. q 38. art. 2.* idem Thomas diserte ait, ipsum ritum, quo Ioannes baptizabat, fuisse à Deo. Bellarminus negat: Thomas ait: sed quis non Thomæ potius credat, quam Bellarmino: quam enim insulsum est, Ioannem in genere iussum esse baptizare, sed de modo baptizandi nihil certi habuisse? non sic Deus obscure mandare solet: igitur & res erat à Deo; quod Bellarminus fatetur; & ritus; quod Thomas concedit: ergo totus Ioannis Baptismus à Deo fuit.

Sed Thomas ait tamen, effectum illius Baptismi non nisi ab hominibus fuisse, quia in illo Baptismo nihil efficiebatur, quod homo facere non posset: quod quam falsum sit, nos postea ostendemus, cum eundem fuisse effectum Baptismi Ioannis & Christi probabimus. Quod Christus etiã aperte docet, cũ à Principibus Sacerdotum & Senioribus populi quærit, *τὸ βάπτισμα Ἰωάννου πόθεν ἦν, ἐξ οὐρανοῦ, ἢ ἐξ ἀνθρώπων, Baptisma Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus?* *Matth. 21. 25.* non dubium est, quin ex cœlo fuit, idque Christus senserit: & ex cœlo totus Ioannis Baptismus fuit. Non enim quærit Christus, fueritne partim ab hominibus, partim à cœlo, sed an vel à cœlo tantum, vel ab hominibus tantum, quasi necesse fuit ab altero horum fuisse: ergo aut totus Ioannis Baptismu à Deo fuit, aut totus ab hominibus. Sed Bellarminus vult partim à Deo fuisse, partim ab homine; quod cum Christi mente pugnat: vult enim Christus Baptismum Ioannis, id est, totum quod Ioannes in illo ministerio baptizandi faciebat, à Deo esse. Quare Luc 3. post quam Euangelista dixisset, *ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην τὸν Ζαχαρίου ἐν τῇ ἐρήμῳ, factum est verbum Domini ad Ioannem Zachariæ filium in deserto,* statim subiicit, *venisse eum in omnem regionem circumiacentem Iordani, prædicantem Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum:* ergo quemadmodum à Deo iussus & edoctus fuit, tum vt doceret, tum quomodo doceret, similiter iussus à Deo fuit & edoctus tum vt baptizaret, tum quomodo baptizaret: omni igitur ex parte & quoad rem & quoad modum à Deo institutus fuit Ioannis Baptismus. Atque hinc etiam videmus, quam falsum illud sit, quod Thomas ait, *Thom. in 3. q. 38. art. 2.* nihil in Baptismo Ioannis effectum esse, quod homo facere non posset: nam diuinæ institutionis necesse est talem esse effectum, qualem nullus homo proferre potest,

Tertio, quod obiicit Bellarminus, dici Ioannis Baptismum, non tanquam Ministri tantum, sed etiam tanquam auctoris; dico Ioannis dici Baptismum, non quod à Ioanne institutus fuit, sed quod per Ioannis ministerium Deus hoc Sacramentum noui Testamenti instituit, quod postea Christi Baptisma dicebatur, quia Ioannes Christo ces-

sto cessit. Non sic Baptismus Christi potest vocari Petri, aut Pauli, aut Philippi Baptismus, quia hi nec authores nec primi Ministri Baptismi fuerunt, sed Baptismum à Deo per Ioannem institutum retinuerunt. Atque hoc est, quod *Tertull. de Baptis.* Tertullianus ait, fuisse Baptismum à Deo institutum *mediante Ioanne*: atque ideo Ioannis vocatur. Non enim Christus Baptismum instituit mediante Petro; non ergo Petri Baptismus dicitur: sed Ioannes fuit Minister primariæ institutionis, vt Scholastici loquuntur.

Secundum Bellarmini argumentum sic se habet: In Baptismo necessaria est inuocatio Trinitatis: at in Ioannis Baptismo non fuit Trinitatis inuocatio: nam nihil tale Scriptura, nec Patres docent: & videtur Ioannes nulla verborum forma vsus esse: nam & Christum baptizauit: ridiculum autem fuisset Christum baptizasse in nomine Messiæ venturi. *Respondeo*: cum nostris fere omnibus, Ioannis Baptismum non omnino caruisse inuocatione Trinitatis. Neque enim Ioannes Trinitatis mysterium ignorauit, cum in Baptismo Christi vocem Patris audiret, & Spiritum Sanctum in forma columbæ videret, fueritque monitus in initio, eum esse Christum, super quem videret Spiritum Sanctum descendentem & manentem: nihil ergo dubium est, quin in fidem huius Triuitatis baptizarit. Quam enim ille doctrinam edoctus est de Trinitate eam non dubium est illum discipulis tradidisse, & in eam baptizasse, quamuis forsan non tam explicatè, quam postea tradita est, & nunc traditur. Sed & præterea legimus, Ioannem dixisse populo, *Act. 19. 4.* vt crederent in Christum venturum & in Baptismo suo Christi mentionem fecisse: baptizauit igitur in fidem Christi; fides autem Christi non potest notitia & inuocatione Trinitatis carere. Fides enim in Christum necessario continet doctrinam de Trinitate, quia nemo potest in Christum credere, qui non credit in Patrem & Spiritum Sanctum. Fieri potest vt non fecerit Ioannes distertam mentionem Trinitatis in baptizando; neque id necesse fuit: nam potuit esse Sacramentum sine forma verborum adhibita à Ministro in administratione, quemadmodum de Circumcisione constat, in qua nullam eiusmodi formam adhibitam legimus. Sed Ioannes in *Act. 19. 4.* nomen Messiæ venturi baptizauit.

Verum putat Bellarminus ea verba Pauli non significare formam Baptismi, sed quod Ioannes admonuerit populum, vt in Christum venturum crederent. *Respondeo*: hoc esse satis, si populum de Christo erudierit: nam vel hinc constare potest, eius verum Baptismum fuisse. Ioannes populum docuit, vt in Agnum Dei crederent & Christum pro Messia agnoscerent; & eos in hac fide baptizauit: nihil hic ad verum Baptismum defuit, etsi inter baptizãdum

Ioh. 1. 33.

Trinitatis nomen non expresserit. Nulla enim tum verborum formula præscripta est, cum Ioannes baptizauit: postquam vero Christus iusserat, vt hac forma verborum Baptismus administraretur, tum fateor necessarium fuisse hac forma vti. Imo Scholastici multi affirmant (quod tamen ego falsum existimo) etiam post mortem Christi Apostolos hanc formam mutasse, & in nomine tantum Christi baptizasse, quia legimus in Actis nonnullos baptizatos fuisse in nomine Domini Iesu. Nec desunt, qui existimant Ioannem baptizasse in nomine Trinitatis: diligenter populum de Christo instituisse, & sic de mysterio Trinitatis, & tum baptizasse aqua, & hoc symbolo remissionem peccatorum per sanguinem Agni obsignasse: sed si Ioannes informauit in fide, & populum confitentem fidem de Christo baptizauit, licet sine expressa mentione Trinitatis: & sine forma verborum, nemo dixerit non recte baptizatos, & gratiam Baptismi consequutos, qui ab illo baptizati sunt. Baptizasse autem illum in nomen Christi venturi, nescio quam multi affirmant, non Patres tantum, sed & Scholastici. Sic Hieronymus, & Ambrosius: sic etiam Lombardus, Hugo de Sancto Victore, Thomas. Et Durandus ait, *dici communiter, quod forma, qua Ioannes vsus est, hæc fuerit, Ego baptizo te in nomine venturi.* Quare concludo, Ioannis Baptismum fuisse verum, & habuisse effectum Baptismi: idque Dominicus à Soto necessarium esse fatetur, si Ioannes hoc modo baptizauit: at nos docuimus hoc modo baptizasse. Atque ideo Bellarminus & quidam Scholastici negant hoc modo baptizasse, id est, negant apertam Scripturam, & antiquissimorum Scholasticorum sententiam. Quod vero Ioannes Christum baptizarit, id quadam singulari & extraordinaria dispensatione factum est: non opus fuit, vt Christum doceret, nec Christus Baptismo indiguit, tamen baptizari à Ioanne voluit, vt Ioannis ministerio communicaret, vt eius Baptismum approbaret, & cohonestaret, & in suo corpore sanctificaret. Non ergo sequitur, Ioannes non baptizauit Christum in nomine Christi, aut in fidem Christi, aut in resipiscentiam & remissionem peccatorum: ergo non alios ita baptizauit: nam Christi Baptismus extraordinarius fuit.

Sancto Vict. de Sacram. l. 2. part. 6 c. 6. Thom. in 4. d. 2. art. 3. & in 3. q. 38. art. 6. ad 5. Durand. in 4. d. 2. q. 3. Dominic. à Soto in 4. d. 2. q. 2. art. 1.

Hieron. in Ioel. c. 2. & in Epi. de viro vnius vxoris. Ambros. in lib. de Sp. S. c. 3. Lombar. in 4. d. 2. Hugo de

Tertium Bellarmini argumentum sic instituitur: Sacramenta noui Testamenti debent institui ab authore noui Testamenti: sed Ioannes non fuit author noui Testamenti, imo baptizauit, antequam Christus cœpit prædicare, eius ergo Baptismus non est Sacramentum noui Testamenti, & multo minus idem cum Baptismo Christi. *Respondeo*, hoc argumentum idem fere esse cum primo: ait enim Bellarminus, Ioannis Baptismum non fuisse institutum aut mandatum à Christo: sed hoc esse falsum, nos antea ostendimus: nihil enim Ioannes fecit, nisi quod iussus

iussus est facere. Nunc præterea addimus, verissime de illo dici posse, quod Apostolus habet in Epistola ad Hebræos, *Nemo sibi sumit hunc honorem, nisi qui à Deo vocatur, sicut Aaron.* Ioannes ergo non in se sumpsit hunc honorem, nisi vocatus & iussus à Deo; alioqui grauiter peccasset, si nouum cultum, aut nouum ritum, sua authoritate introduxisset; sed tamen hunc honorem sibi à Deo impositum recusare non debuit: ideoque etiam Christus ad Ioannis Baptismum accessit, quod non fecisset, nisi à Deo institutus fuisset. Et quod ait, Sacramenta noui Testamenti debere instituta esse in nouo Testamento, verum id quidem est: nam Ioannes fuit Minister noui Testamenti, etsi alii illum interstitem, alii limitem, alii medium inter vetus & nouum Testamentum vocant; quod aliquo modo verum est. Sed necesse est eius ministerium aut ad vetus aut ad nouum Testamentum simpliciter pertinere; nam tertium nullum Testamentum est: veteris Testamenti non fuit Minister, quia Christum præsentem prædicabat: fuit ergo proprie noui Testamenti Minister. Atque hoc est, quod Christus ait, *Omnes Prophetæ & ipsa Lex vsque ad Ioannem prophetarunt:* ergo Ioannes noui Testamenti promulgator primus fuit, & Minister; author vero Christus: ideoque etiam eius Baptismus verum Sacramentum fuit, quia oportuit nouum Testamentum non carere Sacramento, vt qui primus nouum Testamentum promulgauit, primus etiam cum Sacramento noui Testamenti prodiret, idemque Sacramentum celebraret.

Heb. 5. 4.

Matth. 11. 13.

Quartum Bellarmini argumentum superest, quod in hunc modum se habet: Baptismus Christi non potest iterari: at quos Ioannes baptizauit, Apostoli iterum baptizari iusserunt. *Respondeo primo* de assumptione. Non potest Bellarminus probare, baptizatos iterum fuisse, quos Ioannes baptizauit, vllo aut testimonio, aut exemplo Scripturæ. Nam quod ad Ephesios illos attinet, quos in Ioannis Baptisma baptizatos fuisse legimus Actor. 19. de illis postea respondebimus, eique testimonio suo loco satisfaciemus. Apollos, qui sciebat solum Baptismum Ioannis, non legitur fuisse iterum baptizatus, sed tantum melius institutus: & Ioannes multos Apostolos baptizauit, quos non legimus fuisse iterum baptizatos, neque quisquam certo docere aut probare potest, iterum baptizatos fuisse. *Secundo*, quod ad propositionem attinet, fateor Baptismum Christi, qui sic proprie dicitur, non esse iterandum: sed Ioannis Baptismus, etsi verus Baptismus fuit, & effectum verum Baptismi habuit, tamen differebat à Christi Baptismo, quia non plenam habuit Trinitatis confessionem, nec eam certam verborum formam, quam Christi Baptismus habuit: putant ergo Lutherus, & Melanchthon, & Kemnitius, potuisse Ioannis Baptismum iterari,

Act. 19. 3.

Act. 18. 26.

rari, imo Lutherus & Melanchthon putant debuisse. Et quanquam qui à Ioanne erant baptizati, & rem Sacramenti, & Sacramentum ipsum quoad materiam & formam, id est, quoad substantiam omnes acceperunt; tamen postquam Christus instituit administrationem Sacramenti in certa forma, nihil impedit, quo minus qui à Ioanne baptizati sunt, etiam potuerint postea baptizari, vt sic vno eodemque modo omnes baptizarentur. Nec si iterum baptizati sunt, qui à Ioanne fuerunt baptizati, sequitur Ioannis Baptismum non fuisse verum Baptismum, vt nec Circumcisionem non fuisse verum Sacramentum, quia quosdam circumcisos baptizatos fuisse legimus.

Neque potest Bellarminus aliquid contra hanc opinionem affetre, quod alicuius sit momenti: nam quod ex Augustino affert, baptizatos à Paulo fuisse, qui à Ioanne antea baptizati fuerant, non ob aliam causam, nisi quod Ioannis Baptismus non erat Christi Baptismus; nemo nescit hanc fuisse opinionem Augustini; sed nos Augustinum hac in re non sequimur: etsi Augustinus alibi ait, fieri potuisse, vt Ephesii hi mentiti sint, id est, non fuerint à Ioanne baptizati; idque multis visum esse. Vnde hæc duo colligo; *primo*, non esse necessarium, hanc fuisse solam causam, quam Bellarminus affert, cur Ephesii à Paulo baptizati sunt, quod Ioannis Baptismus non fuit Christi Baptismus; nam multi illos non omnino fuisse baptizatos existimarunt, vt ait Augustinus: *secundo*, plærosque olim putasse, eundem Ioannis & Christi Baptismum fuisse, quia ne Baptismi iterationem concederent, hos non omnino fuisse baptizatos dixerunt. Ergo nec possunt Aduersarii vllo exemplo probare iterationem Baptismi, quo Ioannes vsus est, & si possent, non tamen sequeretur hoc quattum Bellarmini argumentum.

Augusti. l. 5. c. 9. de Baptism. Act. 19. 14

Augusti. in lib. de vnic. Baptism. cont. Petilian. c. 7.

CAPVT III.

In quo diluuntur argumenta Bellarmini pro secunda propositione, nempe Baptismum Ioannis non habuisse eandem efficaciam cum Christi Baptismo.

NVNC ad secundam propositionem veniendum est, qua contendit Bellarminus, Ioannis Baptismum non habuisse eandem vim & efficaciam, quam Christi Baptismus haber. Atque hic statim manus dat Aduersarius, nec se posse causam hanc sustinere satis ingenue confitetur. Ait enim non esse quæstionem, an Ioannis Baptismus remiserit peccata ex deuotione & fide accedentium, sed

sed vtrum Ioannis Baptismus sic remiserit peccata, vt Christi Baptismus, id est, vi sua, seu ex opere operato. Ita fuisse remissionem in illo Baptismo fatetur, sed non ex opere operato: at in Christi Baptismo esse ex opere operato; quem nos atheismum & insaniam antea refutauimus. Demensissimum enim est putare, cuiquam remitti peccata in Baptismo, qui nullam secum fidem aut deuotionem ad Sacramentum attulerit: imo tales Sacramento nefarie abuntur, & propter hoc sacrilegium grauissime punientur; tantum abest vt gratiam mereantur. Quare si Ioannis Baptismus iis remissionem tribuebat, qui cum fide & deuotione ad illum accedebant, nos non aliud requirimus: tum enim verum Sacramentum fuit, & gratiam remissionis ac iustificationis obsignauit, quod est Sacramenti munus & officium. Non plus facit Baptismus Chtisti, nisi scilicet in credentibus iustitiam fidei obsignat: non enim iniustis vi sua iustitiam infundit, sed in credentibus sigillum est & symbolum iustitiæ suæ: & sic Ioannis Baptismus fuit. Non potest Bellarminus tueri hanc causam, nisi monstrum illud operis operati ei concessum fuerit, ex omnibus Theologorum scholis explodendum. Illud commentum quam insulsum sit, supra à nobis demonstratum est: nunc vt Bellarminus hoc posito contra nos disputet videamus.

Primum Bellarmini argumentum hoc est: Baptista ipse distinguit Baptismum suum à Baptismo Christi, quod ipse in aqua baptizaret, ille in Spiritu baptizaturus esset: *Ego baptizaui vos in aqua*, inquit, *ille vos baptizabit Spiritu Sancto. Respondeo primo*, non esse hanc idoneam distinctionem inter Baptismum Ioannis & nostrum: tum enim quemadmodum Aduersarii dicunt, Ioannem tantum aqua baptizasse, ita in nostro Baptismo non esset omnino aqua, sed tantum Spiritus sanctus: ait enim Ioannes, *Ego baptizaui vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu Sancto*, non aqua simul & Spiritu Sancto: non ergo Baptismus à Baptismo, aut ministerium à ministerio, sed persona Ministri à persona Domini his verbis distinguitur, quasi diceret Ioannes, nos aquam largiri possumus, & hoc tantum est, quod possumus: ille solus Spiritum Sanctum dare potest. Ira Ioannes voluit testari omnibus, se non esse Messiam, cuius est Spiritu Sancto baptizare. *Secundo*, sensus igitur est, non à Ministro sed à Christo gratiam regenerationis prouenire, quasi diceret Ioannes, Ego vos aqua baptizaui; quod non multum est, hoc enim quiuis Minister potest facere: sed ille qui post me venturus est, ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί, *vos baptizabit Spiritu Sancto & igni*; qui est internus & verus Baptismus: Debet enim Spititus Sanctus quasi ignis non modo accendere & inflammare mentes nostras, sed

Marc. 1. 8.

I.

II.

Matth. 3. 11.

sed etiam illustrare & purgare: hoc ego ne possum præstare, hoc illius est. Bellarminus ait hanc expositionem facile refelli posse: ait enim Ioannem de Christo dicere, ille *baptizabit vos*; nondum ergo baptizabat Christus; ergo hic effectus non fuit in Baptismo Ioannis. At ille modo confessus est, potuisse esse in Ioannis Baptismo remissionem peccatorum si quis cum fide & deuotione ad illum accederet: ergo à Ioanne baptizati, sunt baptizati Spiritu Sancto. Loquitur vero Ioannes de Christo in futuro, *ille baptizabit*, non quod arcane non iam Christus in eius Baptismo operaretur, sed quia nondum Christus in publicum prodierat: voluit ergo innuere, quendam iam venturum ad illorum animos conuertendos; non excludere internam operationem Christi in ipsius Baptismo, quasi diceret, Ego vos hac aqua baptizo, sed mox aderit qui Spiritum Sanctum largietur. Non hoc probat, Ioannis Baptismum caruisse Spiritu Sancto, sed Ioannem non fuisse, qui Spiritum Sanctum daret. Quare alibi Ioannes ait, *Qui misit me vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum descendentem, ac manentem super eum, ἑτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ, hic est qui baptizat Spiritu Sancto*: ita tum Christus per Ioannis ministerium baptizauit: & Ioannes vt primum missus est ad baptizandum, intellexit fore qui vnà baptizaret Spiritu cum ipso, sed eum nescierat; admonitus tamen eum esse, super quem Spiritum descendentem videret, ac manentem super eum, agnouit: & tum Christum baptizasse constat, quia Ioannes suos auditores in Christi fide erudiit: qui autem in Christum credunt, eos Christus Spiritu suo baptizat. Voluit tantum Ioannes reuocare populum à se ad Christum, & omnium animos ad illum conuertere, quia multi ipsum Messiam esse credebant. Nec credibile est, Ioannem tantum laborem in baptizando sumere voluisse, si suum Baptismum nudam cæremoniam gratiæ inanem fuisse existimasset: ergo tam laborioſe baptizabat, quia Baptismum suum signum & signaculum gratiæ esse nouit.

Ioan. 1. 33.

III. Sed tertio *Respondeo*, quam ego verissimam esse responsionem censeo, cum Ioannes de Christo ait, ἑτός βαπτίσει, *ille baptizabit*, intelligere metaphoricum Baptismum, nempe extraordinariam illam & visibilem effusionem donorum Spiritus Sancti in forma ignis, quæ facta est die Pentecostes, quæ etiam dona postea sæpe in credentes effusa sunt. Hunc Baptismum intelligi patet, ex verbis Christi ad Apostolos Actorum. 1. *Ioannes baptizauit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto post non multos hos dies*: at iam ante erant Apostoli baptizati non sine Spiritu Sancto, sed hic nouus Spiritus Sancti Baptismus illis promissus est. Si alibi Petrus ait, cum videret per suam prædicationem extraordinaria dona Spiritus Sancti in Gentes effusa; venisse sibi in mentem

Act. 1. 5.

Act. 11. 16.

mentem statim hæc Christi verba, *Ioannes baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*: vbi manifestum est, Petrum interpretari Baptismum Spiritus de extraordinaria donatione Spiritus Sancti. Ergo potest esse in verbis Ioannis Baptistæ non tantum personarum, sed etiam Baptismorum distinctio; at tum inter Ioannis verum & Christi metaphoricum Baptismum distinguitur. Bellarminus ait, Christum & Petrum alludisse ad verba Ioannis, sed tamen in alio sensu illa protulisse. Sed hoc probari non potest: nam & Ioannes ait, Christum baptizaturum in Spiritu & igne, vt non obscure eundem hunc Baptismum significet. Sed Bellarminus ait, Patres exponere verba Ioannis de Baptismo Christi, sed Christi & Petri verba non posse exponi nisi de missione Spiritus Sancti. Sed & Patres nos etiam possumus afferre: nam Chrysostomus non obscure ait, Ioannem *potuisse hoc primum, quod post omnia esset futurum*, id est, post Christi mortem & resurrectionem: nam tum demum aduenit hoc modo Spiritus Sanctus. Ambrosius vero & Hilarius de igne extremi iudicii interpretantur: non ergo vt Bellarminus. Quid quod Scholastici etiam & Papistæ aliqui sic verba Ioannis exponunt, vt nos. Durandus ait, *Si quis diligenter aduertet Scripturæ testimonia, intelliget Ioannem loqui de missione Spiritus Sancti facta in specie ignis in die Pentecostes*: si quis ergo bene aduertet, is nostram sententiam esse veram agnoscet. Sic Iansenius ait, *Ioannem potissimum locutum esse de eo baptismo Spiritus, quo per visibilem missionem Spiritus primum Apostolos, deinde & alios plarosque credentes Christus baptizauit*: idque probat, quia Christus Act. 1. promittens Spiritum Sanctum Apostolis, Ioannis verba repetit. Sed quouis modo hæc verba sumantur, non sequetur Ioannis Baptismum fuisse Spiritu vacuum. Et de primo Bellarmini argumento hactenus.

Iansen. in concord. Euangel. c. 13.

Act. 1. 5.

Chrysost. in Matth. 3. hom. 11.

Durand. in 4. d. 1. q. 4.

Secundum Bellarmini argumentum sumitur à testimoniis Patrum: & multa hic testimonia citat; neque id esse difficile fateor: plærique enim Patres distinguunt Baptismum Christi à Ioannis Baptismo. Sed tamen & Patres nobiscum sentiunt, vt nos postea docebimus, qui dicunt datam fuisse etiam in Ioannis Baptismo remissionem peccatorum, etiam iidem Patres, qui Ioannis Baptismum à Christi Baptismo distinguunt. Et distinguant Aduersarii, quantum volunt, modo Ioannis Baptismum non fuisse inanem & nudam cæremoniam dixerint; quod non modo ad huius Baptismi contumeliam, sed & ad huius eximii ministerii, quo Ioannes functus est, infamiam redundat. Dicunt Patres Ioannis Baptismum non fuisse eundem cum Christi Baptismo: interim dicunt, & fuisse à Deo institutum, & non fuisse vacuum gratia, & Spiritu sancto, & remissione peccatorum, vt postea docebimus. Aduersarii vero inanem fuisse gratiæ dicunt, & ludicram tantum

cæremoniam, & nihil in eo effectum esse, nisi quod ab homine fieri posset, vt nos antea ex Thoma docuimus. Quare cum Caluino dicamus, æquum non esse, vt his Patribus potius quam Euangelistæ credamus; qui scribit Ioannem baptizasse in remissionem peccatorum: qui ergo non ficte ad hunc Baptismum accedebant, ii remissionem peccatorum in eo consequebantur. *Luc. 3. 3.*

Sed Bellarminus ait, non esse quæstionem, vtrum Euangelistæ potius an Patribus sit credendum, sed an Euangelistam Caluinus melius intellexerit, quam tot Patres. Et quidni Caluinus Euangelistam tam bene intelligat, quam quisquam Patrum? sed reuera Patres Euangelistam sic intelligunt, vt Caluinus, Baptismum nempe Ioannis habuisse remissionem peccatorum; aut nos Caluino non esse credendum diceremus. Sed testimonia Patrum in locum suum reseruabimus.

Tertium Bellarmini argumentum sumitur ab ipsa persona & officio Ioannis: ait enim Ioannem solum ad hoc venisse, vt vias Domini pararet, non vt salutem daret & iustitiam, alioqui non præcursor sed Saluator fuisset. *Respondeo:* hanc esse meram calumniam: nam hoc argumentum non minus contra nostrum quam Ioannis Baptismum valebit. Num enim Ministri hodie sunt Saluatores, quia in eorum Baptismo remissio peccatorum confertur? non dixerit, opinor: non erit igitur Ioannes Saluator, quia in eius Baptismo id factum est. Non enim Ioannes vi aut merito suo dabat remissionem peccatorum aut salutem, sed Sacramento suo remissionem peccatorum in Christi fide & nomine obsignauit: non ergo sequitur: Ioannes erat præcursor Christi: ergo Ioannis Baptismus non erat verus Baptismus; sed, ergo Ioannes non erat Christus. Nihil impedit, quo minus præcursor Christi Baptismum talem haberet, qualem Christus ipse. Et Ioannes parauit viam Domino, non simpliciter præeundo, sed concionando, & baptizando: concionabatur de Christo, & veram doctrinam de Christo proponebat, illum esse Agnum Dei, qui tolleret peccatum mundi: in tertio capite Euangelii secundum Ioannem quam multa, quam magna, & diuina de Christo prædicat? distinguit personam suam à persona Christi, *Illum crescere oportet*, inquit, *me vero minui*; & ait *iram Dei manere super eum, qui non credit in Christum*: ergo docuit in Christum credere: & in hac fide suos baptizauit confitentes peccata sua; & fecit eos idoneos auditores Christi, cum eos ad pœnitentiam, & confessionem peccatorum, & fidem perduxisset. Atque hoc est, quod Angelus de illo ait, fore *vt conuerteret corda Patrum ad filios, & rebelles ad prudentiam iustorum.* Et Zacharias docet, quomodo præiturus esset Christum, non tempore tantum, sed *dando scien-* *Ioan. 1. 29.* *Ioan. 3. à vers. 27. ad fin.* *Luc. 1. 17. & 77.*

scientiam salutis populo, in remissionem peccatorum. Hoc est tantundem, quantum hodie Ministri possunt facere: Christus enim est, qui salutem dat; homines scientiam tantum & Sacramenta salutis dare possunt. Certe si Ministri ipsi in Baptismo nostro conferrent gratiam, & remissionem peccatorum, & salutem, essent singuli Saluatores & Christi. Nihil igitur in se momenti habet hoc argumentum, quo probet, in gratia & remissione peccatorum Ioannis Baptismum fuisse imparem Baptismo Apostolorum aut ante aut post Christi mortem. Atque hæc hactenus de hoc argumento, & de secunda Bellarmini propositione.

CAPVT IV.

In quo Bellarmini argumenta diluuntur pro propositione tertia, nempe, post Baptismum Ioannis necessario percipiendum fuisse Christi Baptismum.

IN tertia & postrema propositione disputat Bellarminus, ab iis, qui initiati erant Baptismo Ioannis, fuisse postea recipiendum Baptisinum Christi. Quæ certe non magna quæstio est: nonnulli è nostris hoc concedunt, qui tamen negant Ioannis Baptismum meram fuisse cæremoniam, inanem gratiæ. Sed quia Ioannes ante Christi mortem baptizabat, & in Christum venturum, quem multi venisse nesciebant, & Christus iussit omnes credentes tum ex Iudæis tum ex Gentibus baptizari, & Ioannis Baptismum non collatum fuisse legimus cum expressa mentione Trinitatis; nam postea diserta mentio facta est Trinitatis, cum Christus post resurrectionem præcepit discipulis, vt baptizarent, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; propter has causas putant, quos Ioannes baptizarat, fuisse iterum baptizandos. Sed tamen illorum opinio mihi verior videtur, qui putant à Ioanne aut eius discipulis legitime baptizatos, nouo Baptismo non opus habuisse, quia eiusdem Baptismi nullam iterationem esse oportet. An ergo possit probari, quos Ioannes baptizauit, fuisse iterum baptizandos necessario videamus. *Matth. 28. 19.*

Aduersarii argumenta tria sunt. *Primum* eius argumentum sumitur ex quibusdam Scripturæ locis nempe Matth. tertio, Luc. tertio, Marci primo. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*: vbi aperte videmus, inquit, eosdem, quos Ioannes baptizauerat, dici baptizandos iterum à Christo, si hic fiat collatio Baptismi Christi & Ioannis: fieri autem duorum Baptismorum collationem, est communis Interpretum sententia. *Respondeo primo*: non esse collationem Baptismorum, sed personarum: *Matth. 3. 11. Luc. 3. 16. Marc. 1. 8*

quod ex eo manifestum est, quia Ministri noui Testamenti non possunt nisi in aqua baptizare, & illi debent omnes cum Ioanne dicere, nos in aqua baptizamus, Christus ille est, qui Spiritu baptizat. Docet Ioannes se non potuisse dare gratiam Sacramenti, sed tantum externum signum: & hoc quidem omnes Ministri etiam nunc dicere debent perinde ac Ioannes olim dixit.

II. *Secundo*, non igitur ait Ioannes, illos esse denuo baptizandos, quos ipse in nomine venturi Messiæ baptizarat, sed personam suam à persona Messiæ distinguit, docetque cœlestia dona ab illo vno expectanda esse, non à se, quia multi Ioannem Messiam esse crediderunt.

III. *Tertio*, potest ibi esse collatio non personarum tantum, verum etiam Baptismorum, sed diuersi generis, vt nos antea docuimus, nempe veri, & metaphorici.

Secundum Bellarmini argumentum sumitur à comparatione variorum locorum Scripturæ. Euangelistæ aiunt, exiisse Hierusalem, & omnem Iudæam, & omnes regiones Iordani vicinas ad Ioannem, vt ab eo baptizarentur: rari ergo erant eo tempore non baptizati à Ioanne: & tamen Act. 2. legimus, die Pentecostes baptizatos fuisse ter mille homines, & postea hominum quinque millia, præter eos, quos postea baptizauit Philippus, & alii discipuli in variis locis Iudææ & Samariæ: quomodo fieri potuit, vt nullus inter hos fuerit à Ioanne antea baptizatus? *Respondeo primo*: quosdam propter hanc causam opinari, quos Ioannes baptizabat, de integro baptizatos esse: non enim leguntur Apostoli ea cautione vsi, an fuerint prius à Ioanne baptizati sed omnes promiscue peccata confitentes, & fidem profitentes ad Baptismum admisisse; & valde credibile est, inter hos tam multos venisse aliquos, qui antea fuissent à Ioanne baptizati. *Secundo respondeo*, non esse tamen hoc necessarium argumentum: non enim significant Euangelistæ, totum populum venisse ad Ioannis Baptismum, sed magnum fuisse ex tota regione concursum ad eum: tanta eius fama fuit. Sed tamen legimus, Pharisæos & Legis interpretes eius Baptismum contempsisse: Pharisæi autem erant primarii antistites Iudæorum: quare non dubium est, maximam populi, partem secutam esse illos, quos pro suis Doctoribus habebant. Et Euangelista Ioannes non omnes Hierosolymitas exiisse docet: ait enim Iudæos misisse Sacerdotes & Leuitas, qui ab eo sciscitarentur, quis esset: non ergo omnes Iudæi à Ioanne baptizati sunt. Tum quod attinet ad eos, quos Apostoli in die Pentecostes baptizarunt, non dubium est inter illos multa hominum millia fuisse, quæ Ioannes non baptizauit; nam tum Hierosolymis erant, qui vndequaque ex aliis gentibus ad sacrum diem eo confluxerant: fieri ergo potuit, vt inter hos nemo fuerit à Ioanne baptizatus,

Matth. 3. 5. *Marc.* 1. 5. *Luc.* 3. 3, 7. *Act.* 2. 41. *Act.* 4. 4. *Act.* 8. 12.

I. 1.

2.

Luc. 7.

Ioan. 1. 19.

zatus, imo vt multi fuerint, qui de Ioanne ne audiuerint quidem. Ita infirmum hoc argumentum est.

Tertium & vltimum Bellarmini argumentum sumitur ex celebri illo loco, qui habetur Actor. 19. vbi Paulus (inquit) iubet baptizari in nomine Domini duodecim illos viros, qui confessi sunt, se non nisi Ioannis Baptismum habere. *Respondeo*: falsum esse quod ait, Paulum iussisse vt baptizarentur. Nec enim legimus, aut Paulum eos baptizasse suis manibus, aut aliis baptizandos tradidisse, sed tantum manus illis imposuisse. Dicuntur quidem esse baptizati in nomine Domini, sed à quo, aut quando fuerint baptizati, non explicatur. Bellarminus decem expositiones varias nostrorum Theologorum recitat, quas ille perstringit potius, quam refellit: & sane fateor quasdam illarum non modo non probabiles, sed etiam ridiculas esse. Ego tres tantum, quæ sunt præcipuæ, proponam & persequar.

Act. 19. 4.

I. *Prima* est quorundam, qui nomen Baptismi in toto illo loco accipiunt quidem proprie, & tantum de Ioannis Baptismo exponunt; illa enim verba (ἀκούσαντες δὲ &c.) volunt esse Pauli verba narrantis quid facere solerent, qui Ioannem audiebant; non Lucæ narrantis, quid fecerint Ephesii, qui Paulum audierant. Hæc expositio à multis doctissimis viris valde probatur, Kemnitio, Beza, Selneccero, vt taceam alios: & hi vrgent particulas μὲν & δὲ, Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε; οἱ δὲ ἀκούσαντες: & Beza ait, particulam δέ, quæ respondet particulæ μὲν, nullo modo pati, vt hæc Lucæ verba esse dicamus: in quo tamen vir doctissimus multum profecto fallitur. Nihil est in verbis, cur non æque esse Lucæ ac Pauli verba existimemus: nam quod ad particulas illas Græcas attinet, μὲν & δὲ, sæpius in Scripturis legitur & μὲν sine δὲ subsequente, & δὲ sine μὲν præeunte: vtriusque generis exempla passim occurrunt. Locus huic plane similis habetur Actorum 11. ἀκούσαντες δὲ ταῦτα ἡσύχασαν, & tamen μὲν non præcesserat. Et certe si hæc ratio alicuius fuisset momenti, miror non fuisse animaduersam à Græcis Patribus, Chrysostomo, Oecumenio, & aliis. Bellarminus fatetur hanc expositionem esse argutam, sed ait nec piam, nec probabilem esse: tamen ille nullam probabilem rationem contra affert, nam duæ illæ, quas profert, rationes non euincunt illud, quod vult, vt ex illarum examinatione patebit.

Beza in annotat. in locum.

Rom. 3. 2. & 10. 1. *Colos.* 2. 17. *Luc.* 7. 30. *Act.* 11. 18.

Prima eius ratio est, aut Paulum non bene rem narrasse, aut populum bis à Ioanne baptizatum esse; nam ait Paulum primo dicere, Ioannem baptizasse populum, secundo addere, eundem Ioannem baptizando monuisse populum, vt crederent in Christum venturum: si ergo verba (*His auditis baptizati sunt*) pertinent ad populum, cui loquebatur Ioannes, sequeretur eum populum bis baptizatum à Ioanne, aut certe Paulum non

bene rem illam narraſſe: quorum vtrumque, inquit, abſurdum eſt. *Reſpondeo*: hoc mere nugatorium eſſe. Nam Paulus primo docet, qualis Ioannis Baptiſmus fuerit, nempe Baptiſmus reſipiſcentiæ & fidei in Chriſtum venturum; & tum narrat, (ſi verba ſequētia Pauli ſint) vt eum perceperint ii, qui Ioannem audiebant: non ſic; Ioannes primum baptizauit, tum de Chriſto inſtituit, & tum audientes denuo baptizati ſunt. Hoc eſt mere calumniari, dicere Ioannem primo baptizaſſe, antequam inſtituiſſet, & tum poſtquam inſtituiſſet, iterum baptizaſſe.

Sed *ſecunda* Bellarmini ratio contra hanc expoſitionem hæc eſt: vel illi duodecim ſunt iuſſu Pauli baptizati Baptiſmo Chriſti, vel non: ſi baptizati ſunt, eſt id, inquit, quod nos contendimus: ſi non, quorſum, inquit, illa Pauli narratio? non enim alia de cauſa monuit Paulus, Ioannem prædicaſſe Chriſtum, niſi vt à Ioanne baptizati intelligerent, eſſe neceſſarium præterea Chriſti Baptiſmum. *Reſpondeo*: nullam eſſe vim in hac conſequentia; Paulus narrat quomodo Ioannes baptizarit in Chriſtum venturum: ergo ſignificat neceſſarium eſſe Chriſti Baptiſmum iis, qui à Ioanne baptizati ſunt: nam dico hanc potuiſſe eſſe cauſam, cur Paulus iſta narraret, nempe vt Ioannis Baptiſmum commendaret, & verum Baptiſmum eſſe doceret, vt qui eo baptizati eſſent, non alium deſiderarent. Certum igitur eſt, Bellarminum non potuiſſe probabiliter refutare hanc expoſitionem; quam ego tamen, vtcunque facilis videatur, non poſſum amplecti, nec in ea acquieſcere. Sed rationem afferam his Bellarminianis meliorem & probabiliorem. Scriptura enim ait, hos duodecim fuiſſe baptizatos εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, *in nomen Domini Ieſu*: at hoc modo non baptizauit Ioannes, quia cœpit baptizare antequam nomen Meſſiæ norat; neſciebat eum eſſe Ieſum illum, tantum in Meſſiam ſeu Chriſtum venturum baptizabat. Vnde ſic diſputamus; Scriptura ait Ioannem neſciiſſe Chriſtum, donec Chriſtus ad eum baptizantem venit; quod non fuit ſtatim: multos ergo ante baptizarat, vt ex Euangelio patet: cum ergo Ioannes adhuc neſciebat nomen Meſſiæ, quomodo potuit in nomen Domini Ieſu baptizare? Nam Ioannes baptizabat non niſi in nomen venturi, vt ex verſu quarto patet: Paulus autem hoc de Chriſto Ieſu exponit, qui mox aderat: hic erat ille venturus, ſed Ioannes neſciit eſſe Ieſum filium Mariæ. Sinam ego alios iſta prima expoſitione frui; ſed omnibus circumſtantiis expenſis eam fateor mihi omnino minime ſatisfacere, & miror eam nunquam eſſe ab aliis antehac perſpectam. *Act.* 19. 4.

Secunda expoſitio eſt doctiſſimi Caluini, qui hunc locum de Baptiſmo metaphorice ſumpto, id eſt, de miſſione extraordinaria & mira- 2. *Caluin. inſtit. l. 4. c. 15. §. 18.*

culoſa Spiritus Sancti interpretatur, in poſteriori parte; in priori vero parte Baptiſmi nomen proprie ſumi vult. *Ioannes quidem baptizauit*: hunc eſſe proprium Baptiſmum ait; ſed quod mox ſequitur. *Qui vero audierunt, baptizati ſunt in nomen Domini Ieſu*, de Baptiſmo Spiritus, id eſt, de miraculoſa effuſione donorum Spiritus Sancti intelligit: & manifeſtum eſt ſic ſumi nomen Baptiſmi ſæpe. Bellarminus vocat hanc fœdam æquiuocationem intra paucas lineas. Sed hoc non inuſitatum eſt in Scripturis, vt vnum idemque vocabulum in eadem verborum complexione æquiuoce ſumatur. Nam cum Ioannes Baptiſta ait, *Ego baptizo vos aqua; ille Spiritu & igni baptizabit*, non eodem modo ſumitur vtrobique vocabulum baptizandi: aliud enim aquæ Baptiſmus, alius ignis: ſic cum Paulus ait, *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgant?* non eodem modo mortui vtrobique intelliguntur: ſimiliter cum Chriſtus ait, *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*: non eſt igitur hæc ſufficiens Bellarmini exceptio. Sed tamen nec iſtam expoſitionem probare poſſum, quia tum erit manifeſta hoc in loco tautologia. *Baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu*, id eſt, vt vult Caluinus, perfuſi ſunt donis miraculoſis, loquuti ſunt linguis, & prophetarunt; talis enim fuit Baptiſmus ignis: at Lucas ſtatim ſubiungit, Καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας, ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς, ἐλάλουν τε γλώσσαις, καὶ προεφήτευον, *Et cum impoſuiſſet eis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus in eos: & loquebantur linguis & prophetabant*: vbi indicat Lucas, prius fuiſſe baptizatos, tum iis manus impoſitas eſſe, vt dona Spiritus Sancti acciperent; & non obſcure iſta vt res diuerſæ narrantur: alias dixiſſet Lucas non καὶ, ſed δὲ, ſi hic verſus ἐξήγησιν contineret præcedentis. Quare quærendam cenſeo aliam adhuc expoſitionem, quæ minus calumniis Aduerſariorum ſit expoſita. *Matth.* 3. 11. 1 *Cor.* 15. 29. *Luc.* 9. 60. *Act.* 19. 6.

Tertia igitur expoſitio eſt eorum, qui putant in vtroque loco verum & proprium Baptiſmum intelligi, & volunt hos duodecim fuiſſe baptizatos Ioannis Baptiſmo, & tamen iterum iuſſu Pauli baptizatos fuiſſe. Sed cauſa huius rebaptizationis non eadem ab omnibus affertur. III.

Nam *primo*, quidam putant, omnes à Ioanne baptizatos quantumuis legitime, poſt Euangelii promulgationem iterum baptizari debuiſſe, quia etſi erat verus Baptiſmus, tamen non eadem forma verborum per omnia adminiſtrabatur, qua Chriſti Baptiſmus. Chriſtus enim præſcripſit hanc formam, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Ioannes autem nō ſic baptizauit, ſed tantum in nomine vēturi. In re & ſubſtantia Baptiſmi nihil interfuit inter Ioannis Baptiſmum & Chriſti: ſed quia tamen credentes ſic baptizari Chriſtus iuſſit putant 1. *Matth.* 28. 19.

opor-

oportuisse omnes à Ioanne baptizatos, iterum baptizari. Sic Lutherus, Melanchthon, Ochinus: atque isto modo facilis expositio loci est; nam & noua baptizatio statuitur, quam verba non obscure indicant, & nihil tamen Ioannis Baptismo derogatur, quia non in substantia, sed in circumstantiis tantum à Christi Baptismo differre dicitur; vt nec hoc detrahit de dignitate Circumcisionis & Agni Paschalis, quod qui illorum Sacramentorum veteris Testamenti participes fuissent, postea baptizati sunt, & cœnam Dominicam sumpserunt. Neque hinc Anabaptistæ aliquid ad suum errorem stabiliendum colligere possunt, quia Baptismus ea forma datus, quam Christus præscripsit, nullo modo iterandus est: sed Ioannis Baptismus etsi pia quidem forma, non tamen illa administratus est. Vetera Sacramenta ad Christum venturum referebantur: & quanquam vi ac efficacia eadem cum nostris fuerunt, tamen Christo iam exhibito, iis Sacramentis vtendum, quæ Christus instituit: sicetsi Ioannis Baptismus idem re fuit cum Christi Baptismo, tamen quia in Christum venturum dabatur; postquam Christus venerat, & peregerat id, cuius gratia venerat, necessarium videtur fuisse, percipere Baptismum, qui procuratæ salutis Sacramentum erat. Ira hi duodecim, quia non baptizabantur in nomine Trinitatis, sed in venturum tantum, Baptismum repetebant, vt & confessionem Trinitatis manifestam ederent, & Christum Messiam esse, mortuum esse, & resurrexisse agnoscerent. Nolim ego hanc sententiam damnare, neque tamen eius author ero: sed non video quid possit probabiliter afferri & dici contra illam. Et hanc Bellarminus inter suas decem expositiones non commemorat, cum tamen ignorare non potuerit, eam à viris sane doctissimis teneri ac defendi: certe puto consulto prætermisisse, quia non potuit solido aliquo argumento refutare.

II. *Secundo*, quidam putant hos duodecim fuisse quidem baptizatos Ioannis Baptismo, sed non legitime; forsan ab aliquo Ioannis discipulo κακοζηλία quadam: idque ex eo colligunt, quod aiunt hi duodecim se nescire, an sit omnino Spiritus Sanctus, Ioannes non potuit Spiritum Sanctum ignorare, quem in forma columbæ viderat descendentem in Christum; nec dubium est, quin suos instituerit, quam plene potuit: inde hos non fuisse rite baptizatos existimant aliqui Ioannis Baptismo, sed adulterino aliquo Baptismo à discipulis quibusdam Ioannis; & ideo iterum fuisse baptizatos, quia non satis recte de Trinitate instituti fuerant. Et hæc quidem non recens nota sententia est: habet enim magnos authores, & eos quidem etiam ex Patribus antiquis nonnullos. Sic enim Hieronymus: *Quicunque credere se dicit in Christum, non credens in Spiritum Sanctum, perfectæ fidei oculos non*

non habebit. Vnde & in Actibus Apostolorum, qui baptizati erant Baptismate Ioannis in eum qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Iesu; quia responderunt Paulo interroganti; Sed ne si sit quidem Spiritus Sanctus nouimus, iterum baptizantur, imo verum Baptisma accipiunt, quia sine Spiritu Sancto & mysterio Trinitatis, quicquid in vnam & alteram personam accipitur, imperfectum est. Vbi diserte ait, hos fuisse iterum baptizatos, quia professi sunt se nescire Spiritum Sanctum. Nam in Baptismo fidem Trinitatis profitemur: non ergo legitimus adultorum Baptismus est nisi cum confessione aperta Trinitatis. Sic Ambrosius ait, hos duodecim *Paulum Apostolum in Trinitatis nomine baptizari præcepisse, qui in adulterino Baptismate sub nomine Baptismi Ioannis fuerant non tincti, sed sordidati.* Non ergo hunc fuisse verum Baptismum Ioannis existimauit Ambrosius: ex quo videtur sequi, si verus Ioannis Baptismus, non adulterinus fuisset, non debuisse repeti. Idque adhuc apertius alibi idem Ambrosius declarat; *Illi qui negauerunt se scire Spiritum Sanctum, quamuis baptizatos se dicerent in Ioannis Baptismo; baptizati sunt postea, quia Ioannes in remissionem peccatorum, in aduenientis Iesu, non in suo baptizauit nomine. Et ideo Spiritum nesciebant, quia nec Baptismum in Christi nomine, sicut Ioannes baptizare solebat, acceperant. Ioannes enim licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat & Spiritum.* Vbi duo dicit Ambrosius: *Primum* est, Ioannem baptizasse in remissionem peccatorum in nomine aduenientis Christi: recta igitur hæc forma Baptismi fuit; & sic refellit Ambrosius Bellarminum, qui negat Ioannem baptizasse in nomine Christi, aut vllis omnino verbis vsum esse. *Secundum*, hos duodecim non accepisse Baptismum in Christi nomine, sicut Ioannes solebat baptizare: ita non verum hunc Ioannis Baptismum, sed adulterinum quendam fuisse. Sic Ambrosius aperte ait, hos duodecim non habuisse verum Baptismum Ioannis, & hanc fuisse causam, cur à Paulo iussi sunt baptizari. Quare ineptum est quod ait Bellarminus, Ambrosium non dicere, si habuissent verum Baptismum Ioannis, non iterum debuisse baptizari: nam ait, quia nesciebant Spiritum Sanctum, quem non ignorassent, si verum Ioannis Baptismum habuissent, ideo fuisse baptizatos. Atque hoc adhuc planius apparet ex eo quod sequitur: addit enim ibidem Ambrosius paulo post, *Ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus Sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere Baptismatis Sacramentum: baptizati sunt itaque in nomine Iesu Christi; nec iteratum est in his Baptisma, sed nouatum:* & plura adhuc in eandem sententiam subiungit; sed ista sufficere possunt. Præterea etiam ipse Augustinus ait, potuisse fieri, vt hi duodecim, *se Ioannis Baptismo tinctos fuisse mentiti sint*; & addit *hoc multis visum esse.* Et certe similiter etiam Petrus Lombardus, Magister Sententia-

Ambros. in Galat. c.3.

Idem in l. 1 de Spi. S. c.3.

August. in l. de vnic. Bapti. cont. Petilian. c.7.

Lombard. in 4 d.2.

rum (sic enim vocatur) de his duodecim scribit: hos scilicet, quia non baptizabantur in Christi nomine, nec cum fide Spiritus Sancti, baptizatos postea fuisse Baptismo Christi: sed Magistrum hoc loco omnes fere discipuli præter Alexandrum Halesium deseruerunt, & non sequuntur, nec tamen causas dissentiendi iustas afferunt. Facit vero Lombardus duo genera eorum, qui à Ioanne baptizati sunt: alios ait spem non posuisse in Baptismo Ioannis, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credidisse; & hos non iterum baptizatos esse, sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum Sanctum recepisse: alios nesciisse esse Spiritum, & in Baptismo Ioannis spem posuisse; & oportuisse tales iterum baptizari: huiusmodi vero fuisse hos duodecim. Non ergo nos huius opinionis authores sumus; quæ mihi certe verissima omnium videtur; & eam etiam doctissimus Bucerus sequitur. Sed etsi fateor hanc expositionem mihi maxime placere, tum quia non affert vim verbis, tum quia defendi potest sine absurditate; tamen harum duarum causarum, (de quibus diximus) cur hi duodecim baptizati nunc iussu Pauli fuerint, vtra verior sit, aliis diiudicandum relinquo. Restat nunc vt nostram de Ioannis Baptismo doctrinam confirmemus.

Bucer. in Matth. c. 3.

***

CAPVT V.

In quo probatur, Ioannis Baptismum eundem quoad substantiam cum nostro fuisse.

IAM nos Ioannis ministerium, quod inprimis honorificum fuit, ab Aduersariorum calumniis vindicemus. Nihil enim magis profanum de Ioannis Baptismo cogitari potest, quam inanem cæremoniam, id est, merum ludibrium fuisse. Missus Ioannes est, vt baptizaret, & tamen nihil contulit eius Baptismus, sed perinde fuit, ac si quis in flumine se lauaret: Absit. Ostendamus igitur, fuisse Ioannis Baptismum eundem cum nostro, quod attinet ad materiam & formam, & effectum etiam, etsi in circumstantia quadam differant, id est, doceamus Ioannis Baptismum fuisse symbolum & sigillum gratiæ diuinæ, quemadmodum noster Baptismus est, vt qui iis animis ad eum Baptismum accesserint, quibus oportuit, non aqua tantum, sed etiam donis cælestibus perfusi discesserint.

Primum nostrum argumentum est huiusmodi: Si doctrina eadem, gratiæque oblatio eadem, & ritus idem, in Ioannis Baptismo & Christi fuerunt, nihilque in his diuersum fuit; tum Ioannis Baptismus eandem vim habuit cum Christi Baptismo. Consequentia certa est, nec Bellarminus valde con-

contradicit: ait tamen doctrinæ similitudinem non probare Baptismum similem fuisse, quia hæretici habent vera Sacramenta, qui non habent veram doctrinam. Sed

I. *respondeo primo*, Qui veram doctrinam eandem habent, & Sacramento vtuntur, quod Deus instituit, illi verum quoque Sacramentum habent. Non sequitur, quia qui falsam doctrinam habent, possunt habere verum Sacramentum, ergo qui veram doctrinam habent, posse eos non habere verum Sacramentum: necesse enim est, Sacramentum eiusdem generis esse cum doctrina, si sic administretur, vt Deus præcepit: at Ioannes vt in doctrina, ita in Sacramento nihil suum habuit. Et tamen meminisse debuit Bellarminus, quamuis sint Sacramenta & quoad materiam & quoad formam, quæ ab hæreticis administrantur, non prodesse tamen hæreticis, dum sunt hæretici, nec illis esse sigilla gratiæ, donec ad fidem veniant.

II. *Secundo*, consequentia non à doctrina tantum, sed ab oblatione gratiæ, & ritus similitudine deducitur: vbi non tantum eadem est doctrina, sed & eadem gratiæ oblatio, & idem ritus; ibi necesse est idem Sacramentum esse. Ita enim Caluinus argumentum instituit; nihil dissimile aut diuersum est in Ioannis Baptismo & nostro in his tribus: ergo Baptismus Ioannis idem fuit cum nostro. Iam ergo de antecedente quid respondeat Bellarminus, videamus. Antecedens negat, & *primo* de doctrina agit. Ait non fuisse eandem doctrinam Ioannis & Christi, nisi in eo sensu, quod nihil contrarium docuit Ioannes Christo: nam Ioannes, inquit, nihil docuit de resurrectione Christi, imo etiam neque expresse de passione. *Respondeo*: At Ioannes vocauit Christum Agnum Dei. Sed Bellarminus anteuertit hunc locum, & ait hoc potuisse referri ad Christi innocentiam & mansuetudinem. *Respondeo*: Si dixisset Ioannes tantum, *Ecce Agnus*, aliquid respondisset Aduersarius: at non ait tantum, *Ecce Agnus*, sed, *Ecce Agnus Dei*, id est, quem Deus ab initio destinauit. Sed verba sequentia planius adhuc hoc declarant, *qui tollit peccatum mundi*: Loquitur ergo Ioannes de Christi sacrificio aperte, quia non modo ait illum esse Agnum, & Agnum quidem Dei, sed & addit, quod Bellarminus omittit, *qui tollit peccatum mundi*. Christus vero non innocentia sua tantum & mansuetudine, sed obedientia vsque ad mortem sustulit peccata nostra: licet enim maxime innocens & purus fuisset, non sustulisset peccata nostra, nisi mortem obiisset. Quanquam si nihil aliud dixisset Ioannes, nisi *Ecce Agnus Dei*, eum occidendum significasset, id quod agni omnes indicabant; & alludit ad agnos sub Lege occisos, qui erant omnes typi mortis Christi: hunc ergo voluit significare esse agnum Dei, & verum agnum, cuius illi typi fuerant: sed quod addit, qui tollit peccatum mundi, aperte declarat eum de eius

Ioan. 1. 29.

Caluin. in antid. & instit. vbi supra.

I.

hostia seu victima locutum, quia Christus morte peccatum sustulit. Non ergo Ioannes aut ipse ignorauit, aut discipulos suos non instituit de morte Christi, qua remissio peccatorum & salus continetur: & sic consequenter de resurrectione docuit, non enim sustulisset Christus peccatum, nisi resurrexisset, vt ait Apostolus. Si clariora hæc postea fuerunt; tamen nihil Apostoli ad substantiam & genus doctrinæ addere potuerunt. Quare Scriptura ait, Ioannem docuisse vt crederent in Christum: vera autem fides in Christum, non modo mortem, sed & resurrectionem Christi complectitur: sic enim Ioannes ait, ὁ πιςεύων εἰς τὸν υἱον, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*: Ioannes ergo docuit suos credere in Christum, & eam fidem docuit, qua vitam æternam homines consequi potuerunt: hæc ergo fides cum solida Euangelii doctrina coniuncta fuit. Imo de Christi ascensione & regno docuit: nam ait, ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱον, καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum eius*; quod idem est cum eo, quod Christus ipse de se alibi ait, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*: hanc hæreditatem adiit Christus post ascensionem: plena ergo Ioannis doctrina fuit. Præterea Christus ait, eum fuisse amplius quam Prophetam: at Prophetæ omnes, Dauid, Isaias, Ieremias, & reliqui, norunt mortem & resurrectionem Christi, & eadem etiam docuerunt: & addit Christus paulo post regnum cœlorum vim perpessum esse à tempore Ioannis Baptistæ, & violentos rapuisse illud: qui ergo Ioannis doctrinam amplexi sunt, ii cœlestis regni ciues facti sunt: quod sine fide in mortem & resurrectionem Christi fieri non potuit. *Secundo*, quod ad ritum attinet, ait similitudinem tantum fuisse in materia vtriusque Baptismi, idque se supra ostendisse. *Respondeo*: At nos illum errare supra ostendimus. Nam *primo*, non ausus fuisset Ioannes nouum aliquem ritum instituere: satis nouit ritus humanos in religione & cultu Dei inuisos esse Deo, & Pharisæos offendisse Deum traditionibus suis: at Ioannes ipse in eodem vitio fuisset, si suum ritum adhibuisset sine authoritate Dei. *Secundo*, Thomas diserte ait, ritum ipsum, quo vsus est Ioannes, fuisse à Deo: non ergo fuit à Ioanne excogitatus, vt vult Bellarminus.

Tertio, Scriptura testatur, Ioannem baptizasse in nomen venturi: non ergo modo aquam adhibuit, sed & eodem ritu vsus est, & eadem forma quoad substantiam, qua nos vtimur, licet non iisdem verbis, quibus nos. Et sic Doctores Scholastici non modo aiunt Ioannem in hac forma baptizasse, sed hinc etiam colligunt, fuisse in eius Baptismo remissionem peccatorum, vt nos postea docebimus.

Quarto, res mere ridicula fuisset, tot hominum millia baptizare, si nullus eius Baptismi fructus ad animam

1. Cor. 15. 17.

Ioan. 3. 36.

Ioan. 3. 35.

Matth. 28. 18.

Matth. 11. 9, & 12.

II.

I.

2. Thom. in 3. q. 38. art. 2.

III.

Act. 19. 4.

IV.

mam redundaret: quorsum enim populus in solitudinem confluxit? an vt Ioannes tantum illorum corpora lauaret? si non aliam ob causam, tum certe non plus fructus ex Ioannis Baptismo perceperunt, quam ex communi aliquo balneo, in quo corporum sordes facile abluere potuerunt. Quare non dubium est, & Ioannem persuasisse populo, & populum credidisse, Baptismum eius profuturum ad animæ salutem. Non alio ergo ritu quoad rem baptizauit Ioannes, quam quo Christi Baptismus administratur. Iam ad tertiam partem antecedentis veniamus, quæ est de oblatione gratiæ. In hac etiam nihil interesse dicimus inter Ioannis Baptismum & Christi, quia vterque in pœnitentiam & remissionem peccatorum baptizauit. Bellarminus ait hoc falsum esse, quia Christi Baptismus nusquam dicitur Baptismus pœnitentiæ. *Respondeo*: At est & dicitur Sacramentum & pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Quid enim aliud ritus ille immersionis significat, nisi nos mori peccatis nostris, & sepeliri cum Christo? quorum vtrumque in Baptismo nostro significari Apostolus etiam docet, *An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius esse baptizatos? Sepulti igitur sumus vna cum eo per Baptismum in mortem: vt sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in noua vita ambulemus.* Morimur vero peccatis per pœnitentiam: quem enim vere peccatorum suorum pœnitet, is peccatis suis moritur. Deinde emersio ex aqua & ipsa ablutio significant remissionem peccatorum, & resurrectionem à peccatis. Absurdissimum ergo est negare, Baptismum Christi esse Baptismum aut pœnitentiæ, aut remissionis peccatorum. Et Apostolus Petrus Bellarminum refellit, cum eos qui baptizandi erant nostro Baptismo in hunc modum alloquitur, *Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum*: hic aperte fit mentio & pœnitentiæ & remissionis peccatorum in Baptismo Christi. Sed ait Bellarminus, non hic dici, Baptismum Christi esse Baptismum pœnitentiæ. Quid tum, quæso? scilicet, inquit, requiri pœnitentiam, vt dispositionem ante ipsum Baptismum. *Respondeo*: Sic etiam pœnitentia in Ioannis Baptismo requirebatur: Ioannes enim primum prædicauit in hunc modum, μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *Resipiscite: appropinquauit enim regnum cœlorum*; vtitur eodem verbo, quo Petrus: & tum eos, quos peccatorum suorum pœnituit, ad Baptismum suum admisit, non eos, qui obstinati erant peccatores. Hinc enim acris illa reprehensio & exagitatio Pharisæorum, quorum ingenia ille satis probe norat: hi cum sine pœnitentia & eius fructibus ad Ioannis Baptismum accederent, eos acriter in hunc modum perstringit, *Progenies viperarum, quis vobis præmonstrauit, vt fugeretis à*

Act. 2. 38.

Matth. 3. 2.

Matth. 3. 7, 8.

Rom. 6. 3, 4.

futura ira ? Ferte igitur fructum dignum iis, qui resipuerint: quasi diceret, Vos ad meum Baptismum accedetis, & tamen non mutatis animum? aut resipiscite, & fructus resipiscentia dignos proferte, aut nolite ad meum Baptismum accedere. Quare quod Bellarminus ait, pœnitentiam contratio modo se habere in Baptismo Christi & Ioannis, quia Ioannis Baptismum sequebatur, vt eius effectus, Christi vero Baptismum præcedit, vt dispositio; apertissime cum Scriptura pugnat. Nam Ioannes prædicabat pœnitentiam, non verbis modo, sed ipso habitu, vitæque instituto: lamentatus est illis, sed illi non fleuerunt: ergo voluit vt agerent pœnitentiam, quicunque ad eius Baptismum accesserunt: & tum eos tantum, qui confitebantur peccata sua, baptizauit: sicenim legimus, eos qui baptizabantur confessos esse peccata sua: neminem ergo baptizauit, nisi qui prius peccata sua confiteretur: at confessio pars pœnitentiæ est: ergo Baptismum præcessit: fuit ergo Baptismus Ioannis Baptismus pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Bellarminus ait, Baptismo Ioannis nusquam tribui remissionem peccatorum: at Scriptura diserte ait, Ioannem *prædicasse Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum.* Sed ait Bellarminus, non fuisse hunc proprium & immediatum effectum Baptismi Ioannis. *Respondeo*: Sic nec Baptismi Christi est proprius & immediatus effectus: est enim effectus pœnitentiæ, non Baptismi, nisi vt symboli: pœnitentia enim & fides est parens remissionis peccatorum, quæ Baptismo obsignatur. Bellarminus Baptismo nostro ex opere operato remissionem peccatorum tanquam effectum suum tribuit. Sed hoc ex Scripturis probari non potest; nam nulli adulti baptizati leguntur, nisi qui peccata antea confitebantur: vera autem confessio peccatorum à remissione nunquam separatur. Et non modo remissio peccatorum, sed & gratiæ Spiritus Sancti quibusdam datæ leguntur ante Baptismum, vt Cornelio & cognatis eius audientibus Petrum, qui omnes Spiritum Sanctum acceperant, antequam baptizati sunt: non est ergo remissio peccatorum effectus proprius Baptismi. Ita Ioannes baptizabat pœnitentes in remissionem peccatorum, id est, vt hoc symbolo remissionem peccatorum illis obsigna ret. At hic secum pugnat Bellarminus: ait enim his verbis, quibus Euangelista ait, *Ioannem prædicasse Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum*, remissionem peccatorum tribui non Baptismo, sed pœnitentiæ; & hoc quidem verum est: illis ergo, qui ad Ioannis Baptismum cum pœnitentia accesserunt, remissa sunt peccata: quare cum statim facit hunc sensum verborum; Ioannes prædicabat Baptisma pœnitentiæ, id est, quod incitabat & inuitabat ad pœnitentiam, vt in Christi Baptismo remissionem

Matth. 11 17.

Matth. 3. 6.

Marc. 1. 4.

Act. 10. 44.

Marc. 1. 4.

sionem peccatorum consequerentur, pugnantia loquitur. Vult enim remissionem peccatorum esse proximum & immediatum effectum Baptismi Christi: cur ergo dicit ex Tertulliano, Augustino, & Gregorio, hæc referri ad Baptismum Christi, & tamen antea dixerat his verbis remissionem peccatorum tribui non Baptismo, sed pœnitentiæ? Sed Ioannes non modo inuitabat ad pœnitentiam, sed & nullos admisit ad suum Baptismum, nisi quos peccatorum suorum pœniteret: nam baptizabat confitentes peccata sua. Hæc vera pœnitentia si non in omnibus fuit, at in multis: erant procul dubio hypocritæ multi, vt etiam inter eos, qui ad Baptismum Christi accedunt, sed multi veram pœnitentiam egerunt, ideoque remissionem peccatorum consecuti sunt. Nam pœnitentia & confessio peccatorum sine fide remissionis peccatorum, est ministerium mortis, & res ethnica: de Ioannis vero Ministerio tale aliquid cogitare, insanum est. Longe aliter Christus, qui ait populum totum, & publicanos, qui baptizati fuerant Baptismo Ioannis, iustificasse Deum, id est, Deum laudasse, eique gratias egisse: quod arguit illos fuisse participes doni alicuius spiritualis, etiam per Baptismum Ioannis. Sed Pharisæi interim *ab eo non baptizati consilium Dei reiecerunt aduersus semetipsos*: at quod scelus erat, contemnere nudam cæremoniam, vacuam gratiæ? Nam si Ioannis Baptismus non nisi prouocatio & inuitatio fuit ad pœnitentiam, quid opus erat Baptismo? satis fuisset verbo & prædicatione hortari ad pœnitentiam: sed dabantur dona Dei hoc Baptismo, vt Ioannes ipse ait, *Explenitudine ipsius omnes accepimus, etiam gratiam pro gratia.* Sequuntur apud Bellarminum quædam Kemnitii argumenta, quæ non omnia probant, fateor; ego ea tantum attingam, quæ causam probant.

Luc. 7. 29. 30.

Ioan. 1. 16.

Secundum nostrum argumentum sic se habet: Ea est suauissima consolatio omnium Christianorum, quod vnum & eundem Baptismum cum Christo capite suo habeant: at non haberent, nisi Ioannis Baptismus idem fuerit cum nostro; quia Christus non alium Baptismum quam Ioannis habuit. Bellarminus dupliciter respondet: *primo* indirecte calumniando. Postquam enim dixisset, Baptismum Christi tribui non posse ipsi Christo sine eius iniuria & contumelia; quia cum sit lauacrum regenerationis & adoptionis filiorum, si is Christo tribueretur, videretur indiguisse regeneratione & adoptione, cum sit natura Dei filius, & ab ipsa conceptione sanctissimus: ait nos forsan cum Luthero dicturos, Christum in se sanctum fuisse, tamen ratione peccatorum nostrorum, quæ in se suscepit, fuisse furem, latronem, homicidam, denique maximum peccatorem totius mundi; & sic indiguisse Baptismo in remissionem pec-

Luther. in Gal. c. 3. & in homil. de Baptism.

peccatorum præ omnibus hominibus, quia propter omnes homines: at ait hæc omnia esse meras blasphemias in Christum. *Respondeo*: Illud obseruandum est, Lutherum dicere, Christum in se sanctum & innocentem fuisse; quod & omnes pii fateri debent, & contrarium sentire, Diabolica blasphemia esset, imo ipsi dæmones Christi sanctitatem prædicabant, cum ei vnus illorum dixerit, *Noui te quis sis*, nimirum *Sanctus ille Dei*: qui ergo hoc in dubium vocat, is omnia fidei fundamenta conuellit: nam Christi innocentia & perfectissima obedientia est nostra iustitia. Sanctus autem Christus est, & sanctificatione Spiritus Sancti ab vtero, & impletione Legis, contra quam nihil commisit, ita vt in eo omnes sanctitatis numeri absoluti fuerint. Sed quia Christus vas noster fuit, & personam nostram suscepit, necesse fuit ei imputari peccata omnium electorum, vt eorum debitam pœnam perferret. Et certe necesse est, peccata nostra, cum nobis non imputentur, alteri alicui imputari, si modo illorum remissionem consequi velimus: cui autem nisi Christo imputarentur, qui illorum & pœnam luit, & culpam sustinuit? Sed Bellarminus ait, Non dicitur fur, qui soluit debitum, quod fur debebat, sed qui furatur rem alienam. *Respondeo*: Quasi necesse sit vocare Christum furem: fugiendæ sententiæ sunt, quæ offensionem potius quam ædificationem pariunt. Sed Lutherus voluit, furum omnium furta, quos furtorum suorum pœnituit, in Christum reiecta, ab eo esse expianda. Et Christus non modo restituit, quod fures abstulerant, sed & pœnam his debitam tulit: quis autem pœnam furti patitur, nisi qui aut fur ipse est, aut furis personam sustinet, etsi ipse innocentissimus & sanctissimus sit? nos enim Christus non auro, aut argento, sed sanguine precioso suo redemit, statum nostrum subeundo, & pœnam nostram perferendo: non pertulisset autem pœnam nostram, nisi ei peccata nostra imputata fuissent: mors enim in neminem grassatur, nisi ratione peccati; nedum in Christum, qui natura Deus est. Atque hoc quod Lutherus dixit, idem est cum eo quod Nazianzenus habet, τὸ ἐμὸν ἀνυπότακτον ἑαυτῷ ποιεῖται, ὡς κεφαλὴ τοῦ σώματος, *Nostram inobedientiam fecit suam, vt qui est caput corporis:* & post ait, τὴν ἀφροσύνην ἡμῶν καὶ τὸ πλημμελὲς οἰκειοῦται, *nostram insipientiam & iniquitatem fecit suam:* atque huc accommodat vocem illam Christi in cruce, *Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti?* tum enim Christus nostram personam sustinuit, & vult Nazianzenus de se Christum in nostra persona hæc locutum esse. Sed hæc Bellarmini παρεκβολὴ, id est, *digressio* fuit, qua Lutheri sanctissimam & solatii plenissimam doctrinam in odium vocare voluit: nam directa eius responsio, quam nos *secundam* eius responsionem facimus, ea est, quam diximus, nempe, non posse Baptismum Christi tribui Christo sine eius

Marc. 1. 24.

1. *Pet.* 1. 18. 19.

Nazianz. de Filio orat. 2.

Matth. 27. 46.

2.

eius iniuria, quia sic videretur Christus indigere regeneratione & adoptione. *Respondeo*: Etsi Christus non erat peccator, tamen naturam susceperit in genere suo peccatricem; atque ideo baptizari voluit, quasi ipse peccator fuisset. Nec magis iniuriosum Christo est, quod nostrum Baptismum, quam quod Circumcisionem susceperit, quæ Sacramentum fuit remissionis peccatorum, vt noster Baptismus est: tamen circumcidi Christus voluit, vt in Ecclesiam hoc ritu aggregaretur, etsi Circumcisione non indiguit, quia peccatum nullum habuit: etiam Agnum Paschalem ex more comedit, qui fuit liberationis è potestate Satanæ Sacramentum: & Christus etiam Eucharistiam, quæ est Sacramentum noui Testamenti, vna cum Apostolis accepit, & hoc Sacramentum est remissionis peccatorum per sanguinem Christi: Christus autem non indiguit redemptione vlla: ergo non magis iniuriosum fuit Christo baptizari Baptismo suo, quam peroipere Eucharistiam suam, aut Circumcisionem accipere, aut Agnum Paschalem comedere. Et Bellarminus non habet, quod respondeat, nisi in hûc modum, Quicquid de hoc sit, magis gloriosum fuit Christo, non accipere suum Baptisma, quàm accipere: sed nullam potuit rationem afferre, cur minùs illi gloriosum fuit, suo Baptismo baptizari, quam aut suam Eucharistiam sumere, aut circumcidi, & Agnum Paschalem comedere. Est ergo verissimum argumentum; Christus voluit percipere Sacramenta noui Testamenti ad nostram consolationem, vt se nobiscum sociaret, nobisque præiret, quemadmodum & veteris Testamenti Sacramenta accepit, vt illam etiam Ecclesiam pro sua agnosceret: ergo magno nos solatio priuant, qui negant Ioannis Baptismum, aut verum Baptismum, aut eundem cum nostro Baptismo fuisse. Atque hoc est, quod Ioannes recusauit Christum baptizare, quia, Christus qui esset, nouit, & eum non indigere Baptismo nouit: at si non fuisset eius Baptismus Sacramentum remissionis peccatorum, si nihil in eo gratiæ, nihil regenerationis fuisset, nulla fuit causa aut recusandi aut prohibendi: Christus igitur ad Ioannis Baptismum venit, vt eum Baptismum sibi placere testaretur, vt exemplo suo eum Ecclesiæ suæ commendaret, vt eum vsui nostro sanctificaret, vtque nos esse populum eius intelligeremus. Quemadmodum enim vtebatur Circumcisione & Paschate, quæ Ecclesiæ Iudaicæ in vetere Testamento Sacramenta erant, vt illam Ecclesiam ad se pertinere ostenderet: sic & nostris vti voluit Sacramentis, vt & nos quoque ad ipsum pertinere intelligeremus. At si Ioannis Baptismus fuisset ritus ab homine inuentus, quod vult Bellarminus, Christus nunquam eum aut commendasset, aut permisisset, nedum percepisset: fuit igitur Baptismus Ioannis verus Baptismus, atque adeo idem cum nostro; alioqui maximæ consolationis iacturam fecimus, si Christus non

communem nobiscum Baptismum habuerit.

Tertium nostrum argumentum sequitur, quod in hunc modum se habet: Cum Christus à Ioanne baptizaretur, adfuit visibiliter Spiritus Sanctus, & vox gratiæ sonuit: hæc in nostro Baptismo inuisibiliter fiunt: non ergo diuersa sunt Baptismata, illud & nostrũ. Bellarminus multas causas affert, cur Christus à Ioanne baptizari voluit: omissis aliis, hæc præcipua est, vt Baptismum salutarem institueret sanctificando aquas tactu carnis suæ: sed hoc ait facere contra nos, quia columba non apparuit, antequam Dominus baptizatus à Ioanne fuit, & tamẽ idem erat antea Baptismus Ioannis cum eo qui postea fuit: sic Christus (inquit) figurate ostendit effectum Baptismi sui. Vult ergo Spiritum Sanctum apparuisse, non vt Ioannis, sed vt Christi Baptismum illustraret, eiusq; vim & efficaciam significaret. *Respondeo primo*: Quicquid hic significat spiritualem effectum, id debet de Baptismo Ioannis intelligi: Christus enim non venit ad Ioannem, vt Sacramentum institueret, sed vt sumeret Baptismum Ioannis: interim dum baptizaretur, audita vox Patris est, & Spiritus Sanctus apparuit. Nihil hinc pro Baptismi efficacia colligi potest, nisi vt hunc Baptismum vere fuisse Baptismum Christi intelligamus, vti fuit. Nam quod negat Bellarminus Christum instituisse Baptismum Ioannis, iniuriam & Ioanni & Christo facit; quasi Christus voluerit tanto honore traditiunculam humanam dignari: at vt Christus omnem ἐθελοθρησκείαν, id est, *voluntarium cultum*, damnat: ita nunquam cæremoniam, cuius homo author fuit, approbasset. Sed esto: fuerit Baptismus Ioannis non nisi præparatio quædam ad Baptismum, & inuitatio ad pœnitentiam, vt vult Bellarminus: certe Christus non magis hac præparatione & inuitatione indiguit, quam regeneratione & Baptismo: ergo non magis iniuriosum Christo est, si Ioannis Baptismus eius Baptismus fuerit, quam si talis fuit, qualem ipsi fingunt.

Secundo quod de tactu ait, friuolum est: nam multas aquas ante tetigerat Christus, & nunc solum flumen Iordanis tetigit, cum baptizaretur; & illæ aquæ, quas Christus tetigit, non omnes aquas sanctificare poterant: quæ igitur sanctificatæ sunt, vt Sacramentum fierent, non tactu sed mandato Christi sanctificatæ sunt. II.

Quartum nostrum argumentum hoc est: Nisi Ioannis Baptismus fuit verum Sacramentum, institutio veri Baptismi nobis est ignota. Non enim tum institutum fuit hoc Sacramentum, quando Christus post resurrectionem præcepit Apostolis baptizare *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quia Apostoli multos antea baptizauerant, imo plures quam Ioannes: non illi procul dubio baptizabant temere: sed quia Ioannis Baptismum esse à Deo

Deo institutum crediderunt, & omnibus communicandum, ideo ipsi quam poterant plurimos baptizabant. Si hoc diuersum Baptismi genus fuit; à quo, vbi, quando institutum fuit? nihil certe proferri potest. At Sacramentorum institutiones primæ debent esse illustres, vt fuit institutio Circumcisionis, Agni Paschalis, Eucharistiæ. Sic Baptismus tum institutus est, quando Ioannes à Deo missus est ad baptizandum: alioqui nulla eius illustris institutio habetur.

Quintum nostrum argumentum sic instituitur: Apostoli nullum Baptismum habuerunt nisi Ioannis. Sic Apollos, sic etiam Baptista ipse: non enim fuit à Christo, vel discipulis eius baptizatus: ergo Ioannis Baptismus verus fuit, & idem cum nostro: alioqui nec Apostoli, nec Apollos & Baptista, eo Baptismo contenti fuissent. Est argumentum, fateor, negatiue sumptum ab authoritate, nec valet in omnibus, sed in verbo Dei valet, & quidem in hac causa in hunc modum: Non extat in Scripturis, eos baptizatos fuisse alio Baptismo, quam Baptismo Ioannis: ergo non credendum est, eos alio Baptismo fuisse baptizatos.

Tertull. in lib. de Baptism. August. Epist. 108. & de orig. anim. l. 3. c. 9.

Bellarminus ait, Apostolos fuisse Christi Baptismo baptizatos, idque probat Tertulliani & Augustini testimonio, qui tamen non nisi coniecturis suis vtuntur: nihil enim eiusmodi in Scripturis habetur. Et si Ioannis Baptismus nõ fuit vetus, oportuit aliquid de nouo Apostolorum Baptismo in Scripturis proponi, tum vt constaret eos dedisse verum Baptismum, tum vt discrimen horum Baptismatum cognosceretur. Sed probat Bellarminus Ioan. 3. 5. Scripturæ testimonio, neminem esse saluandum sine Baptismo Christi: ergo dubitari non posse, quin illi omnes Baptismum Christi acceperint, quos post ea tempora vixisse, & ad Ecclesiam Christi aggregatos constat, etiamsi id nusquam scriptum sit. *Respondeo*: Si ille locus de externo Baptismo intelligatur, potest etiam ad Ioannis Baptismum accommodari: sed non est hic locus de Sacramento Baptismi intelligendus, vt nos antea docuimus. Christum vero non hic de Baptismo loqui constat, *primò*, quia tum qui venit seruare multos, fecisset viam ad salutem arctiorem & difficiliorem, quam inuenerat: nam ante Christi Baptismum poterant homines seruari sine Baptismo: si ergo Christus salutem ad Baptismum alligasset, omnes qui casu aut sine culpa sua caruissent Baptismo, periissent, & sic multis aditum ad cœlum præclusisset, & viam ad salutem coarctasset, atque ita multò melior & tolerabilior fuisset status illorum, qui ante Christum viuebant, quam illorum, qui post vixerunt: at certum est, Christum viam ad salutem non coarctasse, sed potius dilatasse. Sed sine gratia Dei, qua regeneramur, nemo saluus esse potest: & de hac Christus hoc in loco loquitur. I.

Secundo, Bellarminus ipse antea II.

fatetur, Baptismum non fuisse necessarium aut præcepti aut finis necessitate ante Christi mortem: ergo
Ioan. 3.5 verba hæc, *N si quis renatus fuerit, &c.* non possunt de Baptismo Christi intelligi. Nam quod Christus his verbis ait, verum fuit ante mortem Christi: hoc enim Nicodemo etiam tum necessarium fuit. Sed quid de Baptista dicemus, qui non fuit Christi Baptismo baptizatus? num is periit? Bellarminus ait, nondum obligasse legem de Baptismo Christi. Hinc duo colligo: *Primum* est, Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non esse de Baptismo intelligenda. *Secundum*, Apostolos nec baptizasse, nec baptizatos fuisse alio Baptismo, quam Ioannis: Christi enim Baptismus nondum obligabat, id est, nullum fuit præceptum de Baptismo Christi: non fecissent autem Apostoli, nisi quod illis præceptum fuerat. At Ioannis Baptismus tum obligabat: nam vt ille iussus est baptizare, sic necessarium fuit aliis ad eius Baptismum venire:
Luc. 7.30. quare qui Ioannis Baptismum contemnebant, hoc ad suum exitium faciebant. Et Apostoli erant recte
Ioan. 4.2. baptizati ante Christi mortem: à quo autem, nisi à Ioanne, aut aliquo, qui Ioannis Baptismo vtebatur, quia Christus neminem baptizabat? quod satis indicat, Christum de Ioannis Baptismo vt vero sensisse; alias ipse Baptismum suum Apostolis præbuisset: à quo enim alio datus fuisset? Quare vt concludamus, hoc ipsum visum esse Patribus vno aut altero exemplo doceamus.

Sextum igitur & vltimum argumentum nostrum sumitur à testimoniis Patrum. Basilius ait, Ioannis Baptismum longe præstitisse Baptismis illis, & lotionibus Mosaicis: non habuit enim, inquit, *παρατήρησιν ἡμερῶν καὶ ὡρῶν, observationem dierum & temporum*: nulla dilatio fuit, quo minus statim licuerit venire ad gratiam Christi: vt primum autem quisque accessit cum confessione peccatorū, quanta & qualiacunque fuerint, & baptizatus est in Iordane, *καὶ εὐθὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, & statim accepit remissionem peccatorum.* De Christi Baptismo quid augustius dici potuit? Similia habet Gregorius Nyssenus: ait enim eos, qui à Ioanne baptizati sunt, remissionem accepisse peccatorum. Atqui hoc illud est, quod Pontificii in Ioannis Baptismo requirunt: non enim præbuisse remissionem peccatorum aiunt, sed tantum præparasse ad gratiam: at hi Patres nullum fuisse peccatum dicunt, quod Ioannis Baptismus non remiserit. Ambrosius ait, Ioannem baptizasse in remissionem peccatorum in nomine Christi, sicque baptizare solitum: & licet non baptizabat in Spiritu (hoc enim Christi est) tamen & Christum prædicabat, inquit, & Spiritum: vt autem prædicabat, ita baptizabat. Augustinus, cui Aduersarii in hac causa maxime cõfidunt, & quem nos in hac causa maximum Aduersarium habemus, tamen ait, Si quis contendat, peccata etiam in Ioannis Baptismo dimissa esse, & in Baptismo Christi ampliorem

Basil. in lib. de Baptism. 2.

Gregor. Nyssen. de laudibus Basilii.

Ambros. in lib. de Spi. S. 1.4

August. de Baptis. l. 5. c. 9.

rem quandam sanctificationem esse collatam, se non acturum pugnaciter. Atque Pontificii hac de re pugnant contentione summa, noluntque dici, in Ioannis Baptismo peccata esse remissa; & si quis hoc dixerit, anathema ei denunciant. Faciant illi hos Baptismos quam velint diuersos, modo in Ioannis Baptismo fuisse remissionem peccatorum & gratiam concedant: nos non aliud postulamus; sed illi nudam fuisse cæremoniam dicunt. Quærunt Patres sæpe, etiam ii qui aliter sentire videntur, quam nos, Augustinus, Chrysostomus, & alii cur Christus à Ioanne baptizari voluit; & aiunt hoc esse factum, non vt peccatorum remissionem acciperet, sed alias ob causas: quid opus fuit ista quæstione, si omnino nulla remissio peccatorum in Ioannis Baptismo fuit? Quicquid ergo hi Patres contra scripserint, sane in eo quod hanc quæstionem proponunt, non obscure indicant, collatam esse in Baptismo Ioannis remissionem peccatorum. Prudentius poeta Christianus ait, Ioannem fuisse primum Doctorem nouæ Legis, & lauisse notas veterum errorum: & qui venerunt ad eius Baptismum, renatos abiisse, vt si *auri recocta vena pulchrum splendeat*: vbi Baptismo regenerationem & sanctificationem tribuit. Similiter Iuuencus Presbyter de Ioannis Baptismo.

Prudent. καθημ. hymn. 7.

Iuuenc. Presbyt. Carm. Euangel. l. 1 de Baptism. Ioan.

Zachariæ soboles, deserti vallibus, omnes
Ad deponendas maculas clamore vocabat,
Fluminis vt liquidi caperent miranda lauacra,
Queis animæ species abluta sorde niteret.

Ergo vis & efficacia Baptismi Ioannis, non ad corpus tantum, verum etiam ad animam pertingebat. Et paulo post, Ioannem inducit, populum, qui ad eius Baptismum accessit, in hunc modum alloquentem,

Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere institui,

De animæ non corporis maculis loquitur. Sic Lombardus, & multi alii Scholastici, qui rite à Ioanne baptizati sunt, eos alio Baptismo non eguisse aiunt: in hac opinione dissentiunt pleriq; discipuli à Magistro, vt diximus: sed nos illos frustra litigare sinamus. Multi Scholastici & alii, vt antea docuimus, dicunt Ioannem sic baptizasse, *Baptizo te in nomine venturi*, & nonnulli Pontificii aiunt, si ita baptizauit, tum eius Baptismum habuisse remissionem peccatorum. Quare istam Quæstionem ex Scripturis, ex ratione, ex Patribus, atque adeo ex Scholasticis nonnullis concludimus, in Ioannis Baptismo fuisse remissionem peccatorum, atque ita Ioannis Baptismum fuisse eundem quoad substantiam cum Christi Baptismo, & eo quo nunc Ecclesia vtitur.

Finis quinta Quæstionis.

Quæstio VI.

Qui ritus & cæremoniæ sint Baptismi.

Caput Vnicvm.

In quo cæremoniæ Pontificiæ examinantur & inutiles improbantur.

POstrema Quæstio est de ritibus Baptismi. Iussit Christus baptizari *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; non instituit cæremonias Baptismi, quæ postea in hoc Sacramento solitæ sunt adhiberi: & dici non potest, quam varii & multiplices ritus in hoc irrepserint, quorũ aliqui antiqui sunt, qui olim non sine ratione adhibiti sunt, nunc vero ridicule in dissimili causa vsurpantur. Quæstio nunc est, an illæ omnes cæremoniæ retinendæ sint, quibus veteres olim vsi sunt, & num debeant tales cæremoniæ in Baptismo tolerari, quas Pontificii καινοζηλείᾳ quadam his addiderunt. Et de his quidem non minus acriter fere dimicant Aduersarii, quam de Baptismo ipso: tamen dicunt in tempore necessitatis posse prætermitti, quia verendum est ne dum in cæremoniis occupamur, substantia Baptismi omittatur; sed quando cæremoniæ possunt adhiberi commode, nec periculum est in mora, tum grauiter peccaturos, qui Ecclesiæ cæremonias omiserint. Nos si non omnes, at pleraque posse & debere omitti affirmamus, quia non sunt à Christo institutæ, aut Scripturæ authoritate nobis commendatæ, nec ad Baptismi vel necessitatem vel ornatum pertinent, imo potius Baptismi gratiam obscurant, quia in tam multis & splendidis cæremoniis Baptismus non potest gradum aut locum suum retinere. Optandum igitur, vt quam simplicissime administretur Baptismus, ne Christi institutio violetur; non tamen ita simpliciter, vt si aqua cum verbis adhibeatur, quomodocunque id fiat, nil sit curandum; sed oportet eum modum seruare, vt quam honestissime & conuenientissime administretur. Quare quod Bellarminus obiicit, nos præscribere in baptizando, quod in sacris literis non inuenitur, & hinc vult excusare suas tam multas cæremonias, non nisi calumniatur.

Matth. 28.19.

Quinque huiusmodi commemorat, quorum *primum* est, quod infantem coram populo baptizari præscribimus. Sed hoc non sine exemplo facimus: sic enim Ioannes in Iordane baptizauit coram infinita fere

fere hominum multitudine. Etsi non negamus, quin possit interdum paucis præsentibus administrari: quis tamen dubitet conuenire, vt coram in Ecclesiæ conspectu administretur, vt Ecclesia testis sit? Neque totam Ecclesiam requirimus, sed multos adesse cupimus, si commode fieri potest. *Secundum* est, *II.* quod sponsionem ab iis requirimus, qui infantes afferunt, sed educaturos infantes illos in disciplina Domini, & instituturos in doctrina fidei & morum. At nemo quam hoc necessarium sit non videt, vt admoneantur officii parentes, & qui Ecclesiæ pueros commendant, vt eos, cum adoleuerint, instituant. Neque hoc sine authoritate Scripturæ facimus; nam Deus de Abrahamo ait, eum curaturum vt liberi eius *custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Ita infantes quod ipsi per se profiteri non possunt, cum baptizantur, per alios faciunt. Et scriptura requirit Catechismum. *Tertium* est, quod nomen imponimus infanti baptizando. Sed hoc probatur exemplis Ioannis Baptistæ & Christi: nomẽ enim Ioanni Circumcisione impositum est, & Christus, cum circumcideretur, dictus est Iesus. *Quartum* est, quod formam Sacramenti lingua patria pronunciamus. At hoc necessariũ est, quia Deus vult omnia in Ecclesia fieri ad ædificationem: non ædificat autem omnino quod non intelligitur, aut certe ad errorẽ ædificat. *Quintum* est, quod Symbolum, & Orationem Dominicam, & alias preces recitamus in Baptismo. Sed hæc necessaria sunt, quia in re tam sacra opus est precibus; & quia Baptismo in Ecclesiam recipimur, & administratur Baptismus in fide Christi, confessionem fidei audiri conuenit. Quas hic calumnias affert, quibus nugas suas excusset, quarum nulla afferri ratio potest? Nos dicimus Ecclesiam posse adhibere cæremonias, sed eas deberi ad Scripturæ regulam accommodari, id est, ad ædificationem, & ornatũ, & ordinem facere: at Pontificii ineptissimas quasdam cæremonias habent, quæ nulli vsui nisi pompæ & ludibrio inseruiunt.

Gen. 18. 19.

III.

Luc. 1. 59. 60 & 2. 21.

IV.

I. Cor. 14. 26.

V.

Sed non erit superuacaneũ paucis explicare, quas illi cæremonias & præstigias in Baptismo suo adhibeant, vt quas accessiones ad Christi institutionẽ fecerint videamus. Eas vero Bellarminus in tria genera distribuit: aliæ n. præcedunt Baptismum, inquit, aliæ comitantur, aliæ sequũtur. Ante Baptismum multas illi quidem cæremonias adhibent: quasdam Bellarminus commemorat, quæ olim in vsu erant in Baptismo adultorum, & eo quidem solo, sunt que laudabiles; cuiusmodi hæ sunt, quæ sequuntur; vt Catechumeni dent nomen; vt sit scrutiniũ & examen eorũ, qui ad Baptismum accedunt, ne quis indignus aut non bene præparatus ad Baptismum admittatur; vt fiat abrenunciatio Satanæ ac operum eius, qua baptizãdi profiteãtur, se penitus velle in castra Christi transire, sub eius vexillis militare, nihil postea cũ Satana commercii habere, nõ ea facturos, quæ soliti sunt, quæq; Satanæ placent, vt

fidei

fidei etiam professionem faciant. Quis hæc non recte fieri dixerit? non enim sancta canibus proiicienda sunt. Et abrenunciatio Satanæ, ac confessio fidei non male etiam nunc in Baptismo paruulorum vsurpantur, vt qui infantes baptizandos offerunt, spondeant se daturos operam, quantum in ipsis est, vt Deum rite colant, in Christum credant, sancte & inculpate viuant, & denique boni Christiani fiant. Nos istas cæremonias non damnamus, imo inprimis necessarias dicimus, ne Baptismus contemnatur. Nunc de reliquis videamus: inter quas est vna præ cæteris insignis & antiqua cæremonia, signum scilicet crucis, quod olim in omni non modo religiosa actione, sed etiam communi adhiberi solitum est; non edebant, non cubabant, non surgebant, non exibant ex ædibus, denique nihil fere agebant sine signo crucis. Causa fuit, quod inter profanos homines & Ethnicos viuerent, quibus nihil magis probrosum fuit, quam crux Christi, & quibus Euangelium de Christo crucifixo pro stultitia habebatur. Quare omnes qui Christum amabant, testari omnibus voluerunt, quam non ipsos puduerit Christi, imo quam isto honore quodammodo superbirent. Ita crux fuit quasi tessera & symbolum Christiani, eaq; omnes vtebantur, nisi qui nolebant pro Christianis haberi: hoc signo testati sunt, se vere Christianos esse, & Christum ex animo profiteri: & per eius mortem ac passionẽ vitam æternam expectare: etsi paulatim superstitio inualuit, vt creditum sit esse vim quandam arcanam in signo, cum olim non nisi externum professionis symbolum fuit. Et si Ecclesiæ status esset, qualis olim fuit inter paganos, non dubito quin sancte & legitime hoc signo nobis quoque vti liceret, vt veteres olim Christiani vsi sunt: nunc autem cum iis permixti simus, qui religionem in signo ponunt, eo magis cauendum, ne scandalo simus, & superstitiosas opiniones foueamus. Nam Aduersariis nostris, Pontificiis scil. signum crucis est res plane magica: nihil recte & feliciter auspicatos se arbitrantur sine eo, imo vim dæmonum hoc signo retundi putant: fingunt enim dæmones sic horrere crucem, vt canes flagrum; præterea quod horrendum est, eo progressi sunt, vt crucem cultu latriæ colendam esse contendant, quæ dementissima idololatria est: nos vero oportet idola & idololatriam fugere. Sed quædam tamen Ecclesiæ reformatæ signum hoc in Baptismo retinent. Lutherus vult baptizandos signari cruce in fronte & in pectore: at Papistæ non modo frontem & pectus, sed & oculos, aures, nares, scapulas, os, cruce signant: & nos hoc signum in Baptismis nostris retinemus, non quidem ante Baptismum, aut in Baptismo, sed post Baptismum: de quo nonnulla opinionum dissensio est propter imperitos quosdam, qui non putant esse verum Baptismum sine eo, & crucem esse partem præcipuam Baptismi existimant: quorũ error corrigendus est.

Matth. 7. 6.

Luther in Catechis.

Ego

Ego verò nisi propter scandali circumstantias, nil in re ipsa mali esse puto. Tum etiam Aduersarij solent aquam in Baptismo hoc signo consecrare, quasi aqua sine eo non apta sit ad Baptismum: quæ est insignis superstitio. Sic Gratianus; *Nunquid Baptismatis vnda sine cruce sanctificata peccata relaxat?* Christum dicunt tactu carnis suæ aquas mundâsse, & tamen immundæ adhuc sunt, nisi crux adhibeatur? at olim in stagnis & fluminibus extra vrbes baptizari solita est magna multitudo: an in singulorum Baptismo aqua cruce signanda fuit? postea verò in Concilio Ilerdensi decretum est, vt fontes lapidei erigerentur, aut vasa fierent, quæ nunquam è templo efferrentur; & in his aqua exorcismis & crucibus consecrata est in Baptismi vsum.

Gratian. de consecr. d. 5. c. Nunquid.

Conc. Ilerdens. tempore Theodoric. Regis & Symmach. Pap. circiter an. Chr. 500.

Sed iam ad alias cæremonias veniamus. Vruntur præterea Pontificij cæremonia exorcismi & exufflationis, quæ etiam vetus cæremonia est. Et erat quidem olim in Ecclesia donum exorcismi, quo adiurabantur & pellebantur dæmones è corporibus hominum, potestate à Deo accepta: sed Ecclesia nõ habet hanc facultatem perpetuam, quia iamdudum cessabit. Neque enim Pontificij nunc possunt dæmones vlla arte sua profligare, neque habent hanc potestatem, quicquid ipsi mẽtiantur. Precibus quidem & ieiunio dæmonia expelluntur: sed potestas expellendi est extraordinaria. At Pontificii, cum verè nequeant dæmones expellere, hoc se tamen facere in parvulis simulant, in quibus nulli dæmones apparent. Imò sanctorum liberi sancti pronũciantur: at quasi omnes essent dæmoniaci, non admittuntur in templum, priusquam Sacerdotes peregerint suos exorcismos, & dæmonem exufflârint. Hinc apud Gratianum cavetur, ne quis ad Sacramentũ regenerationis admittatur, antequam exorcismis & exufflationibus spiritus immundus abigatur. Exorcismus igitur ante templi fores procuratur: postquam verò dæmon abscesserit, tum demum in tẽplum infans introducitur. Sed in quibusdam locis non semel exprimunt formas exorcismorum, sed sæpius, quia dæmon non statim paret, & invitus excedit. Et in puerorum puellarumque Baptismo dissimiliter exorcismis suis vtuntur: nã si masculus fuerit, vicies; si fæmella, tricies, exorcizant: credo quia Satanas fortiùs tenet in potestate sua fæminas, quàm viros. Veteres exufflationem adhibuerunt, vt declararent nos esse in manu Satanæ, antequam peccata nobis remittuntur, & in Ecclesiam recipimur: isti nobis persuadent, infantes esse plenos dæmonum.

Gratian. de consecr. d. 4. cap. Siue

Post exorcismos sal affertur, quia omnia olim sacrificia condiebantur sale: quæ bona ratio est, si infantes mactarent. Sed vocant hunc salem sapientiæ. Fateor quidem olim adultis, & bene in religione institutis, salem datum esse, quo moniti sunt, oportere in ijs esse salem, vt fætore iniquitatis careant. Sed hoc merè Iudaicum est: neque licet veteres cæremonias renouare, ne in

1. Cor. 7. 14.

Iudaismum relabamur. Sic Pontificij suos infantes saliunt, vt sapiant, non minùs ridiculè, quàm nos olim in hac nostra Academia recentes nostros salire solebamus. Sed vtinã inepti tantùm essent: nam & impij sunt, quia putant esse Sacramentũ, quo Diabolus fugatur: quasi non fugârit Diabolum exorcismus satis, quin sale adhuc opus sit. Sed nec sale contenti adiungunt salivam, quâ nares infantis & aures tangunt, eique Ephphata dicunt, quod est, *Adaperitor*, exemplo Christi: & Bellarminus quærenti Calvino, cur nares & aures infantis baptizandi sputo tangerent, respondet quærẽdo cur Christus muti & surdi aures ac linguam sputo tetigit. *Respondeo*: quia erat ille mutus & surdus, & Christus voluit hoc signo donum sanationis illi dare. Sed quid hoc ad illorum impurum sputum? nam infantes non habent tales morbos, saltem non omnes, aut si habent, in infantia illorum certò cognosci nõ possunt; neq; afferuntur ad Ecclesiam, vt loquantur vel audiant: neque faciunt illorum Sacerdotes, q̃ Christus fecit, id est, non solvunt vincula linguæ, nec aperiunt aures; non magis enim postea audiunt, quàm antea: quis enim Sacerdos inter Pontificios facit infantem ex muto loquentem, ex surdo audientem. Putidus hic certè & absurdus ritus est ex peruersa Christi imitatione natus: quasi ij possint facere, quod Christus fecit, aut ij sint, qui Christus fuit. Accedit Chrisma, vnguentum quoddam benedictum, quo vnguntur infantes in pectore & scapulis: habent enim benedictũ oleum semper in promptu ad hos & alios vsus, quod semel in anno solet ab Episcopo consecrari in sacro illo Iovis die ante Pascha; tum vetus cum pompa profertur & exuritur, novumque consecratur.

Marc. 7. 34.

His iam peractis itur ad Baptismum: & quibusdam in locis trina immersio est in vsu: sed non putant hoc esse de necessitate Baptismi. Et olim baptizabatur tantùm in tẽpore Paschali & in Pentecoste, vt patet ex multis testimoniis Patrum; quia in Pasc. hate resurrexit Christ⁹, & sic nos in Baptismo; & in Pentecoste Spiritus Sanctus dabatur: similiter in Baptismo. Fuit hic vetus mos: sed hunc morem Pontificii non obseruant hodie. Et in initio omni tempore baptizari solitũ est, vt Aduersarii fatentur, & Bellarminus ex Ambrosio docet. Iam post Baptismum rursus vnguntur in vertice non fronte; nam frons Episcopo reseruatur in Confirmationem: tum fax aut lucerna cærea manui infantis admouetur, quia è potestate tenebrarum transiit in lumen: postremò eius capiti linteũ quoddam amiculum imponitur, quod chrismale vocant. Et olim quidem, in baptizati erant, candidas vestes induebant per septimanam à Paschate in proximam Dominicã, quę proinde Dominica in albis vocabatur: significabat verò hoc innocentiam. Et quibusdam in locis non licebat baptizatis se lauare per illam hebdomadam, ne forte gratiã Baptismi abluerent. Fuerunt & aliæ olim cærcmoniæ, vt lactis, mellis,

Ambros. in Ephes. cap. 4.

Tertullia. in lib. de coron mil. Hieron. in dial. cont. Lucifer. Ambros in libr. 3. de Sacram. cap. 1. Matth. 3. 6. Act. 2. 41. & 8. 38. & 10. 48 & 16. 15 33. & 19. 4.

& vini prægustatio, de qua Tertullianus & Hieronymus: & pedum etiam locio post Baptismum, de qua Ambrosius. Nos istas cæremonias, vt quæ olim in vetere Eccl. vsurpatæ sunt, non omnes penitus dãnamus, qa erga adultos adhibebant, & habebant intelligentiam & significationem manifestam: at vt in Ecclesiis Pontificiis in infantũ Baptismo vsurpantur quædam illarum, non nisi inanes & mutas cęremonias esse dicimus, & vt in lingua peregrina administrantur, meritò damnãdas. Ergo ad fontem redeamus: in Scripturis nulla harum rerum mẽtio fit. Ioannem baptizâsse legimus in Iordane, horum autem nihilo, nec sale, nec sputo, nec reliquis vsum esse legimus: Apostolos legimus baptizâsse multa millia simul: de his cæremoniis ne verbum quidem habetur: Philipp. Eunuchum baptizauit, Petrus Cornelium, Paulus Lydiam, & custodem carceris, & duodecim illos Ephesios (sic enim ego certè existimo:) in istis verò locis nulla fit mentio harum cæremoniarum. Quis ergo harum author fuerit, non opus est vt inquiramus; certè nec Christus, nec Apostolorum quisquam, sed quicquid ceremoniarium postea accessit, inuentum ab hominibus est. Neque tamẽ dicimus aquam & verba simpliciter sufficere; quod nobis Bellarminus obiicit: sed quia est Christi Sacramentum, æquum est, vt omnem & reuerentiam & grauitatem adhibeamus, cum vel ipsi celebramus, vel alios celebrantes intuemur, ijsque astamus.

FINIS SEXTÆ QVÆSTIONIS, TOtiusque Controuersiæ de Baptismo.

CONTROVERSIÆ DE EVCHARISTIA QVÆSTIONES PRINCIpales septem.

1. *De reali Christi præsentia in Eucharistia, Sitnè corpus Christi & sanguis realiter & substantialiter præsens in Eucharistia.*
2. *De Transubstantiatione, An in Eucharistia fiat conversio substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi.*
3. *De asservatione Eucharistiæ, An panis & vinum in Eucharistia, sint Sacramentum extra vsum, etiam in pixide asservata.*
4. *De pane azymo, Num Eucharistia celebrari debeat in pace azymo, an fermentato: vbi agitur de quæstione, Num Christus suam celebravit pridie azymorum.*
5. *An aqua sit cum vino miscenda in Eucharistia.*
6. *De idoneo Ministro huius sacramenti, An administrari possit Eucharistia à quoquam sine legitima vocatione & ordinatione.*
7. *De effectibus & fine Eucharistiæ, An præbeatur in Eucharistia remissio omnium peccatorum; & qui dignè ad eam accedant.*

CON-

CONTROVERSIÆ DE EVCHARISTIA

Quæstio I.

DE REALI PRÆSENTIA CHRISTI IN Eucharistia, sitnè corpus Christi & sanguis realiter & substantialiter præsens in Eucharistia.

CAPVT I.

DE STATV QVAESTIONIS, QVID PONtificij teneant, quid nos.

1. Corinth. 11. 23.

CRIBITVR 1. Cor. 11. 23. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Corinthios Paulus graviter reprehendit, quod cænam Dominicã corrupissent: multum enim ab illa administrãdi forma deflexerant, quam ijs Paulus præscripserat. Non est necesse genera corruptelarum dicendo persequi: in eo nunc versatur Apostolus, vt quod Satanæ fraude atq; hominum negligẽtiâ abierat in peius, restitueret atque emendaret. Non aliud autem mandat, nisi vt redeant ad eum ordinem, quem Dominus instituit, eisque Paulus iussu Domini tradidit: neque enim aliud tradidit, nisi quod ipse à Domino accepisset. Tria ex his Apostoli verbis discamus. *Primum* est, nihil esse tradendum Ecclesiæ, nisi quod Dominus mandauit. *Secundum*, quàm sint homines, imò integræ etiam Ecclesiæ, ad errorem procliues: nam Ecclesia hæc non diu seruauit ordinem ab Apostolo constitutum, sed multiplex statim secuta aberratio est. *Tertium*, emendationes omnes ac reformationes ab institutione

Dominica repetendas esse. Sic Paulus Corinthiis præceptum Dominicum proponit, vtque huic obtemperent, admonet. De cæna autem Dominica atq; Eucharistia multò grauiores Papistarum errores sunt, quàm Corinthiorum fuerũt. Nam leues sanè illorum corruptelæ erãt, si cum horrendis illis sacrilegiis cõferantur, quib. Papistæ sacram Domini institutionem fædârunt. Non hi, vt Corinthii, alieno loco tantum & tempore cum offensione & iniuria fratrum cænam celebrant, sed formam penitus mutarunt, atque ex saluberrimo Domini Sacramento teterrimum quoddam atq; omni abominatione dignissimum idolum fabricati sunt. Ita quam lõgissimè ab institutione Dominica discesserunt, & sacrosanctam Domini cœnam in turpissimam idololatriam conuerterunt. Nec se tamẽ aut corrigi patiuntur, aut errare cõfitentur, & monstrum illud suum, quo nihil vnquam orbis iste detestabilius, & sanguini Seruatoris nostri iniuriosius vidit, summo impetu defendunt. Magnum igitur & diuturnum nobis futurum est cum illis de Eucharistia certamen: sed rei magnitudo nostrã omnem aut diligentiam aut facultatẽ superat. Nihil nunc est, quod in maiore controuersia ponitur. Nos verò Controuersiam totam in sua capita distribuemus, & quia reuellimus Bellarminũ, eius ordinem sequemur. Sunt verò de Eucharistia inter nos & Pontificios quatuor principales Quæstiones. *Prima* est, sitne corpus Christi & sanguis realiter & substantialiter præsens in Eucharistia. *Secunda*, quis sit modus huius præsentiæ, num per transubstantiationem præsens sit, an alio modo. *Tertia*, quæ sit natura huius Sacramenti, quæ vna quæstio multas particulares quæstiones in se cõplectitur, nempe de materiâ, formâ, vsu, effectu, integritate, adoratione, asseruatione huius Sacramenti, & alias nonnullas Quæstiunculas. *Quarta*, & postrema est de Sacrificio Missæ. De prima Quæstione non conuenit inter nos. Sed Bellarminus, antequam ad statum Quæstionis, & pugnam opinionum explicandam accedit, quærit de authoribus nostræ, vr ille loquit, hæreseos. Quanquam non opus est authores quærere: nostræ enim doctrinæ author Christus, alumna & testis vetus ecclesia, quoad oppressa ab Antichristo & libertatem & veritatem amisit. Conatur ille quorundam insanias nobis ascribere, qui nihil cum illis commune habemus.

Primos authores ait videri fuisse Simonianos & Menandrianos; idq; ex Theodoreto probat, qui ex Ignatii Epistola ad Smyrnenses ait, istos *non fuisse confessos Eucharistiã esse carnem Christi*. Sed *respondeo* 1. hæc verba non haberi in Epistola Ignatii, quæ nunc extat. Theodoretus ait quidem in ea Epistola esse: habuit ergo ille aliam Epistolam ad Smyrnenses, quàm nos habemus. 2. Bellarminus fatetur, illos antiquos hæreticos non fuisse authores nostræ sententiæ: non enim esse nostram sententiam tam antiquam. Ita primùm nos accusat, postea absoluit. *Theodoret. in dial. 3.*

soluit. Illi quidem hæretici negabant Christum habere carnem veram: ergo negabant Eucharistiam eius carnem, id est, carnis ipsius Sacramentum esse, vt Theodoretus & alii ex Sacramento, carnis Christi veritatem colligunt. Nos verò confitemur, Christum habuisse veram carnem, & Eucharistiam esse carnem Christi, non quòd caro Christi realiter sit in Eucharistia, sed quia Eucharistia est mysterium & Sacramentum carnis Christi, vt rerum nomina Sacramentis passim in Scripturis & Patrib. tribuuntur. Sanè si senserunt Simoniani & Menandriani in Eucharistia non esse realiter carnem & sanguinẽ Christi, tum idem senserunt quod nos: sed hoc nomine à nullo veterum, qui de hæresib. scripserunt, reprehensi sunt, non ab Irenæo, aut Tertulliano, aut Philastrio, aut Epiphanio, aut Augustino, aut Theodoreto, aut Damasceno, vt Bellarminus ipse fatetur; qui tamen omnes contra horum hæreses multa scripserunt. Ergò postea *primos* nostræ sententiæ authores facit Iconomachos in Concilio quodam Constantinopolitano congregatos post annum Domini septingentesimum, qui dicebant panem & vinum in Eucharistia repræsentare corpus Christi & sanguinem, & hanc vnicam imaginem Christi esse ab ipso Christo institutam. *Respondeo*: Non est quod nos pudeat horum suffragatorum: erant enim pii Episcopi, & totius tunc temporis orbis doctissimi, qui à pio Imperatore in Concilio coacti imaginum cultum tum in ecclesiam inuehi cæptum damnârunt. Et fuit hoc verum Oecumenicum Concilium, & rectè septimum generale Concilium appellatur. Hoc Concilium docuit, non esse vllas Christi imagines faciendas, quia Eucharistia est optima Christi imago ab ipso Christo instituta: quare alias omnes imagines prohibuit. Et certè grauissima est huius Concilii authoritas. Quanquam verò secũdum Nicænum Concilium, quod proximè sequutum est, hanc Concilii sententiam de imaginib. damnauit, tamen alteram illam de repræsentatione corporis & sanguinis Christi per panem & vinum in Eucharistia nõ reprehendit: at hæc multò grauior hæresis videtur Papistis. *Secundum* authorem nostræ sententiæ facit Ioannem Scotum, non illum qui scripsit in Magistrum Sententiarum, sed alium antiquiorem, qui opinionem de reali præsentia improbâsse legitur. Eius liber non extat: sed Synodus quædam Papistica Vercellensis eum damnauit. *Tertium* authorem facit Bertramum, insigni quidem iudicio virũ, qui libellum doctum & piũ de Eucharistia edidit: non ille ex cerebro suo, sed ex perpetua doctrina Augustini hunc suum tractatum composuit. Qui hunc librum legit, se Calvinum aut Petrum Martyrem legere putaret: & tamen ille vixit annis abhinc ferè octingẽtis. *Quartò* nominat Berengarium, quem virum fuisse optimum & doctissimũ antiquitas testatur. Is errori huic de transubstãtiatione, qui tum passim inualescere cæpit, apertissimè contradixit,

tradixit, & multas calamitates eo nomine pertulit. Coactus est Romæ palinodiam canere: sed postea eum pœnituit, & in veritatis cõfessione mortuus est. Hinc ferè aiunt esse primum nostræ sententiæ magistrum: sed ille nihil tenuit, nisi q̃ Scriptura & Patres de Eucharistia docent. Postea alios quosdam commemorat, & verissimum est, non defuisse aliquos in omni ætate, qui veritatem apertè professi sunt, sed tyrannis tanta temporum fuit, vt non obtinere palam veritas posset. Tandem ad Wicleffum Anglum descendit, qui ausus est in Anglia veterem de Eucharistia sanam Ecclesiæ doctrinam reuocare, & multos ille hîc discipulos & in aliis regionibus habuit. Deinde ad Lutherum venit, quem ait semina huius erroris iecisse, etsi nunquam apertè eum docuit. Sanè Lutherum fateor realem præsentiam tenuisse, licet aliter quàm Papistæ: sed est eius opinio erroris plena, vt Papistarum. Sed eodem tempore Zuinglius Tigurinus veterē de Sacramento doctrinam fortissimè propugnauit, & post eũ Oecolampadius, Bucerus, Petrus Martyr, & omnium doctissimè Calvinus, quem insignem patronum erroris Berengariani vocat Bellarminus. Atque inter hos nullũ sententiæ discrimen fuit. Ait enim Bellarminus, Calvinum nihil differre reuera à Zuinglii sententia: frustra igitur quidam Papistæ pugnare cum Zuinglio Calvinũ contendunt. Et nostra sententia, nostræq; Ecclesiæ doctrina eadem est cum ea, quam ex Scripturis, & clarissimo consensu antiquitatis Calvinus illustrauit. Eam cuiusmodi sit, Bellarminus nunc proximo loco explicare incipit.

Primò dicimus, Sacramentum externum Eucharistiæ esse tantùm in terris; & Christi corpus esse tantùm in cælis: non ergo esse realem coniunctionem corporis Christi cũ Sacramento, id est, substantiæ vnius, cum substantia alterius. Quare Beza rectè dixit, tantùm esse interuallum inter corpus Christi, & hoc Sacramentum, quantum est inter cælum & terram. Offensi sunt his verbis nõ modò Papistæ, sed & Lutherani: est autem hoc verissimum, quod ad naturalem positionem locorum attinet: non enim est Christus in terris quoad corp⁹; sed quoad gratiam & præsentiam spiritualem, Christus præsentissimus est. 1. *Beza in collo mio Poscian.*

Secundò dicimus, res & signa cõiungi Sacramentaliter, id est, hæc esse vera Sacramenta earum rerum, ideoque Christum dari cum his signis, & Christum non modò quoad virtutem & gratiam, sed ipsum Christum, id est, nos ipsam Christi substantiam percipere fide ad vitam æternam. Quare Bellarminus calumniosè paulò post ait, Calvinum alicubi dicere, non nisi vim quandam à carne Christi ad nos deriuari. sc. q negat Calvin⁹, carnẽ Christi misceri cum anima nostra, aut esse transfusionẽ & traiectionẽ carnis Christi in animãnostram: nã intelligit non esse carnalem & physicã communionem nostram: cum carne Christi; interim spiritualem statuit, nec sibi repugnat, vt vult Bellarminus. Sed Bellarminus aut Calvinũ non intelligit, aut sciens malè interpretatur. Percipimus quidem Christum in Sacramento Eucharistiæ, sed hæc perceptio spirituali nõ carnali modò fit, cùm nos vera fide coniungimur cum Christo, vt mẽbra cum suo capite. Sed hæc re vera coniunctio mystica non physica est, quæ fit Spiritu & fide. *Tertiò* ergo dicimus, hanc spiritualem coniunctionem esse verè mysticã, nec posse ingenio sed fide comprehendi: vt enim res, quæ maximis interuallis distant, vniri inter se & conglutinari possunt, non nisi fide percipi potest: verè ergo est mysterium. Quare non dicimus, nudam esse repræsentationem corporis & sanguinis Christi in cæna Domini, sed esse ibi rerum perceptionem & coniunctionem admirabilem: dari enim & accipi cum Sacramento Christum ipsum est mysterium, & superat captum & rationem nostram. *Quartò*, dicimus Christum quoad realem præsentiam in cælis residentem & manẽtem, fide à nobis percipi, nostrumque fieri, quando Sacramentum percipimus. Sed hinc Bellarminus colligit, cõiunctionem hanc non esse nisi per cogitationem. *Respondeo:* Sanè non est realis: si ergò per cogitationem intelligat non esse carnalem, fateor: sed non hæc simplex cogitatio est: multi enim de Christo cogitant, qui tamen non cum Christo communicant, sed ab eo alieni sunt. Fides plus est, quàm cogitatio, quia fide apprehendimus rem, quam credimus: est enim fides ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, vt ait Apostolus, ἐλεγχος οὐ βλεπομένων, id est, *facit vt extent quæ sperantur, & demonstrat quæ non videntur*: sic ergo de Christo fides cogitat, vt ipsum interim percipiat, ipso fruatur. Est sanè, fateor, in Eucharistia intellectualis, non oralis, aut corporalis, aut carnalis manducatio. Sed hinc Bellarminus colligit, nullum esse mysterium, aut intelligendi difficultatem; quod vult Calvinus: quis enim non facillimè capiat (inquit) fide posse apprehendi Christum? Sed est maximum mysterium, Christi salvificam carnem præberi nobis cũ Sacramento: remoue fidem, & nunquã intelliges: quæ autem fidei sunt, difficilia sunt, & supra ingenii nostri captum. Qui credit in Christum seruabitur: at salutem & vitam æternam adipisci, non facile, sed difficile est. Quemadmodum magnum mysterium est in coniunctione Christi cum Ecclesia, sic in perceptione corporis Christi in Sacramento. *Quintò* docemus, Christum à nullis percipi in Sacramento Eucharistiæ præterquã à piis ac fidelibus, quia cùm carnaliter non adsit, à nullis impiis percipi potest: non enim Christi caro cibus est canum aut porcorum, sed sanctorum hominum, & angelorũ. *Sextò* & vltimò dicimus, in isto Sacramento non præberi fidem ei qui non habet fidem, nec Christum ei qui non habet Christum, sed augeri & confirmari fidem hoc Sacramento, & hoc Sacramentum testari nos Christum habere, eiusq; vera & legitima perceptione nos magis cum Christo conglutinari, & arcti⁹ 2. 3. 4. 5. 6. *Calvin. instit. l. 4. c. 17. §. 12.* *Hebr. 11. 1.*

cum eo coniũgi. Sed hic tria contra nos colligit Bellarminus.

1. *Primum* est, hoc modò non plus facere Eucharistiam, quàm facit imago crucifixi, quæ memoriã passionis Domini pro nobis toleratæ excitat. *Respondeo:* Nos Eucharistiam dicimus non modò Christi passionem nobis in memoriam reuocare, sed & passum pro nobis Christũ nobis exhibere: quod nullæ imagines faciunt.

2. *Secundum* est, ex nostra sententia nihil relinq; in Eucharistia, nisi nudum symbolum rei iam habitæ. *Respondeo:* Quis nõ videt, hoc esse nudum mendacium? etsi enim nulli in Eucharistia Christum percipiũt, nisi qui Christi membra sunt, & qui fidem habent: tamen hæc fides & coniunctio gradus multos & incrementa habet. Eucharistia confirmat augetque fidem, & nos cum Christo arctiùs coniungit; quod maximum certè beneficium est.

3. *Tertium*, quod obiicit Bellarminus, hoc est, ex nostra sententia sequi hoc absurdum, quod porrigere cænã Domini sit nihil aliud, quàm testificari, illum, cui porrigitur, iam antea sumpsisse cænam Domini, & Christi corpus comedisse. *Respondeo:* Hoc est malitiosè calumniari: non testatur te cænam antè sumpsisse, sed Christum pro te esse mortuum, & te fide, quâ Christum iam mortuum complexus es, vitam æternam adepturum. Præterea an nõ possunt Christi participes esse, qui nunquã participes fuerunt Eucharistiæ? quidni, quæso? aliter enim actum esset de ijs, qui ex hac vita migrant, antequam participes fiant Eucharistiæ. Testatur igitur retenta Eucharistia, te (modò fidelis sis) antea Christi participem esse, nec aliis vllis prodest, nisi qui ante Christi sunt participes. Sed Aduersarii non nisi meras & futiles calumnias excogitant. Hæc nostrarum sententia Ecclesiarum est.

Iam quid Aduersarii de præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ dicant videamus. Cõcilium Tridentinum statuit, *in Eucharistiæ Sacramento post panis & vini consecrationẽ, Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum atque hominem contineri sub specie rerum sensibilium, verè, realiter, substantialiter.* Sed hæc verba non nisi generalem conclusionem habent, non sufficiunt discutiendis omnibus, quæ de hac re sunt, difficultatibus. Neque Patres illius Concilii ausi sunt particulares decisiones attingere, quas videbãt inexplicabiles esse. Sed vt huius sententiæ absurditatem videam⁹, paucis eam explicemus, vt melius intelligamus. *Primo* igitur dicunt, carnem & sanguinem Christi adesse in Eucharistia post consecrationẽ: aut ergo de cœlo delabũtur, aut potiùs ex terrenis creaturis fiunt; q̃ monstrum horrendum est, de quo postea dicemus. *Secundò*, constituunt quandam consecrationem in pronunciatione horum verborum, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, & vi huius consecrationis & horũ verborum adesse Christum statuunt. At hoc plãnè magicum est, qui priùs aberat, eũ prolatis verbis mox præsentem sisti virtute & murmure vocum

Cõc. Trid. sess. 13. c. 1.

1.

2.

3. vocum quarundam. *Tertiò* dicunt, totum Christum ibi adesse, carnem, ossa, sanguinem, animam, Deum: & ro in Eucharistia totum Christum agnoscimus fide præsentem spiritualiter: non enim discerpi nunc Christus debet: aut totus sumendus, aut toto carendum. *Quartò* dicunt, Christum vere esse in Eucharistia: & nos quoque verè ibi esse dicimus. Quòd autem seipsos postea exponunt, quid velint per *verè* nempe *non in signo solùm aut figura*, atque ita hæc duo opponunt; in eo non rectè agunt: non enim nos ita dicimus. Licet enim signum à re ipsa distinguamus, tamen cùm signo Christum percipi dicimus: res externæ non nisi signa sunt & figuræ; tamen Christus in harũ perceptione verè sumitur. *Quintò* dicunt, Christum realiter & substantialiter in Eucharistia esse: quod nos falsũ esse dicimus, quia de modo cum illis non consentimus. Nam etsi adest in cæna Christus, non tamen quoad realem & substantialẽ præsentię modum: adest igitur nonnisi spiritualiter. Et Bellarminus ipse ait, illum non adesse corporaliter, etsi realiter & substantialiter: ergo illa duo, *realiter*, & *substantialiter*, significant propriam præsentiã corporis, sed non modum præsentiæ, qui est corporis; quia nõ hìc extensum corpus est, neque occupat locum: habet magnitudinem, sed sine extensione, & tamen est debita magnitudo: at debita magnitudo est magnitudo propria & naturalis: negant autem Christum habere in Sacramento magnitudinem naturalem: & Christum habere dicunt suam figuram & suum colorem in Eucharistia; sed ista in Sacramento non habere modum qualitatis, sed substantiæ: ita est hic substantia cũ quantitate & qualitate, sed sine modo quantitatis aut qualitatis; quade re postea erit fusius dicendum. Atq; ex his Christum esse in Eucharistia adorandum, & ab impiis sumi colligunt. *Sextò* dicunt, Christum cõtineri sub speciebus rerum sensibilium, quæ res maximas certè difficultates peperit, vt postea docebimus. Christi corpus in Eucharistia contineri, ambiri, latere volunt, nõ autem hic esse vt in vase, aut in loco, aut sub velo, sed vt ibi panis antè fuit: consecratio enim panis substantiam tollit, accidẽtia relinquit. Sed non vt pani species inhærebãt, ita nunc corpori Christi inhærent: quare pendent per se sine subiecto: & hoc miraculum est. Sed de his erit postea dicendum; de quib. non maior illis nobiscum, quàm inter se dissensio est. Has illorum rixas postea exponemus: nunc in compendio eorum sententiam habemus.

4.

5.

6.

Caput II.

In quo Bellarmini argumentum primum pro reali & substantiali Christi præsentia in Eucharistia, à figuris veteris Testamenti sumptum diluitur.

Præsentiam Christi corporalem in Eucharistia quatuor ar-

gumentorum generibus cõfirmat Bellarminus. *Primum* genus ſumitur ex Scripturis. *Secundum* ex teſtimoniis Patrum. *Tertium* ex conſenſu Eccleſiæ. *Quartum* ex rationibus. Ex Scripturis quatuor argumentorum genera proponit. *Primum* genus ſumitur ex figuris. *Secundum* ex promiſſionibus. *Tertium* ex inſtitutione Domini. *Quartum* ex vſu Sacramentorum. Nos quantum in his erret & fallatur Bellarminus demonſtremus.

1. *Primum* argumentum ex figuris veteris Teſtamenti ſumptum ſic ſe habet: Figuræ neceſſario debent inferiores eſſe rebus figuratis; ſed ſi in Euchariſtia ſit ſimplex panis, figuræ huius Sacramenti vel ſunt eo excellentiores, vel ſaltem ei æquales: ergo Euchariſtia non eſt ſimplex panis. *Reſpondeo*: nos hanc concluſionem concedere. Nam Euchariſtia non eſt ſimplex panis reuera; conſtat enim ex duabus naturis, vt Irenæus ait, terrenâ ſcilicet & cæleſti. Non eſt ergo Euchariſtia tantùm panis communis, ſed Sacramentũ, cum quo fide percepto Chriſtus ſimul ſpiritualiter percipitur. Sed hoc eſt quod nos dicimus, ea quæ in Euchariſtia oculis videmus, manibus tractamus, ore ſumimus, nõ niſi panem & vinum eſſe: Chriſtus enim nõ oculis, manibus, ore corporis, ſed mentis percipitur. Sed in hoc diutiùs non inſiſtamus: videamus ergo quomodo Bellarminus argumentum ſuum confirmat.

Coloſſ. 2. 17. *Hebr* 10.1. Primo maiorem probat ex Apoſtolo Paulo, qui Teſtamenti veteris figuras vmbris, implctionem corpori comparat; & alibi eaſdem figuras vmbrę; veritatem imagini comparat: eſt autem ſolidior figura & expreſſior quàm vmbra: & res clara eſt, quia figura ſeruit veritati, & per eam impletur. *Reſpondeo*, 1. Figuram quidem neceſſe eſt per omnia cedere veritati. Sed Scriptura in his locis comparat figuras veteris Teſtamenti non cum Sacramẽtis noſtris, quæ etiam figuræ ſunt, ſed cum Chriſto. Hoc ex Apoſtolo ipſo manifeſtum eſt: nam cum dixiſſet de figuris veteris Teſtamenti, eas fuiſſe vmbras rerum futurarum; addit ſtatim, *τὸ δὲ σῶμα, τοῦ Χριστοῦ, at corpus, eſt Chriſti*: illî populo vmbras, nobis ſe Chriſtus præbuit: non tectè nunc vt olim, ſed palam ipſe prodiit remotis illis vmbraculis: vmbras ergo illas cum Chriſto, non cum noſtris Sacramentis comparat 2. Si veteres vmbræ cum noſtris Sacramentis conferantur, veteres figuræ neque excellentiores neque æquales noſtris Sacramentis erunt: & fateor quidem vetera Sacramenta fuiſſe figuras non modò ipſius Chriſti, ſed & noſtrorum Sacramentorum: noſtra autem dico eſſe ſimpliciter potiora, etſi non ſit in Euchariſtia realis Chriſti præſentia. Sed ille probat, niſi ponam realem præſentiam, fuiſſe in vetere Teſtamento non modò æquales, ſed etiam meliores & expreſſiores figuras reb. figuratis, id eſt, noſtris Sacramentis: quod abſurdum eſt: oportet ergo ponere (inquit) realẽ præſentiam: tum enim noſtra Sacramenta infinitis gradibus veteris Teſtamenti figuras antecedũt. Primò

Coloſſ. 2. 17.

2.

mò igitur æquales figuras proponit, deinde præſtantiores.

Gen. 14 18. *Exod* 40 21. *Leuit.* 23. 17. 1. *Reg.* 19. 6. 7. Æquales proponit numero quatuor, nempe 1. panem, quem Melchiſedech protulit, 2. panem propoſitionis, 3. panem primitiarum, 4. panem quo Elias veſcebatur in deſerto: has quatuor figuras ait noſtro Sacramento Euchariſtiæ æquales fuiſſe, ſi in eo Chriſtus non ſit realiter præſens. *Reſpondeo* breuiter: Non ſequitur argumentum, quia illæ figuræ erant panis, & noſtrum Sacramentum eſt panis, nõ eſſe noſtrum Sacramentum illis illuſtrius: nam ex genere doctrinæ & Miniſterij dignitate de Sacramentorum dignitate diiudicandum eſt; illuſtrior autem eſt doctrina & illuſtrius miniſterium noui quàm veteris Teſtamenti.

Quare ea hæ figuræ erant veteris Teſtamẽti, nõ poſſunt exęquari noſtris, quę quia ſunt noui Teſtamenti, maiorem claritatem habere neceſſe eſt, propter Miniſterii diuerſitatem in nouo Teſtamento ab eo quod fuit in vetere. Sed mox pleniùs reſpondebitur. Præſtantiores verò figuras tres cõmemorat, nempe 1. Agnum Paſchalem, 2. ſanguinem Teſtamenti, 3. Manna; & *primò* de Agno Paſchali agit. Ait huius Agni cæremoniã non tam fuiſſe poſitam in immolatione, quàm in mãducatione; & ſic concludit ei reſpondere in nouo Teſtamento Agnum illum, qui tollit peccata mundi, quatenꝰ manducatur; quod non fit niſi in Euchariſtia. *Reſpondeo*: hanc rationem eſſe merã blaſphemiam, Chriſtum tollere peccata mundi, quatenus manducatur. Tũ enim ei non erat neceſſe immolari, quia manducabatur ab Apoſtolis, antequã immolatus eſt: & ſic manducari potuit ab aliis; nam vt Apoſtoli manducârunt Chriſtum, antequam mortuus eſt, ita & alii illũ manducare poſſunt ſine eius morte, ſi ſuſtulit peccata mundi, quatenus in Euchariſtia manducatur. Et tum Chriſtus impleuit eam figurã Agni Paſchalis quando Euchariſtiã inſtituit, potiùs quàm vbi in cruce ſanguinem effudit, ſi Agnus ille Paſchalis Chriſti nõ tam oblati quàm manducati figura fuerit, & ſi cæremonia Agni magis in manducatione quàm in mactatione fuerit poſita; quod vult Bellarminus. At Chriſtus nõ manducatione in cæna, ſed morte ſua in cruce peccata noſtra ſuſtulit, quia non niſi ſanguine ſuo ſuſtulit. Sic Apoſtolus Petrus ait nos redẽptos fuiſſe *τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ*, *pretioſo ſanguine vtpote Agni immaculati & incontaminati*: nempe, *Chriſti*: non ait *βρώσει ἀμνοῦ*, id eſt, *manducatione Agni*, ſed, *αἵματι ἀμνοῦ*, id eſt, *ſanguine Agni*: & idem ait, Chriſtum peccata noſtra ſecũ in cruce ſuſtuliſſe, *ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνέφερεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον*, *Qui peccata, noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*: non ergo antea ſuſtulit. Quare Chriſtus, non quia manducatur in Euchariſtia, ſed quia immolabatur in cruce, ſuſtulit peccata noſtra: aliâs enim non ſemel redemptionem noſtram procurâſſet, ſed quoties in cæna manducatur: ergo Agni Paſchalis cæremonia magis in ma-

1. Pet. 1. 19.

1. Pet. 2. 24.

ctatione quàm in manducatione consistebat, quia mactatio Agni sacrificiũ Christi in cruce adumbrabat, quo solo nos redempti sumus. Sed ait Bellarminus, Agnum Paschalem Iudæorum fuisse rem præstantiorem nostrà Eucharistiâ, si in ea non verè Christi corpus continetur; & melius significare carnem Christi, quàm noster panis significat. *Respondeo*: Panis noster tam post Christi mortem & passionem, & post Euangelii promulgationem, meliùs exprimit Christi sacrificiũ, quàm Agnus Paschalis in vetere Testamento, cùm nondum Christus in carne exhibitus est. Non ergo simpliciter res cum re comparanda est, sed considerandę res sunt ex diuersa ratione Testamentorum: quia autem nostrum Testamentum est infinitè clarius: ergo & Sacramenta nostra clariora esse necesse

2. est. *Secunda* præstantior figura est
Exod 24. 8. sanguis Testamenti, de quo legim' Exod. 24. & Hebr. 9. Hic sanguis,
Heb. 9 19. 20. inquit, melius repræsentabat Christi sanguinẽ, q̃ vinum. Sed & hîc Bellarminus aliã adhuc insignem blasphemiã contra sanguinẽ Christi euomit: ait enim hanc figuram fuisse in institutione huius Sacramenti impletam. At hoc falsum & blasphemum est: tum enim Christus consummauit Testamentum sanguine suo, quando instituit Eucharistiam. Sed Bellarminus hoc quatuor argumentis conatur probare,

1. *Primò*, quòd Christus de poculo in
Luc. 22. 20. Eucharistia disertè ait, *Hic calix nouum Testamentũ est in meo sanguine*. *Respondeo*: Dicitur poculum, id est, vinum in poculo novum Testamentum, quia est Sacramentum noui Testamenti, quod Christus in sanguine suo sanciuit, non quòd ipsum Testamentum sit. Nam vnũ Christi Testamentum est morte Christi sancitum semel: si autem in Cæna Testamentum instituit, tum quoties Cæna celebratur, Christus Testamentum instituit; quod est blasphemũ. *Secundò* probat, quia Christus iisdem ferè verbis vsus est, quibus Moses: quod videtur de industria fecisse: nam Matthæus Euangelista ait Christum dixisse, *Hic est sanguis meus noui Testamenti*: & sic ferè Moses. *Respondeo*: Christum intellexisse Testamentum, quod sanguine suo erat confirmandum, cuius Sacramentũ discipulis suis dedit. Nõ enim hoc dixit, quasi nunc voluit Testamentum ipsum condere, sed quia symbolum Testamenti voluit instituere. Voluit quidem Christus Apostolorum suorum oculos ad sacrificiũ suum conuertere, in quo solo consistit salus humana; non in externis illis symbolis defixos hærere. *Tertiò*, tunc Dñs, inquit, *Matth* 26. 28. *Exod* 24. 8. 2. 3. *Ioan.* 13. 34.

Cæna Christi sanguine aspersi sunt, tam & Christus ipse suo sanguine est aspersus: nam ipse bibit, quod illi biberunt. Sed hoc horrendum est, vt vel Christus ipse suo tum sanguine aspersus fuerit, vel discipuli eius. Imò nulla gutta sanguinis Christi in Cæna profusa est, sed in cruce, & tum non pectora discipulorum, sed suum pectus sanguine

4. aspersit. *Quartò*, Testamentum, inquit, fieri debet ab homine libero, ante mortem, coram testibus, & per aliquod publicum instrumentum, quod extet ad memoriam: hæc omnia, inquit, videmus adfuisse in vltima Cæna, non autem in passione. *Respondeo*: hæc esse impuri & blasphemi oris sacrilegia: hi homines verè dici possũt inimici crucis Christi, quia cruci omnia detrahunt, vt dent Cænæ. Sed, 1. Christus in cruce liberrimus fuit; quia sponte se obtulit: potuit enim, si voluisset, vim omnem Aduersariorum suorũ effugere; sed noluit, 2. Factum est Testamentum in cruce per publicum instrumentum, quòd perinde extat, atque instrumentum de Cæna: Christi mors publica fuit, quia in oculis omnium mortuus est, & mors eius ad omnes pertinet, 3. Etsi Testamentum conditur ante mortem, tamen à morte robur accipit: & Christus hoc Testamentum ab initio mũdi promulgauit, sed morte sua consummauit, 4. Plures erant testes mortis Christi, quàm Cænæ: nam tota Iudæa, imò totus prope mundus eius testis fuit. Nil amplius in Testamento requiri potest. Sed hæ blasphemiæ refutantur a-

pertis Scripturis, quæ hoc Testamentum in cruce peractũ esse docent. Paulus ait, Christum reconciliàsse nos Deo διὰ τοῦ σταυροῦ, *per crucem*: non igitur in Cæna: & idem alibi ait, Deum pace factà διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, *per sanguinem crucis eius*, id est, Christi, *reconciliare omnia sibi*: & adhuc alibi, nos esse redemptos per Christum ait; sed quomodo? quia eum proposuit Deus, vt esset ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, *placamentum per fidem in sanguine ipsius*. Ita novum Testamentum Paulus ad Christi sanguinem, id est mortem in cruce astringit: si verò in Cæna hoc Testamentum Christus consummauit, & figuram sanguinis Testamenti, cuius apud Mosen mentio fit, impleuit, non opus fuit illî ire ad mortem. Quare absurdum est, Christum in Cæna nos redemisse, quia tũ morte eius opus non fuit. Sed iam ad argumentũ ex hac secunda præstantiori figura sumptum redeamus, q̃ in hunc modum se habet: Sanguis melius repræsentat sanguinẽ Christi, quàm vinum: ergo melior fuit figura reipsa figuratâ, si ibi verus sanguis fuit, in nostra autem Eucharistia sit tantùm vinum. *Respondeo*: Non propter similitudinem illustrior fit repræsentatio, sed propter institutionem Dominicam: figúræ enim ex voluntate eius qui instituit æstimandæ sunt. Quare sanguis per se non repræsentaret omnino sanguinem Christi nisi ex circumstantia diuinæ institutionis. Licet ille Mosis sanguis ex institutione Dei repræsentet Christi sanguinem, tamen

Ephes. 2. 16. *Coloss.* 1. 20. *Rom.* 3. 24. 25. *Exod.* 24. 8.

men quia à DEO institutus fuit, vt figuraret Christi sanguinem effundendum, non tam clarè repræsentat, quàm nostrum vinum, quod Christi sanguinem iam effusum repræsentat. Sunt etiam figuræ illustriores propter lucem doctrinæ, & sic vinum nostrum illustriorem habet significationem propter declarationem Christi, & Apostolorum, aliorumque Ministrorum Christi.

3. *Tertia* præstantior figura est Manna: & probat Manna fuisse figurã nostræ Eucharistiæ; quod nos non negamus: sed tamen in primis corporis Christi, secundariè Eucharistiæ figuram fuisse dicimus. Iam verò ꝙ Manna res fuerit multò præstantior, quàm Eucharistia, si non in Eucharistia verum corpus Domini cõtineatur, ex eo probat, quòd Manna fiebat manibus Angelorum; panis autem Eucharistiæ manu pistorum: Manna pluebat è cælo; panis iste ꝓdit è furno. *Respondeo*: Manna quidem multas prærogatiuas habuit, quas noster panis in Eucharistia nõ habet; nam panis miraculosus fuit. Sed tamen obscurius Christum adumbrauit, quàm noster panis, non ex defectu aliquo in se, sed ꝓpter maiorem tunc doctrinæ obscuritatem, quàm quæ nunc est: nam Sacramenta sunt ex doctrina iudicanda. Manna erat panis è cælo, & panem è cælo signabat ac figurabat: sed verus ille panis minùs notus tunc fuit, quàm nunc est: ex quo sequitur nostrum panẽ esse euidentius Sacramentum Christi, quàm Manna fuit. Christus non tunc erat exhibitus: ergo opus habebãt signis euidentioribus: nunc Christo exhibito signa nostra licet non tam miraculosa sint, tamẽ expressius Christum significant, propter vim quam ex Christi ἐπιφανείᾳ, id est, *apparitione* seu manifestatione in carne habent.

Sed iam nos de primario argumento paulò distinctiùs respondebimus. Argumentum sic se habuit: Oportet Eucharistiam esse omnib. figuris veteris Testamenti præstantiorem, quia ijs figurabatur: at non erit ꝑstantior, nisi in ea caro Christi contineatur: ergo in ea Christi carnem contineri necesse est. *Respondeo* 1. 1. Figuræ veteris Testamenti institutæ sunt ꝓpriè, vt repsẽtent non Sacramẽta noui Testamẽti, sed rem noui Testamẽti i. Christũ: Christus a vmbris omnib. longè est præstantior. Christum igitur primariè, & sic per consequens nostra Sacramẽta adumbrârunt, quæ ad Christum repræsentandũ instituta sunt. Cõparantur tamen, fateor, ab Apostolo Paulo vetera & nostra Sacramẽta inter se, vt mare rubrum & nubes cum nostro Baptismo, & petra cum nostra Eucharistia; non tamquòd illa fuerint figurę nostrorum Sacramentorum, quam vt similitudo monstretur. Possunt quidem esse similia, & tamen illa non erunt figuræ nostrorum, nõ magis quàm nostra illorum: nõ potest ergo hinc probare, nostra debere esse tantò excellentiora, 2. *Respondeo:* Quod ille nostrorum Sacramentorum excellentiam in eo constituit, quòd Christus in nostris realiter & substantialiter insit, in veterib. nequaquam, 1. Cor 10. 2. 3. 4. 2.

quàm, falsum est: nam quod ad rẽ attinet, eadem sunt Sacramenta vtriusque Testamenti: eadem enim res fuit Sacramentorũ veteris Testamenti, quæ est nostrorum. Id Apostolus docet, cùm ait Israelitas olim eandem escam spiritualem comedisse, & eundem potum spiritualem bibisse nobiscum: nullus est autem cibus aut potus spiritualis præter Christum. Bellarminus in hac responsione duo peccata obseruat. *Primum* est, Paulum dicere, Israëlitas olim eundem cibũ & potum spiritualem nobiscum sumpsisse. Ait illam particulam (*nobiscum*) nusquam apud Apostolum haberi, sed Apostolum id velle, eos cibum & potum spiritualẽ eundem inter se sumpsisse, non eundem nobiscum. *Respondeo*: Apostolum quidem neutrum disertè dicere, sed tantùm eandem escam & eundem potum sumpsisse, sed tamen disertè hanc escam & hunc potum spiritualem vocat: nihil verò tale est præter Christum, & diserte eos Christum sumpsisse ait;

1. Cor. 10. 4. *Bibebant*, inquit, *ex sequente spirituali petra: petra verò erat Christus.* Hic ille potus & cibus spiritualis fuit, cuius illi participes erant: si illi Christum in suis Sacramentis perceperunt, tum eundem quem nos in nostro Sacramento percipimus, nisi duo Christi fuerunt. Idque ex scopo Apostoli patet, qui deterrere voluit Corinthios exemplo Israelitarum, ne sic abuterentur Sacramentis, vt illi fecerunt, similiter pereant, vt illi: nullum ergo esset Apostoli argumentum, nisi eadem res fuisset Sacramentorum illorum & nostrorum. Si enim nostra res sint perfectiora, sperare poterant Corinthii impunitatem. Quare Apostoli argumentum est huiusmodi, Abusi sunt illi Sacramentis ijsdem cum nostris quoad rem: ergo nos puniemur similiter, si similiter peccemus. *Secundò* ait Bellarminus, in eo peccare superiorem nostram responsionem, ꝙ dicamus rem Sacramentorum illorum fuisse Christum: Paulum enim id nunquam dicere, sed cùm petram vocat Christum, hoc de inuisibili petra intelligere. *Respondeo*, 1. Paulus ait illos bibisse ex petra, & per petram intelligit Christum: ergo Christum illi comederunt & biberunt. Idem est bibere ex aqua, & bibere aquam: bibere ex petra, est aquam ex petra fluentem bibere, quæ Sacramentum Christi fuit. 2. Si illi non biberunt Christum, vt Bellarminus ait, omnes ergo perierunt: verum enim semper fuit, in æternum perire omnes, nisi quos Christus carne sua & sanguine pascit, eorumque participes facit. At inter illos multi erant sancti & fideles, Moses, Aaron, Iosue, Phinees: hi ergo in illis Sacramẽtis Christo per fidem potiti sunt. Quod verò de inuisibili petra ait Bellarminus, falsum est: non posse enim hoc de inuisibili petra intelligi constat, quia ait Paulus, *omnes τὸ αὐτὸ πνευματικὸν πόμα*, id est, *eundem spiritualem potum bibisse*: at non omnes illam inuisibilem

petram participârunt: tum enim omnes seruati fuerunt. Ergo omnes Sacramentum sumpserunt illius inuisibilis petræ, quod cum fide sumptum erat cib⁹ & potus spiritualis, 3. Augustinus diserte nobiscum sentit: ait enim *eundem fuisse cibum illorum & nostrum in mysterio.* & alibi ait, *Quid est (eundem) nisi quē nos?* ita diserte fatetur, se nescire, quomodo eundē cibum illos sumpsisse diceret Apostolus, nisi intelligeret eundem nobiscum sumpsisse.

August. in Psalm. 77. Idem in lib. de util. pan. c. 1. Idem in tract. 26. in Ioan.

Sed omniùm apertissimè in tractatu quodam in Ioannem, vbi ait, multos ex Israelitis intellexisse, qd manducârint, & nō esse mortuos; & Sacramenta illorum ac nostra esse in signis diuersa, sed in re quæ significatur paria: idq; probat authoritate Apostoli in hunc locum,

1. Cor. 10. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt: spiritualem vtiq; eandem,* inquit Augustinus, *nam corporalem alteram, quia illi Manna, nos aliud:* & paulò post, *Omnes eundem potum spiritualem biberunt; aliud illi, aliud nos,* inquit, *sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali.*

Augustinus igitur refellit Bellarminum, qui negat illos habuisse eadem Sacramentare, & comedisse ac bibisse Christum: at nisi hoc fecissent, perijssent omnes, si credimus Augustino. 3. De primario argumento *Respondeo*, Si nostra Sacramenta veteribus præstantiora non erunt, nisi in ijs Christus realiter præsens constituatur, tū Christus nō modò in Eucharistia, sed in Baptismo, & in 5. etiā reliquis illorū commentitiis Sacramētis realiter inesse debet: quod cùm ipsi non opinentur, ineptū est ex reali præsentia estimare dignitatem nostrorum Sacramentorum. Non enim Eucharistia modò habuit figuram in vetere Testamento, sed Baptismus etiam: figura Eucharistiæ fuit Manna, sic Baptismi nostri aqua maris rubri, & nubes: quare si Māna præstabit Eucharistiæ, nisi Christus realiter in Eucharistia præsens sit, sic aqua maris rubri & nubes præstabunt Baptismo, nisi in eo Christus realiter contineatur. Sed quemadmodum Baptismus noster multis gradibus præstat mari rubro & nubi, quantumuis illa miraculosa fuerint, sic Eucharistia Mannæ, etsi de cælo descenderit: quantumuis in neutro Christus realiter præsens sit. Et hinc huius argumenti absurditas patet, quia concludere debet de omnibus Sacramentis, quod non nisi de vno verum esse volunt, & cum instituatur de Eucharistia in specie, tamen de omnibus Sacramentis in genere tenere debet. 4. *Respondeo*: nostra Sacramenta prestantiora esse veteribus multis modis, *primò*, quòd sint diuturniora, & immutabilia, & quod ad numerosiorem populum pertineant. Sed Bellarminus ait, hoc non esse in natura signorum, sed eis peraccidens euenire. Potuit Deus etiam vetera Sacramētahis prærogatiuis donare: hæc (inquit) nulla dignitas signorum

1. Cor. 12.

3.

4

gnotū est, vt signa sunt. Sed *respondeo*: quomodocunque nostra Sacramenta hanc dignitatem habeant, constat digniora esse illis hoc modo. Non exiguum hoc priuilegium est, quod nostra Sacramenta duratura sint ad finem mundi, nec mutanda vnquam sint, & quòd nō vni populo, vt vetera Sacramenta, sed omnib. præscripta fuerint. Circumcisio & Agnus Paschalis hoc priuilegio caruerunt, quia ad paucos pertinuerunt, & nostris cessetunt: Sed *secundò*, nostra etiam Sacramenta significatione excellunt: nam rem factam ostendunt, & non futuram. Sed Bellarminus ait, cum Dominus Eucharistiam instituit, mortem eius futuram fuisse, non præteritam. *Respondeo*: Hoc non magis nos refellit, quàm Augustinum, qui sæpissime ait nostra Sacramenta repræsentare rem factā. Erat q̄dem mors Christi futura, cū Eucharistia est ab eo instituta, sed postridie; & qui Cænæ participes fuerunt, spectatores futuri erant mortis eius, quia Christus ante illorum oculos moriturus erat: voluit ergo illis repræsentare in pane & vino fractionem corporis, & effusionem sanguinis sui, quæ statim secutura erant. Ergo Lucas ait de

Luc. 22. 19. 20. corpore Christi in Eucharistia, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, *quod pro vobis datur*, & de sanguine, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *quipro vobis effunditur*,

1. Cor. 11. 24. & Paulus de corpore. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *quod pro vobis frangitur*, q̄a tempus iam aduenerat, cùm hoc fieri deberet. Agnus autem Paschalis institutus est, vt rem multis post seculis futurā significaret: at Christus Eucharistiam nō instituit, nisi eâdē quasi horâ, quâ iret ad mortem. Sed nostra Sacramenta *tertiò* etiam clariora sunt veteribus, non quidem externâ repræsentatione (non enim opus fuit) sed verborū claritate, quæ ibi proferūtur, quia redemptionem iam perfectam annunciant, & fidem maiorem excitant, & vberiorem fructum proferunt. Bellarminus nunc quò se vertat nescit, sed vt solet, futiles quasdam voces profert; quę nostrā hanc responsionem non attingūt. Fatetur propter verba cōsecrationis nostra esse clariora, sed ait nos hoc genus verborum explodere tanquam incantationem & magiam. *Respondeo*: Nos consecrationem omnem non negamus: est enim quædam consecratio, id est, separatio creaturarum ad hunc vsum, vt sint Sacramenta: & fit illa quidē verbis, at non illis modò, quæ ipsi volunt, sed toto Domini mandato de celebrandâ Eucharistiâ. Sed nos, cùm nostra Sacramenta propter verba præstare dicimus, per verba intelligimus prædicationem & doctrinam, quæ in nouo Testamento clarior & pfectior est, quā fuit in vetere. Hæc facit vt nostra Sacramenta sint clariora, etsi signa ipsa non tam expressa sint, quàm vetera. Sed Bellarminus ait, etsi verba promissionis clariora sunt in nouo Testamento, tamen nō ideo sequi, Sacramenta etiam esse clariora, quia diploma clarius potest

obſignati ſigillo obſcuriore, & è contra diploma obſcurius ſigillo clariore. *Reſpondeo:* Sacramenta diiudicãda eſſe ex verbis promiſſionis, cuius ſigilla ſunt: quando igitur ea clariora ſunt, tum & Sacramenta ſunt clariora. Si ſigillum fuerit clariſſimum, ſed diplomati obſcuro appoſitum, minùs certè valebit, quia ſigillum non poteſt diploma clarius reddere: ſed ſi diploma fuerit diſertum, tum quoduis ferè ſigillum, modò eius eſſe conſtiterit, qui diploma condidit & conceſſit, ſufficiet: noſtra igitur infinitis gradibus clariora ſunt, nõ naturâ ſuâ, ſed propter promiſſiones, quibus inſeruiunt. In veteri Teſtamento diploma erat obſcurum, ſed ſigna habebat manifeſtiora, vt Agnum Paſchalem, ſanguinẽ Teſtamenti, & Manna: noſtrum diploma eſt manifeſtius, & quanquam ſigilla ſint obſcuriora per ſe, tamen doctrinæ & promiſſionum gratiâ ſunt apertiora. Non igitur realis præſentia facit, vt noſtra Sacramenta ſint clariora, quia tum nullum Sacramentum clarius erit, niſi Euchariſtia tantùm: at Baptiſmus quoque noſter clarior eſt circumciſione Iudæorum: & debet hoc eſſe verum quoque de quinq; illorum Sacramentis ſ ppoſititiis: ineptiſſimum ergo eſt argumentum pro dignitate Sacramentorũ noui Teſtamenti, quod ex ſeptem Sacramentis in vno tantùm valet. Sed Bellarminus ait, Scripturas & Patres do ere, noſtra Sacramenta præſtare antiquis, non quia meliùs ſignificant, ſed quia illa erant figuræ, & noſtra ſunt res figurata: aitq; Chriſtum facere hanc comparationem inter Manna, & Euchariſtiam, cum ait Manna non fuiſſe panem verè de cœlo, ſi cum pane Euchariſtiæ conferatur. Sed hoc falſiſſimum eſt, quia Chriſtus in eo capite ne verbum quidem vnum habet de Euchariſtia, vt nos poſtea docebimus, ſed tantùm de ſpirituali manducatione carnis Chriſti, quæ fit per fidem. Comparat ibi Chriſtus Manna cum ſua carne, non cum Sacramento, vt cum ait. *Ego ſum panis ille vitæ; qui venit ad me, nunquam eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vnquam.* Ioan. 6. 35. Hæc de Euchariſtia non poſſunt intelligi: non enim pellit illa famem & ſitim: & poſtea: *Ego ſum panis, qui de cælo deſcendi:* ſed Euchariſtia non deſcendit de cælo: & adhuc poſtea, *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis*: at non neceſſe eſt omnib. Euchariſtiam ſumere; tum enim omnes veteres ante Chriſtum perierunt, & omnes etiam infantes & non adulti nunc pereunt. Sed de hoc capite poſtea erit pleniùs dicendum. Noſtra igitur Sacramenta clariora ſunt ꝓpter ſignificationem; non quia ſunt res figuratæ per vetera: nam non dixerit Baptiſmum eſſe rem figuratam: figurat enim ſanguinẽ Chriſti, quo ſordes animæ abluuntur: ſed neque eſt ſanguis Chriſti, neque in eo eſt ſanguis Chriſti. Poſtea Bellarminus Patres quoſdam

Cyprian. in ſerm. de Cœna Domini.

dam affert, & primò Cyprianum, qui ait, *conſumpto Agno inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis.* *Reſpondeo*: appoſitè Euchariſtiam vocari cibum inconſumptibilem, quia Chriſtum in Euchariſtia percipimus; & tamen Chriſtus non realiter in ea continetur, ſed per fidem ſpiritualiter in Euchariſtia Chriſtum percipimus, quem ibidem Cyprianus vocat *alimoniam immortalitatis*, & ait, *nulla panem hũc multitudo conſumit.* Sed obiiciet aliquis, ſic in Agno Paſchali Chriſtus ſpiritualiter cõmedebatur. Fateor, ſed vt Petrus Martyr ait, obſcurè admodum, *quia res adhuc complenda erat, & tantùm promiſſo tenebatur.* Si illorum perceptio cum noſtra cõferatur, nulla quodammodo fuit; nam illi non rẽ Chriſtum acceperant, ſed tantùm fide expectabant, nos & fide & re habemus, quia Chriſtus nunc natus & datus nobis eſt. Quare quod Bellarminus de donationis ſyngrapha vnâ ſigillo rudiori, & aliâ pulchriori obſignatâ garrit, quaſi Petrus Martyr diceret, poſteriorem tantùm valere, ineptum eſt. Agnus cõſumptus eſt, noſter cibus in Euchariſtia inconſumptibilis eſt: hic Cyprianus Agnum comparat cum Chriſto, quem per fidem ſumimus in Euchariſtia, ſed non conſumimus; nõ cum Sacramento, quia Sacramentum eſt res conſumptibilis, vt Agnus fuit, quemadmodum Patres apertiſſimè docent, & nominatim Origenes, qui ait cibum hunc iuxta materiale ſuum in ventrem abire, & in ſeceſſum eijci: ergo conſumitur: ſed Chriſtus non conſumitur. Et ſic Patres quando efferunt noſtra Sacramenta, & quaſi extenuant atque exinaniunt vetera, id faciunt, vt mẽtes noſtras ad Chriſtum eleuent, & doceant, quid nobis in illis Sacramentis conſiderãdum ſit, nempe non cibus, qui citò corrumpitur, ſed æternus. Veteres illis Sacramentis vſi ſunt, ſed plærique illorum rectum vſum non intelligebant, quia carnaliter tantum ſapuerunt; atq; hinc eſt, quòd Patres tribuunt illis tantùm ſymbola, nobis autem rem ipſam: nos autem oportet nõ inhiare iſtis terrenis rebus, ſed ad Chriſtũ animos erectos habere. Sed Bellarminus ait, Chriſtianos etiam multos non intelligere, quid ſymbola ſignificent. *Reſpondeo*: Nemo tamen neſcit noſtra Sacramenta non eſſe inſtituta ad alenda corpora (non enim huic vſui ſufficiunt) ac proinde nemo ad illa vt ad cibum communem accedit: ſed Manna erat illis communis cibus, & eo vt communi cibo alebantur: pauci ſpiritualẽ vſum intellexerunt, plærique non niſi res ipſas externas ſpectabant. Multi inter veteres neſciebant, Manna eſſe ſpiritualem cibum, aut aquam è petra fluentem eſſe ſpiritualem potum, ſed tantum communem quendam cibum & potũ eſſe iudicabant. Sic Auguſtinus, *Antiqui celebrabant figuras futuræ rei, multi ſcientes, ſed plures ignorãtes: Prophetæ & ſancti Patriarchæ nouerunt, quod celebrabant: cætera multitudo carnalis*

Pet. Mart. in defenſ. de Euchariſt. part. 3.

Origen. in Matth. 15.

Auguſtin. in Pſal. 39.

nalis erat. Etsi verò ad nostra Sacramenta multi non eos animos afferunt, quos oportet, tamen ipsa Sacramenta declarant, se non esse instituta, vt ventrem pascerent.

CAPVT III.

In quo secundum Bellarmini argumentum ex sexto capite Ioannis ductum diluitur.

ACCEDIT nunc Bellarminus ad *secundum* suum ex Scripturis argumentum, quod sumitur à promissione Domini, quæ habetur apud Ioannem capite sexto: atque hic tria facit. *Primò* disputat, an in illo capite loquatur Dominus de Eucharistia; & concludit loqui. *Secundò* hinc deducit argumentum pro veritate corporis Domini, in Eucharistia scilicet. *Tertiò*, soluit argumenta Aduersariorum, qui putant non agi de Eucharistia in illo capite. Quod ad primum attinet, quatuor argumẽtis probat, Christum in hoc capite de Eucharistia loqui. *Primò*, ex ipso loco Scripturæ. *Secundò*, ex testimonio Ecclesiæ. *Tertiò*, ex Patribus. *Quartò*, ex absurdis, quæ sequerentur, si quæ in hoc capite dicũtur, de Eucharistia non intelligantur. Ita magnum molitur ex hoc sexto capite Ioannis argumentum: ex quo tamen nihil afferri pro reali præsentia potest: neq; enim nunc Dominus de Sacramento, aut Sacramẽtali mãducatione, sed de manducatione spirituali, quæ fit per fidem, loquitur: ergo frustra omnis hic labor impenditur. Sed quia Bellarminus ait, sine dubio verissimum esse, in hoc capite agi de Eucharistia, & de Sacramentali manducatione, nos paucis eius argumenta examinemus, & primò locum ipsum excutiamus. Multa Bellarminus ex loco argumenta colligit. *Primum* est huiusmodi: Dominus loquitur de futuro, cùm ait, *Panis, quem ego dabo,* 1. Ioan. 6. 51. *caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita:* vbi secundum *dabo*, inquit, nõ potest exponi, nisi pro re verè & propriè futura: ergo nec primum. Hic panis (inquit) non significat Christum, vt fide percipitur extra Sacramentum: nam sic Patres veteris Testamenti Christum comederunt: ergo Christus carnem suã promisit, inquit, non absolutè, sed in Sacramento sumendam: quòd promissum impleuit in vltima Cœna. *Respondeo:* Christus ait δώσω, *dabo*, quia nondum carnem suã morti tradiderat, sed postea traditurus erat: Patres autem fide perceperunt Christum, sed vt victimam & sacrificium: ita illorum fides in Christi morte fundata est. Non dabat se in Eucharistia pro mundi vita, sed in cruce: illud ergo, non aliud tempus futurum significat Christus: non potuit dicere, quem do, quia nondum dabat, sed daturus erat. Et quanquam vi sua mors Christi erat omnium sæculorum (erat n. Agnus occisus ab origine mundi, & omnes pii ab origine mundi illum comederunt) tamen non nisi semel mortu⁹ est. Sed obiicit Bellarminus, Christum de Patre loqui in præsenti tempore, *Pater meus*, inquit, *dat vobis panem illum verè cælestem*; de se autem in futuro, *Panis, quem ego dabo: Respondeo:* Hoc est torquere Scripturas. Pater dat, & filius dat, sed Christus de se loquitur in futuro, quia voluit discipulorum animos ad ipsius mortem conuertere & intendere. Si verò quis malit de Christo interpretari sine tali relatione, sic intelligi hoc potest, quemadmodum quod Christ⁹ alibi de se ait, τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. *aqua illa, quam ego ei dabo, fiet in eo fons aqua salientis in vitam aternam.* Antea dederat hanc aquam, & tum dabat, & tamen ait, ego *dabo:* ergo illud *dabo*, non semper futurum, sed perpetuum quendam actum significat: ita hic *panis, quem ego dabo*, id est, quem ego dedi, do, & in perpetuum dabo: si enim petam⁹, Christus dabit nobis perpetuò panem illum cælestem, qui nos viuificabit. 2. *Secundum* argumentum, quod Bellarminus colligit ex ipso loco, sumitur ex collatione horum verborum cum verbis Cænæ: nam hic dicitur, *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*; ibi autem, *Accipite & manducate, Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem peccatorũ*: tanta est similitudo (inquit) vt planè clamare videatur diuina Scriptura, ibi reddi, quod hic fuit promissum. *Respondeo*: Christus in Cœna vocat panem corpus suum, & sic vinum sanguinem, non quòd re vera ita fuerunt, sed quia fuerunt Sacramenta corporis & sanguinis sui: quare quod de corpore ait, *quod pro vobis datur*, non ad præsentem Cœnæ actionem referri debet, quia non tum dabatur: sedebat enim inter Apostolos: illud ergo, *datur*, referendum est ad eius mortẽ: sed non tum moriebatur. Non enim Christus in Cœna dabat se pro mundi vita; quia semel tantùm se sic dabat: & si in Cœna hoc fecit, tum non opus fuit postridie mori. Sed ait Christus, *datur*, quia mox instabat mors eius: nam statim à Cœna apprehensus fuit. Quia tum mors Christi instabat, loquitur de ea Christus, vt de re præsenti. *Tertium* 3. argumentum, quod ex ipso loco colligit Bellarminus, sumitur ex verbis sequentibus, *Pugnabant ergo Iudæi, alii aduersus alios, dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* & ex illis verbis quorundam discipulorum paulò post, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* ergo Christus hic novum aliquod & mirandum proposuit: & solebat Christus, cùm obscurè aliquid proponeret, postea explicare: quod hic non facit: ergo verè intellexit suam carnem esse illis dandam. *Respondeo*: Non est magnopere laborandum, quid aut crassi Capernaitæ, aut stulti Iudæi, aut discipuli illi, qui offendebantur, senserint, sed quid Christus docuit. Nam Capernaitæ erãt carna-

Vers. 32. Ioan. 6. 51. Ioan. 4. 14. Ioan. 6. 5. Ioan. 6. § 2. Vers. 60.

carnales, & Christi verba carnaliter intellexerunt, quemadmodum hodie Papistæ, & qui offendebantur concione Christi, eos constat malè verba Christi intellexisse, qa sunt offensi: nam si rectè intellexissent, noluissent offensionem aliquam ex Christi doctrina capere. Sed illi reuera non intelligebant Christi mentem: putabant eum loqui de carne carnali modo, & ideo ἐμάχοντο, id est, *pugnabant*, quia nullo modo id posse fieri videbãt; nec Christus reuera tale aliquid sensit, sed aliud quoddam genus manducandi, per fidem. Quod verò ait, Christum non se explicare, falsum est, nam postea se satis exponit, cùm se corpore ascensurum esse ait: non ergo ab illis deorandum esse; & cùm ait, carnẽ eo modo sumptam, quo illi & Papistæ volunt, nihil prodesse: nam sic impii possent eius carnem manducare; sed verba sua esse spiritualiter intelligenda. Remouet ergo omnem offensionem & obscuritatem tum Capernaiticam, tum Papisticam. *Verſ. 62 63.*

4. *Quartum* ex ipso loco argumẽtum sumitur ex illis verbis, *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam aternam*: &, *caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: Ista tam frequens distinctio, inquit, carnis & sanguinis, & cibi, ac potus apertè indicat Christum loqui de communicatione sui sub speciebus panis & vini: spiritualis enim perceptio Christi per fidem non eget ista distinctione, cum vno modo fiat: at Christus exprimit diuersum modum sumendi carnẽ ipsius & sanguinem. *Verſ. 53. & 54. 55.*

Respondeo: Si hoc verum sit, tunc illi nefarii & sacrilegi sunt, qui populo sanguinem, id est, poculum ademerunt, cùm Christus voluerit diuersum modum significare sumendi corpus & sanguinem suum. Sed alia ratio est horum verborum: Christus enim accommodat doctrinam suam ad rerum naturam, & ad vsũ ac captum nostrum, vt meliùs intelligatur: voluit nos hinc intelligere, omnem nostram vitam in ipso esse positam, ipsum esse & cibũ & potum nostrum. Nos indigemus & cibo & potu: Christus nobis vtrumque est: eius caro cibus, sanguis potus est. Noluit nos intelligere, vtrumq; esse sumendum seorsum: nam nunc eius caro à sanguine, & sanguis à carne separari non potest: ideo Papistæ, qui realem perceptionem finxerũt, suam Concomitantiam excogitarunt. Quare Christus nõ semper ista distinctione vtitur: nam alicubi facit mentionẽ manducationis tantùm, vt cum ait, *Sicut misit me viuens ille Pater, & ego viuo per Patrem: ita etiam qui manducauerit me, viuet ipse quoque per me*: & paulò post, *Qui manducauerit hunc panem, viuet in aternum*: sed interdum ad maiorem ἔμφασιν sanguinis etiam meminit. Modum verò manducãdi esse spiritualem patet ex his verbis. *Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam* *Verſ. 57. 58.* *Verſ. 35.*

quaquam esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam: *primò* ait se esse animorum pabulum: *tum* ostendit quomodo sit pabulum, & quomodo manducetur ac bibatur, *Qui venit ad me*, inquit, *nequaquam esuriet*: sed quid hoc est, venire ad Christum? num Christum deuorare? nequaquam, sed credere in Christum: ait enim postea, *Qui credit in me, non sitiet vnquam*: ergo spiritualis hæc manducatio est: nam credere est comedere, vt sæpissimè apud Augustinum habetur. Christi enim sanguis non extinguit sitim carnalem, nec ideo bibitur, vt sitim carnalem extinguat; nec Christi caro est cibus corpori idoneus, nec ad corporis famem sedandam sumitur: ergo spiritualiter edenda hæc caro, & spiritualiter bibendus hic sanguis est.

5. *Quintum* Bellarmini ex ipso loco argumentũ sumitur ex illis verbis, *Non vt Patres vestri comederunt Manna, & mortui sunt*: vbi Christus comparat Manna cũ corpore suo, non vt sola fide sumitur, inquit, sed vt sumitur in Sacramento, quia sic transitus maris rubri apud Apostolum comparatur cũ Baptismo, & Manna cum Eucharistia: & corpus Domini, vt solâ fide sumitur, non defuit veteribus. *Verſ. 58.* *1. Cor. 10. 1. 2. 3.*

Respondeo: Hic locus arguit Christum non loqui de Eucharistia: nam vt multi Manna comederunt, & moriebãtur: sic multi Eucharistiam sumũt, & moriuntur; sed qui hunc panẽ comedunt, de quo hic Christus, non moriuntur. Opponit ergo Christus corpus suum spiritualiter manducatum Mannæ, quòd qui manducant ipsum, nõ moriuntur; at multi comederunt Manna, qui mortui sunt: ita multi sumunt Eucharistiam, qui tamen moriuntur in æternum. Nec sequitur, Apostolus comparat Manna cum Eucharistia in Epistola ad Corinthios: ergo nunc Christus similiter comparat Manna cũ Eucharistia: quia diuersum institutum fuit Apostoli & Christi. Verum quidem est, Christum non defuisse Patrib. vt fide sumitur; sed pauci erant, qui in Manna Christum intuebantur, vt nos ex Augustino antea docuim⁹. 6.

Sextum Bellarmini ex ipso loco argumentum sumitur ex miraculo panum, quod in initio huius capitis habetur. Illa multiplicatio panum, inquit, fuit insignis figura huius Sacramenti: ideo Christus hanc disputationem illi miraculo adiunxit. *Ioan. 6. 3.*

Respondeo: Absurdum plane est hoc argumentum. Nam miraculum illud factum est in solitudine, & Christus postea mare Tiberiadis traiecit, & venit Capernaum, vbi hũc sermonem habuit, ex occasione eorum, qui ipsum q̃rebant propter panes: concionatur ergo de pane cęlesti, qui ipse est verâ fide comprehensus, vt illorũ mentes à carnali cibo ad spiritualem auocaret. Stultum igitur hoc argumentum est: Christus hunc sermonem subiunxit miraculo panum: ergo loquutus est de Eucharistia, quia hi panes erant figura Eucharistiæ. At primò non erant hi pa-

hi panes figura Eucharistiæ: deinde si essent argumentum non sequitur.

Septimum ex ipso loco argumẽtum sumitur ex verbis manducandi carnem, & bibendi sanguinem, tam sæpe repetitis, & cum iuramẽto, *Amen, Amen*, confirmatis: ergo Christus propriã manducationem intellexit: nõ enim licet iuramento confirmare, inquit, nisi sententias apertissimas, & certissimas, quæ non possunt in alium sensum torqueri; ne detur occasio periuriis. At caro propriè significat carnem, & manducare significat corporalem actionem, qua cibus trajicitur ab ore ad stomachum. *Respondeo:* Si tam rigidè verba sumat, tum Christi caro mandenda dentibus; & sic præmansa in stomachũ traiicienda, & postea in aliam naturam conuertenda est: id enim est manducare: & propriè quod manducatur, dentibus teritur & commolitur, & quod teritur, corrumpitur, & quod corrumpitur in aliam naturam conuertitur. Hæccine omnia propriè de Christi carne dicenda sunt, quia Christus ait *Amen, Amen*? at hoc prodigiosum & monstrosum est. Sed refellamus illum, & doceamus nõ semper proprium esse sermonem, vbi huiusmodi iuramentũ adhibetur. Christus hoc ipso in capite ait, *Amen amen dico vobis, Moses non dedit vobis panem illum cœlestem; sed Pater meus dat vobis panem illum verè cœlestem*: at Christus non est verus panis, & tamẽ hic habemus *Amen* repetitum. *Ioan.* 6. 32

Similiter *alibi Christus ait, Amen, amen, dico vobis, qui non ingreditur per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro*: & tamen loquitur ibi Christus de ovili & ostio metaphorico: & paulò post, *Amen, amen, dico vobis, ego sum ostium ovium*: loquitur nõ de proprio, sed de metaphorico ostio, & tamen bis repetit *Amen*. Quis ergo non videt Bellarmini Sophismata, quàm ridicula sint? Hoc igitur iuramentum *Amen, amen*, confirmat rei veritatem, non arguit semper sermonis proprietatem; certam eius, quod dicitur, veritatem comprobat, non semper sermonem esse proprium indicat. *Ioan.* 10. 1. & 7.

8. *Octauum* argumentum ex ipso loco ductum, sumitur à collatione huius capitis cum tertio capite eiusdem Euangelii. Ibi Christus, inquit, Baptismum insinuauit; & hic Eucharistiam insinuat: ibi Nicodemus mirabatur, quomodo fieri deberet illa regeneratio; & hic discipuli mirantur, quomodo possit fieri ista manducatio. *Respondeo:* stolidum hoc esse commentum. Nec in eo capite Christus Baptismum insinuat, sed regenerationẽ spiritualem: alias nulli salui essent nisi Baptizati, nec si insinuaret, sequeretur hoc argumentum. Quale enim, quæso, hoc argumentum est, Christus in tertio capite Ioannis de Baptismo loquitur: ergo in sexto capite Ioannis loquitur de Eucharistia? nonne hoc egregium argumentum est? Et hæc ex ipso loco argumenta habet Bellarminus, *Ioan.* 3. 7. *Ioan.* 6. 53. 54.

nus, quæ omnia ex Sandero hausit.

Secundum & tertium Bellarmini argumentum, quib. probat Christum in hoc sexto capite Ioannis de Eucharistia loqui, sumuntur ex testimonio Ecclesiæ, id est, ex Cõciliis, & ex testimoniis Patrum. Vnum tantùm antiquum Concilium affert, sed Patres multos, imò penè innumerabiles. *Respondeo:* Patres quidem accommodare hanc concionem Christi, quæ in sexto capite Ioannis habetur, eiusq; doctrinam, ad Eucharistiam. Hoc fatemur: res enim clarissima est. Tamen dicimus, Patres non sensisse, Christum in eo loco de Eucharistia verba fecisse. Nam vsus & natura Eucharistię potest explicari ex ijs, quæ in hoc capite habentur, vt interim non expressè Christus, cùm hæc dixit, Eucharistiam intellexerit. Duplex ergo causa est, cur Patres ista ad Eucharistiam retulerint: 1. *prima*, quod ibi Christus disertè de corporis sui manducatione loquitur; & quia postea Christus Sacramentũ huius manducationis instituit, & externo signo eam explicauit in Eucharistia, ideireo conferunt ista Patres inter se: nam perceptio Christi in Eucharistia debet esse talis, qualis hic describitur. Patres ergo docent ex hoc capite, quibus animis oporteat nos ad Eucharistiam accedere eiusque participes fieri, nempe vt non tanquam ad corporalem, sed tanquam ad spiritualem escam accedamus. 2. *Secundò*, huc accommodant Patres hanc concionẽ Christi, non vt doceant Christum locutum esse hic de Eucharistia, sed vt doceant non aliam esse Christi mãducationem, nisi spiritualem: quare non ore sumi Christum, sed spiritu & fide. Non est ergo talis aliqua manducatio Christi in Cæna, qualem Aduersarii somniant, sed omninò spiritualis. Etsi enim hæc Christi concio non pertinet ad ritum Sacramentalem Cænæ, & ad symbola externa: tamen hanc mãducationem spiritualem Christus in Cæna nobis hoc ritu Sacramẽtali commendauit: & sic docemur, quamuis in Cæna accipimus symbola externa, tamen Christum in Cæna non aliter nobis aut edendum, aut bibendũ proponi, quàm ipse antea apud Ioannem docuit, id est, spiritualiter. Et hoc est cur Patres omnes hanc concionem Christi de Eucharistia intelligunt, quia eam spiritualem perceptionẽ Christi in Sacramento Eucharistiæ Christus nobis cõmendauit, quæ in hac concione explicatur. Non hoc igitur contra nos aliquid facit, sed potiùs pro nobis: ratio enim manducandi carnem Christi in Eucharistia prius à Christo explicata fuit. Quare etsi Christus non locutus est de Sacramẽto Eucharistiæ in hoc sexto capite Ioannis, tamen quia voluit hanc mãducationem, de qua in hoc capite agitur, in Sacramento postea commendari; & ritu aliquo externo significari, rectè quæ in hoc capite dicuntur ad Sacramentum applicant

cant Patres. Atq; hanc fuisse mentem ac sententiã Patrum ex Chrysostomo patet, *Quomodo turbati*, inquit, *non fuerunt* discipuli scilic. *cùm hoc audissent?* nempe. *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro multis frangetur in remissionem peccatorũ*: respondet, *quia multa iam & magna de hoc antea disseruit*, Christus scilic. id est, antea docuit, quemadmodũ ipsius corpus & sanguis percipi deberent: & ne crederent se sanguinẽ bibere, Christus bibit prior: sic enim ibidem paulò post Chrysostomus: *Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis* (scilicet *hic est sanguis meus* &c.) *dicerẽt, Quid igitur sanguinem bibimus & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur*: & addit, *Nã & quando priùs de his verba fecit, multi solummodo ꝓpter verba scandalũ passi sunt: ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad cõmunicationem mysteriorum induceret.* Non Christus ipse sẽ manducauit, aut suum sanguinem bibit: monstrum enim id fuisset: neque opus illi fuit hoc facere, vt remissionem peccatorum & vitam æternam consequeretur; Eucharistiam tamen cum discipulis sumpsit, vt intelligerent non Christum hic corporaliter, sed mente & fide sumendum esse, vt sic per illum viuamus.

Chrysost. homil. 83. in Matth.

Quartum Bellarmini argumentum, quo probat Christum in hoc sexto capite Ioannis de Eucharistia loqui, sumitur ex absurdis, quæ sequerentur, si de Eucharistia non loqueretur. Et hic tria absurda commemorat. *Primum* est, quod ita sequeretur, Ioannem nihil planè de hoc Sacramento scripsisse, quia nusquam attigit hanc materiam nisi hoc loco. *Respondeo*: non esse hoc absurdum, ab vno Euangelista prætermitti, quod ab aliis docetur. Tres Euangelistæ ante illum, Matthæus, Marcus, & Lucas, satis copiosè & apertè primam huius Sacramenti institutionem explicarunt, quæque ad illud pertinent omnia & post illos Paulus etiam: vt non necesse fuerit Ioanni explicare. Sed vt Augustinus ait, ideo Ioannes omisit, quia plurima antea de eare scripserat. Nam etsi in sexto capite Ioannis nullũ verbum de Sacramento habetur: tamen quomodo Christus in Sacramento sumendus sit, ibi exponitur: modus enim manducandi Christũ in illo capite demonstratur. Nam cum Christus dixisset, *Ego sum panis vitæ*: statim subiungit; *qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam*: vbi *primò* se esse eum panem ait, qui vitam hominibus præbet; vt qui vitam habere volunt, ijs hic panis necessario sumẽdus sit: *secundò*, quomodo hunc panem edere oporteat, docet, non ore scil. sed fide: nam ait, *qui venit ad me*, id est, *qui credit in me*, non esuriet, nec sitiet; & tota subsequens cõcio in his explicandis versatur: nam Iudæi murmurabant de eo, quòd se panem esse dixerat, qui de cælo descendit. Cum igitur Sacramentum Eucharistiæ, non nisi externum symbolum sit huius

1.

Augustin. de consens. Euãgelist. l. 3. c. 1.

Ioan. 6. 35.

Vers. 41.

huius manducationis per fidem, non mirum quòd Ioannes omiserit. *Secundum* absurdum est, quòd sequeretur, Christum nunquam explicuisse fructum & excellentiã huius Sacramenti. *Respondeo*: Nos hoc dicimus, fructum, quem nos ex Cæna percipimus, hoc loco explicari: nam licet extra Sacramentum Christum percipimus, tamen in Sacramento etiam illum comedimus. In ipsa tamen Cæna huius Sacramenti excellẽtia explicatur, quia ait ibi Christus, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: & his etiam verbis fructus Sacramenti declaratur, quia ijs, qui fidem habẽt, est corpus & sanguis Christi. Falsum ergo est, quod ait Bellarmin⁹, Christum nunc tantùm instituisse Sacramentum, non eius fructum aut excellentiam explicuisse: nam apertè quàm hoc excellens & fructuosum sit Sacramentum Christus declarat, cum ait, *Hoc est corpus meum*, &, Hic est sanguis meus.

2.

Tertium absurdum est, quòd sequeretur, nullum extare præceptum diuinum de hoc Sacramento percipiendo: quia alii Euangelistæ non nisi proponunt institutionem. *Respondeo*: In ipsa institutione huius Sacramenti est præceptum de eo percipiendo, & de hoc Sacramento posteà in perpetuum celebrando, cum Christus ait, τοῦτο ποιεῖτε, *Hoc facite*: non modo, vt Bellarminus ait, quoties facitis, hoc faciatis in memoriam Dominicæ passionis; sed simpliciter, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *Hoc facite in mei recordationem*: est ergo simplex præceptum. Et Papistæ dicunt, Christum nunc instituisse Eucharistiam, si vnquam instituit: ergo nunc præcepit Eucharistiam celebrare. Et Apostolus Paulus, cum de Sacramento Eucharistiæ loquitur, ait diserte se accepisse à Domino quod tradebat eis, & tũ recitat institutionem hanc Domini in Cæna, non aliquod præceptum in sexto capite Ioannis. Sed si Christus in 6. capite Ioannis mãdatum dedit de celebrando & sumendo hoc Sacramento; quare nõ ante horam mortis celebrauit, præsertim cum necessitas ad salutem tanta sit manducandi Christi, eo modo quo manducari iubetur in sexto capite Ioannis, vt nemo aliter salvus esse possit? At Christum non præcepisse sumere Eucharistiam in sexto capite Ioannis patet; *primò*, quia quod percipi iubetur in sexto Ioannis, simpliciter necessarium est omnibus & adultis & infantibus: at multi, qui seruantur, non Eucharistiam percipiunt: nam Ioannes Baptista ante occisus est, quam potuit Eucharistiam percipere: *secundò*, si nunc Christus hoc præcepit, quare nulli fecerunt, quod præcepit? nemo enim Eucharistiam ante mortem Christi aut celebrauit, aut accepit.

Luc. 22. 19. *1. Cor.* 11. 24. *1. Cor.* 11. 23.

Iam ad id accedit Bellarminus, de quo *secundo* loco se dicturum pollicitus est, cum primùm de hoc sexto capite Ioannis sermonẽ cæpit instituere, id est, docere quomodo ex hoc capite argumentum de-

duci potest pro reali præsentia. Et est sanè argumentum vnicum, idque admodum ieiunum, in hunc modum: Dominus loquens de pane, quem daturus erat in Cæna, di-
Ioan.6.51. serte ait *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Respondeo:* Christum non loqui nunc de Sacramento, quod discipulis in Cœna daturus erat; nam Sacramẽtum non dabatur pro mundi vita: sed loquitur absolutè de carne sua: est enim Christus panis verus, id est, author vitæ omnibus credentibus in ipsum. Ineptum igitur & absurdum est, trahere ad Sacramentum, quod Christus apertissimè de seipso simpliciter & extra Sacramentum loquutus est. Sed ait Bellarminus, hanc expositionẽ profligatam esse omnib. argumentis, quæ suprà attulit. Sed illa argumenta nihil probant: ea nos iam diluimus: nec potest vllum argumentum afferri, quo probet Christum in sexto capite Ioannis de pane Eucharistico vel vnum verbum fecisse. Sed affert aliam expositionem, eaque est, si admittamus per panem ibi intelligi Eucharistiam, sed dicamus panem illum Eucharisticum dici carnem Christi non proprie sed figuratè: & cõtra hanc affert frigidas quasdam ratiunculas. Sed *Respondeo:* Nos istam expositionem non admittimus, quia constanter affirmamus Christum in hoc capite non esse loquutum de Sacramento. Quod autem attinet ad sensum verborum, *Hoc est corpus meum*, ex quibus pollicetur se postea fusiùs refutaturum hanc expositionem; de illis nos suo loco respondebimus. Nunc istæ paucæ ineptæ rationes, contra istam secundam expositionem à Bellarmino adductæ, non sunt à nobis refutandæ, quia nos istam expositionem non probamus. Sed tamen id affirmo, posito hoc, concionem hanc Christi pertinere ad Eucharistiam, nunquã tamen posse hinc argumentum pro reali præsentia colligi. Sed certum est Christum non hoc egisse, idque nunc argumentis demonstrandum est; quæ quia Bellarminus se *tertio* loco soluturum promisit, id quomodo præstiterit, videamus.

Nunc igitur nos paucis argumentis docebimus, caput sextum Ioannis non pertinere ad Eucharistiam, nõ tamen eius capitis doctrinam prorsus ab hoc instituto alienam esse. Nam pulcherrimè in hoc capite docemur, qualis cibus in Eucharistia nobis offeratur, nempe Christus fide percipiendus. Neque ita se res habet, vt vult Bellarminus, nos non habere quod illis ad argumentum ex hoc capite ductum respondeamus, nisi negem' caput illud de Sacramento intelligi: nam nihil contrà nos sequetur, si de Sacramento vel maximè intelligantur hæc verba, *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*; quia & nos in Sacramento Christi carnem esse dicimus: panis ergo dicitur caro Christi, vt Christus ait, *Hoc est corpus meũ*: non possumus magis vrgeri illis verbis, Ioan.6.51.

verbis, quàm his: at illa non euincunt realẽ præsentiam, vt nos postea fusius docebimus: ergo hæc multò minus. Sed reuera quando Christus ait, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, non Eucharistiam intellexit, sed seipsum absolutè, qui de cælo venit, vt nos ab æterna morte liberaret. Bellarminus argumenta quædam pro nostris affert, de quibus non necesse est cõrendere: nos ea tantùm attingemus, quæ causam continent, & directè concludunt. I. *Primum* nostrum argumentum est huiusmodi: Dominus hic disserit de ea manducatione, quæ dat vitam æternam: sed Christus solus spiritualiter per fidem manducatus dat vitam æternam: ergo Christus hic de ea manducatione loquitur. Bellarminus assumptionem negat: ait enim Sacramentalem etiam manducationem dare vitam. *Respondeo*: Sed nõ quia Sacramentalis est: tum enim omnes, qui manducarent Sacramentum, viuerent: at multi ad iudicium & exitium Sacramentum manducant, & multi Sacramentaliter manducant, qui à vitâ æternâ alieniſſimi sunt: spiritualis autem manducatio semper necessaria est, & quidem necessariò: & talem manducationem Christus apertissimè hoc capite tradit & comẽdat, quæ salutis causſa sit certa & necessaria. Fatetur Bellarminus, Sacramentalem manducationẽ non dare vitam sine fide, sed id prouenire ex indispositione accedentis: at in ea manducatione, de qua hic Christus loquitur, non potest esse talis indispositio, quia Christus apertè ait, *Hic est panis ille, qui de cælo descendit, vt qui eo vescitur, non moriatur: &, Ego sum panis viuificus, qui è cælo descendi: si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum*: & sæpe in eodem Capite Christus ait, eos qui hunc panem comederint, vitam habituros, & non morituros esse. Imò addit Christus, sine hac manducatione non posse vitam obtineri: *Nisi mãducaueritis*, inquit, *carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: at sine Sacramẽtali manducatione vita haberi potest: aliàs omnes infantes perirent, & omnes, qui aliquâ necessariâ causſâ impediti non communicarent, etiamsi alioqui baptizati & iustificati essent. Sed Bellarminus ait, hæc verba ad solos adultos pertinere, qui aut reipsa, si possunt, aut saltem desiderio tenentur hoc Sacramentum aliquando percipere. *Respondeo:* hoc merum subterfugiũ esse. Christus enim ipsam manducationem requirit, non votum autem, aut desiderium manducandi: nam ait, *Nisi manducaueritis*. Ergo vt viuamus, simpliciter necessaria est hæc manducatio, de qua Christus loquitur, necessitate medii, & non sufficit voto aut desiderio manducâsse, sed ipsa manducatio requiritur; idq; ex Bellarmini argumento patet, quia Dominus illic ait, *Amen, Amen*, ex quo alibi contendit Bellarminus, verba propriè sumẽda esse, ne alioqui fenestra aperiatur perfidio, quia Christus hic verbis Ioan.6.50. 51. Vers.53.

bis iurat. Ergo loquitur Christus de propria manducatione, quæ re ipsa fit, ex hoc Bellarmini argumẽto; at Sacramentum solo desiderio percipere, non est proprie manducare, nisi qui cibum expetit, is propriè cibo vesci dicatur. Tum si hoc adultis omnibus necessarium sit, manducare Eucharistiam vel re, vel voto; similis necessitas Eucharistiæ erit ac Baptismi ad vitam assequendam: at hanc necessitatem medii solent in nullo Sacramento nisi in Baptismo agnoscere: hic autem ex Bellarmino colligi potest, adultos, si non aut re, aut saltem desiderio Eucharistiam perceperint, perire. Dicat ergo quando cępit hoc esse tam necessarium, vt omnes saltem voto comederent Eucharistiam? num statim postquam Christus hanc concionem habuit? at nemo tamen ad Eucharistiam accessit, antequam Christus pridie passionis suæ instituit: interea Iohannes Baptista occisus est, nec Eucharistiam aut re aut desiderio percepit, quia nihil de Eucharistia audiuit: at Ioannes hunc panem manducauit, quia credidit in Christum: non ergo de Eucharistia loquitur Christus. Sed pergit Bellarminus, & hanc tandem responsionem adhibet, Hæc verba, *Nisi manducaueritis*, vel sonant præceptum, vel medium ad salutem necessarium. Rectè! quid si præceptum? tum, inquit, aut non pertinent ad infantes, cum eius nõ sint capaces, aut certè excusantur, quia non possunt implere. *Respondeo*: Idem nos respondete possumus de Baptismo, & de loco qui habetur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*: si hoc sit præceptum; aut non est datum infantibus, quia eius nõ sunt capaces; aut excusandi sunt, quia non implere possunt ipsi, sed alii in ipsis implere debent: ergo non amittent salutem, si non baptizati mortui fuerint. Nam certè non magis seuera sanctio illa est, quæ habetur in tertio capite Ioannis. *Nisi quis renatꝰ fuerit ex aqua, &c.* quàm hæc, quæ in sexto capite Ioannis habetur, *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis* &c. Sed Bellarminus ait, hoc Sacramentum non esse institutum ad dandam vitam iis, qui non habent, sed ad conseruandam iis, qui habent. *Respondeo*: Hic Bellarminus se refellit. Nam ex hoc probo, non loqui hic Christum de Eucharistia, quia cibus & panis, de quo hic Christus loquitur, dat vitam ijs, qui non habent, non modò conseruat hãbentibus. Sic Christus ipse ait, *Panis ille Dei, is est qui de cælo descendit, ἡ ζωὴ διδοὺς τῷ κόσμῳ. & ad vitam mundo.* Et propter hanc causam comparat Mannæ, quam qui ederũt, mortui sunt, sed hic panis de cælo descendit, inquit, vt non moriatur, qui eo vescitur: ergo dat vitam morituris. Quare omnes morientur, nisi qui panem hunc comederint: nõ modò igitur vitam conseruat, sed & præbet: ideoque non nunc Christus de Sacramẽto Eucharistiæ loquitur, quia hoc non dat vitã, sed facit,

Ioan. 3.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Vers. 50.

facit, vt qui vitam habent eam retineant. Sed quid si verba, *Nisi mãducaueritis* &c. sonant medium ad salutem necessarium? tum ait, solùm esse necessarium medium ijs, qui vitam amittere possunt, quales non sunt, inquit, qui vsu rationis carent. *Respondeo*: Idem sibi responsum putet de loco illo, qui habetur Ioannis tertio capite, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. si hęc verba sonant medium ad salutem necessarium, tum nõ infantibus, qui vsu rationis carent. Sed Christus ait, hoc medium, de quo Iohannis sexto capite loquitur, esse simpliciter omnibus necessarium, quia nullus alius cibus vitam mundo dat: & ait, hunc cibum, quem ipse dat, *μένειν εἰς τὴν ζωὴν αἰώνιον, permanere in vitam æternam*: qui ergo hunc cibum non comederint, ij ad vitam æternam peruenire nõ possunt, siue adulti, siue infantes, siue quicunque tandem fuerint. Quare vt quod Ioannis tertio habetur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. omnibus simpliciter necessarium est: sic quod Ioannis sexto habetur, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis* &c. similiter est necessarium vniuersis necessitate medij: etiam infantes Christi carnẽ comedunt, quia per eum redimuntur, & hanc redemptionem vi Spiritus Sancti communicant. Quare argumentum necessarium est, Christum nõ hic loqui de Sacramento Eucharistiæ, quia hoc Sacramentum in vetere Testamento nulli sumpserunt, nec in nouo omnes sumunt, qui seruantur: sed simpliciter qui CHRISTVM non comedunt, eos Christus pronunciat nunquam ad vitam peruenturos: quod semper verum fuit in omnibus. Atq; hæc de primo argumento.

Vers. 53.

Secundum nostrum argumentum in hunc modum se habet: Cibꝰ de quo hic Christus loquitur, fide tãtùm sumitur: ergo non loquitur nunc de Sacramentali manducatione, sed de spirituali, quæ fit per fidem. Antecedens probatur ex verbis illis, *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, id est, parate vobis hunc cibũ; & ex verbis illis, quæ sequuntur paulò post, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Cum enim Iudæi quærerent, quomodo opera Dei operari possent, id est, quo operis genere hunc cibum possent parare: respondet Christus, hoc esse *τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ*, id est, opus DEI, vt crederent in eum, quem misit ille: ergo credere est hunc cibum sumere; & sic Christus de ea manducatione loquitur, quæ in fide consistit. Bellarminus hic nugatoriè respondet: ait enim non aliud his verbis intelligi, quam debere nos Christum incarnatum fide apprehendere, & ait, Christum de cælo descendisse per incarnationẽ. *Respondeo*: Christum non modò incarnatũ, sed & mortuum esse nostrum cibum: venit hic panis de cęlo per incarnationem, sed factus est nobis salutaris per mortem. Nã incarnatio nobis vtilis est per mortem, nec quicquam nobis prodesset, Christum fuisse incarnatum, nisi pro nobis mortuus fuisset:

2.

Vers. 27.

Vers. 29.

haurimus vitam ex morte, non ex incarnatione Christi, quia Christus, quatenus est mortuus, est cibus, quo mundus viuit. Docet autem hic Christus, credere in se, esse ipsum comedere, quia ait, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille*: ergo hoc est, quod à nobis requirit, quodq; hic docet, credendum esse in eum, quem Pater misit: sic enim fore vt viuamus in æternum. Credere autem in Christum possunt, & sic viuere, qui non Eucharistiam perceperunt: ergo Christus hic de spirituali manducatione loquitur, quæ fit per fidē, non de carnali, quæ potest sine fide fieri. Et Bellarminus fatetur, hunc panem fide apprehendi, sed Christum trāsire statim ad panem
Vers. 51. Eucharisticum, cum ait, *Panis, quem ego dabo, est caro mea, quā ego dabo pro mundi vita.* Sed Christus eundem panem vtrobique intelligit. Interim fatetur Bellarmin⁹, q̄dam hic de spirituali manducatione necessariò intelligi; & sanè eadem ratio est omnium. Nam Christus persistit in eâdem metaphora: vocauit prius cibum, nunc panem vocat; & vt supra fidem postulat ad illam βρῶσιν, id est, ad illum *cibum*, ita fidem postulat ad hunc ἄρτον, id est,
Vers. 35. ad hunc *panem*: nam ait, *qui venit ad me, nequaquam esuriet*, καὶ ὁ ἐρχόμενος πρὸς ἐμὲ, *& qui credit in me, non sitiet vnquam*: non ergo de pane Eucharistico loquitur, quia potest ille panis comedi, & tamen non famem adimere: nam quod ait Christus, *non esuriet, non sitiet*, idem est, ac si diceret, non in æternum peribit: his enim rebus vita nostra continetur: & Christus apertè de hoc pane ait, *Qui ederit ex hoc pane, viuet in æternū:* *Vers. 51.* non ergo de Eucharistico pane loquitur. Bellarminus ait, verba Christi cum conditione intelligi, si ritè manducetur hic panis: hunc enim panem, quod ad se attinet, semper viuificare, posse tamen impediri effectum aliunde, nimirum ex indispositione accedentis: & similes Scripturas affert; *Omnis qui* *Luc. 11. 10.* *petit accipit*, id est, qui rite petit, &, *Quicunque inuocauerit nomen Domini,* *Ioel. 2. 32.* *saluus erit*, id est, quicunque ritè inuocauerit. *Respondeo*: An Christus possit non ritè comedi, non huius loci est dicere: certum est, Sacramentum posse non ritè sumi, sed res Sacramenti non potest nisi ad salutem sumi. Nam si panis hic, qui est caro Christi, posset sic comedi, vt qui comedunt, non tamen viuerent in æternum, non differret à Manna: eripere hunc effectū carni Christi, est facere è Christi carne non nisi communem cibum: nam vt communis cibus non potest à morte liberare, quantumuis quotidie sumatur: ita externus cibus Eucharisticus, quantumuis assiduè percipiatur, non tamen depellet mortem animę: non igitur præstat communi cibo. Sed Christus sæpissimè in hoc capite ait, non morituros eos, qui hunc panem, & hunc cibum comederint. Quoties enim occurrunt verba, quę hoc significant de eo, qui hunc panem comederit, μὴ ἀποθάνῃ; ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα; ἔχει ζωὴν αἰώνιον; ἐν ἐμοὶ μένει; ζήσεται δι' ἐμέ; *nō moriatur: viuet*

Vers. 50. 51 54. 56. 57. *uet in æternū; habet vitam æternā; in me manet; viuet per me.* Sed hanc controuersiam postea fusius tractabimus.

3. *Vers. 51.* *Tertium* nostrum argumentum hoc est: Si illa verba, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, ad Sacramentum Eucharistiæ pertinent, cur non illi habent panem in Eucharistia? nam accidentia panis non sunt panis. Bellarminus per panem vult intelligi cibum more Hebræorū, quasi dicē. et Christus, Cibus, quem ego dabo, est caro mea. *Respondeo.* Illi contendunt Christum in hoc capite de Cæna loquutum esse, quia toties mentionem panis facit, & quia Christus in pane carnis suæ Sacramentum instituit: rectè igi-
Pet. Mart. in defens. cont. Gardiner. obiect. 13. p. 1. tur Petrus Martyr quærit, cur illi non retinent panem in Eucharistia, si hic panis de Sacramento intelligendus est: & Christus comparat Manna cū hoc pane, & Manna erat verus panis. Sed tamen postea ait Bellarminus, Christum carnem suam aliquoties panem appellare, vt indicaret eam nobis edendam sub specie panis: sed rectè ait *fortasse* hoc ita esse: nam si id verum sit, tum panis non significat omnem cibum, quia non sub specie omnis cibi Christi caro comeditur.

4. *Quartum* nostrum argumentum tale est: In isto sexto capite Ioannis nulla est mentio panis materialis, nec calicis, nec cōsecrationis, nec fractionis, nec distributionis, nec Testamenti, nec memoriæ, nec gratiarum actionis, nec annuntiationis mortis Dominicæ; non igitur ibi de Eucharistia agitur. Est hoc etiam Petri Martyris contra Gardinerum argumentum. Bellarminus ait, hoc argumentum rectè probare, non fuisse hoc Sacramentum tunc institutum, sed non probare, non fuisse promissum. *Respondeo*: nihil hic haberi, vnde hoc Sacramentum promissum esse intelligamus, quia nulla hic Sacramenti circūstantia habetur. Quod enim ad Christi carnem & sanguinem attinet, hæc possunt præberi nobis sine Sacramento. Promisit ergo Christus carnem & sanguinem apertè, at Sacramentum non promisit, quod ex vllis hic verbis constet. *Pet. Mart. vbi supr obiect. 32.*

5. Sed Petrus Martyr aliud argumentum ibidem habet, de quo Bellarminus nihil respondet, idq; nostrum *quintum* argumentum erit: Aut Christus loquutus est in sexto capite Ioannis de spirituali manducatione, aut nusquam de illa loquitur. Non enim in Cæna de illa loquitur; nam ibi ipsum tantùm Sacramentum instituit: non alibi, quia nullum talem locum habemus: & tamen esse spiritualē manducationem Christi Aduersarii concedunt: at nō constabit esse talem aliquam ex sacris literis, nisi in sexto capite Ioannis de eo agatur. At illi plane spiritualem manducationem tollunt ex sexto capite Ioannis, & volūt Christum ibi promisisse corporalem & naturalem manducationem; in Cæna verò præstitisse: sic vterque locus ex illorum sententia ad realem manducationem pertinet: vbi igi- *Pet. Mart. tex. ibid.*

tur ſpiritualem inueniri dicent?

6. *Sextum* noſtrum argumentum ſumitur ex illis verbis, *Ego ſum panis* Verſ. 35. *ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vnquam*: ergo panis, de quo Chriſtus loquitur, credendo manducatur: quare de ſpirituali manducatione loquitur, non Sacramentali. Bellarminus fatetur hoc eſſe argumẽtum quorundam Catholicorum, & hæc verba non pertinere ad Sacramentum propriè, ſed quę poſtea ſequuntur. *Reſpondeo*: Habemus ergo ex confeſſione Bellarmini, quædam hic non pertinere ad Sacramentum propriè: ergo de ſpirituali manducatione per fidem neceſſario intelligenda eſſe. Proferat ille vnum verbũ, quod de Euchariſtia nec eſſariò intelligi debeat, ſi poteſt: at nihil ſequitur, quod propriè ad Euchariſtiam pertineat: nã illud, *Panis, quẽ ego dabo, eſt caro mea,* Verſ. 51. *quam ego dabo pro mundi vita*, non oportet de Cæna intelligi: fatetur Bellarminus antea, poſſe aliter intelligi: imò neceſſe eſt, aliter intelligi, quia non dedit carnem ſuam Chriſtus in Cæna pro mundi vita. Loquitur ergo Chriſtus de carne ſua, & docet quomodo ea ſit panis noſter, quia ſcil. data eſt pro mundi vita, nempe vt Bellarminus paulò antea fatetur, occidenda & crucifigenda: at in Cæna non occiſa, aut crucifixa eſt: & aliter non eſt cibus aut panis nobis. In Cæna nõ crux vlla fuit: Chriſtus igitur non loquitur de edendo Sacramento, ſed de ſpirituali mãducatione carnis ſuæ, quæ quatenus occiſa & crucifixa eſt vitam mundo præbet.

Bellarm. in hoc cap in reſponſ. ad 7. argum.

Bellarm. in hoc cap. in reſponſ. ad argum. 7.

Septimum noſtrum argumentum 7. ſumitur ex illis verbis, *Amen, Amen* Verſ. 53. *dico vobis, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habetis vitam in vobis.* Si hæc verba de Euchariſtia intelligenda ſint, tum quomodo defendi poteſt vſus Romanæ Eccleſiæ de communione ſub vna ſpecie? nã Chriſtus ait, *Niſi manducaueritis, & biberitis.* Et hoc argumento ait Bellarminus, quoſdam Catholicos perſuaſos eſſe; ſed non debuiſſe veritatem cognitam propter rei difficultatem deſerere: ergo reſpondet, vim præcepti non conſiſtere in modo ſumendi, ſed in re, quæ ſumitur: tota autem res, id eſt, Chriſtus, integrè ſub vna ſpecie ſumitur. *Reſpondeo*: hanc Bellarmini reſponſionem eſſe merum ſubterfugium: nam præceptum erit de modo ſumendi, nõ minus quam de re, ſi modò Chriſtus de Sacraméto loquatur: Chriſtus enim ait, *Niſi manducaueritis*, & ſic, *Niſi biberitis*: ſi ergo de Sacramento loquatur, æquè neceſſitatẽ bibendi ac manducandi vrget. Etſi autem dicunt, totum Chriſtum ſumi ſub vna ſpecie, tamen non poſſunt dicere, Chriſtum bibi in ſpecie panis.

Bellarmin. huius lib. c. 5. in arg. 4.

Et Bellarminus antea dixit, Chriſtum non loqui de ſpirituali manducatione, quia tam ſæpè diſtinguit manducare & bibere; carnem & ſanguinem; cibum & potũ, vt exprimeret diuerſum modum ſumendi carnem & ſanguinem: nuncait non præcipi modum, ſed rem:

rem: at ſupra dixit, Chriſtum expreſſiſſe hunc modum: ergo Chriſtus expreſſe modum præcepit: ac proinde illi contra expreſſum Chriſti præceptum faciunt, ſi hic Chriſtus de Sacramento loquatur. Iam pergamus.

Supereſt nunc vt nonnulla Patrum teſtimonia proferam? Quare argumentum noſtrum 8. *Octauum* ſumitur ex teſtimoniis Patrum & aliorum Authorum. Primus vt dignitate, ita ordine, erit Auguſtin. Is ſæpe ait, infantes manducare Chriſti carnem, & bibere eius ſanguinem. quod fit ſpiritualiter: ergo Chriſtus de ſpirituali manducatione loquitur: nam ſi infantes hæc faciunt, tum faciunt id, quod Chriſtus in ſexto capite Ioannis iubet fieri. Bellarminus reſpondet, Auguſtinum non raro dicere, infantes debere edere corpus Domini, ſi ſalvi futuri ſunt, ſed non intelligere, id fieri neceſſariò debere reipſa: in quo apertiſſimè calumniatur. Vt enim Chriſtus de neceſſitate medii loquitur, ſine quo nemo poſſit ad vitam æternam aſpirare: ita Auguſtinus omnibus ſimpliciter neceſſarium eſſe ait, etiam paruulis, manducare Chriſtum. Quàm ridicula hæc reſponſio eſt, Auguſtinum dicere, infantes debere edere corpus Chriſti, ſi ſalvi futuri ſint, id eſt neceſſarium eſſe infantibus edere corpus Chriſti; & tamen nõ intelligere, id debere fieri neceſſariò? Sanè niſi neceſſariò & reipſa hoc fieri debeat, falſum eſt, debere infantes edere corpus Domini, ſi ſalui futuri ſint: poſſunt enim ſeruari, etſi non ederint, niſi id neceſſariò reipſa fieri debeat. At infantes nõ edere carnaliter & proprie Chriſtum poſſunt: nam hoc ipſum edere ad eos pertinet, qui inſtrumentis ad edendum neceſſariis vtuntur: at fugere potiùs infantum eſt, quàm edere: quomodo poſſũt illi Chriſti carnem edere in Sacramento, qui ne Sacramentum quidem ipſum poſſunt edere? Sed iterum ait Bellarminus, Auguſtinum tribuere manducationem infantibus, nõ re, ſed voto implicito; imò negat infantes communicare ſpiritualiter: quod eſt contra Auguſtinum, qui ait definitum eſſe infantes vitam non poſſe habere, niſi manducauerint carnem Filii hominis. Sanè Sacramentum ipſum Euchariſtiæ non eſt ſimpliciter neceſſarium præſertim infantibus: ſi ergo Romanus Pontifex definiuit (loquitur enim Auguſtinus de Innocentii definitione) paruulos nõ poſſe ſeruari ſine Sacramento Euchariſtiæ, tum errorem & hæreſin definiuit, etiam ipſorum iudicio. Satius ergo eſt de manducatione ſpirituali intelligere, quæ eſt & adultis & infantibus neceſſaria: nemo enim niſi per communionem cum Chriſto ſeruari poteſt, ne infantes quidem: quod Auguſtinus alibi contendit. Sic igitur argumentum inſtituo: Si nulli omnino ſeruari poſſunt, ſine ſpirituali mãducatione, ne infantes quidem, tum Chriſtus de hac manducatione loquitur: at verum prius: ergo & poſterius: nam ſine Sacramento Euchariſtiæ & infantes & adulti

Auguſtin. cont. Iulian. l. 1. c. 2. & alibi.

Auguſtin. cont. Pelag. de peccat. merit. & remiſſ. l. 3. c. 4.

seruari possunt. Rursus idem Augustinus in commentariis suis in hoc sextum caput Ioannis multus in hoc est, vt doceat, hoc manducare esse credere, *Crede*, inquit, *& manducâsti*, &, *Credere in eum, hoc est, manducare panem viuum*, &, *Quid paras dentem & ventrem?* At si hic loqueretur Christus de propria & carnali manducatione, oporteret nos dentes & ventrem parare. Bellarminus lepidè respondet, hæc quidèm non esse dicta ab Augustino de Sacramento, quia nondum peruenerat ad locum Euangelii, vbi agitur de Sacramento. *Respondeo*: Augustinus mẽtem Christi de spirituali manducatione interpretatur, quia non modò ait, per fidem manducari Christum, sed etiam corporalem manducationem remouet. *Quid dentem*, inquit, *& ventrem paras?* Et postea ait, verba hæc Christi spiritualiter intelligenda esse. Et ait, *Hunc panem significauit Manna, hunc panem significauit altare Dei*: vbi in Sacramento propriè nõ aliud sumi vult, quàm quod in Mãna sumebatur. Eucharistia igitur per se non nisi Sacramentum, vt Manna, fuit: ergo oportet manducare hunc panem, de quo hic Christus loquitur spiritualiter. Et postea ait, *rem ipsam*, de qua Christus hic loquitur: id est, panem hunc, *à nullo sumi ad exitium, quicunque eius particeps fuerit*: non ergo de carnali manducatione Christum loqui, sensit Augustinus. Et iam venerat ad illum locũ huius capitis, quem Bellarminus refert ad Eucharistiã. Et alibi Augustinus de his verbis loquens, *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis* &c. ait, si literaliter & carnaliter intelligantur, in illis *facinus & flagitium præcipi*: Christum ergo de spirituali manducatione intellexisse, quæ in recordatione mortis Dominicæ consistit. Bellarminus de hoc loco laborat, & mirificè se torquet, & nescio quæ cõmenta sophistica excogitat. Ait carnem Christi non dici ab Augustino, tropicè comedi, sed verè & realiter: & tropum ab illo constitui in modo manducandi, quia nõ est ordinarius modus: non enim visibiliter, inquit, secatur Christi caro in partes, nec particulatim sumitur, sed Christi integra caro sumitur; & inuisibiliter, sine vlla sui læsione. *Respondeo*: Augustinum in his verbis tropum ponere, sed Bellarminũ nullũ tropũ relinquere: nõ minus n. propriè editur, quod nõ videmus, q̃ quod videm⁹; alias cæci, qui non vident, quod comedunt, non sunt dicendi propriè edere. Tropus igitur non potest in eo esse, quod Christi corpus edim⁹ realiter ore nostro, sed aliter quàm alios cibos, quia quicquid edimus ore vllo modo, id propriè edimus: sed verba figuratè vult Augustinus de manducatione spirituali intelligenda esse, quæ non est manducatio, nisi impropriè. Præterea non minus flagitium est, totum Christum edere, quàm si eum frustatim & membratim comedamus: hominem enim aut humanum corpus deuorare quocunque modo, horrendum facinus est. Papistæ putant flagitium non committi, quia

Idem in tract 25. & 26. in Ioan.

Idem de doctr. Christian. l. 3. c. 16.

Idem tractat. 27. in Ioan.

Idem tract. 26. in Ioan.

quia Christus inuisibiliter & illæsus editur: sed *respondeo* 1. hoc non est propriè edere, hominem totũ, ossa, carnem, sanguinem deuorare; nam in edendo prẽmansione & comminutione cibi opus est: totũ verò humanum corpus in stomachum demittere, est nouum genus edendi: helluari hoc potius est, quàm comedere: quales enim hæ fauces sunt, quę totum corpus deglutiunt? Et qui carnem demittit in stomachum illæsam, is non edere putandus est: & magis certè horrendum est integrum corpus humanum deuorare, quàm idem mẽbratim comedere. 2. Deinceps ostendit Augustinus, quomodo Christum intelligere debeamus, nempe quid sit Christum comedere, & in qua re tropus consistat. Nõ eo modo se exponit, quo Bellarminus, nempe Christum manducare, esse Eucharistiam sumere, sed manducare Christum vult esse, passioni Domini communicare, & eius mortem suauiter & vtiliter recolere, & in memoria recondere: hæc autem est manducatio spiritualis, & sine Eucharistiæ Sacramento fieri potest. Nos igitur Augustinum habemus nostræ expositioni fauentem.

1.

2.

Clemens Alexandrinus ait, Christum hæc verba, *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis* &c. τῆς πίστεως καὶ τῆς εὐαγγελίας τὸ πότιμον ἀλληγορεῖν, *de fidei & Euangelii aqua dulci, seu, potabili intelligere*, id est, hæc Christi verba de allegorica, ac spirituali cõmunicatione, quæ fit per fidem esse intelligenda: & hãc Christi doctrinam apud Ioannem intelligit: aitque hoc verbum esse εὐαγγὲς, id est, *apertum*, vel, sine cõtrouersia. Hanc igitur doctrinam Patres, olim, sic intellexerunt, vt nos. *Christus*, inquit, *in verbo suo τροφὴ γέγονε πνευματικὴ τοῖς σώφροσιν, alimentum est spirituale prudentib.* &, *illud lac, quo Ecclesia nutritur, esse* λόγον βρεφώδη, id est, *verbum Dei quo filii Dei pascuntur ad vitam aternam*: nõ ergo carnalem perceptionem intelligit, sed hæc omnia de verbo Dei & sermone Euangelico interpretatur. Origenes huius discipulus, de illis verbis loquens, *Nisi manducaueritis* &c. ait, *Agnoscite quia figura sunt, & ideo tanquam spirituales non tanquam carnales, ea examinate, & intelligite quæ dicuntur. Si enim secundum literam sequaris hoc ipsum quod dictum est, Nisi manducaueritis &c. occidit hæc litera.* At Papistæ secundum literam intelligunt: ergo literam occidentem sequuntur. Basilius, quo nemo suo tempore maiorem authoritatem habuit in Ecclesia Orientali, exponens illa verba Christi, ὁ τρώγων με, ζήσεται δι' ἐμέ, *Qui ederit me, viuet ipse per me*, ait nos τρώγειν, id est, comedere Christi carnem, & πίνειν, id est, bibere eius sanguinem, quando sumus κοινωνοὶ τοῦ λόγου, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, *participes verbi & sapientiæ eius*: Christum enim nominâsse suam ἐνδημίαν μυστικὴν, καὶ τὴν διδασκαλίαν, *præsentiam mysticam, & doctrinam, carnem suam & sanguinem suum*: & ait ταυτῇ διδασκαλίᾳ τὴν ψυχὴν τρέφεσθαι, *hâc doctrinâ animam ali*: & hoc ait διὰ τοῦ ῥητοῦ δηλοῦσθαι, *per id quod hic dictum*

Origen. in Leuit. hom. 7.

Basil. ad Cæsarien. Epist. 141. in Latinis libris.

Ioan. 6. 57.

Clemens Alexand. Pædag. l. 1. c. 6.

dictum est indicari: ergo vult hunc esse non allegoricum modò sensum horum verborum, sed & literalem. Quando igitur doctrinam Euangelii fide percipimus, tum fide Christum percipimus, & per Christum viuimus. Hieronymus ait, quando dicit Christus, *Qui non comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum; licet in mysterio posit intelligi*, id est, ad Sacramentum referri, nos in eo carnem Christi spiritualiter edere & sanguinem eius spiritualiter bibere, *tamē verius corpus Christi, & sanguinem eius, sermonē Scripturarum esse, doctrinam diuinam esse*: ergo Christus propriè loquitur de spirituali manducatione. Bernardus exponens illa verba, *Nisi manducaueritis*, &c. *Quid est*, inquit, *manducare eius carnem, & bibere sanguinem, nisi communicare passionibus eius, & eam conuersationem imitari, quā gessit in carne?* & ait, *hoc designare altaris Sacramentum, vt sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic nouerimus per eam quam in terris habuit conuersationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris.* Christus igitur de spirituali communicatione loquitur, ad quam designandam postea Sacramentū instituit: sed hæc Christi verba non de Sacramentali sed de spirituali manducatione intelliguntur, cum fide eius passionem recolimus. Sed quid veteres persequimur? inter Pōtificios ipsos, qui paulò doctiores & æquiores sunt, non obscurè nobis suffragantur, & nostrā sententiam tuentur. Gabriel Biel Canonem Missæ multis lectionibus exposuit. Is ait non agi in hoc capite de Sacramentali manducatione Christi. Cardinalis Cusanus scripsit Epistolas contra Bohemos: is ait, credere & baptizari, esse carnem Christi manducare: & adducit Bedam in sextum caput Ioannis, quod hic panis corporalis non sit intelligendus: & ait hanc esse omnium Doctorum sententiam, Christum in hoc capite non loqui de Sacramento: & tum refellit eos, qui arguunt hæc verba exponi de esu Sacramentali. Et fuit ei necessarium sic dicere, quia cum Bohemis ei res erat, qui ex his verbis cōmunicationem sub vtraque specie vrgebant. Caietanus Cardinalis totus noster est in multis locis: is hoc caput exponit, vt nos: & alibi etiam ait Christum loqui de spirituali participatione; vbi ait edere & bibere spiritualiter esse idem: at Sacramentaliter aliud est edere, aliud bibere: fructum verò spiritualis manducationis vnum tantum statuit Caietanus: ait quidem Christum tripliciter hūc fructum describere: vocare enim vitam, vitam æternam, māsionem in Christo; sed tamē hæc tria non nisi rem vnam esse. Statuit ergo Christum de ea perceptione loqui, quæ fit p fidem, quæ vitam æternam omnibus sic Christum percipientibus procurat; quod Sacramentalis perceptio non facit. Idipsum etiam alibi probat idem Caietanus, quia Christus in hoc capite loquitur de fide & fiducia in se, & quia ibi dicitur, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego*

Hieron. in Psal. 147.

Bernard. in Psalm. Qui habitat. serm. 3.

Gabriel. Biel.

lect. 24. de Canone Missæ. Cusan. Epistol. 7. contra Bohemos.

Caietan. in comment. in c. 6. Ioan. Idem in comment. in sum. Thom in 3. q. 80. art. 12.

Idem in tract. de erroribus in Euchariſt. c. 1. inter opuscula.

ego in eo: multi autem sumūt Sacramentum, qui non manent in Christo per fidem. Tamen contendit, non excludi spiritualem manducationem, quæ fit in Sacramento; ad quod probandum affert ea argumenta, quæ hic à Bellarmino afferuntur, vt probet Christum hic agere de Sacramentali manducatione. Sed Caietanus ait, illis argumentis non posse probari, Christum in sexto capite Iohannis de Sacramento loqui; sed tantùm quiad Sacramentum vtiliter accedunt, eos debere sic Christum edere & bibere, vt in sexto capite Ioannis præscribitur, id est, ei adhærere per fidem formatam charitate: Christi ergo verba secundum sensum germanum non esse intelligenda de vsu Sacramēti, imò nec posse saluâ fide Catholicâ, quia tū tolleretur Baptismi sufficientia ad salutem, & perinde necessarium esset, sumere Eucharistiam, ac baptizari: ergo Bellarminus id defendit, quod fidem Christianā tollit. Imò idem Caietanus ait, hunc sensum inducere hæresim: ergo hæreticum est, sic exponere hoc caput, vt exponit Bellarminus. Similis est sententia Tapperi, qui Caietani sententiam explicat: & Ioannes etiam Hasselius Louaniēsis, qui scripsit librum de communione sub vna specie, idem statuit. Eodem modo Cornelius Iansenius, Episcopus Gandauensis, ait Christum in hoc capite non de Sacramentali, sed de spirituali manducatione, q̄ fit per fidem viuam loqui: & sic respondet ijs qui quærunt, quomodo Christus dixerit victuros, qui ex hoc pane ederint, cū multi Sacramentum sumant, qui nō ad vitam perueniunt. Dominicus Sotus etsi alicubi cōtendit, Christum in hoc capite de Sacramentali māducatione loqui, tamen alibi sui oblitus ait, sua coniectura Sacramentum Euchariſtiæ nunquam fuisse auditum, quousque Christum discipulis in Cæna suum corpus & sanguinem tradidit: non ergo Christus in sexto capite Ioannis de Sacramento loquutus est. Bellarminus autem vult Christum tum præcepisse vsum huius Sacramenti: quod si verum sit, tum loquutus est Christus de Sacramento hoc antea, & à discipulis antea de hoc Sacramento auditum fuit, & tum falsum erit quod Dominicus ait, nunquam fuisse hoc Sacramentum antea auditum. Matthias Doring Papista haud obscurus de Christi dicto quodam in hoc capite ait, *Hoc verbum directe nihil pertinet ad Sacramentalem vel corporalem manducationem.* Nos igitur argumentis ex ipso capite sumptis, & ex testimoniis Patrum & doctissimorum virorum, etiam ipsorum Papistarum, cōcludimus caput illud Ioannis sextum non esse de Sacramento Euchariſtiæ intelligendum.

Et de secundo Bellarmini argumento hactenus.

***

Idem in Thom. in 3. q. 80. art. 12. Tapper. in explic. art. 15. Louaniens. de commun. sub vtraq; specie. Hassel. in lib. de commun. sub vna specie. Iansen. in Concord. Euangel. c. 59. Dominic. Sot. in 4. d. 12. q. 1. art. 12. Idem in 4. d. 20. q. 1. art. 2. Matt. Doring. in replic. in Psal. 110.

Caput IV.

In quo tertium generale Bellarmini argumentum sumptum ex illis verbis, Hoc est corpus meum, *examinatur & diluitur.*

IAm aggredior disputationem de verbis Cænæ, *Hoc est corpus meum*, quæ verba habentur apud tres Euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam, atq; etiam apud Paulum. Christus quando Cænam suam instituit, accepit panem, & cum benedixisset, fregit, deditq; discipulis, & dixit, *Hoc est corpus meum*: vbi Christus apertè esse suum corpus dixit, quod discipulis suis dedit. Ita enim Bellarminus verba exponit, & hanc esse Ecclesiæ Catholicæ sententiam ait, verba esse simpliciter & proprie accipienda in hunc modum, *Hoc*, id est, quod sub his speciebus continetur est corpus meum, id est, verum & naturale corpus, verè & propriè. Sed hanc sententiam esse horum verborum, vetus Ecclesia non putauit, vt nos postea docebimus: neq; est hic simplex & pprius sens⁹ verborum. Aliud est n. dicere, *Hoc est corpus meum*; aliud, Quod continetur sub his specieb. est corpus meum: illud enim non modò de eo quod cõtinetur, sed & de eo, quod videtur, intelligi debet; nam, *Hoc*, propriè demonstrat aliquid oculis: & aliud est dicere, *Hoc est corpus meum*; aliud, Hoc trãsubstantiatur in corp⁹ meum, vel, Ex hoc fit corpus meum. Aut ergo panis, aut species panis est corpus Christi, si propriè verba sumantur: sed hic sensus est falsus, vt aut panis propriè, aut species panis sit corpus Christi. Qui ergo exponit *Hoc*, id est, quod sub his speciebus continetur, is apertam synecdochen facit. Ita dum Aduersarii volunt τὸ ῥητὸν vrgere, & proprietatem sermonis in his verbis acriter defendere, in figuram imprudentes deuoluuntur. Quod etiam Lutherani faciunt, qui verba sic exponunt, in hoc, cum hoc, sub hoc pane, est corpus meum: nam Christus χ̃ τὸ ῥητὸν panem, non quod in pane latet, corpus suum vocat. Et Papistæ & Lutherani τὸ ῥητὸν vrgẽt, tamen illorum pugnantes de Sacramento sententiæ sunt. Varias autem expositiones horum verborum commemorat Bellarminus, quarum tamen pleræq; non differunt re: aliquæ pugnantes sunt, sed eæ non multæ. Ait nuper prodiisse libellum, in quo ducentæ numerãtur horum verborũ expositiones. Ego hunc librum non vidi, sed tamen dico omnes esse falsas præter vnam.

Bellarminus nouem tantum ex præcipuis recensẽt: vbi tamen obseruandum est, eum Lutheri opinionem omisisse, quæ controuersa inprimis est. Andreas Carolstadius inepte per, *Hoc*, ipsum Christi corpus intelligi vult, quod Apostoli videbant, & quod inter eos sedebat: suum enim corpus & se designasse, cum dixit, *Hoc est corpus meum*; non quod illis tradidit: at apertè Christus, quod illis tradidit, id corpus suum vocauit. Hanc expositionẽ Papistæ improbant, sed nullo iure, qui volunt ipsum Christi corpus, quod inter Apostolos erat, esse ab Apostolis esum: non enim habet Christus nisi corpus vnum: si ergo corpus Christi editur in Eucharistia, illud edit, quod Apostoli spectabant, nisi aliud Christi corpus proferre possint. Sed Carolstadius non putauit edi corpus Christi, ideo nouam expositionem excogitauit, quæ non aut panem verti in corpus Christi, aut esse in pane corpus Christi statuit; Christum enim loquutum esse nõ de pane, aut de eo, quod in aut sub pane continetur, sed de se, & ostendisse Apostolis suum corpus. Ridiculè: quorsum enim corpus suum, quod illi videbant, esse corpus suum diceret? quorsum pronunciaret de suo corpore, quòd ipsius corpus esset? Nos istam opinionem nullo modo admittimus, & nemo illam post Carolstadium amplexus est. Fuit ille quidem vir doctus, sed nimis cupidus contentionis.

Quod ad Buzerum, Zuinglium, Oecolampadium, Calvinum attinet, quibus opiniones differentes ascribit Bellarminus, idem hi omnes de hoc Sacramento senserunt & docuerunt, quemadmodum ex eorum summo consensu, & Bellarmini confessione patet, qui prius ait, Oecolampadium re conuenire cum Zuinglio, & Calvinum reuera nihil differre à sententia Zuinglii: hic verò vt nobis opinionum pugnas tribuat, diuersas sententias horum facit. Bucerus quidem per *Hoc* aliquando intellexit totam actionem, & sic interpretatus est hæc verba, *Hoc est corpus meum*, id est, hæc actio significat corpus Christi, vel, Christi corpus exhibetur in hac actione: voluit enim à signis ad res ipsas conuerti mentes nostras; & hæc actio non est profana, sed repræsentat Christi mortem.

Bellarm. de Sacram. Eucharist. l. 1. c. 1.

At postea in retractationib. suis per *Hoc* non modò panem & pocu- lum, sed simul ac præcipuè corpus & sanguinẽ Domini intelligit: esse enim duplicem demonstrationẽ, ad sensum vnam, ad intellectum, alteram, vt semper fieri solet, quãdo signo visibili res inuisibilis ostenditur & exhibetur; vt cum Episcopus dat sacros ordines, tradit librum; aliud autem oculis, aliud menti demonstratur: & Christus quando inflabat in Apostolos post resurrectionem, duas res exhibebat, sensibus afflatum, menti Spiritum Sanctum: ita his verbis, *Hoc est corpus meum*, sensibus panem, intellectui & fidei suum corpus demonstrâsse & exhibuisse. Quare diuersum nihil docet Bucerus à Zuinglio, aut Oecolãpadio, quorum se probare sententias sibi haud obscurè indicat. Neque hi duo omnino dissentiunt: eodem enim recidunt amborum expositiones. Zuinglius tropum constituit in verbo, *est*, in hunc modum, *Hoc est corpus meum*, id est, Hoc significat corpus meum: sic enim panem

** Bucer. in retract. & in Matth. 26.*

Exod. 12. 11.

corpus Christi dici, vt Agnus Pachalis vocatur transitus; atq; hunc locum ei oblatũ esse in somno ait, quod multi postea riserunt: sed multa in somno succurrũt, de quibus vigilantes non cogitabant. Alios multos locos obiecit Zuinglius importuno Aduersario, cuiusmodi hæc sunt, *Ego sum ostium; Christus est petra; Ego sum pastor; Ego sum vitis*; in his non acquieuit Aduersarius, quia hæc non sunt dicta de Sacramentis: cum verò hos & alios multos locos obiecisset, nec in his Aduersarius acquieuisset, ait quendã in somno sibi dixisse, Obijce hunc locum, *Agnus est Pesah*, id est, *transitus*. Potuit hoc quidem esse verum, sed de eo non valde contendo. Oecolampadius in attributo tropum potuit, *Hoc est corpus meum*, id est, inquit, signum aut Sacramentum corporis mei. Nec multum refert, vtrum dixeris, quis enim non videt, sensum eundem esse, siue dixeris, Hoc significat corpus meum, siue, Hoc est signũ corporis mei. Calvinus de his non laborat, sed vtrumque admittit: ait enim tropum esse posse, nempe metonymiam, in nomine *corpus*, vel etiam in verbo, *est*: nihil enim interesse.

Exod. 12. 11.

Sed Bellarminus ait Calvinum addere, non esse panem Eucharistiæ nudam figurã corporis Christi, sed talem figuram quæ rem exhibeat, ideoque Christum non dixisse, Hoc est figura corporis mei, sed, *Hoc est corpus meum*: in quo cum illis consentit, qui in Cæna verum Christi corpus spiritualiter esse dicunt: & sic Bucerus Zuinglii & Oecolampadii sententiam rectè exponit, quòd non abesse à Cæna Christi corpus docuerint, vt quidam putabant; & idem se cum iis sentire profitetur, & Zuinglium ac Oecolampadium laudat. Hoc igitur commentum est & calumnia Pontificiorum de nostra hac in re opinionum dissensione: inter nos enim nulla est dissentio, quia conuenimus inter nos, & dissentimus à Papistis. Nos hanc Buceri, Zuinglii, Oecolampadii, Calvini sententiam & expositionẽ probamus, Papistarum verò repudiamus, & non esse hæc verba propriè intelligenda dicimus. Quæstio ergo est, num propriè hæc verba intelligenda sint, vt Papistæ volũt, an, vt nos, tropicè & figuratè. Nos quidem facilem in ijs ac perspicuã & in Scripturis vsitatam figuram nempe μετωνυμίαν esse dicimus; non tamẽ quod in verbis ipsis per se consideratis sit tropus aliquis (nam panis est verus panis & corpus est verum corpus) sed si coniunctim & relatè considerentur, vt scilicet prædicatum attribuitur subiecto: nam verum corpus Christi non potest de pane prædicari nisi figuratè, nec sanguis de vino: ergo corpus de pane οὐχ ἁπλῶς, non simpliciter, sed figuratè prædicatur, & sic sanguis de vino. Est igitur τρόπος & χρῆσις non in verbis seorsum acceptis, sed in attributione. Sed ex verbis ipsis institutionis negamus posse concludi necessariò realem præsentiam, & cum Caietano dicimus, non apparere ex Euangelio coactiuum aliquid, ad intelligendum Christi verba pro-

Bucer. in retract.

priè: de quo Caietani dicto Dominicus Sotus ait; *dissimulari potuisset*; &, *hoc consultius siluisset*. Ita illi dissimulant, vt causæ suæ inseruiant.

Dominic. Sot. in 4. d. 9. q. 3. ar. 1.

Sed nullum esse in his verbis tropũ Bellarminus 4. argumentis probat: quorum *primum* sumitur à materia, de qua Christus agit, *secũdum* à personis, quibuscum Christus loquebatur, & à loco, ac tempore, in quo loquebatur, *tertium* à consensu Patrum, *quartum* à regula interpretandi Scripturas. De singulis ordine respondebimus. Argumẽtum *primum* sic instituit, Res, de qua hic agitur, est pactum, Sacramentum, Testamentum, lex, & dogma: ergo loquutio est propria; non figurata. Nos in syllogismum redigemus: Vbicunque agitur de tali materia, qualis est pactum, Sacramentum, Testamentum, lex, & dogma, ibi sermo semper est proprius, & nulla est figura: at hic Christus de tali materia agit: ergo hic proprio non figurato sermone vtitur. *Respondeo*: Probanda hic Aduersario duo sunt, quorum *primum* est, hic agi de tali materia, *secũdum*, ex eo sequi, sermonem non esse figuratum. De priore quidem non valde contendimus: non enim negamus, instituisse hic Christum Sacramentum, Testamentum, & pactum, & promulgâsse legem ac dogma: sed consequentia infirma est, ergo non esse figuram in verbis: potest enim Sacramentũ verbis etiam figuratis institui. Iam quomodo probet cõsequutionem videamus. 1. Sacramenta, inquit, solent à Deo institui proprijs ver-

1.

1. Sacramenta.

bis, vt in eorum vsu non erretur: id ex Circumcisionis, Agni Paschalis, Baptismi institutione probat: quis ergo credat, inquit, Christũ in instituendo primario Sacramẽto Religionis nostræ ita figuratè & ambiguè loqui voluisse, vt ne ipsi quidem Doctores Legis diuinæ inter se conuenire possint, quid sit hoc Sacramentum, panisne an corpus Domini? *Respondeo primò*: Non quisquis loquitur figuratè, ambiguè loquitur: imo multę sunt figuratæ loquutiones æquè planæ ac perspicuæ, & magis quidem significatiuæ, quæque maiorem in se emphasin habent, quam quæ figuratæ non sunt. Tropus enim non pugnat cum perspicuitate, sed figuræ illustrant res sæpe, easque multò expressiùs declarant. Qui more communi loquitur, etsi figuratè loquatur, non ambiguè loquitur: non est ergo omnis oratio ambigua propter figuras, sed aliquando illustrior. Sic cum Christus ait, *Ego sum pastor bonus*, est figura; tamen nemo nescit quid velit, & magis expressè ac melius in sensus influit hic sermo, quàm si dixisset, Ego sum similis pastori. Sic aliis metaphoris vtitur Christus, vt cum ait, *Ego sum ostium*, &, *Ego sum via*: *semen est verbum*: *ager est mundus*: *semen sunt filij regni*, *zizania sunt filij illius Mali*: *messis est finis mundi*: *messores Angeli sunt*: *Ego sum vitis vera*, *vos palmites*: *In manus tuas commendo spiritum meum*.

1.

Ioan. 10. 11.

Ioan. 10. 9. & 14. 6. *Luc.* 8. 11. *Matth.* 13. 38. 39. *Ioan.* 15. 1. 5. *Luc.* 23. 46.

Huiusmodi figuratis sermonibus referta Scripturę sunt, & summa est in eis perspicuitas: non est

ergo figura inimica semper τῇ σαφηνείᾳ, id est, *perspicuitati*. Quòd verò Doctores dissentiunt, id hominum contentiosorum vitio fit, non verbis. *Secundò* respondeo: falsum id esse, quod ait, Deum non nisi propriis verbis vti, cum instituit Sacramenta. Quando enim Scriptura nos de sacris mysteriis instruit, figuris & tropis vtitur: ergo non pugnant tropi cum Sacramentis: consentaneum verò est, vt de Sacramentis Sacramentaliter loquatur. Exempla in Scripturis suppetunt satis multa. Postquam iussisset Deus circumcidi mares, ait, *sic erit fœdus meum in carne vestra*: vbi circumcisio vocatur fœdus, q̃ nõ nisi signum fœderis diuini fuit: manifestus ergo tropus est. Sic Agnus vocatur Pascha, id est, transitus; & tamen non ipse transitus erat, sed Sacramentum, quod illũ transitum significabat. Deus illa nocte ædes Israelitarum præteriit, & in iis neminem læsit; in Ægyptiorum ædes inuasit, in quib. singulis aliquem interfecit: huius rei Agnus Sacramentum fuit, ideoq; ipsius rei nomine vocatur. Neque hoc in vetere modo Testamento fit, verum etiam in nouo. Illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, volunt Aduersarii de Baptismo intelligi: at renasci metaphoricum est. Bellarminus ait, hanc vocem explicari per illa verba, *ex aqua & Spiritu Sancto*. * Sed nobis sufficit, quod Christus metaphoricè loquutus fuerit: non igitur abhorret figura à Sacramento. Sed Bellarminus præterea ait, eam vocem non pertinere ad Sacramenti essentiam, sed ad effectũ significandum: & sic nos possemus dicere, his verbis, *Hoc est corpus meũ*, effectum significari huius Sacramenti, nos scilicet participes fieri corporis Christi, si hunc panem cum fide accipiamus: nam vt panis vocatur corpus, sic Baptismus vocari potest παλιγγενεσία, id est, *renascentia*, seu *regeneratio*. Et alibi Baptismus vocatur, συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, *stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum*, id est, Sacramentum stipulationis, qua nos victuros & seruituros Deo pollicemur. Sic Paulus ait, quotquot baptizamur in Christum, induisse Christum: & alibi, Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον, *Sepulti igitur sumus vnà cum eo per Baptismum in mortem*. Nihil magis tritum, quàm verbis figuratis doctrinam de Sacramentis exponi. Sic Christus, *Desiderio desideraui edere vobiscum hoc Pascha, antequam ego patiar*, id est, hoc Sacramentum Paschatis: & Apostoli aiunt, *Vbi vis paremus Pascha*, id est, Agnum Paschalem. Sed in verbis Eucharistiæ ipsis necessarium est agnoscere figuram, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη, *Hoc poculum est nouum Testamẽtum*: non ipsum sane poculum, sed aliud aliquid intelligit Christus, & tamen de solo poculo loquitur: figura igitur est: & hæc Sacramenti verba essentialia sunt. Tum si per poculum sanguis intelligatur, non sanguis est nouum Testamentum, sed id quo nouum Testamentum sancitur & continetur. Duplex ergo

Gen.17.13. Exod.12. 11.

Ioan.3.5.

** Sic & tropus in Eucharist. postea explicatur, cum Do-*

minu ait, Hoc facite in meã memoriã, & annunciabitis mortem Domini, donec veniat.

1. Pet. 3. 21.

Gal.3.27.

Rom.6.4.

Luc.22.15. & 9.Ioa.

ergo tropus est, in subiecto scilicet & in attributo. Et ipsi etiam Aduersarii ad tropos confugere coguntur: cum enim Paulus sæpe paniis vocabulo vtitur etiam post cõsecrationem, sic illi exponunt, appellari panẽ, quia panis ante fuit: est igitur tropus, quia dicitur panis, & tamen panis abest: quidni ergo panis dicatur corpus Christi simili tropo, etsi corpus Christi realiter non adsit? & tamen Bellarminus Sacramẽta solere à Deo institui ait, non nisi verbis non figuratis, hoc est, propriis & apertis 2. Idem de Testamentis quoque ait, nihil scilicet magis propriè, simpliciter, & exquisitè explicari solere, quam Testamentum, ne detur occasio litigandi de voluntate testatoris. Sic vetus Testamentum, inquit, ppriissimis & apertissimis vocibus instituitur, vt Apostolus illam institutionem refert: & probat Cænam esse Christi Testamẽtum, quia Christus ait, *Hic est sanguis noui Testamenti*, vel, vt Lucas habet, *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine*. Sic Iacob, inquit, Dauid, Tobias, Matthatias, testamenta sua, inquit, verbis clarissimis & simplicissimis composuerunt: & hic quoque mos humanus est, ex quo Apostolus argumentum sumit dicens, testamentum hominis ita esse ratum, vt nemo audeat aliquid addere vel demere: & ait leges humanas iubere, testamẽta in proprio sensu verborum intelligenda esse, vt si quis domum alicui det in testamento, & aliquis cauilletur, non veram domum, sed depictam dari, is apud nullum iudicem obtineret: Christus ergo Testamentum nouum non figuratis vocibus obscurauit, sed propriis & perspicuis proposuit. *Respondeo*: Christus Cænam non vltimam voluntatem suã, sed fœdus nominauit, id est, reconciliationem omnium credentium cum Deo: Διαθήκη enim fœdus & pactũ non minùs quàm testamentum significat. Sed demus esse testamentum: non sequitur tamen verba proprie esse intelligenda, qa testamentum potest verbis figuratis condi, vt tamen nulla sit ambiguitas de voluntate testatoris: non enim figura omnis obscurat orationem, sed potius ad eam illustrãdam adhibetur. Sed de singulis Bellarmini exemplis respondeamus. Sanguis vitulorum & hircorum vocatur sanguis Testamenti: at Testamentum propriè non habet sanguinẽ: aliquid ergo in verbis figuræ est. Qui dicit, hic est sanguis, quo Testamentum confirmatur aut repræsentatur, is ppriè loquitur: qui verò sanguinẽ taurorum aut pecudum esse Testamentum, aut testamenti sanguinẽ ait, is loquitur figuratè: & reuera ille sanguis non nisi signum & typus fuit illius sanguinis, quo æternum fœdus sancitur, qui Christi solius sanguis est: ergo in his verbis manifesta figura est. Sic Iacobi testamentum plenum figurarum est: *Ruben fortitudo mea: effusus es sicut aquæ: catulus leonis Iuda: Isachar asinus fortis: Dan coluber in via*: & pene omnia figurata sunt. Sed Bellarminus ait,

2. Testamenta.

Exod. 24 7 8.

Heb.9.19. 20.

Matth.26. 28.

Luc.22. 20.

Gen 49. 2. &c.

1. Reg.2. 1. &c.

Tob.4.2. &c.

1.Macha. 2.49. &c.

Galat.3 15.

Lex. ff. de legat. 3. leg.

Exod. 24. 8.

Heb. 9.20.

Gen. 49. 2. &c. 3.4.9. 14.17.

ait, hæc esse vaticinia, & inter vaticinandum variis figuris vti Iacobum; at cum ad ipsum Testamentum venit, clarissimis verbis vti. *Respondeo*: At nunc Patriarcha testamentum condidit, & quodammodo bona sua filiis distribuit: quã enim quisque hæreditatem habiturus esset, exposuit; illa autem verba, *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron, &c.* in quibus tantùm Iacobi testamentum contineri vult Bellarminus, non nisi locum sepulturæ præscribunt. Præclarum testamentum, in quo nihil datur aut legatur, sed tantùm de loco sepulturæ cauetur! quis vnquam tale testamentum condidit? Quare quæ præcedunt potius Testamentum continent, vbi Iosepho ait, *Do tibi* &c. hæc verba sunt testantis. hic autem est figura: ait enim se dare ei *sortem extra fratres, quam ceperat è manu Amorrhæi gladio & arcu suo*; non videtur de ciuitate Sichem loqui, quod illius incolæ Hiuæi non Amorrhæi essent, vt Hieronymus ab Oleastro affirmat; & Iacob nondum possedit illum agrum, imò coactꝰ est fugere metu: & cædem illam Sichemitarum execratur: ergo nunquam sibi ipsi ascriberet. Nec Iosepho sed posteris eius hunc agrum dedit, quia nondum Amorrhæis eripuerat, nec illos aliquâ victoriâ superauerat, sed loquitur de re futura, vt de præsenti, vel præteritâ, propter rei certitudinem: nouit enim Iosephi posteros certissimè erepturos esse illum agrum Amorrhæis, & eum tam certò in illorum manus venturum, quàm si tunc parta possessio fuisset. Huius victoriæ mentio habetur Iosue 24. vbi Iosue Dei nomine sic alloquitur filios Israel, *Introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem; cumque pugnarent contra vos tradidi eos in manus vestras, & possedistis terram eorum, atq; interfecistis eos.* Ergo hic figura manifesta est, quia Iacobus hunc agrũ in posteris suis eripuit Amorrhæis. Et Dauid in suo testamẽto multa figuratè loquitur, *Ecce*, inquit, *ego ingredior viam vniuersæ terræ*, id est, morior; & per vniuersam terram omnes homines intelligit. Sic postea vbi de Ioabo & Semei loquitur, figuratè loquitur: de Ioabo enim ait, *Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos*; & de Semei, *Deduces canos eius cum sanguine ad inferos*, id est, illum supplicio capitali afficies. Sic Tobias in suo testamento iubet filium non auertere faciẽ suam à paupere: sic enim fore, vt non ab illo facies Dei auersa futura sit: hoc figuratè dicitur; nã Deus faciem proprie non habet; & postea ait, *Panem tuum & vinum tuum, super sepulturam iusti constitue*; quibus verbis ad literam iubet filium cibos super sepulchra iustorum ponere; quod aliqui facere solebant, & Augustinus reprehendit; alii de magnificis & sumptuosis conuiiis in sepultura piorũ intelligunt: verba certè non possunt sine figura pium sensum habere. Similiter Matthathias filios suos alloquens iubet non timere verba peccatoris, *quia gloria eius stercus & vermis est*:

Verſ. 29, 30. *Gen.* 48. *vlt.* *Hieron. ab Oleaſt. in loc* *Gen.* 49. 7. *Ioſue* 24. 1. 1. *Reg.* 2. *Verſ.* 6. *Verſ.* 9. *Tob.* 4. 7 *Verſ.* 18. 1. *Macha.* 26.

hæc

hæc sine figura intelligi aut explicari non possunt. Quod verò ex Epistola ad Galatas affert, nihil aut contra nos aut ad rem facit: non enim addit aut demit, qui figuratè exponit, quod enunciabatur figuratè, sed qui aliter interpretatur, quàm intellexit is, qui Testamentum condidit. Et certum quidem est, testamenta esse in proprio sensu intelligenda; quod leges præcipiunt, vt si quis domum aut fundum legauit, is non signa harum rerum, sed res ipsas legâsse intelligatur: sed proprius sensus dupliciter accipitur, vel scilicet vt verba sonant natiue sine figura aut tropo: vel proprius sensus est, quem verba præ se ferunt secundum cõmunem rationem & testatoris voluntatem intellecta. Regula est iuris, in testamentis optimum est scrutari inprimis, quid testator demonstrare voluerit. Sic figuratus sensus potest esse proprius sensus, & Testamenta, vt & alia scripta, intelligenda sunt secundum regulas loquendi. Si quis Testamento det alicui Ciceronem, Platonem, Aristotelem, Liuium suũ, quid velit, omnes sciunt: non tamẽ hi libri sunt ij ipsi quorum nominibus vocantur: figura est igitur. Et vix aut testamentum condere, aut omnino loqui possumus, sine figuris.

Gal. 3. 15.

Legi Testamentum Franciſci Petrarchæ: is Bibliothecam suam Sancto Marco legauit, id est, Ecclesiæ Sancti Marci, quæ est Venetiis. Falsum igitur argumentum est, non esse in his verbis figuram, quia Christus testamentum composuit. Christus Apostolos suos in hunc modum alloquitur, *Διατίθημαι ὑμῖν, dispono vobis* (sic vulgata editio habet) quasi diceret, hæc mea nouissima voluntas est, *vt edatis & bibatis in mensa mea*: manifestus tropus est; nam in regno illo, de quo ibi loquitur, nulla mensa est, nec illic aut edemus aut bibemus. Iam de pactis dicamus. 3. Etiam pacta, inquit Bellarminus, seu fœdera, ex eo genere rerum sunt, quæ exquisitissimis & propriis verbis explicantur, ne locus vllus relinquatur cauillis: sed Christi Testamentum est quoque pactum, quia est (inquit) Testamentum conditionatum. *Respondeo*: Christi Testamentum esse pactum non est dubium: Sed Eucharistiæ Sacramẽtum neque est Testamentum, neque pactum ipsum, sed eius symbolum: nam pactum est de remissione peccatorum, & reconciliatione p sanguinem mediatoris; huius fœderis Sacramentum Eucharistia est. Malè argumentum sequitur à pactis ad pactorum symbola. Sed ne pacta quidem semper verbis propriis fiunt.

3. *Pacta.*

* Fœdus cum Adamo pepigit Deus his verbis, *Semen mulieris conteret caput serpentis*: est in verbis χῆμα. Similiter cum Noacho fœdus pepigit, se non esse post deleturum hominum genus aquis, & se huius pacti signum positurum in nubibus arcum suum, vt quoties arcum aspiceret, huius pacti recordaretur: est hic figura; nullus n. in cælo arcus est, nec Deus aspectibili

* *totum vetus Testamentum est multis figuris velatum.* *Gen.* 3. 15. *Gen.* 9. 13. *Gen.* 31. 52.

signo indiget ad reminiscendum. Conuenerat inter Laban & Iacob, vt neuter illum cumulum transiret, quem Iacob erexerat: procul dubio cumulum transire poterat, sed non ad damnum inferendum; & inferri damnum potuit, vt cumulus ipse non transiretur: ergo verba non sunt ita curiosè & exquisitè intelligenda, quemadmodum propriè sonant. Quid vterq; vellet, satis constabat, sed verba nō tam exquisita sunt, quàm Bellarminus in pactis requirit. Et si quis eo animo sit, vt fallere velit, nulla verba sufficiunt. Pepigerunt fœdus Romani cum Antiocho de tradēdo classis dimidio. verba satis aperta fuerunt, tamen Romani Antiochum fefellerunt; nam eius naues omnes medias secuerunt. Tarpeia virgo cum Tatio pepigit de colle prodendo, si darent milites, quod læuis gestabant: illi potiti colle eā scutis obruerunt; sed illa armillas sperabat. Simili fraude vsus ille est, qui noctu agros populabatur, q̄ dierum essent pactæ, non noctium induciæ. Debent quidem pacta fieri verbis apertis, vt de sensu cōster, & vt piè seruari possint; sed vt verbum nullum in fœdere figuratum sit, id non est necesse. Ipsæ Decalogi tabulæ, id est fœderis, suas figuras habent, *Eduxi te*, inquit Deus, *è terra Ægypti, è domo seruorum*: certè in Ægypto non vna tantùm domus fuit. Et si Deus nos in his verbis alloquatur, necesse est vt loquatur figuratè: nos enim in Ægypto nunquam fuimus, neque in illa seruitute, sed è potestate Satanæ eiusque seruitute vindicati sumus: & hoc fœdus ad nos quoque pertinet, aut certè Decalogus nihil ad nos spectat. Sed Bellarminus nullum testimonium proferre potuit, quo à pactis figuras remoueat. 4. Proximo loco de præceptis & legibus contendit, debere scilicet verba legum perspicua & propria esse, ne detur occasio præuaricationi. Omnia Decalogi præcepta (inquit) propriis verbis explicantur; etiam alia præcepta, quib. certi ritus in lege veteri instituuntur. Et hic quoq; aliquid præcipitur. *Respondeo*: Quicquid præcipitur fieri, id propriis verbis præcipi falsum est: multa enim præcepta figurata sunt, vt *Nolite indurare corda vestra*, &, *Lauamini, mundi estote*, & alia huiusmodi, quæ passim occurrunt. Sensus horum præceptorum satis manifestus est, sed verba aliud præcipiunt, quàm præ se ferunt. Non enim durantur corda, sed voluntas fit peruersior, & nihil prodest corpora lauare, sed animus purgandus est. His simile illud est apud Prophetam Ioelem, *Scindite corda vestra*. Præterea ne præcepta quidem omnia Christi in Cœna figurâ carent, etiam ex illorum sententia: nam in his verbis, *Hoc facite*, constituunt illi figuram, *Hoc facite*, (inquiunt) id est, hoc sacrificate. Deinde sunt etiam ibi præcepta verbis propriis posita, vt, *Accipite, edite*: sed Bellarminus ait, non hoc satis esse, nisi etiam proprie & apertè significetur, quid sit, quod accipere & edere oportear: aliter enim accipiendum est, inquit, frustum panis, aliter Christi corpus. Sed *Respondeo*: Satis apertè constabat Apostolis, quid illos facere Christus mandarit: dedit enim illis panem ac vinum, & iussit edere ac bibere; sed hunc panem & vinū non nunc dedit vt cibum & potum communem; erant enim nunc Sacramenta: non ergo vt frustum panis acceperunt, sed vt Christi Sacramentum, cum quo ipse Christus spiritualiter sumeretur. V. Postremò dogmata non nisi propriis verbis tradi solere ait in diuinis literis, p̄sertim præcipua, quæ præcise credi aut seruari debent: at in his verbis, inquit, *Hoc est corpus meum*, vnum ex præcipuis dogmatib. Christianæ religionis contineri, nemo hactenus negauit. *Respondeo*: non hoc semper fieri: nam Christ⁹ ait, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem eius, nō habetis vitam in vobis*: in his verbis Origenes & Augustinus tropum constituunt; & in his dogma continetur. Sic Christus cum docuit Apostolos, multas parabolas proposuit: & idem ait illis, *Ego sum vitis illa vera, & Pater meus agricola est*: *vos palmites*. Quid opus est exemplis? nullus ferè locus est, vbi non eiusmodi habentur.

Atq; hoc Gardineri argumentū fuit, cui Petrus Martyr respondet, non deesse in Scriptura Sacramenta, dogmata, & præcepta tropis explicata. De præceptis hæc exempla affert Petrus Martyr, *Attendite à Pseudoprophetis, qui ad vos veniunt in vestimentis ouium*: *Cavete à fermento Pharisæorum*: *Nolite contristare Spiritum Sanctum*: *Nolite soliciti esse de crastino*: Dogmatum figuratorum hæc exempla affert, *Deus noster est ignis consumens*: *Nos omnes vnus panis sumus*, & illa, vbi Christus dicitur lapis, leo, vitis, &c. de Sacramentis exempla affert, *Petra erat Christus*: &, *Agnus erat Pesach*: &, *Circumcisio est fœdus*: &, *Calix est nouum Testamentum*. Iam quomodo Bellarminus Petro Martyri respōdeat videamus. Ait Martyrem nō respondisse ad argumentum sumptum ex vocibus Testamenti & pacti. *Respondeo*: Non hoc illi obiectum fuit: si fuisset, procul dubio respōdisset: sed ego nunc satis de his, vt opinor, respondi. Bellarminus ad ea, quæ à Martyre afferuntur, ordine respondet, & primò de præcepis, quorum ille distinctionem quandam ex suo cerebro fingit. Distinguenda esse ait præcepta peculiaria, & proprie dicta, à cohortationibus; illa esse propriis vocibus efferenda, his aptissimè admisceri tropos: ratio est, quia cohortationes sunt de rebus notissimis. *Respondeo*: absurdam & ineptam esse hanc responsionem.

Primò ait præcepta deberi propriis verbis efferri, postea pressius exemplis, ait illa non esse peculiaria præcepta, quia sunt de rebus notissimis, vt omnes norunt falsos Prophetas fugiendos esse, cauendum esse ab hypocrisi & falsa doctrina, non esse aliquid agendum, quod Deo displiceat, vitandas esse superuacaneas curas; ideo Christum adhibuisse tropos, cum ad ista hortaretur. Sed quid tum? nō sunt ergo hæc præcepta quia omnibus notissima sunt? Deum esse diligēdum, Omnib. notum est: non est

Liu. l. 1. & Dion. Halicarnass.

4. Præc. & legum.

5. Dogmata.

Ioan. 6. 53.

Matth. 13. per tot. Ioan. 15. 5.

Pet. Mart. in Defens. cont. Gardin. p. 3. in fine.

Matt. 7. 15. & 16. 6.

Ephes. 4. 25. 30.

Mat. 6. 34. Heb. 12. 29. 1. Cor. 10. 17. & 4. Exod. 12. 11. Gen. 17. 13. Luc. 22. 20.

Ioel. 2. 13.

ergo præceptum? Sed etsi omnib. hoc notum sit, pseudoprophetas esse fugiendos, tamen quomodo discernendi pseudoprophetæ sint, non omnes nôrunt: hoc Christus figuratè docet, *veniũt*, inquit, *ad vos in vestimentis ouium*, id est, videntur mites & simplices, sed sunt crudeles & sanguinarii: & est non modò exhortatio, sed etiam præceptum, & quidem peculiare præceptum, de falsis Doctoribus cauendis. Eiusmodi est, quod Christus ait, *Nolite vocare quenquam patrem super terram*: est præceptum peculiare, & tamen figuratè proponitur, nisi velit propriè neminem vocandum esse patrem. Et quod Apostolus ait, *Expurgate vetus fermentum*, est peculiare præceptum de incestuoso excommunicato; & tamen figuratum est. Falsissima ergo hæc regula est, abesse figuras, vbi est præceptum peculiare: non enim hoc magis peculiare præceptum est, *Hoc facite*, quàm illud, *Immolate Paschа*. Quod ad dogmata attinet, Bellarminus ait, non vocari dogmata quaslibet de Deo sententias, sed eas tantùm, quæ habent peculiarem difficultatem. Sed quis huius distinctionis author est? quis hanc regulam cõmentus est? Dogmata sunt, quæcunq; aliquam doctrinam proponunt, seu difficilẽ, seu minus difficilem. Illud, *Omnes nos sumus vnus panis*, docet esse summam & eam quidem mysticã coniunctionem inter fideles, quæ in Symbolo communio Sanctorum dicitur: si ergo communio Sanctorum est dogma difficile, tum & hoc quoque dogma difficile est, & tamẽ proponitur figuratè. Sed Bellarminus iterum respondet, si hæc dogmata in vno loco tropicè proponantur, in alio propriè explicari: at dogma hoc de Eucharistia nusquam alibi in Scriptura aliis verbis habetur: nusquam enim panis Eucharistiæ vocatur figura corporis Christi. *Respondeo*: Id si verum sit, tum Patres certè malè Scripturas intellexerunt. Sed Scriptura planissimè hunc panem esse verum panem ait; sic Paulus sæpe: & hic ait, significari & annunciari hoc Sacramento mortem Christi: ergo esse signum innuit, vt nos postea fusius docebimus: & cum Christus iam ad mensam sederet cum Apostolis, facilè intelligere potuerunt, hæc verba, *Hoc est corpus meũ*, non esse propriè intelligenda. Tũ quomodo illa verba excusari à tropo possunt, *Hoc poculum est nouum Testamentum*? Ad Sacramenta quod attinet, de exemplis à Martyre allatis pollicetur Bellarminꝰ se postea responsurum: nunc tantùm de illo loco, *Petra erat Christus*, multa ait, quæ nos supra reputauimus; nunc tamen aliquid respondendũ est.

Matt. 23 9.

Exod. 12. 21.

1. Cor. 10. 17.

Luc. 22. 19.

Ait Paulum loqui non de materiali petra, sed de inuisibili, quæ est Christus, vt Deus: ideo non pertinere locum hunc ad propositum. *Respondeo*: Paulum de petra materiali loqui; quod ex his quatuor argumentis apparet.

1. *Primò* ait, hanc petram sequutã esse Israelitas, quia aquas emisit, quæ illos per totum desertum secutæ

cutæ sunt: Christus verò non sequebatur, sed præibat eos in nube.

2. *Secundò*, Apostolus ait, omnes bibisse ex ea petra: at non omnes de petra inuisibili biberunt, quæ est CHRISTVS secundum deitatem.

3. *Tertiò*, Apostolus non ait, vt Bellarminꝰ exponit, Christus erat petra, sed petra illa, de qua bibebant, erat Christus, id est, Sacramentum Christi erat, vel significabat Christum, non reipsa Christus erat. Sic Augustinus, *Solet res, quæ significat, eius rei nomine, quam significat, nuncupari: sicut scriptum est, Septem spicæ septem anni sunt, & multa huiusmodi. Hinc est quod dictum est, Petra erat Christus. Non enim dixit, Petra significat Christum; sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam non hoc erat, sed per significationem.*

Augustin. super Leuit. q. 57.

4. *Quartò*, agitur hic de Sacramentis: comparat enim vetera Sacramenta cum nostris: ergo hinc ducitur aptissimũ exemplum Sacramentalis prædicationis: agi verò hic de Sacramentis, & comparari hic vetera & noua Sacramenta, omnes fatentur, & nos iam satis antea euicimus.

1. Cor. 10. 1. &c.

2. *Secundum* Bellarmini argumentum sumitur à personis, quibuscũ Christus nunc loquebatur, cùm Cænam instituit, id est, ab Apostolis. Non sic Christus cum Apostolis loquutus est, vt cum Pharisæis: nam Pharisæi indigni erant tam sublimium mysteriorum cognitione: at Apostoli rudes ac simplices erant, & instituebantur vt magistri futuri totius generis humani: ergo eis aut omnia clarissimè proponebat, aut dicta obscurius statim exponebat. *Respondeo*: argumentum non sequi, Apostoli non erãt similes Pharisæis: ergo hæc verba non sunt tropicè intelligenda, nẽpe, *Hoc est corpus meum*. Neque à parabolis ad tropos, neque à Pharisæis ad Apostolos valet argumentum. Parabolę obscuræ satis erant, nec intelligi ferè sine interprete potuerunt: quanquam Christi quasdam parabolas a Pharisæis satis intellectas fuisse constat, vt parabolam illam de Patrefamilias, cuius filius ab agricolis, quib. vineam suã elocauit, trucidatus est, Pharisæi cognouerunt de se dici: at tropi, qualis horum verborum est, tam faciles sunt, vt quiuis possit intelligere. Quare Christus, cum parabolas vult exponere, tropos adhibet, vt ex parabolæ de seminante explicatione patet. Postquam enim narrauerat, quemadmodum agricola ad seminandum semen suum exiit, quæ fuit parabola; postea hanc parabolam exponens, id est, docens quid significet, ait, *Semen est verbum Dei*: vbi tropus manifestus est: alia igitur parabolæ, alia tropi ratio est: multum inter hæc duo interest. Et quanquam Christus rarò parabolicè alloquitur Apostolos, tamen figuratè passim alloquitur, vt cum ait, *Beati pauperes spiritu*, &, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, & cũ ait, *Si oculus tuus dexter facit vt tu offendas erue eum, & abijce abs te*, & similiter cum ait, *Si dextera tua manus facit vt tu offen-*

Matth. 21. 45.

Luc. 8. 11.

Matth. 5. 3. & 5. & 29. & 30.

tu offendas, excinde eam, & abiice abs te: nemo præter Originem hunc sermonem non esse figuratum dixerit. Sic cum ait, *Lucerna corporis est oculus*, &, *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis est diabolus?* neque vlla ibi expositione vsus est. Ita cũ ait, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &, *Tibi dabo claues regni cælorum*, & postea in eodem capite, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me*: & alibi, *In domo Patris mei multæ mansiones sunt*: &, *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est; vos palmites.* His vocibus Apostolos, quãtumuis rudes, offensos non esse legimus. Imò in illis Christi verbis, *Pasce agnos meos, & oves meas*, duplex metaphora est, vna in vocabulo *pascendi*, altera in vocabulo, *oues*, & *agnos*: atque his verbis Aduersarii contendunt Christum dedisse Petro primatum, quem illis verbis, *Tibi dabo claues*, antea promiserat. Figurata sunt verba in vtroq; loco, & tamen Aduersarii volunt esse apertissima: quidni ergo in his verbis, *Hoc est corpus meum*, tropus sit, & tamen verba sint perspicua? illa verba licet figurata satis aperta esse affirmant, hæc, quia figurata sunt, ita obscura esse dicũt, vt ne ab Apostolis intelligi possint: quo quid stupidius? Sed vtitur Bellarminus argumento, Christus (inquit) Apostolos hic instituit, vt futuros magistros totius generis humani: ergo non est vsus tropis. *Respondeo*: Quasi qui oratione figurata vtitur, is non possit instituere; aut quasi non promiserit Christus Apostolis Spiritum Sanctum, qui illis omnia suggereret, eosq; in omnẽ veritatem deduceret? Quare puerile hoc & elumbe argumẽtum est, Christus alloquitur futuros magistros totius generis humani: ergo non vtitur figuris: nam illi volunt Christum his verbis, *Pasce oves meas*, non modo instituisse magistrum, sed etiam fecisse pastorem vniuersæ Ecclesiæ; quod fieri non potest, nisi in verbis illustris sensus sit: & tamen quin verba figurata sint, non potest negari. Sic Christus Apostolis ait, *Qui lotus est, non opus habet, nisi vt pedes lauet*; vbi loquitur parabolicè, nec tamen Apostoli nesciebant, quid loqueretur, aut verbis eius offendebantur: Bellarmini igitur argumentum cadit. Sed ille nunc duobus argumentis probat, Christum non exposuisse tropum in Cæna. Sed quid si in Cæna non exposuit? nam neque indigebant expositione, quia Apostoli satis norunt, qd Christus vellet; neque si obscura fuissent necesarium fuit statim exponi: potuit aut priùs aut postea exponere, licet non in Cæna exposuit. Neque tamen semper exponit tropos, & ea quæ figuratè loquitur: nam duobus filiis Zebedæi dixit, *Potestis ne bibere poculum, q̃ ego bibiturus sum, & baptismate, quo ego baptizor, baptizari?* non exponit postea quid velit, quia Zebedæi filii statim intelligebant. Sic cum Christus Mariæ matri suæ de Ioanne discipulo dixit, *Mulier, Ecce filius tuus*, & postea Ioanni, *Ecce mater tua*, non quærebant illi, quid sibi vellet,

Mat. 6. 22 *Ioan.* 6. 70. *Matth.* 16 18 19. 24.

Ioan. 14 2. *Ioan.* 15. 1. 5 *Ioan.* 21. 15. 16. 17.

Ioan. 14. 26. & 16. 13.

Ioan. 13. 10

Matth. 20. 22.

Ioan. 19. 26. 27.

vellet, quia mox intelligebant. Sed argumenta eius audiamus. *Primum* est, nullum extare vestigium explicationis. *Respondeo*: esse aliquod vestigium. Etsi enim verba satis per se explicata sunt (quis enim Apostolorum potuit illum panem accipere pro corpore ipsius Christi, quod ante oculos erat?) tamen postea mentem suam aperuit, cum bis dixit, *Hoc facite in mei recordationem*; quibus verbis docet hæc symbola esse μνημόσυνα mortis suæ, id est, quasi pignora quædam à se relicta, quibus mortem eius in memoriam reuocemus: Cænam hanc subinde celebrandam, vt memoriam mortis Christi recolamus, nõ vt eius carnem ore nostro manducemus, & sic Christum rursus aut interficiamus, aut malè mulctemus. Et Christus antè hanc insulsam & phantasticam opinionem de reali manducatione refutauerat, cum contra Capernaitas disputaret.

Secundum Bellarmini argumentum est, quia omnes Euangelistæ, atque etiam Paulus, iisdem verbis vtuntur, licet diuersis & locis & temporibus scripserint. *Respondeo*: Etsi hoc verum esset, nihil tamen ad rem faceret: sed palam falsum est. Non enim omnes ijsdem verbis vtuntur: nã Matthæus & Marcus habent tantùm, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*: at Lucas habet, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, & Paulus, *quod pro vobis frangitur*: & apud Lucam habetur, *Hoc poculum est nouum Testamentum in sanguine meo*: in quibus verbis manifestissim' tropus est, vt isti troporum calumniatores obmutescant. Missæ Romanæ Canon mutauit verba Christi; nam pro *Hic calix est sanguis meus*, ponitur in Canone, *Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti*: atque hanc esse formam dicunt consecrationis vini; sed hæc Christi verba non sunt, nec cuiusquam Euangelistæ: verba autem consecrationis debent esse Christi. Et hæc verba, *Accipite, bibite*, Lucas non habet, nec Paulus verbum, *bibite*: Marcus de pane habet, *Accipite, comedite*, antequam ederunt Apostoli; de vino contrà, postquam bibissent, dixit, *Hic est sanguis meus*: si ergo vinum in sanguinem versum est, non nisi epotum versum est. Hæc cum ita sint, quo ore affirmat Bellarminus omnes huius historiæ scriptores iisdem verbis vti?

Tertium Bellarmini argumentum sumitur à consensu interpretum: Nullus interpres, inquit, hũc locum tropice intelligendum esse dixit, cum multi in Euangelia & in Paulum commentarios scripserint. *Respondeo*: Nil dici falsius potuit. Omnes antiqui interpretes in verbis figuram agnoscunt, idque Bellarmino ignotum esse non potuit: & tamen hunc locum nuda nominum repetitione cõficit. Sed vt omnes intelligant, quàm hoc egregiè falsum sit, pauca exempla & testimonia Patrum hoc loco afferam, qui figuratè hæc verba interpretati sunt. Tertullianus ait, *Christus non reprobauit panem, quo ipsum corpus suum repræsentat*: est ergo hic panis

1. *Cor.* 11. 14. 15.

Ioan. 6. 53. *&c.* & 61. 62. 63.

Matth. 26. 26. 28. *Marc.* 14. 22. 24. *Luc.* 22. 19. 20.

3.

Tertullian. cont. Marcion. l. 1.

panis, nõ figura tantùm panis, aut accidentia panis; & hic panis repræsentat corpus Christi, non est corpus Christi. Et idem alibi ait, *Idem cont. Marcion. l. 4.* *Professus se concupisse edere Pascha vt suum, acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum dicit, hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.* Christus quidem ex pane fecit corpus suum, at non realiter, quia Christi corpus factum est ex substantia Mariæ, non ex tritico, sed Christus panem corporis sui Sacramentum fecit: & apertè ait Tertullianus, Christum, cum dixit, *Hoc est corpus meum*, nihil aliud voluisse, quàm hoc esse figuram & Sacramentum corporis sui.

Chrysost. hom. 83. in Matth. Chrysostomus hæc verba habet, *Si mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est?* & alibi, *In sacris vasis non est ipsum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur.* Idem adhuc alibi, *Carnale est dubitare, quomodo Christus possit nobis carnem suam dare ad mãducandum, cum hoc sit mysticè & spiritualiter intelligendum.* Est ergo panis non corpus ipsum Christi, sed Sacramentum eius. Basilius in Liturgia, si modò eius sit, panem vocat ἀντίτυπον, id est, *figuram* & *exemplar* corporis Christi, idque post consecrationem. Sic Nazianzenus panem & vinum vocat ἀντίτυπα: & alibi vocat τύπους, id est, typos vel figuras nostræ salutis. Similiter Macarius, ἄρτος καὶ οἶνος ἀντίτυπα τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος, *Panis ac vinum sunt exemplaria carnis eius & sanguinis.* Sic Theodoretus, *Diuina mysteria sunt* ἀντίτυπα, id est, *exemplaria veri corporis.* Augustinus ait, *Sacramenta esse signa aliud existentia, aliud significantia.* Sunt enim panis & vinum, significant verò corpus & sanguinem Christi. Idem alibi, *Christus Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendauit.* Idem adhuc alibi, *Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Ambrosius hæc verba habet, *Sicut mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis:* ergo vt mors Christi non adest realiter in Eucharistia, ita nec sanguis Christi: & alibi vocat hoc Sacramentum *figuram corporis & sanguinis Domini.* Cyrillus sic scribit, *Christus credentibus discipulis fragmenta panis dedit.* Fulgentius ait, Hic calix est nouum Testamentum, id est, hic calix nouum Testamẽtum significat; citat Haymo. Apud Gratianum in glossa hæc verba habentur, *Sacramentum cæleste dicitur corpus Christi, sed improprie; dicitur Christi corpus, id est, significat Christi corpus.* Quid plura desideramus? nos Patres in hac caussa consentientes habemus, & omnem etiam antiquitatem, quẽadmodum postea, si Deus dederit, docebimus. Doctores Scholastici confitentur, non posse ex verbis Cænæ inferri corporalem præsentiam, nisi hoc ordine & sensu intelligãtur, *Hoc est corpus meum, Accipite, manducate:* quod verò Christus ait, *Accipite, manducate, Hoc est corpus meum*, esse hysteron proteron, vt Innocentius & Thomas dicunt, vel ὑπερολογίαν, vt vult Bellarminus.

Idem in Ioan. hom. 46.

Basil. in Liturg.

Nazian. in Epitaph. Cæsarii.

Idem in orat. ad ciues suos.

Macar. hom. 27.

Theodoret dial. 2.

Augustin. cont. Maximin. l. 3. c. 22.

Idem in Psalm. 3.

Idem cont. Adimant. Manich. c. 12.

Ambros. de Sacramẽt. l. 4. c. 4. & c. 5.

Cyrill. in Ioan. l. 4. c. 24.

Gratian. de consecr. d. 2. c. Hoc est quod dicimus, in Glossa.

Bellarmin.

Duran-

in libello de Cœna Domini. Durandus ait, his verbis, *Hoc est corpus meum*, nil aliud exprimi, nisi præsentiam corporis; quod fieri potest sine transubstantiatione: at Papistæ volunt sensum literalem esse, qui transubstantiationem necessariò infert. Sed Bellarminus ait, Patres multos expresse monere, verba hæc non accipienda esse tropicè, sed propriè; & iubet videre Chrysostomum in hunc locum, & quosdam alios. *Respondeo:* Patres etiam nonnullos monere, ne verba proprie accipiamus. Origenes hanc literam occidere ait, si quis Christi carnem realiter comedendam dixerit.

Origen. in Leuit hom. 7.

Augustin. de doct. Christ. l. 3. c. 16. Augustinus ait, nisi verba, quæ carnem Domini nos edere debere affirmant, figuratè sumantur, in illis flagitium & facinus præcipi.

Chrysost. hom. 83. in Matth. Chrysostomus ait, Christum ipsum bibisse cum Apostolis, ne perturbarentur, & se sanguinem bibere putarent: at sanguinem biberunt, nisi verba mysticè & figuratè intelligantur: ne igitur tale scandalum acciperent, quale nonnulli antea acceperunt, *primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret*; & postea ait, Christum, *quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidisse.* Quare Chrysostomus esse panem & vinum in hoc Sacramento existimauit, non nudas species panis & vini. Ipsi nobis irascuntur propter figuras, & tamen in Eucharistia panis & vini non nisi figuras remanere aiunt. Præterea vocat ibidem Chrysostomus hanc Cænam, *mysterium; symbolum; signũ:* ergo verba non esse propriè intelligenda putauit: nam si propriè intelligerentur, res ipsa non signũ vocari deberet. Tantum abest, vt Chrysostomus moneat verba non esse figuratè intelligenda, vt omnino figuratè sumenda esse doceat. Sed iubet nos Bellarminus Ambrosium etiam consulere. Sed qui locum illum Ambrosii inspexerit, quem ipse citat, inueniet hoc Sacramentum dici statim in initio capitis *figuram corporis & sanguinis Domini.* Quod verò postea subiungit, ante cõsecrationem esse panẽ, sed vbi Christi verba accesserint, esse corpus Christi, libenter agnoscimus: fit corpus Christi consecratione, at non ipsum reale corpus, sed Sacramentum, quod quodammodo est corpus Christi: non iam panis vsitatus est, vt capite superiori ait Ambrosius, vbi etiam abunde docet, qualem consecrationem statuat, non scilicet quæ naturam & substantiam elementorum, sed quæ vsum immutet: ait enim & esse, quæ erant, & in aliud commutari. Sunt ergo quæ erant, id est, panis & vinum, & mutantur in aliud, id est, in corpus & sanguinem Christi, non tamen realiter; nam sunt quod erant; sed Sacramentaliter. Idque ex exemplo, quo postea Ambrosius vtitur, manifestum est: *Tu ipse eras*, inquit, *sed eras vetus creatura: posteaquam consecratus es, noua creatura esse capisti:* nulla tamen in nostris aut corporibus aut mentib. est transubstantiatio: noui tamen homines & nouæ creaturæ diuina quadam consecratio-

Ambr. de Sacramen. l. 4. c. 5.

ne efficimur non quoad ſubſtantiam, ſed quoad qualitates: & ſic iſtæ creaturæ panis & vinum in Euchariſtia mutantur quoad vſum & qualitates, nõ quoad ſubſtantiam; quia ex communibus rebus fiunt Sacramenta. Nil ergo Ambroſius dicit, quo doceat verba eſſe ſine tropo intelligenda, imo non poſſunt aliter quàm cum tropo intelligi, ſi rectè Ambroſium intelligamus. Iubet nos quoque Bellarminus Cyrillum cõſulere, vbi Cyrillus apertè ſcribit, nos carnem & ſanguinem Chriſti in pane & vino accipere: fatetur ergo panem & vinum remanere, & ſic corpus Chriſti ibi eſſe non reipſa, ſed Sacramẽtaliter: atque ita neceſſe eſt exponere verba figuratè. Sed quia Patres ſcribunt, fide hic opus eſſe, hinc probat Bellarminus, verba non eſſe figuratè intelligenda; ſi enim tropicè intelligerentur, nulla eſſet difficultas fidei. Quæ enim difficultas, inquit, ſi ſolum credẽdum, pane ſignificari corpus Chriſti? *Reſpondeo:* etſi non adſit Chriſtus realiter, nec panis realiter mutetur, tamen opus eſſe fide, quia nullum Sacramentum ſine fide prodeſt. Et nonne fides requiritur ad ea, quæ figuratè dicuntur, intelligenda? quomodo aliter intelligimus quod Chriſtus ait, *Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt: vos palmites:* &, *Si manſeritis in me fructũ feretis, alias areſecetis?* Quid? an non opus erat fide ad naturam veterũ Sacramentorum intelligendam? nemo negârit. Et ſine fide non poſſumus intelligere, quemadmodum in Baptiſmo peccata noſtra abluantur, & nos Chriſtum induamus, & in communionem corporis Dominici ſumamur.

Cyrill Alexand. in 1 piſt ad Ea oſtr.

loan. 15. 1. 4. 5. 6.

* Quamuis ergo nulla tranſubſtantiatio ſit, tamen ſine fide panẽ & vinum in Euchariſtia à communibus his creaturis, quibus corpora noſtra aluntur, differre non intelligemus: at nos hæc Sacramenta accipimus vt mentis pabulum, & eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, id eſt, Sacramenta mortis Dominicæ intelligimus, vt quoties accedimus, Chriſtum quodammodo pro nobis mortuum, & ſanguinem eius fuſum ſpectemus, & Chriſtum fide edamus bibamuſque. Remove fidem, & nil niſi rianis & frigida cæremonia remanebit. At Papiſtarum tranſubſtantiatio eſt naufragium fidei: pugnat enim cum omni fide, Chriſti corpus, & ſanguinem & animam poſſe ex pane & vino fieri: monſtrum hoc, hæreſis, blaſphemia, non fides eſt. Sed nos de Patrum atque interpretum teſtimoniis ſuo loco dicemus. Non vnum inueniet, qui negarit verba hæc eſſe tropicè atque ἐξημαπομένως, id eſt, *figuratè* intelligenda.

* *Quare Chryſoſt. requirit fidem non modo vt verba hæc Chriſti rectè intelligamus, ſed etiam vt quemadmodum pro aquam Baptiſmi donum cæleſte conceditur, ſciamus. Chryſoſt. hom. 83. in Matth.*

Quartum & poſtremum Bellarmini argumẽtum ſumitur à communi regula explicandæ Scripturæ, quæ eſt, proprium verborum ſenſum nunquam dimittendum eſſe, niſi cogamur ab aliquâ aliâ Scripturâ, aut ab articulo aliquo fidei, aut à communi totius Eccleſiæ explicatione. *Reſpondeo:* Fateor eum ſenſum retinẽdum eſſe, quem verba

verba præ ſe ferunt propria ſignificatione, niſi neceſſitas aliqua cogat, verba aliter accipere, ac propriè ſonant: nam aliâs fiet, quemadmodum Bellarminus ait, vt fides pereat, & relinquatur non niſi opinio de rebus diuinis, & porta infinitis erroribus aperiatur. Hoc Bellarminus noſtro exemplo probare conatur: ait enim nos non habere fidem, ſed meram opinionem de hoc Sacramento. Sed quomodo probat noſtram fidem non niſi meram opinionem eſſe? quia noſtra ſententia, inquit, non nititur expreſſo verbo Dei. *Reſpondeo:* noſtram ſententiam expreſſo verbo niti: nam ſanè opus eſt, vt fides verbo Dei, eoque non ambiguo aut perplexo, ſed expreſſo nitatur: alioqui opinio non fides erit. Sed Bellarminus ait, verba expreſſa non eſſe, hoc ſignificat, ſed, *Hoc eſt corpus meum. Reſpondeo;* verba dici expreſſa dupliciter; *primo* cum ipſa verba ſunt in ſua forma expreſſa, quæ Scholaſtici vocant verba formata; & ſic, Hoc ſignificat corpus meum, non ſunt verba expreſſa: *ſecundò* ea verba dicuntur expreſſa, quæ ſenſum manifeſtum & minimè implicatum habent, & ſic hæc verba ſunt expreſſa, quia *Hoc eſt corpus meum*, apertè hunc ſenſum cuiuis offerunt, Hoc ſignificat corpus meum. Non enim quia verba figurata ſunt, ideo expreſſa non ſunt: nam verba illa, *Tibi dabo claues*, &, *Paſce oves meas*, figurata ſunt, tamen his verbis primatũ Petri expreſſe contineri Bellarminus putat.

Sed tamen aliud eſt primatus, quàm claues, aut paſcere oues: ego igitur idem poſſum de illis dicere, quod Bellarminus de nobis, illorum ſententiam de primatu non eſſe fidem, ſed meram opinionem, quia non nititur expreſſo verbo Dei, cum verba expreſſa non ſint, Tibi dabo primatum, aut te facio ordinarium paſtorem Eccleſ. vniuerſalis, ſed, *Tibi dabo claues*, &, *Paſce oues meas*. Sed Bellarminus ait, nos non niti alio verbo Dei: nuſquam enim inuenire poſſe in Scripturis, *Hoc eſt corpus meum*, debere exponi tropicè. *Reſpondeo:* Neque illi poſſunt primatum ſuum alio Dei verbo probare. Nam Bellarminus fatetur, non niſi hæc duo loca eſſe, quibus Romani Pontificis primatus neceſſariò probari poſſit: alia huc referri aliquo modo, ſed non probare neceſſariò. Sic igitur argumentum inſtituo: Sententia, quæ non nititur expreſſo verbo Dei, eſt mera opinio: at primatus Petri expreſſo verbo Dei non nititur: non igitur niſi mera opinio eſt. Minorem eodem modo probo, quo Bellarminus noſtram de hoc Sacramento ſententiam refellit, quia verba expreſſa non ſunt, Tu es princeps Apoſtolorum, ſed, *Tibi dabo claues*, &, *Paſce oves meas*; quæ ſi expreſſa ſint, tum & hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, poſſunt eſſe expreſſa, etſi figurata ſint. Sed nos alio etiam Dei verbo nitimur, quo verbum, *Eſt*, non propriè ſed metonymicè ſumi debere docemus. Dementiſſimum eſſet, verba propriè interpretari. Multa à no-

bis testimonia allata sunt: nil enim Scripturis familiarius est, quàm verbum *Est*, ponere figuratè, vt, *Septem vaccæ pulchræ, & septem spicæ plenæ, sunt septem anni vbertatis: septem vaccæ tenues & macilentæ, & septem spicæ tenues & sideratæ*, seu, *vento vrente percussæ, sunt septem anni famis:* sunt septem anni, hoc est, septem annos significant. *Gen.* 41. 26. 27.

Sic, *vinea Iehouæ dom⁹ Israel est: Ossa ista sunt domus Israel: Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis: Nos multi sumus vnus panis: Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Domini.* Sed infinitus essem, si omnia loca enumerarem. Sed Bellarminus ait, etsi quædam loca proferimus, vbi verbum, *Est*, tropicè sumitur, tamen nos fateri, non vbique sic sumi. *Respondeo*: Id sanè necessariò nobis fatendum est: sunt enim multæ in Scripturis propriæ prædicationes. Sed hoc loco verbum, *Est*, non esse propriè sumendum affirmamus, non modò quia sic in multis Scripturæ locis sumitur, sed quia non potest alius esse verborum Catholicus sensus, nisi tropicè sumatur. Nam Christus de pane dixit, *Hoc est corpus meum*: absurdum autem & hæreticum est, vt panem esse Christi corpus, aut conuerti in Christi corpus dicamus: ipsa ergo necessitas fidei Catholicæ, & optima regula interpretandi eò impellit, vt in verbis tropum constituamus; quia disparatum de disparato non sine tropo verè prædicari potest. Præterea hoc ipsum postulat natura Sacramenti, quia Sacramentum omne ex duplici natura constat, signo, & re significata: signum verò semper à re ipsa, cuius est signum, distinguendum est. Quare insulsissimum est, quod Bellarminus ait, nos non posse ex verbo Dei solidè concludere, hæc verba accipi debere tropicè, nisi locum proferamus, vbi expressè in particulari dicatur, hæc verba esse tropicè exponenda, qualem locum nos nunquam inuenire posse ait. Non enim Scriptura solet in particulari regulas proponere interpretãdarum Scripturarum: sed hic materia ipsa postulat, vt tropum adhibeamus. Proferat Bellarminus aliquem locum, vbi expressè in particulari dicitur, illa verba, *Petra erat Christus*, esse tropicè intelligenda; aut illa, *Semen est verbum Dei*, aut alia eiusmodi, quæ sunt infinita: & tamen ex verbo Dei solidè concludi potest, hæc esse tropicè intelligenda. Quare insulsa ratio est, hæc non esse tropicè intelligenda, quia nusquam expressè in particulari dicitur, hæc esse tropicè intelligenda.

Isai 5.7. *Ezech.* 37. 11. *Matth.* 5. 13. 14. & 13. 37. 1. *Cor.* 10. 17. 1. *Cor.* 10. 4 *Luc.* 8. 14.

Præterea ait Bellarminus, nos non habere articulum fidei, cui propria acceptio horum verborum expressè repugnet; solere quidem articulum ascensionis vrgere, sed respondet illi articulo non repugnare, quia ipsi vtrumq; credunt, & Christum verè ascendisse, & esse in cælo, & simul esse in Eucharistia. *Respondeo*: Quid illi credant, non multum refert, quia illorum fides non fides est, sed mera opinio, aut potiùs chimæra: & vt Christ⁹ mulieri

lieri Samaritanæ dixit, *Vos adoratis quod nescitis*, itidem nos illis rectè possumus dicere, Vos creditis, & nescitis. Sunt enim hæc prorsus ἀσύγκριτα, Christum ascendisse in cælum, & in cælo remanere, & tamen in Eucharistia esse; nisi velint ascensionem cum Lutheranis pro disparitione ponere. Nam Christi corpus habet veri corporis naturam, & quando in cælum ascendit, terras reliquit, & eum oportet in cælis versari vsq; ad mundi finem: quare non modò cum articulo ascensionis, sed etiam cum articulo descẽsionis & aduentus Christi ad iudicium pugnat: si enim Christus est in terris, idque in tam multis locis, non opus est vt descendat, & in terras reuertatur. Christus Ioannis sexto mentionem ascensionis suæ facit, eoque modo refellit eos, qui ipsius carnem comedendam esse existimârunt, *Quid si igitur conspiceretis*, inquit, *Filium hominis ascendentem eo vbi prius erat?* quasi diceret, vel ex ascensione mea intelligetis, corpus meum nõ esse crasso & carnali modo manducandũ: ergo repugnat realis præsentia ascensioni Christi. Quod verò illi de præsentia Christi in Eucharistia modo inuisibili dicunt, non sufficit: nam si inuisibiliter adsit Christus, & comedatur, certè eius corpus in cælo non est, nisi duplex corpus habeat, alterum visibile in cælo, alterum inuisibile in terris: & esse inuisibile & ἀπερίγραπτον, id est, *incircumscriptum*, pugnat cum veritate corporis. Sed Bellarmin⁹ ait, Doctores Scholasticos meliùs nôsse regulas contradictionum, quàm omnes Lutherani nôrunt. *Respondeo*: illos regulas omnes peruertere in defensione Transubstantiationis: nemo enim nõ nouit ista esse ἀνυπόστατα, & implicare contradictionem, vt vnum idemque singulare corp⁹, quod nostris corporibus est ὁμοούσιον, id est, eiusdem essentiæ cum nostris corporibus, sit visibile, & inuisibile; sit quantum, & non quantum; circũscribatur & non circumscribatur; sit in loco extẽsiuè, & non extensivè; sit in cælis, & non sit in cælis; & motibus contrariis simul moueatur, quia simul ab vno sacerdote eleuatur, ab alio deprimitur.

Ioan. 4. 22. *Ioan.* 6 62.

Augustinus ait, *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam, ideò nec omnino erunt*: & hinc concludi potest, Christi corpus non nisi in vno loco esse. Imo Trãsubstantiatio omnes penè articulos de veritate humanitatis Christi tollit: articulus enim incarnationis docet Christi corpus ex Maria virgine natum esse; illi corpus quoddam Christi ex pane fabricantur: alii fidei articuli docent Christi corpus creuisse staturâ, & habere iustam magnitudinẽ humani corporis; at illi Christi corpori magnitudinem demunt, & vix tantæ magnitudinis esse volunt, quantæ est ἄτομον: non enim excedit speciem panis; ea verò potest tam parua esse, vt oculos ferè fugiat. Hoc est contra naturã veri & proprii corporis: neque enim possumus existimare, ibi esse omnia membra corporis, imò ne vnum quidem

Augustin. Epist. 57.

membrum. Denique Scriptura, vnde omnes articuli fidei hauriũtur, corpus Christi nunquam nisi in vno loco simul fuisse docet: cũ in Galilæa erat, non fuit Hierosolymis; cùm in Cæna, non in horto; cum in cruce, non in sepulchro; cum in terris non in cælo.

Augustin. cont Faust l.20.c.11. Idem serm. 60. de verb. Dom.

Sic Augustinus, *Secundum præsentiam corporalem simul & in sole, & in luna, & in cruce esse non potuit*; & alibi, *Nisi corporaliter abiisset, semper ipsius corpus carnaliter videremus*: at Papistæ dicunt, Christi corpus & esse hic, & tamen non videri; imò tale corpus Christo affingunt, quod possit esse in cælo semper, & tamen in terris, idque in locis infinitis, imò vbique: id enim est consequẽs.

Occan. cent. cil. concl. 25.

Quod etiam Occanus Scholasticorum acutissimus fatetur: & certè tam repuguat veritati corporis esse in multis, quam in omnib. locis. Sed Bella minus ait, Christum, quando hoc Sacramentum præbuit discipulis, non in cælo fuisse, sed in terra; nondum enim in cælum ascendisse: tunc igitur, inquit, non repugnauit hæc veritas articulo Ascensionis. *Respondeo*: At nunc Christus ascendit; nunc igitur repugnabit. Sed præter Ascensionem multa impediebant, quo minus Christi corpus tum realiter in Eucharistia esse posset.

Christus enim tum sedebat in scamno cum discipulis: ergo non erat in ore Apostolorum: & si in ore Apostolorũ fuit, tum non in scãno, nisi Christus duplex corpus habuit, aliud in scamno, aliud in ore Apostolorum. Deinde si Christum præsentem Apostoli realiter comedissent, tum illum in Cæna interfecissent: nihil enim vivum propriè editur, quia hoc horrendũ esset; & si viuum est, quando edi incipit, at postquam editur, mori necesse est. Sed ait Bellarminus, non magis repugnare veritatem hanc articulo Ascensionis, quàm veritas Trinitatis repugnat articulo vnitatis diuinæ. *Respondeo*: non esse hic contradictionem omnino, quia Deus secundum idem non est vnus & trinus, sed substantiâ non nisi vnus est, relatione verò trinus; de essentia vnitas dicitur, de personis trinitas: est hic mysterium arcanum, sed nil contradictionis: credendum igitur est, quia Scriptura sic statuit. At Christum esse realiter præsentem sub specie panis, Scriptura nusquam affirmat: & est manifesta contradictio, vt idem corpus simul in cælo sit, & nõ in cælo: nam corpus in Eucharistia non est in cælo, quia tum nos, qui Eucharistiam percipimus, in cælo essemus; hoc igitur corpus in cælo non est, quia tum Eucharistia in cælo administratur: sed Christi corpus in cælo est: idem ergo corpus in cælo est, & non in cælo: & contradictionis vna pars semper vera est, altera falsa: at Christi corpus esse in cælo, verum est; quæ est vna pars contradictionis: ergo Christi corpus in Eucharistia esse, id est, non esse in cælo, falsum est; quæ altera pars est cõtradictionis. Vltimo Bellarminus ait, nos non posse proferre communem expositionem Ecclesiæ. *Respondeo*: Possumus

sumus ostendere, Concilia & Patres non aliter hęc verba interpretari, quam nos, vt postea fusiùs explicabimus: & illi per Ecclesiam Concilia & Patres solent intelligere. Falsum ergo est, quod ait Bellarminus, nos auctoritate tantùm vnius aut alterius Doctoris niti, & leuib. coniecturis; quia nos argumentis solidissimis, & causam necessariò concludentib. vtimur, vt postea patebit. Ita nos quatuor illa Bellarmini argumenta examinauimus & diluimus, quibus probare vult, hæc verba, *Hoc est corpus meum*, esse propriè intelligenda, & nullum in ijs tropum esse: iam restat, vt ad verba ipsa institutionis veniamus, eaq; singula sigillatim expendamus.

Caput V.

In quo quæ Bellarminus ex singulis verbis institutionis colligit, & contra nos vrget, examinantur & diluuntur.

Habita est hæc prælectio in initio noui anni.

Nihil inter nos & Pontificios in maiore controuersia versatur, quàm articulus de Cæna Dominica, & Eucharistiæ Sacramento: vt quod Christus amoris & cõcordiæ vinculum esse voluit, acerbissimæ contentionis fax & fomẽtum multos iam annos extiterit. Nec spes vlla est harum aliquando componendarum litium; ita & distrahimur sententijs, & odiis capitalibus concertamus. Huc accedit, quòd quia à Pontifice meritò defecimus, atque Papistarum insaniam potiùs quàm errorem damnamus, nondum ipsi inter nosmet conuenimus: palam enim est, nõ eam esse nostram de hoc Sacramento doctrinam, quæ est Lutheri, & eorũ, qui segermanos Lutheri discipulos esse gloriantur. Tristis discordia, quàm Satanæ malitia in Ecclesiam inuexit, inuectam fouet, & confirmat indies, quantum potest. Ita nos ferè nunc sumus, vt olim Iudæi, diuiso in duo regna populo: & inter se diffidebant, & ad resistendum hosti cõmuni minus roboris habebant. Deus & Pater Domini nostri Iesv Christi conterat Satanam sub pedibus nostris, & vulnerib. istis Ecclesiæ suæ in tempore medeatur, & scandala tollat de regno suo, & Aduersariorum nostrorum insolentiam clamoresque compescat. Sed cum Lutheranis adhuc nihil nobis negotii est separatim: nostra nunc omnis cum Papistis lis est, quibus tamen cum respondemus, eâdem operâ & Lutheranos refellimus, ijsdem propè argumentis vtentes; vtrique enim realem & carnalem Christi præsentiam ac manducationem in Sacramento statuunt, Lutherani vna cum symbolis externis, Papistæ cũ inani quadam specie symbolorum. Nos Christi præsentiam agnoscimus, non corporalem, vt illi, sed spiritualem, quam & Scriptura docet, & vetus Ecclesia semper intellexit. Realem præsentiam suam Bellarminus conatur quatuor generibus argumentorum demonstrare,

ſtrare, quorum è Scripturis primũ ſumitur, idque eſt quadruplex, *primum* è figuris veteris Teſtamenti, *ſecundum* ex promiſſione Domini in ſexto capite Ioannis, *tertium* ex inſtitutione Sacramenti, *quartum* ex vſu, qualis in Apoſtolicis Scripturis deſcribitur. De duobus primis diſputatum eſt, & ingreſſi ſumus tertium, quod Dominicæ inſtitutionis authoritate nititur; in quo primo cõtendit Bellarminus, illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, propriè non tropicè eſſe intelligenda: cuius argumenta quàm infirma & inepta ſint, poſtremo ſuperioris anni labore perſpicuum fecimus.

Nunc ad verba ipſa inſtitutionis veniendum eſt. Sed antequam ſingula verba ſigillatim excutim⁹, refellendum Bellarmini argumẽtum eſt, ſumptum ex eo, q̃ Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum, accepto pane gratias egiſſe, & panem benedixiſſe dicitur. His autem vocibus εὐλογεῖν, quod eſt, *benedicere*, & εὐχαριστεῖν, quod eſt *gratias agere*, Euangeliſtæ variè, & quodammodo promiſcuè vtuntur.

Matth. 26. 26.27. Chriſtus Matth. 26. cum de pane dixiſſet, εὐλογήσας (etſi multa exemplaria habent εὐχαριστήσας) de poculo ait, εὐχαριστήσας. Similiter Marc. 14. de pane εὐλογήσας, de poculo εὐχαριστήσας dicitur.

Marc. 14. 22 23.

Luc. 22. 17.19. Lucas, & cum Chriſtus illud ſolenne poculum ſumeret ante Sacramentum, & quando Sacramẽtum celebraui t, εὐχαριστήσας habet. Sic Paulus tantùm habet εὐχαριστήσας. Sed quomodo hoc ad

1. Cor. 11. 24.

Sacramenti tranſubſtantiationem ſpectat? nimirum vt hinc aliquid Papiſtæ eliciant, nonnulli affirmãt εὐχαριστεῖν hoc loco non ſignificare *gratias agere*, ſed *benedicere*, vt idẽ ſit, quod εὐλογεῖν. Sed Bellarminus ait, hoc eſſe valde durum: ſed tamen durior eſt expoſitio eorum, qui ex Chriſti vel εὐχαριστίᾳ vel εὐλογίᾳ realem præſentiam & trãſubſtantiationem concludunt: & ſi Bellarminus vult aliquid efficere, ipſi hæc quantumuis dura interpretatio deglutienda eſt. Vult enim ex eo, quòd Chriſtus gratias egit, tranſubſtantiationem probare: at gratiarum actio non euincit tranſubſtãtiationem: iſta igitur εὐχαριστία nõ eſt ſimplex gratiarum actio, ſed benedictio, ſiquidem benedictio id facit, vt ipſis placet. Nos autem ait Bellarminus ponere vtrumque verbum pro *gratias agere*, ſeu, *benedicere*, non pani, ſed Deo, vt benedictio non ſit ad panẽ referenda. Sanè rem eandem vtroque verbo ſignificari dicimus: ſed tum εὐχαριστεῖν ſumi συνεκδοχικῶς affirmamus, nõ modò pro ſimplice gratiarum actione, ſed etiam pro tali gratiarum actione, qua Deo ſupplicamus, & petimus aliquid; etſi autem preces ad Deum referuntur, tamen hoc fit pro donis iſtis: neque enim tantùm Deo gratias agimus, quãdo Euchariſtiam celebramus, ſed etiam precamur & petimus, vt hic panis & vinum ſint nobis ſalutaria Sacramenta.

Ianſen. in concord. c. 131. Non malè igitur Ianſenius ait, vtrumque eſſe intelligendum in vtro-

vtroque, εὐλογεῖν in εὐχαριστεῖν, & è contra; quod ille Pauli locus docet, πᾶν κτίσμα Θεοῦ, καλὸν, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον, μετὰ εὐχαριστίας λαμβανόμενον, *Quicquid creauit Deus, bonum eſt, nec quicquam reijciendum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur*: tum addit Paulus, *ſanctificari per verbũ Dei*, καὶ ἐντεύξεως, & per *preces*: ita ἐν τῇ ἐντεύξει, *in precibus*, includit εὐχαριστίαν, id eſt, *gratiarum actionem*. Sic alibi apud Paulum εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν confunduntur, vt cum ait, ἐὰν εὐλογήσας τῷ πνεύματι, *Si benedixeris ſpiritu, is qui locum implet idiotæ*, quomodo dicet Amen ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, *ad tuam gratiarum actionem?* quo loco non dubium eſt, Eccleſiæ preces, eaſque publicas intelligi. Sic εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν in hoc loco pro eodem ſumuntur.

1. Tim. 4. 4. & 5.

1. Cor. 14. 16.

1. Cor. 10. 16. Quare cum Paulus ait, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὁ εὐλογοῦμεν *Poculũ benedictionis, cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt?* poculũ hoc poculũ benedictionis dicit, q̃a hoc Sacramẽtũ oratione & gratiarũ actione conſecratur. Chryſoſtom. egregiè docet, quare hoc poculum dicatur ποτήριον τῆς εὐλογίας, *poculum benedictionis*, & quomodo poculo benedicimus; non poculum ſcilicet crucib. neſcio quot ſignando, aut verba quædam tacitè in poculum demurmurãdo, ſed quia hoc poculum μετὰ χεῖρας ἔχοντες, *in manibus tenentes*, ſic Deum ἀνυμνοῦμεν, *laudamus*, θαυμάζοντες, καὶ εὐλογοῦντες, καὶ ἐκπληττόμενοι τῆς ἀφάτου δωρεᾶς, *admirantes, & benedicentes, & attoniti hærentes in inenarrabili beneficio*, & quia τῷ ποτηρίῳ ἐπι-

Chryſoſt. in 1. Cor. homil. 24.

λέγομεν τὰς ἀφάτους εὐεργεσίας τοῦ Θεοῦ, *ſuper poculum ineffabilia Dei beneficia commemoramus*, & ſic κοινωνοῦμεν εὐχαριστοῦντες, *communicamus gratias agentes*. Atque hoc eſt, quod Iuſtinus Euchariſtiam vocat εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν *cibum per preces* ſcilicet *& gratiarum actionem ſanctificatum*, vel *cibum de quo precantes Deo gratias agimus*: & Irenæus *panem in quo gratiæ actæ ſunt*. Sic videmus qualem hi Patres εὐλογίαν intelligant, nempe gratiarum actionem. Idem vult Cyprianus, cum *calicem benedictum* vocat, &, *calicem ſolenni benedictione ſacratũ*. Iuuencus poeta εὐλογεῖν vertit *Sanctumque precatus*: & εὐχαριστεῖν, *Gratis ſanctificat verbis*. Euangeliſtæ igitur & Patres εὐλογίαν per εὐχαριστίαν, & εὐχαριστίαν p εὐλογίαν interpretantur; & vtraq; ad Deũ referebãtur in Sacramenti celebratione; idq; ipſe Bellarminus imprudens concedi t, q̃ benedictionem non aliud eſſe hoc loco, ait, niſi orationem: oratio autem ad Deum, nõ ad elementa refertur, niſi ſubiectiuè. Non igitur per εὐλογίαν magica incantatio, aut certarum vocum demurmuratio, aut ſignatio, quali ſacrifici vtuntur in ſuis Miſſis, intelligitur, ſed oratio, quæ quia inprimis gratiarum actionem pro noſtra redemptione continet, quia, vt Chryſoſtomus ait, humanũ genus ἀπήλλαξε πλάνης, *ab errore liberauit*, & nos ſanguinis ſui participes fecit, ideo vocatur εὐχαριστία. Sed iam ad Bellarmini argumentum veniamus. Ait hinc argumentum ſumi pro veritate corporis Dominiin Sacramẽ-

Iuſtin. Mart. in Apol. 2.

Iren. l. 4. c. 34.

Cyprian. Epiſt. 73. & in lib. de Cena Domini.

Iuuen. Presbyt. in carm. de paſs. Dom.

Chryſoſt. vbi ſupra.

to. Dominus, inquit, non consueuerat gratias agere, nisi cum aliquid magnum & mirabile facturus esset: solum enim legitur, ait, gratias egisse, cum quinque panes multiplicare vellet; & septem panes; & cum Lazarum excitaturus esset; & in hoc Sacramento: & similiter non consueuit benedicere res insensibiles, nisi cùm aliquid mirabile operaturus esset: tantùm enim legitur hoc fecisse, inquit, cũ benedixit panes multiplicandos, & hic in Eucharistia. *Respondeo:* 1. Quod ait Christum solum egisse gratias, cum mirabile & magnum aliquid facturus esset, falsum est.

Ioan. 6. 11. *Matth. 15. 36.* *Ioan. 11. 41.* *Luc. 9. 16.* *Marc. 8. 6.*

Nam Matt. 11. ait, ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ, *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quòd abscoderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus:* quid hoc aliud est, quàm gratias ago, quòd hæc fieri volueris? Sic enim Theophylactus, ἐξομολογοῦμαι ἀντὶ τοῦ εὐχαριστῶ, *Confiteor, pro, gratias ago.* Hic nil mirabile fecit Christus, sed de mirabili opere gratias egit. 2. Dico Christum nunc fecisse magnum & mirabile opus; nam Sacramentum instituit, quod totus præterea mũdus facere non potuit: ergo non sequitur, quia magnum & mirabile opus fecit, ideo panis substantiam mutatam esse in corp⁹ Christi. Sed, 3. *respondeo:* nec εὐχαριστίαν nec εὐλογίαν transubstantiationem euincere. Christus panibus benedixit (quanquam exemplaria quædam habent ἐπ' αὐτοῖς, & tum non panib. benedixit, sed super panes) magnum hoc quidem miraculum

Matth. 11. 25. *Theophylac. in locũ.*

fuit, sed diuersum à transubstantiatione. Non enim mutauit naturam horum panum, non mutauit hos panes in pisces, aut in aliam substantiam, sed panes interim erant, licet diuina virtute multiplicati. Sed quando Christus aquam in vinum verè transubstantiauit, tum nec gratias egisse, nec benedixisse legitur. Et de pueris, qui Christo offerebantur, dictum legimus, Καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὰ, πιθεὶς τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτὰ, ηὐλόγει αὐτὰ: *Et cum accepisset eos in vlnas, impositis in eos manibus, benedixit eis;* at omnes intelligunt, nullam factã esse in illorum corporibus mutationem.

Marc. 10. 16.

Et Matthæus Euangelista hoc expressit per προσεύχεσθαι: ait enim hos pueros Christo oblatos esse, vt manum ijs imponeret, & precaretur. Ita εὐλογεῖν nihil aliud quàm precari significat. Christus in cælum mox ascensurus benedixit Apostolis: non tamen illorum substantias mutauit. Sic quando accubuit cum duobus discipulis, qui Emmauntẽ profecti sunt, λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, *sumpto pane benedixit:* quod non intelligendum est de Sacramento, vt rectè Ianse-nius, quia illi duo discipuli, qui Dominũ ex panis fractione agnouerunt, non interfuerunt Cænæ: non igitur hi fractionẽ illam Christi in Cæna cognitam habere potuerunt.

Matth. 14. 13. *Luc. 24. 30. & 30.* *Ian. in concord. Euangel. c. 146.*

Falsum ergo est, quod Bellarminus ait, Christum non benedixisse res insensibiles, nisi cum ineis mirabile aliquid operaturus esset: nã nullum

nullum hic aut miraculum aut mirabile operatus est: sed vt Christus solitus est, cũ cibum sumeret, gratias agere, ita hic faciebat; atque ex hac benedictione agnitus est. Erat igitur fractio illa talis, quali Christus vti solebat, cum communem panem sumeret, non quali in Eucharistia vsus est. Ita Deus Adamo & Euæ benedixit, & filiis Noh: horum tamen substantias non mutauit.

Et quia Bellarminus de rebus insensibilibus loquitur, Deus terræ; & mari, & reliquis creaturis suis benedixit, in quibus nullam transubstantiationẽ contigisse legimus. Sed Bellarminus ait, Deum tribuisse animantibus fæcunditatem, quando eis benedixit, quia Dei benedictio non est imprecatio, vt nostra, sed effectio. *Respõdeo:* Christi benedictionem illam, de qua in Euangelio legimus, qua panes scilicet multiplicati sunt, non nisi imprecationem fuisse; & omnes Patres interpretantur illam Christi εὐλογίαν de precibus: atq; ipse etiam Bellarmin⁹ benedictionem ponit pro oratione. Nam etsi Christus multiplicauit panes, non tamen id fecit ἐν τῷ εὐλογεῖν, id est, quando benedixit, sed inter epulandum in distributione, idq; non vi illius benedictionis, sed suâ & Patris sui diuinitate. Et quanquam Dei benedictio est operatoria, nõ tamen semper ad transubstantiationem. Impartiit Deus creaturis fæcunditatem benedictione, id est vim quandam naturalem insæuit creaturis ad procreandũ: sed transubstantiatio est contra naturam.

Sed vrget porro Bellarminus, Christum nusquam legi benedixisse aquam, q̃ symbolum Baptismi esse volebat, qa nulla mutatio fiebat in substantia aquæ. *Respondeo:* Neque hic Christus pani benedixisse legitur: nam εὐλογήσας non de pane intelligitur, sed ad Deum palàm refertur: λαβὼν τὸν ἄρτον, καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, Accepit panem, & preces Deo fudit, & tum panem fregit. *Matth. 26. 26.*

Sic Chrysostomus & Theophylactus εὐλογήσας interpretantur de gratiarum actione: at nõ pani gratias egit, sed Deo: neque vllus Pater aliam benedictionem somniauit, quàm quæ in precibus Deo factis consisteret. Aqua autem Baptismi non caret benedictione Christi, etsi Christus non legitur benedixisse, quia non legitur quẽquam baptizâsse: at illorum sacerdotes in baptizando benedicunt aq̃uæ: dicunt enim super aquam, *Benedico te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum: benedico te per Iesum Christum Filium eius.* Si hæc benedictio sacerdotis non mutat substantiam aquæ; nec panis substantiam mutare poterit aut vini: si enim sit operatiua, in vtroque Sacramento operatiua esse oportet. Nam q̃ aiunt se in Sacramento Baptismi benedicere in sua persona, at in Eucharistia in Christi persona falsum est: nam omnis benedictio diuina est, & vi diuinâ fit. Et quod Christus benedixit, si benedixisset

pani, quid hoc ad ſacerdotem, qui non benedicit, niſi ſignando panẽ? & ſi benediceret ſacerdos iiſdem verbis, quibus Chriſtus, eius tamẽ benedictio non poteſt tantùm efficere, quantum benedictio Chriſti: alias faciant benedicendo, vt quinq; panes duobus millibus hominum paſcendis ſufficiant. Si id non poſſunt, quantumuis ſedulò benedicant; num ſacerdotis benedictio valebit ad tranſubſtantiationem, quia Chriſti benedictio ad eam valuit? Sed falſiſſimum eſt, in omni benedictione Chriſti factam eſſe mutationem ſubſtantiarum, quemadmodum nos multis exemplis antea docuimus: benedixit enim Chriſtus pueris, & Apoſtolis: & quia Bellarminus loquitur de reb. inſenſibilibus, Chriſtus pani cibario benedixit in hoſpitio, nec tamen tranſubſtantiatio conſequuta eſt. Quanquam ſi benedictio tantùm poſſit, vt corporum ſubſtantias conuertat, nulla ratio eſt, cur id in rebus inſenſibilibus magis quàm in ſenſibilibus eueniat. Sed quanquam Papiſtæ oẽs hanc Chriſti benedictionem vrgent, tamen ea qualis extiterit, & an conſecratio huius Sacramenti in ea poſita ſit, neſciunt, & ſecum opinionibus confligunt, & nihil certi habent.

Alan. de Euchariſt. Sacram. lib. 1. c. 15.

Alanus noſter affirmat Chriſtũ benedixiſſe dicendo, *Hoc eſt corpus meum*; & benedictionem ac conſecrationem fuiſſe idem: benedixiſſe enim Chriſtum, quando res propoſitas conſecrauit. Eadem planè eſt ſententia Catechiſmi Tridentini. Claudius Sanctes probat trã-

Claud.

ſubſtantiationem ex benedictione; quod fieri nõ poteſt, niſi Chriſtus benedicendo conſecrauit: at ex trib. Euangeliſtis & Paulo conſtat, Chriſtum benedixiſſe & gratias egiſſe, antequam conſecrauit, id eſt, antequam verba hæc protulit, *Hoc eſt corpus meum*, quibus ſolis illi Chriſtum conſecrâſſe volunt. *Primò* enim Chriſtus panem accepit, *ſecundò* ἐυλόγησε, id eſt, *benedixit*, *tertiò* fregit, *quartò* diſtribuit, *quintò* dixit, *Accipite, edite, hoc eſt corpus meũ*,

Sanct. lib. 7. c. 4.

Alanus, quod Chriſtus ſecundò fecit, cum eo quod vltimò fecit, confundit, & idem eſſe ait, & hic eſſe ὑστερολογίαν ſeu ὕστερον πρότερον affirmat, & probat, quia non eſt exiſtimandum, Eccleſiam vnquam fregiſſe panem ante conſecrationem. Sed Chriſtus fregit poſt benedictionem, & antequam dixit, *Hoc eſt corpus meum*: coactus eſt ergo Alanus ordinem verborum inuertere, nec id modò, ſed etiam benedictionem, quam omnes Patres deprecatione intelligunt, non aliud eſſe dicere, niſi prolationem horũ verborum, *Hoc eſt corpus meum*: vnde in quas anguſtias redactus ſit intelligamus. Sed hoc apertè pugnat cum Scriptura, quia ἐυλογήσας idem eſt quod ἐυχαριστήσας: at ἐυχαριστήσας non poteſt idem omnino eſſe & non aliud, niſi pronunciatio horum verborũ, *Hoc eſt corpus meum*. Et hoc etiam pugnat cum Canone Miſſæ, vbi ſic ſacerdos orat, *Qui pridie quam pateretur, eleuatis in cælum oculis ad te Deum Patrem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc eſt enim corpus*

meum: vbi apertè legimus, Chriſtũ, antequam fregit, & dixit, *Hoc eſt corpus meum*, leuâſſe oculos ad Patrẽ, eique gratias egiſſe, ac benedixiſſe, id eſt, orâſſe. Bellarminus non audet palàm affirmare, ex benedictione probari tranſubſtantiationem, cum videat tamen ſuos hinc petere argumentum: nec audet dicere, Chriſtum conſecrâſſe & tranſubſtantiâſſe benedicendo, ſed alio rẽ detorquet, & ait Chriſtum nunquam gratias egiſſe, hoc eſt, benedixiſſe (nam hæc duo idem eſſe docuimus) niſi cum mirabile aliquid eſſet operaturus: quod verum eſſe poteſt, etiamſi ipſa benedictio nõ tranſubſtantiaret. Et tamen ſi verum ſit, quod ait, Dei benedicere eſſe benefacere, & ſi benedictio Dei eſt effectio, tum quando Chriſtus benedixit, hoc effecit, id eſt, conſecrauit; & tum aut non conſecrauit dicendo, *Hoc eſt corpus meũ*, aut non benedixit, niſi cum dixit, *Hoc eſt corpus meum*: quod cum Euangeliſtis pugnat.

Rhemenſ. in Matth. 26.

Rhemenſes noſtri perplexius hunc locũm interpretantur: aiunt enim, Chriſtum *benedicendo pani cõſecrâſſe, & feciſſe illum corpus ſuũ*: quid ergo illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, fecerunt? addunt, *benedicendo, cum verbis ſequentib.* ergo cum Alano pugnare videnť, quia benedictionem nõ eſſe idẽ cũ verbis ſequentib. putant, ſed vna cum illis Chriſtum benedicendo conſecrâſſe, atq; ita arcanam quandam benedictionẽ cum verbis ſequentibus coniunctam intelligere videntur. Quomodo ergo nunc ſacerdos conſecrat? non enim ille eâdem benedictione vtitur, qua Chriſtus vſus eſt, quia neſcitur, quid Chriſtus dixit, quando benedixit: Euangeliſtæ tãtùm aiunt benedixiſſe, ſed quid dixerit, non explicant.

Thom. 3. q. 78. art. 1.

Thomas ait, non eſſe ſeruatum ordinem verborum ab Euangeliſtis: Chriſtum enim, dum panem acciperet, & frangeret, & daret, dixiſſe, *Hoc eſt corpus meũ*, & ſic benedictionem nullam fuiſſe, niſi cum proferret verba conſecrationis.

Dominic. Sot. in 4. d. 11. q. 1. ar. 2.

Dominicus Soto diſſentit à Magiſtro Thoma, & meritò: multas enim rationes affert contra illius ſententiam. *Primò* ait, in re tam graui non eſſe verſimile, voluiſſe Euangeliſtas ordinem rei geſtæ narrando mutare: & omnes Euangeliſtas conſentire. *Secundò* ait, non fuiſſe conueniens, vt fractioni intentus eſſet Chriſtus cũ vellet conſecrare: tum enim intentio eius nõ occuparetur tota in cõſecratione. *Tertiò* ait, diſtributionem poſtulaſſe longius ſpacium, quàm verborum prolatio poſtulabat. Statuit igitur per benedictionem aliud quam conſecrationem ſignificari, quia Chriſto in more poſitum fuit, quotieſcunq; panem comederet, gratias agere, imò quoties vllum miraculum edebat; quem morem Euangeliſtæ nõ expreſſerunt, quia erat familiaris: igitur hæc benedictio præceſſit cõſecrationi, & ſic ex benedictione nulla tranſubſtantiatio conuincitur.

Bonauent. in 4. ſent.

Bonauentura ait Chriſtum non benedixiſſe per verba conſecratio-

nis. Scotus ait, illa verba, *Accipite, comedite*, esse necessaria ad consecrationem, nec illa modò, sed & alia in Canone præcedentia, *Accipiens panem benedixit, fregit, deditq; discipulis, &c.* aitque non esse necessarium, vt sciamus quæ sit forma cõsecrationis in hoc Sacramento; ideo monet, vt sacerdos legat attente totum Canonem, & non intendat consecrare his verbis, *Hoc est corpus meum*, aut vllis certis verbis, sed tantùm ijs, quæ Christus instituit, vt formam consecrationis.

Scot. in 4. d. 8. q. 1.

Sic Caietanus ait, Christum benedixisse benedictione laudis, non consecrationis.

** Caietan. in Matth. 26.*

Catharinus ait, Caietanum fuisse incertum, quibus verbis Christus consecrârit; nunquam enim dixisse, *Hoc est corpus meum*, esse formam consecrationis: & ipse putat Christum consecrâsse benedicendo.

Catharin. in 1. Cor. 11.

Iansenius in Concordia; & Marcus Ephesiorum Episcopus, & Nicolaus Cabasilas, qui Græcas liturgias ediderunt, aiunt non fieri cõsecrationem his verbis, *Hoc est corpus meum*, sine adiectione orationum. Ita prorsus quid de hac benedictione sentiant, non inueniunt, imò quomodo Christus consecrarit, & quibus verbis, est inter Scholasticos incertissimum. Nam vt Thomas ait, aliqui Christum putant vsum esse verbis quibusdã, non his, *Hoc est corpus meum*, sed aliis nobis ignotis: aliqui Christum voluisse his hæc verba protulisse, *Hoc est corpus meum*; semel secretè, & rũ consecrâsse; & postea manifestè cũ corpus suum dedit. Sed Innocentius tertius ait, Christum consecrâsse non his verbis, *Hoc est corpus meum*, sed virtute diuinâ: sed expressisse formam postea, sub qua posteri benedicerent. Ineptum autem est, quod Thomas ait, Innocẽtium hæc dixisse opinatiuè magis, quam determinatiuè: nam apertè determinat, *Sanè dici potest*, inquit: & mox, *Christus namque virtute propria per se benedixit: nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis*; & nullam aliam responsionem adhibet, sed in hac acquieuit. Thomas hanc determinationem explodit, aitque verba Euangelii contra esse expressè, quia Christus benedixit; ergo verbis aliquibus vsus est, & ea sunt, *Hoc est corpus meum*: quod tamen est falsum, quia Christus benedixit, antequam hæc verba protulit, vt & Euangelistæ docent, & Scholastici, quos protuli, multiq; alii.

Thom. 3. q. 78. art. 1.

Innocent. 3 l. 4. c. 6. de myst. Missæ.

Quare Erasmus scitè & falsè scribit, *non potuisse cognosci, quibus verbis sacerdos consecrat, nisi propter authoritatem Ecclesiæ*: & tamen Ecclesia hanc rem nusquam definiuit. Et alibi ait, non esse pertinaciter asseuerãdum, quibus verbis Christus consecrârit, aut sacerdos nunc cõsecret: nam hæc verba, *Hoc est corpus meum, esse potiùs porrigentis panem cõsecratum, quàm consecrantis.* Sed Leus Erasmum propter hoc reprehendit.

Erasm. in annot. int. Cor. II. *Idem in annot. in Marc. 14.*

Bellarminus vltimò ait, Patres colligere ex hoc loco argumentum ad idem probandum, quod illi probare contendunt, & vnum pro multis

multis affert Ambrosium, qui ait, *non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maiorem esse vim benedictionis, quam naturæ, quia benedictione & ipsa natura mutatur. Respondeo*: panem hunc mutatum esse benedictione Dei, non vt panis, sed vt communis panis esse desinat, & fiat Sacramentum, id est, cibus mentis: benedictio autem Dei significat mandatum & institutionem Christi, qua fatemur fieri mutationem, at non substantialem, sed Sacramentalem. Sed quia Ambrosius meminit benedictionis, non sequitur sensisse, Christum consecrâsse, cum benedixit, quod nec Bellarminus ausit affirmare: nec transubstantiationẽ statuisse, quia ait naturam mutari: nam mutationem intelligit Sacramentalem.

Ambros. in lib. de his qui initiantur myst. c. 9.

Hoc ex eodem Ambrosio alibi patet, vbi ait, hominem post consecrationem, id est, post regenerationem, non esse eundem, qui antè fuit; tamen eadem est eius substantia postea, quæ antea fuit: at hoc exemplum affert Ambrosius, vt doceat quomodo Deus instituta naturæ mutet. Non ergo est illud vocabulum (natura) tam rigidè vrgendum: nam certum est hominem post regenerationem non sic mutari: nec sic panis mutatur quoad substantiam, sed ex vsitato pane fit Sacramentum, & pignus diuinæ gratiæ, & hæc mutatio non sine benedictione Dei fieri potest. Magnum mysterium! magna mutatio! quæ superat vires omnium creaturarum. Ex benedictione igitur non euincitur transubstantiatio. Nunc ad verba, quæ vocantur consecrationis, & forma Sacramẽti, vel potiùs consecrandi, quibus Transubstantiatio conficitur, veniamus: ea Bellarminus seorsim & ordine expendit.

Idem de Sacramen. l. 4. c. 4.

Hoc.

Primum est vocabulum *Hoc*: videndum est, quid *Hoc* significet & demonstret. Est verò pronomen demonstratiuum, & præsens aliquid aut sensui aut intellectui demonstrat: aliàs pronunciatum est falsum. Bellarminus quatuor expositiones recenser, quarum tres à nostris improbantur. Neq; enim dicimus cum Carolstadio *Hoc* significare *Hîc*, aut Christum, cum dixit, *Hoc*, designâsse corpus suum, quod inter Apostolos sedebat: neque *Hoc* volum⁹ significare totam actionem; non enim tota actio est corpus Christi (quod Bucerus aliquando sensit, sed postea retractauit, vt nos antea docuimus) neque *Hoc* esse prædicatum in propositione volumus, vt sensus sit, Corpus meum est hoc; quæ Langi cuiusdam opinio fuit. Ineptæ hæ omnes expositiones sunt, quas non Lutherus, non Calvinus, non Zuinglius, non Oecolampadius, non vlla Ecclesia reformata adhibet: & tamen multus est Bellarmīnus in his tribus expositionib. refellendis: sed finamus illum vmbras verberare. Nos constanter affirmamus, per *Hoc* panem denotari, quẽ Christus acceperat, & fregerat, & dede-

Lang. in annot. in 2. Apolog. Iustin.

dederat: Christus igitur panem demonstrabat, quem in manibus habuit, & Apostolis comedendum porrexit. Hæc nostrum omnium sententia est, atque hæc etiam Lutheri sententia fuit in initio, etiâsi postea in eadem non permansit. Nos in ea permanendum esse defendim⁹: iam verò quomodo Bellarminus hanc opinionem improbet audiamus. Eam facilè refelli posse ait: sed miror eum tam leues argutias attulisse: ex ipsius facili hac refutatione, non posse omnino refutari cõstabit. Sic igit' argumentatur cõtra hanc nostrã huius vocabuli expositionẽ. *Hoc* aut adiectiuè aut substantiuè sumitur, non adiectiue, qa nõ concordat cũ nomine, *Panis*, sed, *Corpus*. Nã *panis* & Latinè & Græcè est generis masculini: at *Hoc*, &, *Corpus*, est generis neutri Latinè & Græcè: Dñs dixit, non τοῦτος, sed τοῦτο. *Respondeo*: nos fateri *Hoc* non sumi adiectiuè: non enim Euangelistæ habent τοῦτος, sed τοῦτο: non est igitur in hoc immorandum. Grammatica non patitur, vt sumatur adiectiuè: substantiuè igitur accipitur; & hoc illi etiam sentiunt. Sed si substantiue accipiatur, inquit, tum sensus erit, *Hoc*, id est, hæc res est corpus meũ, & tum absurdissima, inquit, propositio erit. Prius dixit ex quatuor opinionibus & explicationib. huius vocabuli, *Hoc*, hanc esse minùs absurdam, quàm cæteræ: nunc è contra. Sed quare absurdissima propositio erit. Nos per *Hoc*, intelligi dicimus hanc rem: eam autem fuisse panem. Quomodo hoc refellit? *Hoc* (inquit) non potest dici de re, quæ cernitur, & apertè cognoscitur, nisi ea res sit generis neutri: vt nemo diceret, Hoc est frater meus, aut, Hoc est Cæsar, id est, hæc imago est Cæsar: ita nec de pane, quem discipuli videbant, dici rectè potuit, *Hoc est corpus meum*. *Respondeo*: nihil esse absurditatis, vt quis loquens de re masculini aut fœminini generis, pnomine neutri generis vtatur. Est vsitatissimum, vt cum quis alteri præbet panem, aut pecuniam, aut mercedem, dicat, Accipe hoc: Hoc, quod tibi do, est merces tua, est panis, est potus, est liber: nil tam tritum est, & omnibus linguis consuetum.

Luther. in lib. de captiuit. Babylon. & cont. Regẽ Anglia.

* Nemo sanè diceret, Hoc est frater meus, quia homo demonstratur: nam hæc ratio loquendi seruatur potiùs in rebus insensibilibus & inanimatis, tum quando id quod demonstratur, efferri potest isto modo, Hæc res: nemo diceret, hæc res est frater meus: non igitur rectè, Hoc est frater meus: nam *Hoc* substantiuè significat hãc rem. Si quis autem nummos alicui offerret variarum imaginum, absurdum non est, si dicat, Hoc est Cæsar, aut Cæsaris, Hoc Tiberius, Hoc Constantinus. Sic Christus sumpto pane & distributo discipulis non minùs appositè potuit dicere, Accipite, edite, hæc res est corpus meum, quàm hic panis est corpus meum: non est absurdum, vt *Hoc* de pane dicatur. Etsi ergo Apostoli videbant illum panem, & sciebant esse panem, tamen non minùs ptopriè & vsitatè Christus dixit,

* *Sic Iansen. in concord. Euangel. cap.* 131. Quærenti de re aliqua, quid est hoc, vel illud, dicimus, Hoc est lapis, hoc est argentum. *Et paulo post*, vt si faber, dum clavum subito metu formidat, dicat, Hoc est clavus.

dixit, *Hoc*, quàm hic panis: nam *Hoc* significat rem vniuersaliorem, hic panis naturam certam & particularem; & licet rem, quam demonstramus, præsertim inanimatam, vt dixi, vel per vniuersale, vel per particulare nomen demonstrare. Exempla igitur, quæ affert Bellarminus, sunt in dissimili genere. Cũ vides rem aliquam, & ostendis ijs, qui nesciunt quid sit, potes dicere, Illud est homo: cum vidẽt esse hominem, sed quis homo sit, ignorãt, non dicis, illud, sed ille homo est Petrus; nimirum quia homo est persona, & nemo diceret de homine, Illa res est homo: sed quando, illa res, commodè vsurpari potest, tum &, illud: sic quando, Hæc res, tum &, *Hoc*. Nemo dixerit absurdum esse, vt quis alteri panem porrigens dicat, Hoc est corporum nostrorum nutrimentum: vel, si hoc comedes, non morieris. Est ergo hæc planè ridicula obiectio, & non valde vrgetur à Papistis: sed Bellarminus non habuit meliorẽ. Quasi non liceat dicere, Hoc est ilex, aut pirus, aut lapis, aut piscina, aut fluuius.

Sed pollicetur deinceps Bellarminus, se argumentum ex Scriptura robustissimum allaturum, quod cuiusmodi sit, videamus. Si, *Hoc*, inquit, panem demonstraret, tum similiter etiã in consecratione vini, *Hic*, siue, *Hoc*, Græcè, demonstraret vinum; quod nos concedimus: nam *Hic* demonstrat calicem, in quo vinum erat: quare Lucas ait, τοῦτο τὸ ποτήριον, *hoc poculum*, apertè demonstrato poculo. Sed Christus inquit Bellarminus, non demonstrauit poculũ, qa addit, vt est apud Lucam, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *quod pro vobis effunditur*, quod cum ποτήριον coniungitur, non cum αἷμα, id est; cum vocabulo, *poculum*, non cum vocabulo, *sanguis*: at vas aut vinum non fuit pro nobis fusum: ergo sanguis: calix igitur, inquit, non significat calicem vini, sed calicem sanguinis. *Respondeo*: Si ἐκχυνόμενον referatur ad ποτήριον, vt constructio Grammatica videtur postulare, non tamen ideo non vinum demonstrauit Christus; nã possumus dicere, vinum effundi pro nobis, vt panis dicitur corpus Christi, quod datur pro nobis, i. e. Sacramẽtaliter: sic vinum pro nobis effundi dicitur, vt vinum significat illum sanguinem, quem Christus pro nobis effudit.

Luc. 22. 20.

Sed non malè Beza ait, aut esse in verbis συλλειτουργὲς, seu ἐναλλαγὴ casus, aut legendum esse τῷ ἐκχυνομένῳ, vt Basilius legit: & sanè alias non benè constabit aut cohærebit sensus: quis enim horum verborum sensus esse potest, Hic sanguis est nouum Testamentum in sanguine meo? sed hic optimus sensus est, Hoc poculum, id est, vinum in hoc poculo συνευδοκιμῶς, est nouum Testamẽtum, id est, Sacramentum noui Testamenti μετωνυμικῶς, in meo sanguine, qui pro vobis effunditur. Igitur hic locus nostrum sententiam confirmat, nempe *Hoc* significare panem, quia *Hoc* significat poculum, id est, vinum in poculo; nam Lucas apertè ait, τοῦτο τὸ ποτήριον, *Hoc poculum*.

Beza in annotat. in locum.

Cyprian. Epist. 63.

Sic Cyprianus legit, *Hoc est sanguis meus*, vt Erasmus in suo Cypriano habet, & codex Remboldi; sed Papisticæ editiones habent, Hic est sanguis meus. Panem igitur demonstrari, ex verbis manifestum est: & quanquam Christus non dixit, Hic panis: tamen intellexit, vt ex Paulo constat, qui ait, *Panis, quē frangimus, nonne communio corporis Christi est?* atque ita Patres Christi verba intellexerunt.

1. Cor. 10. 16,

Iren. l. 4. c. 32. & c. 34. & c. 57.

Sic Irenæus, *Christus panem, qui est creatura, corpus suum confessus est*: & alibi, *panis in quo gratiæ actæ sunt, corpus Domini est*: & adhuc alibi, *accipiens panem suum corpus confitebatur.*

Tertullian cont. Iudæos. Idem cont. Marcion. l. 3. & 4.

Sic Tertullianus, *Christus*, inquit, *panem corpus suum appellauit*: & alibi, *Christus accepit panem, & corpus suum illum fecit dicendo, Hoc est corpus meum, hoc est, figura corporis mei.*

Cyrill. in Ioan. l. 4. c. 21. & l. 12. c. 58.

Sic Cyrillus, *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit*: & alibi, *fractum panem distribuebat dicens, Hoc est corpus meum.*

Cyprian. Epist. 63.

Sic Cyprianus, *inuenimus vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit*. Sed nunc plura exempla non proferemus. Ex his constat, nostram interpretationem & authoritate Christi, & Apostoli Pauli, & Patrum niti.

Sed nunc Bellarminum interrogemus, quid Christus demonstrârit, si non panem: ait ille non panem demonstrâsse, sed rem contentam sub speciebus panis, quæ etsi antea fuerat panis, tamen *tunc iam*, inquit, erat Christi corpus. Sed quando erat illud *tunc iam?* num quando Christus dixit, *Hoc?* at si Christus cōsecrauit his verbis, *Hoc est corpus meum*, non potuit esse corpus, antequam verba omnia sunt prolata: at quando Christus dixit, *Hoc*, nullum aliud verbum protulerat: non potuit igitur adhuc demonstrare corpus suum: ergo panem demonstrauit: tum enim cōsecratio nondum erat completa & consummata, sed inchoata tantùm fuit. Res autem illa contenta sub speciebus panis quid erat? an panis? tum habemus, quod volumus; tum enim Bellarminus nostram expositionem sequitur: an Christi corpus? tum hic sensus erit horum verborum, Corpus meum est corpus meum; quæ est nugatoria & ridicula expositio, vt Thomas ipse concedit: & tum hic sermo non erit (vt illi volunt) practicus, sed tantùm indicatiuus; nam quando quis ait, Corpus Christi est corpus Christi, non nisi indicat: sed illi volunt hunc sermonem Christi esse operatorium. Tum si *Est* significat fieri, corpus Christi non ex se fit, sed ex alio: ergo *Hoc* non corpus demonstrat, sed panē, ex quo Christi corpus fit. Vel forsan, *Hoc*, neque panem, neq; Christi corpus demonstrat, sed aliud aliquid: nam ipsi inter se non consentiunt: nec superuacaneum erit illorum pugnas intueri.

* Thom. 3. q. 78. art. 5.

Guitmundus, qui fere primus contra Berengarium scripsit, sic exponit hæc verba, *Hoc*, id est, Hoc corpus, est corpus meū, vel, Hoc, quod vobis do, est corpus meum. Sed hoc corpus, quod Christus fregit & dedit discipulis, aut erat Christi corpus, aut panis: si Christi corpus, tum ex verbis nulla facta est conuersio, quia corpus Christi, antequam verba prolata sunt, fuit: sed hoc est contra mentem omnium Papistarum, qui volunt transubstantiationem nullam esse, nisi prolatis hisce verbis; & statim post verba prolata, in vltimo instanti prolationis verborum, corpus Christi ibi esse: si verò, *Hoc*, demonstrat & significat, quod Christus dedit, rum panem demonstrauit: nam constat ex Euangelistis, quod panem discipulis dedit, quia postquam dedit, dixit, *Hoc est corpus meū.*

Guitmundus l. 2. cont. Berenq.

Innocen. 3. in lib. 4. c. 17. de Myst. Miss.

Innocentius tertius ait, Christum consecrâsse, cum benedixit, antequam hæc verba protulit, & sacerdotem vti iis verbis, *Hoc est corpus meum*, non enunciatiuè, sed tantùm recitatiuè: at tum, *Hoc*, nec panem, nec corpus demonstrat, quia tum sacerdos nihil demonstrat, sed tantùm verba Christi recitat. Hoc si verum sit, non est quod de pronomine, *Hoc*, tantopere laboremus. Similiter Glossa apud Gratianum, & Guilielmus Widford contra Wiclephum; & multi veteres in ea opinione sunt, vt Durandus testatur. Sed eam Thomas refellit, & nunc omnes ferè Thomam sequuntur: & sanè nescitur, quibus verbis consecratio conficiatur, nisi bis. Bonaeuentura ait, non demonstrari corpus Christi, sed substantiam panis, quia intētio sacerdotis fertur super panem, vt conuertatur in corpus Christi: ergo Christus panem demonstrauit, cum dixit, *Hoc est corpus meum.* Non igitur visum est absurdum Bonauenturæ, per, *Hoc*, significari panem. Et similiter etiam Gerson huius opinionis est. Sed Innocentius, & Thomas, & alii non probant, quia tum sequeretur, panis substantiam esse corpus Christi; quod sine tropo fieri non potest.

Idem in Luc. 22.

Gerson. in Floret. l. 4. de Eucharist. Sacrament.

Scot. in 4. d. 8. q. 3.

Scotus subtilis Doctor, quem Petrus de Alliaco sequitur, ait, *Hoc*, nihil demonstrare pro tempore prolationis verborum Cænæ, sed post totam orationem completè pronunciatam, ipsum Christi corpus demonstrare: ergo & CHRISTVS ipse olim, quando primùm dixit, *Hoc*, nihil demonstrauit, & nunc sacerdos; sed postquam vterq; loqui desiit; quo nihil magis ridiculum: & istam expositionem Thomas refellit, quia sic non aliud dicitur, nisi, corpus meum est corpus meum. Durandus ait, hæc verba à sacerdote pronunciari non nisi recitatiuè; idque ex eo, quia recitat, *qui pro vobis effundetur*: at sanguis Christi non nisi semel effusus est. Sed tamen idem Durandus postea ait isto vocabulo, *Hoc*, indiuiduum vagū demonstrari; quod quale sit, cogitari non potest: at, *Hoc*, aliquid certum & singulare significat, τόδε τι, vt Dialectici loquuntur, quod non potest esse indiuiduum vagum. Gardinerus hoc commentum de indiuiduo vago amplexus est in libro, quem Petrus Martyr refellit; etsi in libro Anglico, quē Diaboli Sophisticam inscripsit, ingenuè per, *Hoc*, panem designari fatetur.

Durand. in 4. d. 8. q. 2.

Glossa decret. de Consecrat. d. 2. c. Timorem. Guil. Widford. cont. Wiclef.

Bonauent. in 4. d. 8. q. 1.

Richard. de med. vill. in 4. d. 8. q. 1.

Richardus de media villa per, *Hoc*, ait demonstrari aliquid sub hac specie præsens, vel de propinquo futurum: igitur ex illius sententia demonstrat corpus Christi: nam corpus Christi, vt illi volunt, aut adest, aut statim aderit. Sed tamen hoc in dubio est: quid si enim sacerdos non intendat consecrare?

Occam in 4. d. 13.

Occam hæc verba sic interpretatur, *Hoc est*, id est, Hoc erit corpus meum. Erat ille valde subtilis, & alio modo interpretatur, quàm alii: sed vim affert verbis Christi, qa Christus non ait, Erit, sed *Est*. Et tũ *Hoc*, demõstrat panem: ita Occam, qui nemo inter Scholasticos subtilior fuit, vidit, *Hoc*, non posse aliter nisi de pane intelligi.

Marsil. in 4. q. 6. ar. 1.

Marsilius in hunc modum verba exponit, *Hoc*, id est, id, in quod hoc conuertitur, est corpus meũ: sed tum hæc oratio non est practica & conuersiua. Quid igitur Thomas, quem Schola vt magistrum sequitur? nam longum esset dissentientes horum opinionis recensere. Is per *Hoc*, intelligit contentum sub speciebus panis & vini: *Hoc*, inquit, id est, Hæc substantia sine determinatione. At τόδε debet significare aliquid certum: ostendat ille, quænam sit illa substantia: non potest indefinita & indeterminata substantia sub definitis & determinatis speciebus contineri. Et hanc Thomæ opinionem eius discipuli aut non intelligunt, aut explicare nequeunt.

Thom. in 3. p. sum. q. 78. art. 5.

Pantheolog. de Eucharist. Sacrament. c. 33.

Nam Pantheologus Thomam interpretans ait, *Hoc demonstrat contentum sub speciebus, scilicet ipsum corpus Christi, & non substantiam panis.* Sed Thomas hanc opinionem disertè improbat. Caietanus, qui commentarios in Thomam scripsit, putat Thomam dicere, pronomen, *Hoc*, demonstrare hanc substantiam, scilicet panem, quæ postea est corpus Christi. Sed illum Dominicus Soto refellit: & quidé Thomas ait, demonstrari aliquid, quod communiter se habet ad vtrumque, & panem scilic. & corpus Christi. Sed quale, obsecro, hoc est singulare, quod perinde sit aut panis, aut corpus Christi? nihil singulare est eiusmodi: sed, *Hoc*, aliquid singulare demonstrat. Si pronomen, *Hoc*, esset indifferens ad res duas, tum hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, non esset singularis, sed indefinita propositio: & quid cogitari potest contentum sub speciebus, nisi singularis substantia aut panis aut corporis? Alanus etsi videri vult Thomista, non tamen adhæresit ad expositionem Thomæ, nec nos dimittit aut certiores, aut doctiores. Ait ille pronomen *Hoc*, sumi vagè & indefinitè; nec demonstrare exactè aut hoc, aut illud, donec oratio compleatur, & tunc determinari ad corpus. Sed hæc ineptissima expositio est: nam *Hoc*, aliquid exactè demonstrat aut sensui aut intellectui: hic verò ait, nihil alterutri exactè demonstrare, sed sumi vagè, & demonstrare nec panem, nec corpus. Sed quod continetur sub his speciebus, est aliquid singulare exactè: & id exactè demonstrari debet. Quare coactus est ad extremum dicere, hanc

Alan. de Sacram. l. 1. c. 34.

hanc orationem esse singulariter admirabilem, & non esse exigendam ad regulas Sophistarũ: quasi Grammatici & Philosophi sint Sophistæ: imò hi Sophistæ nullo modo audiendi sunt, qui ad sensum perspicuum obscurandum mille sophismata excogitârunt, sed eadem insaniissima.

Ianſen. in concord. Euangel. c. 131.

Ianſenius ait, *Hoc*, demonstrare *substantiam quandam individualẽ, quæ speciebus illis vestitur*; & tamen negat hanc substantiam esse aut panem, aut corpus Christi: doceant ergo, quæ substantia individualis possit sub illis specieb. contineri, nisi aut panis, aut corpus Christi? nam hæ species ostenduntur aut ante consecrationem, aut post: si antè, tum est panis, qui sub speciebus continetur; si post, tum est corpus Christi, vt illi volunt; sed nunquam est vlla substantia sub eis specieb⁹, nisi substantia panis aut corporis Christi: & hoc nemo vnquam asseruit. Idque statim agnoscit, cum ait, *Si vlterius quæratur, quæ illa substantia individualis sit, dicendum quod ante cõsecrationem completam, quæ perficitur & fit in momento terminante verborũm prolationem, substãtia illa est panis, post verò consecrationem est corpus Christi:* ergo, *Hoc*, substantiam panis significat, quia non est ibi substantia corporis Christi, nisi post prolationem omnium verborum: at omnia non sunt prolata, cum primũ tantùm est prolatum: imò verba proferuntur successiuè, sed mutatio est in instante, vt volunt, ad finem verborum: cùm igitur, *Hoc*, dicitur, non est corpus, & proinde oratio esset falsa, si, *Hoc*, corpus demonstraret. Sed Ianſenius, vt huic incommodo subueniat, ait veritatem huius propositionis *non pendere ab existentia rei pro tempore, quo profertur, sed pro momento finiente orationem: vt verè quis dicit, Ego sileo, si post prolationem non loquatur.* Sed Thomas hanc expositionem reiicit, & exemplum ponit, quo vsus est Ianſenius; quia tum non alius erit horum verborum sensus, nisi corpus meum est corpus meum: sed oratio hæc est cõuersiua panis in corpus Christi, vt Thomas vult: ergo, *Hoc*, aliud significat quàm corpus, quia significat id; quod in corpus Christi conuertitur. Sed vtitur Ianſenius alio exemplo, *vt si faber*, inquit, *interea dum clauum subito motu formar, dicat, Hoc est clauus.* Sed exemplum est dissimile: nam faber non cõuertit substantiam, tantùm huic ferro formam claui; quæ est artificialis, tribuit: vera igitur est hęc ꝓpositio, Hoc ferrũ est clavus, quia manet substantia eadem post nouam formam, quæ prius fuit. Quod ergo ait, in hac propositione, Hoc est clavus, *Hoc*, non significare determinatam substantiam, falsum est: nam significat substantiam illam determinatã ferri: clavus enim non materiam, sed formam nouam significat. Sed aliud adhuc exemplum affert: Christus in nuptiis cum aquam in vinum conuertit, dicere potuisset, Hoc est vinum: *neque tamen pronomen, Hoc*, inquit, *demonstrasset aut aquam aut vinum, quia falsum fuisset aquam esse vinum, & efficienti non conuenit ille ser-*

mo, *Hoc vinum est vinum. Indeterminatè ergo*, inquit, *substantiam demonstrasset, quæ non tum fuisset vinum, cum oratio proferretur, sed cum prolata iam fuisset.* Sed *respondeo*: hoc exemplum esse fictum: non enim Christus aquam in vinum mutauit verbis, sed occultâ virtute. Sed si aqua in Christi conspectum adducta fuisset, vt eam in vinum conuerteret, non dixisset Christus, Hoc est vinum, sed, Hęc aqua esto vinum: nã, *Est*, significat, quid res antè fuerit, non quid post: ita Christus, si voluit panem transubstantiare, non dixisset, *Hoc est corpus meũ*, sed, Hoc esto corpus meum. Claudius Sanctes contrarius est sibi: ait enim (*Hoc*) neque panem, neque corpus Christi distinctè demonstrare aut significare: sed mox ait, Christi sermonem enunciare potiùs rem factam, quàm fieri. *Hoc*, inquit significat, quod prius erat panis, esse corpus Christi. At quod prius erat panis, non potest esse aliquid, nisi corpus Christi. Sed ait, hoc non distinctè significari seu demonstrari. At, *Hoc*, aliquid distinctè demõstrat in particulari. Ita nec qui Innocentium Papam, nec qui Thomam acutissimum sequuntur, nec qui expensis superiorum erroribꝰ considerate loquuntur possunt expositionem probabilem afferre, imò non apertè absurdam.

Claud. Sanct. Repet. 7. c. 7.

Bellarminus vno verbo omnia expedit, quia non audet hanc Camarinam mouere: ait enim, *Hoc*, non panem, sed rem contentã sub speciebus panis demonstrare. Sed quænam ea res est? addit, quæ etsi ante fuerat panis, tamen *tunc iam* erat corpus Christi: igitur, *Hoc*, ex Bellarmini sententia non aliud, quàm Christi corpus demonstrat: nam ait, *tunc iam* erat Christi corpus: & ante fuerat panis: at pani corpus succedit, vt illi volunt. Delabitur ergo in eam opinionem, quam Thomas refellit, vt dicat horum verborũ sensum esse, Meum corpus est meum corpus. Sic nullum commentum excogitare possunt, quod illorum instituto inseruiat.

Est:

De pronomine (*Hoc*) diximus, & eo nihil aliud nisi panem demonstrari docuimus. Iam de verbo (*Est*) aliquid dicendum est, quod Zuinglius interpretatur, *significat*: ita etiam interdum Calvinꝰ, Martyr, Beza. Ita tropum statuunt in verbo (*Est*) vt hæc verba, *Hoc est corpus meum*, hunc sensum habeant, Hoc significat Sacramẽtaliter corpus meum. Siue enim dicamus, *Hoc*, id est, hunc panem esse corpus Christi, siue, Hoc significare corpus Christi, nihil est diuersum in sensu; quod omnibus est perspicuum.

Bellarminus contendit verbum (*Est*) propriè sumendum esse, & nihil significare nisi (*Est*:) de quo nos non valde laboraremus, si in attributo tropum esse concederet: sed in nullo verbo tropum relinquit. Et quanquam nostri tropum in prædicato cõstituunt in hunc modum, *Hoc est corpus meum*, id est, signum, figura, Sacramentum corporis

poris mei, non inane, sed efficax, nisi culpa sit in nobis; tamẽ rectius sedes tropi in copula statuetur, id est, in modo attributionis. Nam extrema sunt disparata; ergo vnum de altero propriè prædicari non potest: est igitur tropus; nempe μετωνυμία, in verbo (*Est*): vt ponatur pro *significat*. Sensus ergo est, *Hoc est corpus meum*, non propriè, sed in signo, & mysterio, id est, Hoc significat corpus meum verè. Sed Bellarminus probat verbum (*Est*) accipiendum esse propriè, & nõ posse aliter nisi in sua propria significatione accipi: & in hunc finem argumenta quædam affert, quorum *primum est* huiusmodi.

1. Hoc verbum (*Est*) habet significationem simplicissimam & communissimam, ita vt alia verba omnia resoluantur in hoc, & aliquid aliud, vt Homo ambulat, id est, Homo est ambulans. *Respondeo*: non sequi, quia alia verba possunt resolui in hoc & aliud: ergo hoc semper propriè accipi. Homo est ambulans proprie accipitur, quia ambulare potest, de homine propriè dicitur: sed in hac prædicatione, Homo est volans, si (*Est*) propriè accipiatur, tum homo propriè volat; quod est ἀδύνατον. Significatio ergo verbi (*Est*) metienda semper est ex natura rerum, quas copulat.

2. *Secundum* argumentum sic se habet: Hoc verbum (*Est*) in omni propositione copula est, coniungens prædicatum cum subiecto: ergo est in omni propositione necessarium; ergo nunquam potest dimittere suam significationem, vt induat aliam. *Respondeo*: verbum quidem (*Est*) non posse dimittere significationem suam, sed eam semper habere, licet non semper propriam. Non autem sequitur, Hoc verbum est copula in omni propositione, & coniungit extrema: ergo semper propriè accipitur: nam copulat & coniungit extrema, quemadmodum possunt coniungi; consentanea propriè, disparata tropicè, non propriè: nam vnũ disparatum propriè de altero prædicari non potest. Significat aliquando similitudinem, vt cũ Christus Herodem vulpem vocat. Vera est hæc propositio, Herodes est vulpes: hæc autem duo, Herodes, & vulpes, non copulantur propriè: ergo in verbo (*Est*) σχέσις ineſt, & sic dicitur Herodes propter similitudinem, vt sensus sit, Herodes est vulpino ingenio. *Luc.* 13. 32.

Sic Christus ait, Ioannes est Elias, non quod verus Elias erat, sed propter quandam similitudinem, quia scilicet Eliæ zelo similis fuit. Nam quemadmodum Dialectici loquuntur prædicata talia sunt, qualia permittuntur esse à suis subiectis. Ergo verbum (*Est*) non semper significat ὕπαρξιν, sed aliquando σχέσιν. *Matth.* 21. 14.

3. *Tertium* argumentum hoc est: Verbum (*Est*) nihil significat, nisi coniunctionem vnius cum altero: ergo non potest in eo esse tropus aliquis. *Respondeo*: negando argumentum. Etsi enim non nisi coniunctionem significat, tamen illa coniunctio potest esse non propria,

pria, ſed tropica, & ſic in verbo tropus erit. Paulus ait, *Panis quem frangimus, eſt communicatio corporis Chriſti*: hic verbum (*Eſt*) non ſumitur ὑπαρκτικῶς, ſed σχετικῶς: & tamen coniungit extrema, ſic vt κοινωνία corporis Chriſti de pane prædicetur, quæ non poteſt eſſe propria prædicatio. 1 Cor. 10. 16.

Hic enim horum verborum ſenſus eſt, Panis eſt communicatio corporis Chriſti, id eſt, Panis eſt pignus vel Sacramentum communicationis corporis Chriſti. * *quia eſt prædicatio non naturalis, ſed Sacramentalis, & σχετική, iuxta habitudinem prædicati ad ſubiectum.*

Poſtremum Bellarmini argumentum eſt huiuſmodi: Nullus vnquã Rhetor ſcripſit, tropum poſſe fingi in verbo (*Eſt*) hæc opinio igitur ex merâ imperitiâ nata eſt. 4.

Reſpondeo: imò hoc argumentum ex mera inſcitia profectum eſt: nã omnes intelligunt in parabolis, & metaphoris, & impropriis ſermonibus verbum (*Eſt*) non poſſe propriè accipi, ſed habere parabolicã & impropriam ſignificationem, vt in his propoſitionibus, *Circumciſio eſt fœdus, Agnus eſt tranſitus*: & huiuſmodi: mirum certè & miſerabile eſt, Iudæos rectè intellexiſſe has propoſitiones, nos verò in tanta luce Euangelii adeo cæcutire, vt non intelligamus iſtam propoſitionem, *Hoc eſt corpus meum*. Nunquam legimus veterem Eccleſiam de harum propoſitionum ſenſu litigaſſe, ſed ſemper tropicum eſſe agnouiſſe: non putauit illa vel circumciſionem eſſe reuera fœdus, vel Agnum Paſcha: at Pontificii propoſitionem his planè ſimilem, nempe *Hoc eſt corpus meum*, propriè non tropice intelligi contendunt. Similiter cum legimus, *Septem vaccæ ſunt ſeptem anni: Semen eſt verbum Dei: Petra erat Chriſtus*: in his & huiuſmodi propoſitionibus verbum (*Eſt*) non ὕπαρξιν, ſed τρόπον, & σχέσιν ſignificat. Ita ſceptrum dicitur eſſe regnum, id eſt, ſignum & ſymbolum regni: ita lex vocatur mutus magiſtratus, non ὑπαρκτικῶς, ſed τροπικῶς, propter ſimilitudinem: ſic olim ſacrificia paſſim dicuntur expiationes: ſic Arca fœderis vocatur Iehoua plus quadragies in Scripturis: ſimiliter panis eſt corpus Chriſti ſymbolicè & Sacramentaliter. Atque hoc omnes Rhetores agnoſcunt & tradunt. Imò ipſi etiam Scholaſtici eodem modo interdum hæc verba exponunt. Gen. 41. 26. Luc. 8. 11. 1. Cor. 10. 4.

Sic Gratianus, *Cæleſtis panis, qui Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cum reuera ſit Sacramentum corporis Chriſti*: vbi Gloſſa, *Vocatur Chriſti corpus, id eſt ſignificat*: Sacramẽtum ergo dicitur corpus Chriſti impropriè, vnde dicitur, *ſuo modo*. Atque hoc eſt, quod Auguſtinus tam ſæpe ait, *Sacramenta aliud ſunt, & aliud ſignificant*. *Gloſſ. in Can. Hoc eſt, in verbo Cæleſtis d. 2.*

Sic Ambroſius, *Ante benedictionẽ verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus ſignificatur*. *Ambroſ. in lib. de iis, qui initiantur myſter. c. 9.*

Sic & idem alibi, *Quia morte Domini liberati ſumus, huius rei memores, in edendo & potando, carnem & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus*. *Idem in comment in 1. Cor. 11.*

Sic Auguſtinus, *Sacramentum ſanguinis Chriſti ſecundum quendam modum* *Auguſt. in Epiſt. 23.*

modum eſt ſanguis Chriſti. Eſt, ſed ſecundum modum quendam, id eſt, τροπικῶς. Sic idem alibi, *Solet res, quæ ſignificat, eius rei nomine, quam ſignificat, nuncupari*: ergo (*Eſt*) idem eſt, quod ſignificat. *Idem in Leu. q. 17.*

Sic Tertullianus, *Chriſtus non reprobauit panem, quo corpus ſuum repræſentauit*. *Tertullian. li. 1. cont. Marcion.*

Et ob hanc cauſſam Durandus quoſdam ait verba hæc, *Hoc eſt corpus meum*, ſic interpretari, Significatum per hoc eſt corpus meum, quod idem eſt ac ſi diceret, Hoc ſignificat corpus meum. Nihil ergo afferri poteſt, quo minꝰ ſedes tropi non ſit in verbo (*Eſt*.) Quanquã perinde nobis erit, ſiue in verbo, ſiue in attributo tropus ponatur: & Patres quidem potiùs in prædicato ponunt. *Durand. in 4. d. 8 q. 2.*

Sic Tertullianus, *Hoc eſt corpus meum: id eſt, Hoc eſt figura corporis mei*. Sic Auguſtinus, *Hoc eſt ſignum*, & alibi, *Hoc eſt figura*. Sed melius Aduerſariorum argutiæ & calumniæ euitari poſſunt, ſi (*Eſt*) interpretemur per *ſignificat*. Sacramentum enim conſtat ex materia terrena & cæleſti: harum eſt coniunctio, ſed Sacramentalis, non naturalis: ergo verbum (*Eſt*) non debet hic exponi naturaliter, ſed Sacramentaliter. *Tertullian. li. 4. cont. Marcion.*

Non poſſe verò verbum (*Eſt*) in hac ſententia, *Hoc eſt corpus meum*, ὑπαρκτικῶς accipi, vt Aduerſarii volunt, certum eſt, idque ex ipſorum Aduerſariorum ſententia. Ipſi enim Aduerſarii ſtatuunt, tranſubſtantiationem fieri his verbis, i.e. conuerſionem panis in corpꝰ Chriſti; at ſi verbum (*Eſt*) propriè ſumatur, vt vult Bellarminus, tum his verbis nulla fit conuerſio. Nam (*Eſt*) propriè ſumptum, non conuertit rem, ſed rei naturam declarat, qualis in ſe eſt, nec ſignificat mutationem aut conuerſionem aliquam in ipſa verborum pronunciatione, ſed declarat qualis rei natura fuit ante pronũciationem verborum: at Papiſtæ fingunt in verbis eſſe vim quandam factiuam conuerſionis, vt Thomas ait; non igitur verbum (*Eſt*) propriè ſumitur. Ex pane corpus fieri dicunt: & fuit panis ante verba hæc: iam his verbis panis in corpus mutatur, (vt illi volunt) quonam verbo, ſi non iſto verbo (*Eſt*) multò enim rationi conuenientius eſt, vt conuerſionis vis verbo, quam pronomini aut nomini tribuatur. Niſi ergo adſit corpꝰ Chriſti ante verborum prolationem, non poteſt hæc vera eſſe prædicatio, *Hoc eſt corpus meum*, niſi (*Eſt*) aliter ſumatur, quàm propriè, & ſignificationem pluſquam naturalem habeat. Ob eam cauſam aliqui Scholaſtici (*Eſt*) per (*Erit*) interpretantur in hunc modum, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, *Hoc erit corpus meum*, vt Occani: alii per (*Fit*) aut (*Tranſubſtantiatur*) quod tamen Bellarminus non agnoſcit, & Calvinum eo nomine reprehẽdit: ſed alias illorũ Tranſubſtantiatio ruit, niſi in verbo (*Eſt*) ſit vis quædam tranſubſtantiandi, quod propterea à Scholaſticis imperioſum verbũ vocatur: aliàs enim erit Tranſubſtantiatio ante Tranſubſtantiationem: & ſic nulla omnino Tranſubſtan-

ſubſtantiatio erit, atq; ita illorum falſa ſententia erit, qui in his verbis vim tranſubſtantiandi ponũt. Sic igitur contra Bellarminum diſputo: Si verbum (*Eſt*) propriè ſumatur, tum rem ante exiſtentem & præſentem ſignificat (vt ſi quis dicat, Hic homo eſt doctus, in hac propoſitione verbum (*Eſt*) propriè ſumitur, quia ſignificat qualis fuerit & ſit ille homo, qui demonſtratur, non facit illum doctum:) at in his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, verbum (*Eſt*) non rem ante exiſtentem ſignificat (vt illi volunt) niſi hæc non ſit forma conſecrandi; quod omnes affirmant: non ergo propriè ſumitur verbum (*Eſt*:) ſumitur igitur pro *tranſubſtantiatur*, aut *fit*, aut pro aliquo eiuſmodi. Quæ hic ſequuntur apud Bellarminum, ad Boquinum refellendum pertinẽt, qui verbum (*Eſt*) de communicatione idiomatum interpretatur: quæ ſententia à vero longiſſimè abeſt, neque refutatione indiget: noſtra certè non eſt.

Corpvs.

Iam ad tertium vocabulum veniamus, quod eſt *corpus*: quãquam in Canone Miſſæ interpoſita eſt ab iſtis particula (*Enim*) ſic enim leguntur verba in Canone, *Hoc eſt enim corpus meum*: ſed hæc particula in nullo Euangeliſtarum reperitur; tamen eam nullo modo à ſacerdote prætermittendam eſſe aiunt: ſed ſi forte prętermiſſa fuerit, plærique putant conſecrationem non impediri, ſed grande tamen ſacrilegium commiſſum eſſe. Multa hic Bellarminus de vocabulo (*corpus*) diſputat, quæ prorſus aliena à cauſſa ſunt. Tres opiniones refellit, quarũ *prima* eſt, quod vox (*corpus*) ſignificet corpus Chriſti myſticum: de quo nemo noſtrum ſomniauit; *ſecunda* eſt, quod ſignificet ſignum corporis Chriſti; *tertia*, quòd ſignificet ſignum efficax: & nos ſæpiſſime per *corpus* ſignum intelligimus, ſed efficax, nõ nudũ: qui nudum, inane, vacuum ſignũ intelligunt, nos ab eorum opinione non minus abhorremus, quàm Papiſtæ. Vere a. exponi verba poſſunt, ſi panem dicamus eſſe Chriſti corpus, id eſt, Sacramentum & ſignum efficax corporis, vt vna cum ſigno corpus offeratur, & à populo Chriſtiano ſumatur. Hæc non Calvini, aut Martyris, ſed veterum Eccleſiæ Patrum ſententia eſt: eam quomodo Bellarminus improbet, audiamus. Corpus igitur ex mente Calvini & Martyris eſt ſignum efficax: & ideo Chriſtus panem vocauit corpus, non ſignum corporis, vt efficax eſſe ſignum declararet. Et hic in memoriam reuocari vult Bellarminus, Calvinum non putare, Chriſtũ dare nobis reipſa corpus ſuum cum pane: quod omnes falſiſſimum eſſe poſſunt meminiſſe. Calvinus enim reipſa Chriſtum nobis cum pane dari exiſtimauit, non vt de cælo deſcendere cogatur Chriſtus, quoties hoc Sacramentum celebratur: ſed quia in legitimo vſu Sacramenti cum pane ipſum Chriſtum in cælis ſedentem cum bonis ſuis omnibus percipimus, cuius perceptionis organon fides eſt. Hanc veriſſimã ſententiam Bellarminus figmentum vocat, eamque duobus argumentis conatur refellere.

Primum eius argumentum à Calvini ipſius quodam principio ſumitur: nam ait ex Calvini ſententia ſequi, manducare Chriſtum, nihil aliud eſſe, niſi credere in Chriſtum: & credere in Chriſtum, inquit, non eſt verè manducare Chriſtum: panis enim non diceretur corpus Chriſti, ſi credere eſſet manducare: idque probat ex verbis quibuſdam Calvini, in quibus contendit, manducare Chriſtum, amplius eſſe quam credere in Chriſtum: eſſe enim fructum credendi, & arctiorem quandam cum Chriſto coniunctionem: interim ait non aliam eſſe hanc niſi fidei manducationem. Quod autem ait Calvinus credere in Chriſtum, & mãducare Chriſtum perinde eſſe vt cibum videre & edere, non eo hoc dicit, vt eos qui credũt non aliter velit Chriſtum participare, niſi vt qui cibum aſpiciunt, quo non veſcuntur, ſed vt manducare plus eſſe doceat, quam ſimpliciter credere: nã certe Chriſti participes ſumus, ſi Euangelio credimus, etſi nondum ad Sacramentũ acceſſimus: ſed quando credentes accedimus ad Chriſtum manducandum in Sacramento, penitius Chriſto inſerimur: non ergo in re differentiam eſſe vult Calvinus, ſed in gradu, modoque. Iam quid hinc contra Calvinũ colligit Bellarminus? vult ſcili. probare, quod manducare Chriſtum nihil aliud ſit ex ſententia Calvini, quàm credere in Chriſtum: quod ſi ita ſit, quid hoc ad rem? debuit probare, per *Corpus* non intelligi ſignum efficax; quod Calvinus ait. Num id ex eo ſequitur, quod Calvinus dicat, manducare non aliud eſſe niſi credere? Sed quomodo non aliud eſſe probat ex ſententia Calvini? ſcil. quia nulla eſt actio alia hominis manducantis, niſi credere. At hoc falſum: nam qui Chriſtum in Sacramento percipit, plus facit, quàm qui ſimpliciter in Euangelio Chriſtum fide apprehendit: manducat enim Sacramentum, quod ipſius fidei eſt ipſum Chriſti corp⁹; & hoc modo arctior communio contrahitur cum Chriſto: & hoc Calvinus voluit. Quare quod iubet Bellarminus, vt nos explicem⁹, quam actionem homo exerceat poſt actum fidei ad cõiunctionem cum Chriſto faciendam; inſcitiam ſuam prodit.

Calvin. inſtit. l. 4. c. 17. §. 5.

Homo enim credendo Chriſtum amplectitur, ſed poſt hunc actum in Sacramento Chriſtum vt cibum ſumit, atque hoc modo inter Chriſtum & nos firmius quoddam vinculum colligatur. Idque exemplo Calvinus docuit: Apoſtolus ait Chriſtum per fidem habitare in cordibus noſtris: iſta habitatio Chriſti non eſt fides, ſed fructus effectuſque fidei. Inepte igitur Bellarminus & imperitè ait, habitare Chriſtum in homine, nõ eſſe diſtinctum ab actione fidei: nã in nobis Chriſtus habitat, quando nos nullam actionem fidei exercem⁹. Ita mãducatur Chriſtus, vt inſtar

ſtar cibi nós alat, vegetet, conſeruet: & hoc illuſtriorem & expreſſiorem coniunctionem ſignificat. Nam Papiſtarum manducatio oralis eſt inutilis: Chriſti corpus ab illis manducatur, ſed non habitat in illis, imo ne moratur quidem cũ illis, ſed elabitur ſtatim ſi nõ è manibus, at certè è dentibus, nec trãſit in naturam noſtram, & ſic nulla eſt coniunctio: igitur reuera ne manducatio quidem eſt. Quis enim eam manducationem dixerit, quando cibus ori imponitur, ſed non in ſtomachum tranſit, ſed auolat? Atque hoc illi ſtatuunt.

Secundum Bellarmini argumentum hoc eſt, panem non poſſe dici corpus Chriſti, quia ſit ſignũ efficax, propterea quod vetera Sacramenta habebant vim eandem, & in nouo Teſtamento Baptiſm⁹, verbum Dei, imago Crucifixi, eandem efficaciam habent; & tamen iſta nunquam dicuntur corpus Chriſti. Atque hic egregium mendacium profert: ait enim ſe prius docuiſſe, Calvinum nihil aliud tribuere Euchariſtiæ, niſi vt ſit ſymbolum ad memoriam reuocans Chriſti paſſionem, & ſic excitans fidem.

At potuit intelligere, longè plus Calvinum tribuere huic Sacramẽto, cum in verbis præcedentibus, vt accepimus, ex Calvino doceat, manducare Chriſtum in Euchariſtia, eſſe plus quàm ſimpliciter credere: at poſſunt reuocare ad memoriam Chriſti paſſionem, qui ne omnino credunt, & fides poteſt in iis excitari, qui nunquam ad Sacramentum accedunt: at in hoc Sacramento Chriſtus ipſe verè ſumitur ſpiritualiter, & ideo hoc Sacramentum fuit inſtitutum. Quod ergo de imagine Crucifixi ait, ſtolidum eſt: Chriſtus enim nuſquam inſtituit, nec præcepit ſpectare tales imagines ad fidem excitãdam; imò non tam excitat quàm opprimit fidem, nec eſt ſignum efficax, ſed ſcandalum: & tamen conſuetudine loquendi imago Chriſti dicitur Chriſtus: quanto magis panis Chriſti corpus dici poteſt, cuius ex Chriſti inſtitutione eſt ſignum efficax. Quod ad Sacramenta & ſacrificia vetera attinet, erant illa quidem ſigna, eaq; efficacia Chriſti: nam Circumciſio iuſtitiam fidei, & remiſſionem peccatorum; Agnus verò Paſchalis tranſitum ſignificabat; tranſitus verò ille ſignum erat liberationis è manu Satanæ: ſed illa Sacramenta non dicuntur Chriſtus, aut corpus Chriſti, vt Petrus Martyr rectè ait, quia nondum erat peracta Chriſti paſſio; nunc autem peracta eſt. Bellarminus ait, cum Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, nondum peractam fuiſſe paſſionem: ſed plenam Martyris reſponſionem non auſus eſt proponere; nam ait Martyr, quia illa Sacramenta Chriſtum venturum adumbrârunt, & corpus eius in crucem dãdum: noſtra profectum ſignificant: & licet nõ tum peracta Chriſti paſſio fuit, tamen quaſi tum; quia ſtatim à Cæna apprehenſus eſt, & poſtridie cruci affixus. Et Martyr ait, vetera Sacramenta non eſſe dicta corpus Chriſti,

Pet. Mart. in lib. cont. Gardiner. p. 1. obiect. 94.

ſti, quia ſigna erant venturi Chriſti, at venerat Chriſtus, cum Cæna inſtitueretur. Præterea quædam Sacramenta veteris Teſtamenti dicuntur Chriſtus: nam petram fuiſſe Chriſtum Paulus ait. Sed quid ſi Chriſtus illa Sacramenta non vocauit corpus ſuum? hoccine ꝓbat, noſtrum Euchariſtiæ Sacramentum non poſſe ſic dici? loquẽdum eo modo eſt, quo Scriptura loquitur: at ea panem vocauit corpus Chriſti: ſic nos. Sed vrget Bellarminus inſtantiam ſuam de Baptiſmo: Rideretur (inquit) qui Baptiſmum diceret eſſe ipſum corpus Chriſti.

1 Cor. 10. 4.

Abſurdè: nos enim non dicimus, panem eſſe ipſum corpus Chriſti, ſed eius ſignum efficax: non rideretur, qui Baptiſmum eſſe ſignum efficax ſanguinis Chriſti diceret, quem Petrus bonæ conſcientiæ ἐπερώτημα vocat, & Paulus lauacrũ regenerationis appellat, & ait nos in eo induere Chriſtum; certè non realiter; tum enim Chriſtus nõ minus in aqua Baptiſmi incluſus eſſet, quàm in Cæna: ita nec manducamus Chriſtum realiter in Cæna, ſed hoc ſpirituali modo fit; hic tamen modus efficax & verus eſt: certè nõ minus in Baptiſmo Chriſtum induimus, quam in Euchariſtia comedimus. Sic ridiculum nihil in eo eſt, vt panis dicatur ſignũ efficax Chriſti, & ſuo modo Chriſtus, quia Sacramentum eſt corporis Chriſti: nam vt Auguſtinus ait, vſitatum eſt, rerum nomina tribui Sacramentis.

1 Pet. 3. 21. Tit. 3. 5. Gal. 3. 27.

MEUM.

Poſtremum vocabulum eſt (*Meum*) de quo Bellarminus nihil ait, niſi quod cuiuſdam expoſitionem proponit & refellit, qui (*Meum*) interpretatur, à me creatum: *Hoc eſt corpus meum*: id eſt, corp⁹ à me creatum: quam expoſitionem Lutherus ridiculi cauſa excogitauit. Sed hoc nihil ad nos. Sed Scholaſtici tamen laborant, vt (*Meum*) ſic interpretentur, ne corpus ſacerdotis intelligatur, quia à ſacerdote hæc verba pronunciantur. Quærunt enim an verba quæ præcedunt ſint neceſſaria, quia alioqui non intelligentur hæc eſſe verba Chriſti, aut ſacerdotem loqui in perſona Chriſti: tum ſi ſacerdos vel maxime in perſona Chriſti loqueretur, non tamen ſequetur, eum panem, quem ſacerdos in manibus ſuis tenet, eſſe corpus Chriſti, ſed quem Chriſtus tenebat, quia ſacerdos non niſi recitat quid Chriſtus dixerit & fecerit.

Sic de verbis ſingulis inſtitutionis ſatis multa diximus; ex quibus nihil exculpere poteſt Bellarminus, quo minus in ijs tropus inſit, id quod Patres Eccleſiæ ſemper intellexerunt.

* * *

CAPVT VI.

In quo quartum Bellarmini argumentum diluitur, sumptum ab ijs Scripturæ locis, quæ continent vsum huius Sacramenti, ac primùm ex 1. *Corinth.* 10. *deinde ex* 1. *Cor.* 11.

NVNC ad quartum & postremum Bellarmini ex Scripturis argumentũ peruenimus, quod ex iis locis Scripturarum deducitur, quæ vsum Eucharistiæ declarant tempore Apostolorum.

Sunt autem hi loci duo. *Primus* locus habetur 1. Corinth. 10. in illis verbis, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nõne communicatio corporis Christi est?* Hinc tria argumenta colligit.

1. 1. Cor. 10, 16.

Primum eius argumentum est, consecrationem esse ad hoc Sacramentum necessariam: at non esset necessaria, si hoc Sacramentum tantùm contineret figurã: ergo est ibi verum corpus Christi. *Respõdeo:* εὐλογίαν quidem, id est, *benedictionem*, esse necessariam ad hoc Sacramentum: per εὐλογίαν autem Calvinus rectè non simplicem gratiarum actionem intelligit, sed consecrationem per preces in eum vsum adhibitas, vt nobis sit symbolum corporis & sanguinis Christi. Id fit verbo promissionis, cum populus Christianus iuxta Christi mãdatum memoriam mortis Dominicæ in hoc Sacramento celebrat, & diuinorum beneficiorum admiratione erumpit in gratias & preces.

Oecumenius sic hoc verbum interpretatur, ὁ εὐλογῦμεν, id est, inquit, ὁ μετὰ χαρᾶς ἔχοντες εὐλογοῦμεν τὸν χαλεπώμενον ἡμῖν τὸ αἷμα αὐτοῦ, τοῦτ' ἔστιν εὐχαριστοῦμεν, *qui manib. tenentes benedicimus ei, qui donauit nobis sanguinem suum, id est, gratias agimus.* sed mox melius, ὁ εὐλογοῦντες προσευχόμεθα, *quod cum gratiarum actione præparamus.* Sic Thomas, *Cui benedicimus, id est, quod nos fideles exaltamus credendo, & gratias agendo.* Oecumen. in locum.

Quare quod Bellarminus ait, consecrationem non esse necessariam, nisi sit transubstantiatio, falsum est: opus est enim consecratione, licet non tali, qualem illi fingunt, qua hæ creaturæ, panis & vinum, euadant symbola & Sacramenta corporis & sanguinis Christi: nisi enim hunc panem & calicem eo ritu, & in eum finem adhibeamus, quem Christus instituit, non erit omnino hic Sacramentũ: quare consecratio necessaria est. Sed Bellarminus obiicit de Agno Paschali, & Manna, hæc, quia tantùm figuræ erant, non habuisse cõsecrationem: ergo si nostra Eucharistia sit tantùm figura; nec illa cõsecratione opus habet. *Respondeo:* nec in Eucharistia nostra tantùm, esse, nec in illis tantùm fuisse figuram: etsi enim panis & calix est figura, non tamen tantùm figura, sed veritas cum ea coniuncta est: sic Agnus & Manna non simplex & nuda figura erant: nam Apostolus

de piis, qui tunc fuerunt, ait, *Omnes eandem escam spiritualem manducasse, & omnes eundẽ potum spiritualem bibisse:* &, *petram illam fuisse Christum.* Nuda figura non potuit esse cibus aut potus spiritualis: & si petra erat Christus, non fuit ibi tantùm figura: sic nec Manna, nec Agnus Paschalis nuda figura erat. 1. Cor. 10. 3. 4.

Hoc est, quod Augustinus ait, *fide manente signa esse variata, & eundem cibum manducásse, & eundem potum bibisse, id est, eundem spiritualem, corporalem non eundem.* Sed obiicit Bellarminus, nullam fuisse in illis Sacramentis consecrationem. *Respondeo:* De Manna quidem, quia erat panis etiam communis, nihil tale legitur: sed pii sine dubio in eo plus quàm corporeum alimẽtum spectârunt: & ea consecratio est, in eum finem sumere cum gratiarum actione: sic quoque pii Agnum Paschalem comederunt, vt cæleste beneficium commemorarent, non vt corpora sua saginarẽt: & hoc erat consecrare, & tum spiritualis cibus & spiritualis potus illis fiebant, cum in spiritualem vsum intenti erant. Quare etsi non legimus, Agnus, cui benedicimus, & Manna, cui benedicimus, est corpus Christi; tamen extra controuersiam est, pios in his reb. externis spectâsse Christum. Manna quidem non erat tantùm Sacramentum, sed communis etiam panis, quem quotidie edebant, & aqua illa, quæ fluxit è petra, communis potus fuit, quem quotidie bibebant: pii tamen alio fine vtebantur, quàm vulgus; in his enim non corpora tantùm, sed & animos suos pascebant: atque ita illis Sacramenta fuerunt. Augustin. in Ioan. tract. 41.

Sed Bellarminus hanc Calvini expositionem refellit: ait enim, Si vinum commune deberet consecrari, vt fieret Sacramentum, hoc esset, vel quia Sacramentum est signum ad placitum, vel quia est quædam analogia inter rem signatam & signum ex natura rei. *Respondeo:* indoctè hoc dici à Bellarmino, quia etsi Sacramenta omnia analogiam quandam habent cum rebus, quarum sunt Sacramenta, vt aqua in Baptismo, panis & vinum in Eucharistia, Agnus Paschalis, Circumcisio, Manna; tamen signa sunt ad placitum ex institutione Christi. Sed tum (inquit) sufficeret prima institutio, si signa sint ad placitum: at non sufficit; postea enim Apostolus benedixit, cum ait, *Poculum, cui benedicimus:* ergo opus est adhuc aliqua cõsecratione præter primam institutionem. *Respondeo:* quoad Sacramenti formam, primam Christi institutionem sufficere: nam vt Augustinus ait, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramẽtum.* Non enim nouum Sacramentum instituimus, sed Sacramentũ à Christo institutum celebramus; quod vt faciamus, has creaturas in eum vsum consecramus. Prima institutio sufficit nobis ad celebrãdam hanc actionem; sed prima institutio non fecit omnem panẽ & omne vinũ esse Sacramẽta, sed cõsecratio has creaturas in eum vsum separauit: quare opus est speciali sanctificatione & separatione creatura-

turarum ad hunc vſum. Et Analogia naturalis non ſufficit: nam panis & vinum illam Analogiam habebant, antequam erant Sacramẽta; tamen non fuiſſent Sacramenta, niſi Chriſti inſtitutio acceſſiſſet.

Quod autem in aqua Baptiſmali nullam ait eſſe neceſſariam benedictionem, morem Eccleſiæ ſuæ damnat: ſacerdos enim apud illos ſedulo benedicit aquæ ante Baptiſmum, & eſt neceſſaria etiam in Baptiſmo conſecratio, nõ qualem illi adhibent, ſed vt hæc creatura quaſi cæleſtis quædam animarum lotio ſit, non quæ communes tantùm corporis ſordes abluat. Quãdo enim pueri ad Baptiſmum accedunt, non hoc fit, vt earum corpora lauentur, ſed vt participes gratiæ ſpiritualis ſint. Hæc eſt conſecratio legitima Baptiſmi. Etſi ergo nulla eſt in his Sacramentis mutatio creaturarum quoad ſubſtantiam; tamen εὐλογία in vſu horum Sacramentorũ neceſſaria eſt: igitur cùm talis εὐλογία in omni Sacramento requiratur, nulla hinc tranſubſtantiatio colligi poteſt.

2. *Secundum* Bellarmini ex hoc Apoſtoli loco argumentum ſumitur ex illis verbis, *Panis quem frangimus.* Hic *frangim⁹* (inquit) ſignificat immolamus: immolatur autem non panis triticeus, ſed corpus Chriſti. Hinc autem euidenter probatur (inquit) Chriſti corpus verè eſſe præſens in Cæna. Sed quomodo probat *frangere* eſſe immolare? Nimirum ex 1. Corinth. 11. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur:* hic *frangitur* (inquit) idem eſt quod immolatur, vt Calvinus diſertis verbis dicit: ergo etiam hoc loco fractio erit immolatio, quia eſt verbũ eiuſdem auctoris, in eadem Epiſtola, & de re eadem tranctantis. Egregium ſcilic. argumentum, & quale Ieſuitam decuit. Sed *Reſpondeo:* Cum Paulus ait, *quod pro vobis frangitur*, ibi *frangi* pro Chriſti paſſione & immolatione in cruce ſumitur: ſed cum Paulus hic ait, *Panis quem frangimus*, nullam Chriſti paſſionem aut immolationem intelligit: tum enim Chriſtum frangi oporteret, id eſt, cruciari, & necari, cum Euchariſtia celebratur. Si ergo illi in Miſſis & ſacrificiis ſuis Chriſtum frangunt, tum ſæuiunt in Chriſtum, vt Iudæi cum Chriſtũ cruci affixerunt, eumque interfecerunt. Sed fractionis nomen non pro eodem in his locis ſumitur. Paulus ait corpus Chriſti pro nobis eſſe fractum: hoc immolationem ſignificat, quia corpus eius pro nobis verè immolatum eſt: ſed cũ ait, *Panis, quem frangimus*, hic *frangere* non eſt immolare, 1. quia Apoſtolus hic diſertè de vero pane loquitur, qui non immolatus eſt, 2. quia ſi de Chriſto loqueretur, tum Chriſtus immolaretur in Cæna; ſi immolaretur, tum frangeretur (quia vult Bellarminus hæc duo idem eſſe,) ſi frangeretur, tum iterum pœnam pateretur & moreretur; quod hæreticum & blaſphemum eſt, 3. quia Patres hæc Apoſtoli verba de Sacramenti, id eſt, panis fractione, non de fractione Chriſti ipſius interpretantur.

1. *Cor.* 11. 24.

Chryſoſtomus, quando hunc locum *Chryſoſt.*

in homil. 24. in 1. Cor. locum tractat, valde ἐμφατικῶς loquitur: ait hoc eſſe verum in Euchariſtia, non in cruce: ergo ille nõ exponit hanc fractionem de illa, quæ facta eſt in cruce: nam negat Chriſti corpus fractum eſſe in cruce, quia ſcriptum eſt, *Exod 12. 46. Ioan. 19. 36.* *Os eius non frãgetur* (at pace tanti viri dixerim, fractum eſt corpus Chriſti in cruce; nam pedes eius perfoſſi ſunt clauis, & man⁹, & latus lancea tranſfoſſum eſt, & cor vulneratum, etſi nullum os eius fractum eſt) ſed Chryſoſtomus ait, Chriſtum in Euchariſtia pati, φ non in cruce paſſus eſt, quia frangitur in Euchariſtia; quod ex omnium confeſſione de ſymbolis & elementis intelligi debet: nemo enim ne audaciſſimus ſophiſta Chriſti corpus itẽrum frangi dicet. Theodoretus interpretatur de eiuſdem panis cõmunicatione: frangitur enim, vt à multis communicetur. Sic etiam Scholaſtici. Thomas Aquinas de fractione ſpecierum panis intelligit: ſic Caietanus & Catharinus de ſpecierum fractione: at fractio ſpecierum panis non eſt immolatio corporis Chriſti, quam hic Bellarminus impiè & indoctè ſtatuit.

Theodoret. in 1 Cor. 11

Tom. in locum. Caietan. & Catharin. in locum.

Quanquam hoc abſurdum eſt, quod hi Scholaſtici dicunt: non eſt enim fractio ſpecierum communicatio corporis Chriſti. Quam fractionem Paulus intelligat, non eſt obſcurum: nam vt Caietanus ait, Eccleſia olim imitabatur Chriſtum: ille accepit panem, & benedixit, & fregit, & fractum diſtribuit: hæc fractio eſt, de qua Paulus loquitur: at Bellarminus noſter *frangere* interpretatur per immolare: at Chriſtus fregit antequam dixit, *Hoc eſt corpus meum*: non potuit autem Chriſtus immolare corpus ſuum, cum nondum eſſet corpus ſuum: ergo *frangimus* ſignificat diſtribuimus. Sic apud Prophetam Iſaiam, *Frange eſurienti panem tuum:* ſic apud Ieremiam, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis:* ſic in Actis, *Et quotidie perdurantes concorditer in templo, & κλῶντες ἄρτον κατ' οἶκον, ac frangentes per domos panem, capiebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis*: *frangere* ergo hic non immolare ſed diſtribuere ſignificat. Sed probare vult Bellarminus, *frangere* eſſe verbum conſecrationis, quia de poculo Paulus ait, *Calix, cui benedicimus*: hic benedicere (inquit) eſt conſecrare. Admirabilis profectò expoſitio: ergo frangere non erit tantùm immolare, ſed etiam conſecrare. Quid dici languidi⁹ potuit? illa εὐλογία, non, vt illi volunt, cõſecrationem, aut immolationem, aut tranſubſtantiationem ſignificat, ſed creaturarum ſanctificationem per verbum Dei, & preces, ad hunc vſum, vt diſtribuatur: Paulus enim ait poculum eſſe κοινωνίαν, id eſt, *communicationem* ſanguinis Chriſti: erat ergo ibi diſtributio, ſed diſtributio ſequebatur.

Iſai. 58. 7. Lament. 4. 4. Act. 2. 46.

Quod ergo ait, non poſſe huic argumento reſponderi, niſi admittendo duplicem æquiuocationẽ, vnam in voce *frangimus*, aliam in voce *panis*; inſulſum eſt: nam eſt vniuocè panis, & propria fractio: ſed eius expoſitio habet abſurdiſ-

simas æquiuocationes: *frangere* enim est immolare: at quis vnquam vidit aut audiuit fractionem pro immolatione poni, cum de pane dicitur? & panis non pro substantia, sed pro specie panis, aut pro speciali pane ponitur, qui tamen non potest frangi.

3. *Tertium* Bellarmini ex isto loco argumentum sumitur ab illis verbis, *Communicatio sanguinis Domini*, &, *Communicatio corporis Domini, est*: vbi κοινωνίας, id est, *communicationis* triplicem acceptionem proponit: ait enim *primo*, significare aliquando distributionem, vt cum Apostolus ait, τῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες, *necessitatibus sanctorum communicantes*; *secundò* significare aliquando societatem seu confœderationem, vt cum idem Apostolus alibi ait, δεξίας ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis*; *tertiò* poni aliquando pro participatione eiusdem rei, vt in illis Apostoli verbis, συγκοινωνήσαντες μου τῇ θλίψει, *communicates tribulationi meæ*, id est, tribulationis meæ participes effecti. Sed non est quod de significatione verbi magnopere laboremus. Paulus commendat nobis participationem & communicationem corporis ac sanguinis Christi, eamque veram.

Rom. 12. 13.

Gal. 2. 9.

Phil. 4. 14.

Sed ait Bellarminus, difficultatem totam in eo esse positam, num corporaliter sumatur sanguis & caro, an tantùm spiritualiter. *Esto*: nos enim nõ sumi dicimus corpus & sanguinem Christi nisi spiritualiter & Sacramentaliter, non corporaliter. Sed ait Bellarminus id posse probari omnibus argumentis, quib. supra probauit, hæc verba, *Hoc est corpus meum*, esse propriè intelligenda. At nos probauimus illa argumẽta nihil probare. Quare Bellarminus illis omissis, tribus nouis argumentis vtitur.

1.

Primum est, quia sensus proprius & literalis semper est eligendus, nisi euidenter probetur contrarium. *Respondeo*: sensum proprium esse horum verborum, nos communicare corpus & sanguinem Domini. Num hoc nos negamus? nunquam certe: ergo sensum literalem tenemus & admittimus. Nã sensus hic non requirit, vt hæc cõmunicatio sit corporalis, quia cõmunicatio spiritualis est vera & propria communicatio; alias qui nunquam ad Eucharistiam accedunt, nullam cum Christo veram communionem haberent, quia non nisi spiritualem communionem habent: quod omnes esse falsum nõrunt.

2.

Secundum eius argumentum est, quia veteres sic exposuerunt, ac præsertim Chrysostomus, qui ait esse in calice, quod fluxit è latere Christi. *Respondeo*: Quis non agnoscit Chrysostomi γοργότητα, esse ἐν ποιητείῳ τὸ ῥεῦσαν ἐκ τῆς πλευρᾶς ἔχειν. Sed nonne hic tropus est? necesse est esse. Nam ipsi Papistæ nolunt esse in poculo Christi sanguinem extra corpus, & illum ipsum sanguinem, qui fluxit è latere Christi, nõ rediisse denuo in corpus putant, sed exceptum fuisse ab Angelis, & hodie in quibusdam locis

Chrysost. homil. 24. in 1. Cor.

locis seruari. At si Chrysostomi verba arctius premantur, & crasse ac carnaliter intelligantur, erit in Eucharistia separatio sanguinis Christi à corpore: quod Papistæ negant. Quis ergo nõ videt, Chrysostomi verba tropicè esse intelligenda? Ita postea in eodem loco scribit Chrysostomus, statim enim post illa verba, ait nos oportere τὸ θυσιαστήριον, id est, *altare* Christi, eius sanguine φοινίσσειν, id est, *cruentare*. Hoc si verè & propriè fieret, horribile esset. Igitur vt altare φοινίσσεται τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ, *cruentatur sanguine Christi*; sic sanguis, qui è latere Christi fluxit, est in calice. Quis non videt, ista intelligenda esse, secundum morem & consuetudinẽ loquendi, qua vtitur Chrysostomus, qui tales figuras sæpe solet adhibere? Sed vrget Bellarminus, quod Chrysostomus ait, Paulum non μετέχειν, id est, *participationem*, sed κοινωνίαν, id est, *communicationem* dicere; nam ait Chrysostomus nos communicare ἐν τῷ ἑνοῦσθαι, *in eo quod vnimur* Christo, nõ ἐν τῷ μετέχειν, ἢ μεταλαμβάνειν, id est, non *in participando, & accipiendo* tantùm: & fateor nos per hoc Sacramentum vniri Christo: quis id vnquam negauit? non enim μετέχομεν tantùm, id est, donorum & beneficiorum eius participes sumus, sed κοινωνοῦμεν, id est, arctissimè cum Christo coniungimur, sic vt membra coniunguntur, cum capite: non potest aliquis meliorẽ συνάφειαν, id est, *coniunctionem*, seu, *contactum* excogitare. Sed vrget quod Chrysostomus ait, hanc esse talem cõmunionem seu coniunctionem, qualis est verbi & carnis. Sed hæc similitudo non nimis vrgenda est: nam reverâ non conuenit per omnia: Est enim vnio hypostatica inter verbum & carnem; at non inter nos & Christum. Sed voluit his verbis Chrysostomus significare, veram, arcanam, & arctam esse nostram cum Christo coniunctionem, quod nos concedimus: & hoc, opinor, est, quod Bellarminus vult. Atque ita verissimum est, quod Cyrillus ait, Christum nobis vniri in Eucharistia, non solum per charitatem, sed etiam verè & corporaliter; id est, non modo coniunctio inter nos & Christum est affectionum, sed etiam naturarum: nos enim *membra sumus* corporis eius, *ex carne eius, & ex ossibus eius*, vt ait Apostolus.

Cyrill. in Ioan. l. 10. c. 13.

Ephes. 5. 30.

3. *Tertium* & postremum Bellarmini argumentum sumitur ab intentione & proposito Apostoli, quod erat (inquit) auertere Corinthios à sacrificiis Gentilium, & ab esu carnium immolatarum: auertit autem illos ostendendo mensam meliorem: sed ex Aduersariorum sententia (inquit) Apostolus nihil obtinuisset, si in altari non nisi figura & signum sit. *Respondeo*: non hanc esse nostram sententiam, sed eam nobis falsò ab Aduersariis affingi.

Dicimus enim esse in Eucharistia ipsum Christi corpus, sed percipi mente non ore. Argumentum igitur Apostoli optimum est: Nos in Eucharistia Christi corpus & sanguinem percipimus, & inter il-

lum ac nos est κοινωνία, i. e. *communio* seu *coniunctio* verissima & arctissima: non igitur debemus ad mensam dæmonum accedere. Atque hoc Chrysostomus elegantissimilitudine illustrat: Cum amatores, inquit, viderint eos, quos amant τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν, *aliena concupiscere*, largiuntur sua, & sic suadent ἀποσῆναι τῶν ἐκείνων, *vt ab illis abstineant*: *sed illi* (inquit) *hoc in pecunijs, aut vestibus, aut possessionibus faciunt: in proprio sanguine nemo vnquam: Christus autem etiam in hoc curam & vehementem in nos dilectionem ostendit*, id est, etiam sanguinem suum nobis dedit. Ineptè ergo contra nos Bellarminus disputat, ac si nos diceremus, pios ac fideles in Eucharistia non ipsius Christi participes esse, sed eius tantùm figuram percipere. Sed hoc eius errori aut malitiæ tribuendum est.

De priori loco satis responsum est; sequitur nunc secundus locus,
1. *Cor.* 11. 29 & 27. qui habetur 1. Corinth. 11. *Qui mãducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*: & supra, *Reus erit corporis & sanguinis Domini*. Hinc argumẽtum colligit Bellarminus in hunc modum: Quidam recipiunt corpus Domini indignè, & iudicium inde hauriunt: ergo corpus Christi est verè præsens in Eucharistia: nam hi non spiritu & fide recipiunt, tum enim vtiliter reciperent; ergo recipiunt solo corpore: at ore corporali non sumi potest corpus Christi, vt est in cælo.

1. *Vers.* 27. *Respondeo primò*: Apostolum non dicere quosdam recipere corpus Domini indignè, sed edere panẽ, & bibere poculum Domini indignè; & quod sequitur postea, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*, non de ipso corpore & sanguine Christi, sed de pane & poculo intelligendum est, vt ex versu præcedente patet; vbi iubet Apostolus, vt se probet quisque, *& sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat*: tum sequitur, *Nam qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit, & bibit.* Vers. 29. Vers. 28.

Sensus ergo verborum hic est, Qui edit de hoc pane: & bibit de hoc poculo indignè, edit & bibit sibi iudicium, seu damnationem. Bellarminus de corpore & sanguine Christi intelligi vult, quod Apostolus de Sacramentis intelligit: & tamen ait Apostol. illos qui hæc Sacramenta indignè sumunt, reos fore corporis & sanguinis Domini, quia indignè sumunt hæc symbola. Si autem sensisset Apostolus, vt Aduersarii, dixisset, Qui ederit corpus hoc, & biberit sanguinem hunc indigne: quis enim non videt, hoc fuisse multò, ἐμφατικώτερον.

2. *Secundò*, quod ait Bellarminus, non posse corpus Christi sumi ore corporali, vt est in cælo: euertit causam suam, & omnem corporalem præsentiam in Eucharistia tollit. Nam vt Christi corpus ipsum in cælo est; ita sumi à nobis debet, vt est in cælo: nos igitur in cælum animis ascendere oportet, vt ibi Christi corpus comedamus, non corpus eius è cælis deuocare, vt hic promiscuè à porcis perinde deuoretur,

retur, atque à filiis sumatur. Et sanè qui Christi corpus aliter quàm vt est in cælo sumit, is nullum inde fructum percipit. Christus in cælum ascendit, & ad dexteram Patris consedit, vt nos ad se traheret, non vt nos inde illum deduceremus, eiusque corpus glorioſum aliter quam vt est glorioſum sumeremus: nam vbicumq; est corpus Christi post ascensionem, ibi est gloria, & summa gloria: at corporis glorioſi ratio non patitur, vt aut in Sacramento includatur, aut manibus ac dentibus nostris prematur; imò hoc cum Christi gloria prorsus pugnat, & Christi gloria non potest ab eius corpore separari: at Iesuita separat; quod est summam iniuriam Christo facere. Summa enim Christi abiectio est, detrudi corpus eius glorioſum in Sacramentum: quare corporalis præsentia Christi in Eucharistia tollit Christi maiestatem & gloriam. Ergo sic disputamus, Papistæ non sumunt Christi corpus in Sacramento, vt est in cælo: ergo non sumunt omnino, quia Christus non aliud corpus habet, nisi quod in cælo est, & vt in cælo est, id est, glorioſum.

3. *Tertiò* igitur *respondeo*, reos esse corporis & sanguinis Christi, qui Sacramenta corporis & sanguinis Christi indignè accipiunt, idque duab. de causis, quas Bellarminus hic commemorat, etsi non plene: ego ergo plenius proponam.

1. *Prima* causa est, quia tractare indignè Sacramenta corporis & sanguinis Dominici, ad ipsius Christi iniuriam & contumeliam redundat. Sic si quis Principis statuam aut diploma dedecoret, aut sigillũ aut nummum eius adulteret, is Principem dicitur dedecorare, & personæ illius iniuriam facere, ac proinde læsæ maiestatis reus est, & pænâ capitali plectitur. Theodoretus narrat, quàm indignè Theodosius tulerit iniuriam, qua quidã imaginem vxoris suæ affecerunt. Sic olim dicti sunt rei læsæ maiestatis, qui Romani nominis dignitatem aut gloriã contumelia affeciſſent: & qui insignia imperii aut Regis alicuius malè tractat, is à crimine læsæ maiestatis immunis non est. Ergo rei sunt corporis & sanguinis Christi, qui horum symbola & Sacramenta indignè sumũt, & aliter tractant quàm oportet, licet ipsum Christi Corpus ore corporali non edant, nec sanguinem bibant.

Sed Bellarminus solicitè hanc responsionem labefactare conatur, & primò hinc obliquè pro imaginibus argumentum deducit, quia tum qui Christi & Sanctorum imagines demoliuntur, eis iniuriam faciunt. Sed caussa est dissimilis: nam Christi & Sanctorum imagines, quia cultus caussâ à superstitioſis fiunt, ex Dei mandato demoliendæ sunt: Principum autem imagines, quia non fiunt vt colantur, non prohibentur. Sed addit Bellarminus, non censeri fieri iniuriam imagini, nisi quando eo animo quis imaginem violat, vt illi iniuriam faciat: at rei erunt corporis Dominici, etiam qui non ac-

cedunt eo animo vt Euchariſtiam violent.

Reſpondeo: Debet quiſque accedere eo animo, vt hunc panem & hoc poculum dignè ſumat: ergo debet ſe probare, & ſic accedere; quia hæc eſt menſa ſummi Regis: quia ergo quis non conſiderat, quorſum veniat, & quid agat, ideo indignè ad hoc Sacramentum accedit, & Euchariſtiam violat, & Chriſto iniuriam facit, & reus corporis & ſanguinis Chriſti eſt. Alia igitur eſt ratio Sacramenti huius, quam imaginum, quia iuſſi ſumus à Domino, non modò ne contemnamus aut violemus hoc Sacramentum, ſed ne aliter ad ipſum accedamus, quàm nos decet, id eſt vt afferamus veram fidem, reſipiſcentiam, propoſitum ſeruiendi Deo, & bene viuendi: qui hoc non faciunt, rei ſunt corporis & ſanguinis Chriſti, eiuſq; maieſtatem violant, etſi animo violandi non accedant. Qui portat imaginem aut coronam Principis, & inuitus ſinit in lutum cadere, aut frangit, non punitur: at ſi mandatum acceperit, vt nullo modo pateretur hoc fieri: propter neglectum mãdati, magni criminis reus eſt: ita cum Chriſtus iuſſit nos omni reuerentia tractare hoc Sacramentum, ſi hoc Chriſti mandatum negligamus, rei erimus corporis & ſanguinis Chriſti, non propter horum contactum, ſed propter mandati Chriſti contemptum.

Hieron. in Malach. 1. Sic Hieronymus, *dum Sacramenta violantur, ipſe, cuius ſunt Sacramenta, violatur*: violamus autem, non ſolum quando cum contemptu accedimus, ſed etiam quando non afferimus tales mentes, quales debemus. Poteſt Principis imago violari ſine iniuria, ſi animus abeſt in Principem malitioſus: at Euchariſtia non poteſt ſine Chriſti iniuria indignè tractari, quia iuſſi ſumus cauere, ne indignè ſumamus; vt ſi quis veſtem aut ſtatuam Principis violet, aut violari ſinat, quam illæſam ſeruare iuſſus eſt. Sed pergit Bellarminus, & aliam adhuc obiectionem affert: Si ideo peccarent, inquit, qui indignè ſumunt Euchariſtiam, quia illa Chriſtum repræſentat, tum non liceret homini peccatori aſpicere vel tractare imaginem Chriſti depictam, quia Chriſtum repræſentat.

Reſpondeo: Sacramenta non modò repræſentant, ſed & offerunt Chriſtum: & non eſt tale mandatum de imagine Chriſti ſpectanda, quale eſt de Euchariſtiâ ſumendâ: Chriſtus ait, *Hoc facite*; nuſquam ait, Spectate imagines: nec reus dicitur, qui non ſpectauerit imagines, ſed qui indignè ederit & biberit. Sed obiicit præterea: Tum nec impio liceret verbum Dei audire. *Reſpondeo:* Qui verbum Dei audiunt, & contemnunt, aut non proficiunt, illi ſunt rei mortis æternæ, quia tantam gratiam reſpuunt, & Deum mendacem faciunt. Sed iterum ait, Cur qui Manna indigne ſumebant, & aquam è petra, non dicebantur rei corporis & ſanguinis Domini? *Reſpondeo:* Chriſtus & Paulus aiunt, qui hæc indignè ſumpſerunt, reos fuiſſe corporis & ſanguinis Domini. *Patres veſtri* (inquit Chriſtus) *comederunt manna in deſerto, & mortui ſunt*: quia ſcil. indignè comederunt: nam vt Auguſtinus ait, Quidam non ſunt mortui, id eſt, ij qui dignè manducarunt: qui ergo mortui ſunt, ideo ſunt mortui, quod indignè manducarunt. *Manducauit Manna & Moyſes*, inquit, *manducauit Manna & Aaron, manducauit Manna & Phinees, manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? quod viſibilem cibum ſpiritualiter intellexerunt, ſpiritualiter eſurierunt, ſpiritualiter guſtauerunt, vt ſpiritualiter ſatiarentur*: & paulò poſt, *Patres veſtri Manna manducauerunt, & mortui ſunt; non quia malum erat Manna, ſed quia malè manducauerunt.* Et hoc Auguſtinus de morte æterna interpretatur. Externa quidem elementa & ſymbola omnes acceperunt, ſed pij præterea aliam rem, id eſt, ſpiritualem cibum acceperunt. Apoſtolus enim ait, *Omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe, & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe*, ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, inquit, id eſt, *in pluribus illorum non beneplacitum eſt Deo: proſtrati ſunt enim*, inquit, *in deſerto*: quod indicat Deum fuiſſe illis grauiſſimè offenſum, quia his Sacramentis indignè vſi ſunt. Et ſic in vetere Teſtamento non licuit cuiquam polluto accedere ad ſacrificia, & Agnũ Paſchalem cum fermento comedere prohibiti ſunt: in illis ergo requirebatur, vt dignè accederent, non modò quia illa ſacrificia erant typi, & hæc nõ niſi corporalis mundi-

Ioan. 6. 49.

Auguſtin. tract. 26. in Ioan.

1 Cor. 10. 3. 4. 5.

ditia erat, vt vult Bellarminus, ſed etiam quia & illi debebant ſpiritualem munditiam afferre, & quia talem Deus requirebat: & qui non tales erant, non modo in ſacrificia, ſed etiam in Deum ipſum iniurioſi fuerunt: non enim ludebat Deus: nec tamen credit Bellarminus, fuiſſe in illis ſacrificiis corpus Chriſti. Sic in aqua Baptiſmi non eſt ſanguis Chriſti, aut Spiritus Sanctus, & tamen in Sacramentum & Chriſtum peccant, qui ad Baptiſmum indignè accedunt. Bellarminus fatetur hoc eſſe verum de omni Sacramento, ſed quia tales ponunt obicem gratiæ, non quia materia illa ſignificat vel repræſentat aliquid ſacrum. Rectè: hoc eſt, rei ſunt, quia contemnunt oblatam gratiam.

Sed hic Bellarminus aut inſcitiam aut incogitantiam ſuam prodit. Dixit enim ſupra obicem poni, cum quis voluntatẽ peccati mortalis affert: nam etſi quis nõ fidem aut vllum bonum motum habeat, ſi tamen non fuerint in illo mali motus, Sacramentum erit illi cauſa gratiæ, vt illi volunt. At ex Apoſtoli doctrina indignè ſumunt nõ modò ἄθεοι, & qui fidem tantùm hiſtoricã habent, ſed & veri Chriſtiani, qui remiſſius in vita ſe gerũt, & qui leuiorib. peccatis ſe dedunt, etſi vera fide præditi ſint: multi enim propter indignam ſumptionẽ puniuntur, qui tamen non condẽnantur, vt poſtea in hoc ipſo capite patet. Non ergo tantùm qui ponunt obicem gratiæ, id eſt, qui in peccato mortali veniunt, ſed & qui

1. Corinth. 11. 32.

qui ſine debita examinatione & emendatione vitæ ſuæ accedunt, indignè ſumunt, etſi non in ſummo gradu. Et qui indignè vtuntur Baptiſmo, eos iudicium accipere ait Auguſtinus, & ſic qui Euchariſtiâ ſimiliter: ita non minùs honorificè de Baptiſmo, quàm de Euchariſtia loquitur. Sed ait Bellarminus, in Euchariſtia requiri ſingularem puritatem: & ſanè ſingularis puritas etiam in Baptiſmo requiritur, nec in Euchariſtia maior. Nam ineptum eſt, quod tale nihil legi ait de vllo Sacramento, quale illud eſt, *Reus erit corporis Domini*: hoc enim nihil aliud eſt, niſi reum fore mortis Chriſti, ac ſi Chriſtum occidiſſent: & ſic qui Baptiſmo abutuntur, mortis Dominicæ rei ſunt, quia non induunt Chriſtum, & ſic remiſſionem peccatorum non habent, quam Chriſtus morte ſua procurauit. Sed id probat etiam Bellarminus ex pæna, quâ punitos eſſe Apoſtolus ait, qui indignè Euchariſtiæ Sacramentũ perceperunt, *Ideo inter vos*, inquit, *multi infirmi, & dormiunt multi*: qualia de Baptiſmo, inquit Bellarminus, nuſquam inueniuntur. Sed non cohærent iſta; quia Apoſtolus non hoc de Baptiſmo ait, igitur qui Baptiſmo indignè vtuntur, eos à Deo non puniri. Indignè enim accedentes ad Baptiſmum, reſpuunt Chriſtum; ac proinde grauiter peccant. Quam graue verò ſit illorum peccatum, ex Simone Mago patet, qui ſtatim poſt Baptiſmũ in omnem nequitiam prorupit. Et iubet Scriptura, vt credentes baptizẽtur: qui ergo adulti cum ſint, ſimulant fidem, & non cum vera fide ad Baptiſmum accedunt, eos neceſſe eſt magni peccati, & magnæ pœnæ reos eſſe. Sed adhuc ait Bellarminus, ſemper in Eccleſia cautum eſſe, ne vlla particula Euchariſtiæ in terram caderet, & in hunc finem affert locum ex Tertulliano, *Calicis aut panis noſtri aliquid decuti in terram, anxie patimur.* Sanè non dubito, magna reprehenſione dignos eſſe eos, qui vel cadere in terram panem Euchariſticum, vel effluere è poculo vinũ permiſerint: nec tamen ſequitur, ibi eſſe corpus Chriſti. Ita Pontificii non modo Euchariſtiam, ſed & ſacravaſa, & ſuperaltare, & alia omnia, quæ ad Miſſam pertinent, religioſiſſimè tractant, nec ſinunt à populo tractari, & tamen non putant in his omnibus eſſe Chriſtum, aut ſaltem non ſemper eſſe. Quanquam Beatus Rhenanus Tertullianum non loqui putat de Euchariſtia, ſed de communi pane, quia ait, *panis etiam noſtri.* Neque tanta olim veterum cura fuit de Euchariſtia, quantam Aduerſarii volunt: ſolebant enim olim deferre domum, & quotidie ſumere ante communem cibum.

Sic Tertullianus ait, ſe domi ſuæ habuiſſe, & ediſſe ante omnem cibum. Imò etiam mittere ſolebant ad abſentes per Diaconos, etiam aliquando per mulierculas & pueros, vt Euſebius teſtatur; *Puer*, inquit, *in manibus ad ægrotum portabat.* Sanè ſi eſſet verum corpus Chriſti, Eccleſia nunquam rem tantã pueris

Auguſt. cont. Eulgent. cap. 6.

Tertullian de coron. milit.

1. *Cor.* 11. 30.

Act. 8. 19. *&c.*

Tertullian ad vxor. l. 2.

Iuſtin. Martyr. Apol. 2.

tris cõmiſiſſet. Cyprianus ait, mulierem quandã in arca ſua ſeruaſſe.

Cyprian. in lib. de lapſis.

Hieronymus ait, Exuperium Toloſ. Epiſcopum corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem in vitro portaſſe.

Hieron. in Epiſt. ad Euſtic.

Et Auguſtinus ait, *non minus reum fore, qui verbum Dei negligenter audierit, quam illum, qui corpus Chriſti in terram cadere negligentiâ ſuâ permiſerit*: non hoc de vero Chriſti corpore dixiſſet.

Auguſt. Homil. 26.

2. *Secunda* cauſa, quamobrem rei ſunt corporis & ſanguinis Chriſti, qui tamen Chriſti corpus reale nõ ſumunt, hæc eſt, quia corpus Domini in Euchariſtia oblatum non recipiunt ea veneratione & fide, qua decet: vt ſi quis Regem ad ſe veniẽtem aut prorſus excluderet, aut contemneret, aut non honorificè exciperet: ſic illi rei ſunt; qui tantam gratiam ſibi oblatam reſpuunt. Chriſtus enim ad nos venit in Euchariſtia: ſi ergo nos illum reſpuamus, nonne cum hoc facimus, Chriſtum cõtemnimus? Sed

1. Bellarminus hoc refellit, & ait, 1. Apoſtolũ non dicere eos peccare, q̃ non recipiant, ſed quod recipiant indigne. *Reſpondeo*: Non quod Chriſti corpus indignè recipiant, ſed quod indigne recipiãt panẽ & vinum: illi autem hæc indignè recipiunt, qui non res ipſas cum Sacramentis accipiunt, ſed nuda tantùm ſymbola, aut qui non præparatione debita accipiunt 2. Bellarminus ait, illa verba, *Iudicium ſibi manducat & bibit*, apertè indicare, ipſum quod ſumitur ab indignis, afferre illis mortem, cum aliis afferat ſalutem. *Reſpondeo*: Hoc quidem Sacramentum, quod piis eſt ſalutare, impiis mortiferum eſſe; ſed non ideo eſt ibi corpus Chriſti: nãtum in verbo prædicato eſſet Chriſti corpus, quia Euangelium eſt omnibus *aut odor mortis ad mortem*, *aut vitæ ad vitam*, vt ait Apoſtolus, 3. Bellarminus ait; illis verbis, *Non diiudicans corpus Domini*, non negari manducationem veri corporis, ſed maximè aſſeri. *Reſpondeo*: Offertur quidem in Euchariſtia corpus Domini, at non ori, ſed fidei: qui verò indignè accedunt, Sacramentum à communi cibo non diſtinguunt, & ſic rem ſacram faciunt profanã, non contactu, ſed contemptu. Oportet igitur ad Euchariſtiam cum ea reuerẽtia accedere, ac ſi ibi adeſſet Chriſtus, qui ſanè adeſt fidei; & nos ſi aliter accedimus, μὴ διακρίνομεν, *non dijudicamus*, vel nõ *diſcernimus* corpus Domini, ſed vt cõmunem panem, ſic Sacramentum accipimus, quod ſuo modo corpus Chriſti vocatur. 4. Ait Bellarminus, Si nollent impii ſumere corpus Chriſti, non accederent ad Communionem: non ergo in eo peccant, quod volunt corpus Domini ſumere, ſed in eo, quod illud volunt, cum ſint eo indigni.

2. *Cor.* 2. 16.

3.

4.

Reſpondeo: Multi ad Euchariſtiam temere accedunt, pro more tantùm, non rectè comparati, qui Chriſtum nolunt ſumere, etſi eius Sacramentũ ſumant. Non oẽs volunt Chriſtum ſumere, qui ad Euchariſtiã accedunt: multi enim accedunt, qui tamen parũ cogitant, aut quantum bonũ accepturi ſint,

si dignè accedant, aut quantũ malum, si indignè. Non ergo peccant multi, quia volunt Christum sumere, cum sint indigni, sed quia profanis animis ad Eucharistiam venientes, non in ea Christum sumunt culpa sua. Sic Chrysost. *Quomodo non aẽs inde*, i. ex Eucharisti, *alucrum consecuti sunt, inquies? Id certe nõ illius*, id est, Christi, *causſa, qui maximè hoc optat, accidit, sed eorum culpâ, qui eum susscipere nolunt.* Perinde ergo hi faciunt, ac si quis Regem, aut virum aliquem nobilem ad se venientem non ad se admitteret, nec eũ aliquo aut sermone aut honore dignaretur. Vltimo Bellarm. Patrũ testimonia vrget, quos ait omnes ita hunc locum semper intellexisse, & in eo peccatum ponere, quòd immundi ac sordidi purissimum Domini corpus sumere audeam*.

Chrysost. homil. 83. in Matth.

Respondeo: Sacramentum vocari à Patrib. corpus Christi, non quod ibi corpus realiter adsit, aut quòd censeant indignos sumere ipsum corpus Christi, sed propter coniunctionem Sacramentalem rei cũ signo, qua fit, vt in legitimo vsu cũ signo res sumatur: & quanquam impii hanc coniunctionem dirimunt, tamen non ideo cessat esse Sacramentum, quia consideratur vt est in naturâ suâ. Sic & Scriptura & Patres rei nomẽ tribuunt Sacramento. Nec vllus Pater aliud aut plus dixit. Hoc Sacramentum, corpus Christi verum repræsentari, ac proinde opus esse subtili diiudicatione nostri, ait Hesychius. Chrysostomus ait nos edere corpus Christi, idque de omnibus affirmat: fateor; sed nõ obscura eius mens est: ait enim corpus ipsum Domini σοὶ ἐπὶ τῆς γῆς δείξω κείμενον, *ostendam tibi in terra positum*: & mox, τὸ δὲ βασιλέως σῶμα ἔξεστιν ἐπὶ γῆς ἰδεῖν, *Regis corpus licet in terra videre*: & postea, *Nec fides tantùm, sed tangis, nec tangis tantùm, sed edis, & eo accepto domum redis.* Sic igitur impii edunt corpus Regis vt tangunt, & vident, & secum domum auferũt: ac non nisi Sacramentũ tangunt, & vident & secũ domum auferunt. Et similitudine vtitur Chrysostomus, *Si puer regius purpurâ & diademate ornatus tibi ferendus traderetur, nonne omnibus humi abiectis eum susciperes? verum nunc cum non hominis regium puerum, sed vnigenitum Dei filiũ accipias, dic quæso, non horrescis, & omnem secularium rerum amorem abijcis?* Et idem alibi planius mentem & sententiam suam explicat, cum docet quomodo iudicium sibi manducat & bibit, qui indigne hoc Sacramentum sumit. *Quemadmodum* inquit, *præsentia Christi, qua magna illa & arcana nobis bona attulit, ijs qui eum non receperunt, maiorem damnationem inuexit: ita & hæc mysteria maioris pœnæ sunt materia* τοῖς ἀναξίως μετέχουσι, *ijs qui indigne participant*; peccatum igitur in eo est, nõ quod indigni sumant, sed quod respuant Christi corpus, indignè sumentes Sacramentum. Christus in mundum venit, iis salutem afferens, à quibus receptus est, exitium aliis: ita in hoc Sacramento qui oblatũ Christum non recipiunt, exitium sibi accersiunt. Ita Filium Dei *conculcare* dicuntur & sanguinem eius *profanum ducere*, qui Euangelium contemnunt: & tamen nemo dixerit Christum corporaliter adesse in Euangelio: ergo potest Christus eodem modo in hoc Sacramento aut recipi, aut respui, licet non adsit ibi corporaliter. Affertur etiam à Bellarmino Chrysostomus alibi, vbi hæc verba habet, *Animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indigno, sanguinemq; meum effundi potiùs patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam.* Hoc ille de Sacramento ait: & verum hoc quidem est, non esse hoc Sacramentũ tribuendum indignis; imo Principes, & magnates, vt ait idem paulò antea, si fuerint indigni, ab hoc Sacramento arcendi sunt. Sed quid tum postea? num ideo sensit Chrysostomus, Christi corpus esse realiter in Sacramento? nequaquã: nam in eadem homilia ostendit, se in alia opinione fuisse, cum ait, Christum edisse cum Apostolis & bibisse, ne perturbarentur & dicerent, *Quid igitur? sanguinem bibimus, & carnem comedimus?* Vult ergo Chrysostomus, Christum, vna edisse & bibisse cum Apostolis, vt hanc suspicionem eriperet eorum animis, se sanguinem eius bibituros, & corpus eius deuoraturos esse. Affert etiam Theodoretum, Oecumeniũ & Theophylactum: sed cum responsum sit Chrysostomo, iis etiam responsum est, quia idem ferè dicunt: idem ergo responsum sufficiet omnibus. Sed Cyprianus affertur, qui ait *panem sanctificatum intrare in os sceleratum.* *Respondeo*: Apertè loquitur Cyprianus de Sacramento: nam Christus non est panis sanctificatus, sed sanctificans. Num sacerdos, obsecro, Christum sanctificat? Sed Cyprianus loquitur de eo pane, qui oratione Ecclesiæ sanctificatur: hic quidem in os sceleratum intrare potest, sed ipsum Christi corpus non potest. Hoc postea ex Cypriano clariùs apparet: ait enim, *Qui corpore sicci, & mente aridi, sacris interfuerunt, vel etiam participant donis lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum*: hoc est, accipiunt tantùm externum Sacramentum. Videtur dicere, tantundem accipere, qui indignè accipiunt, quoad rem Sacramenti, quantum ij qui interfuerunt sacris, & non participârunt. Et quidem vt nihil polluit, ita nihil sanctificat hominem, quod in os intrat. Sed obiicitur etiam Augustinus, qui ait, Eucharistiam esse corpus Domini, & sanguinem Domini etiam indignis. *Respondeo*: Ait, *Iudam locum in se Diabolo præbuisse, non accipiendo malum, sed bonum malè: sic qui indigne sumit Sacramentum Dominicum, non efficere, vt quia ipse malus est, malum sit; aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit*: tum ait, esse corpus Domini indignè manducantibus, nimirum vt antea locutus est, id est, *Sacramentum Dominicum*, Sacramẽtum scilic. corporis Dominici. Ex quo concludit Augustinus, qui semel Baptismum acceperint, eos nõ esse iterũ baptizandos; non enim quia mali sunt, ideo Baptismũ non acceperunt: id ex eo probat, quia mali in Eucharistia non nihil acci-

Hesych. in Leuit. l. 6. c. 26.

Chrysost. in 1. Cor. homil. 24.

Chrysost. in Matth. hom. 83.

Theodoret. Oecumen. Theophil. in 1. Cor. 11.

Cyprian. in serm. de Cœna Dom.

Idem in 1. Cor. hom. 28.

Heb. 10. 29.

* *Alibunt quidem petram, sed inde nec mel qui legunt corde.*

Matt. 15. 11.

August. de Baptis. in com. Donat. l. 5. c. 8.

Idem cit. Cresconi. l. 1. c. 25. accipiunt, sed *Sacramentum Dominicum*. Iterum alibi ait, indignos sumere *ipsum corpus Domini*, intelligit Sacramentum corporis Dominici, & illos accipere corpus Domini Sacramento tenus: sic quod addit, *vnicum sacrificium pro salute nostra*, intelligit Sacramentum illius vnici sacrificii. Alius etiam locus affertur ex Augustino, vbi ait, *superbos accipere corpus Christi & adorare, sed non saturari, quia non imitantur.*

Idem Epist. 120. ad Honorat. c. 27.

Respondeo: Omisit hic aliquid Bellarminus: ait enim Augustin⁹, Christum *pauperem à nobis comedi* in Eucharistia. Quis ergo non videt, illum de reali manducatione non loqui? nam si Christum nunc ore ederemus, non pauperem, sed diuitem, non humilem, sed gloriosum sumeremus. Christum igitur sic in Cæna sumi vult Augustinus, vt pro nobis passus est; in mortem eius dirigendam esse fidem nostrã, atq; in illum in cruce pendentem, in qua Christus verè pauper fuit. Non autem sic sumi Christus potest nisi fide: non igitur esum corporalem intelligit Augustinus. Atque hoc est quod Cyprianus ait, oportere nos *harere cruci*, id est, quærere remissionem peccatorum in sanguine Christi pro nobis in Cruce effuso, eumque fide bibere.

Cyprianus vbi supra.

Sed adhuc alius locus affertur ex Augustino vbi ait, Christum permisisse, *vt Iudas acciperet inter innocentes discipulos, quod fideles nouerũt, precium nostrum.* *Respondeo:* Sacramentum vocatur nostrum preciũ, vt vocatur corpus Christi: Iudas igitur accepit precium nostrum, quia Sacramentum precii nostri accepit: ergo non realiter, sed Sacramentaliter Christi corpus accepit. Nam si reuera ipsum precium accepisset, nõ perijsset: nemo enim cum illo precio potest perire, sed quisquis Deo hoc precium ostendit, à morte absoluitur: esset enim Deus iniustus, si aliquem damnaret, qui precium hoc habet. Sic Christus vocauit poculum nouum fædus i. e. si oës essent noui fæderis participes, qui poculi sunt participes, præclarè cum illis ageretur. Sed vocatur poculum nouum fædus, quia est Sacramentum noui fæderis, & quia per impios stat, quo minùs sit illis fædus. Rectè Ambrosius ait, *indignum esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est:* & paulò post, *Sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini?* & postea ait, *Dominum esse cuius in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii Dei.* Non ergo Christi sanguinem potant impii, sed pii tantùm, quia illi soli testes sunt beneficii Dei: & impii rei sunt corporis & sanguinis Domini, nõ quia sumunt, sed quia respuunt, *& beneficium Christi irritum ducunt*, vt ibidem ait Ambrosius.

Luc. 22. 20.

Ambros. in 2. Cor. 11.

Quod autem Christi corpus sumi ab impiis contendit Bellarminus, vti est horroris & blasphemiæ plenum, ita semper à Patrib⁹ refutatum est.

Augustin.

Augustinus ait, impios non nisi Sacra-

tract. 26. in Ioan. Sacramentum tantæ rei accipere: rem enim à nullo sumi ad exitium. Bellarminus ait, Augustinum non negare, quin impii corpus Christi sumant, sed nõ gratiam iustificantem: non enim distinguere Sacramentum à virtute & re Sacramenti, sed corpus Christi ab eius gratia.

Respondeo: Nihil à Bellarmino dici impudentius potuit. Nam apertè distinguit Augustinus Sacramentum à re, cuius est Sacramentum, aitq; *Sacramentum sumi de mensa Dominica à quibusdam ad vitam, à quibusdam ad exitium, sed rem ipsam nullũ exitium afferre, qui eius particeps est.* Res autem ipsa, quæ distinguitur à Sacramento, est ipsum Christi corpus, quia externum Sacramentum volunt esse species visibiles: ergo quicquid est præterea, res est Sacramenti, quam nemo impius sumit, quia non potest sumi ad exitium. Non igitur Augustinus per virtutem Sacramenti intelligit tantùm gratiam spiritualem, sed ipsũ inprimis corpus Christi, quod nunquam à gratia sua separari potest; & manifestam oppositionem facit inter Sacramentum & corpus ac sanguinẽ Christi: ait n. *Sacramentum huius rei, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi.* Num corpus Christi est Sacramentum vnitatis corporis & sanguinis Christi? nemo dixerit. Per Sacramentum igitur non Christi corpus, vt vult Bellarminus, sed externas creaturas intelligit, quas impii sumunt; & nil aliud. Quod verò obiicit, Patres veteris Testamenti non ipsum Christi corpus sumpsisse, quos tamen Augustinus ait in Manna rem Sacramenti accepisse, falsum est: nam reuerâ corpus Christi, etsi nondum natum, fidei tamen illorum præsens erat. Et ob eam causam Christus dicitur Agnus ab origine mundi occisus: Agnus respectu corporis, occisus respectu mortis: erat ergo Christus Patrib. veteris Testamenti Agnus & quidem occisus, propter mortem: ipsa verò mors necessariò requirit corpus. Idem ergo illi corpus sumpserunt, quod nos: idque Augustinus voluit, cum ait illa Sacramenta & nostra *paria esse in re, quæ significatur.* Sed quid opus est multis? Augustinus ait, *Qui non manet in Christo, & in quo Christus non manet, eum non edere spiritualiter.* Bellarminus fatetur, sed tamen ait edere corpus Christi Sacramentaliter: at Augustinus talem nõ nisi Sacramentum corporis Christi sumere ait: nam ait, *licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi*: vbi Augustinus ait, impios non nisi Sacramentũ corporis & sanguinis Christi sumere: at corpus & sanguis non est Sacramentum corporis & sanguinis, sed res ipsa, quæ distinguitur à Sacramento; & Augustinus ait, impios nil nisi Sacramentum visibiliter edere: Christi verò corpus non editur visibiliter.

Apoc. 13. 8.

Sed Bellarminus ait corpus Christi comprehendi nomine signi visibilis: at hoc falsum; non enim videtur corpus Christi in Sacramento; visibile verò dici non

potest, quod non videtur. Tum si corpus Christi sit visibile, ineptè Augustinus distinguit semper corpus Christi à Sacramento, id est, à visibili signo: ait enim impios premere dentibus visibiliter Sacramentum corporis & sanguinis Christi: at corpus & sanguis Christi non est Sacramentum aut visibile signum corporis & sanguinis Christi: hoc totum est quod impii sumunt, nempe Sacramentum.

Augustin. cont. Donatist. l. 3. c. 10. *Idem de correct. Donat. c. 30.*

Non potest Augustinus Christi corpus nomine signi visibilis cõprehendere, quia alibi ait, *res Sacramentorum visibiles corrumpi*: ergo res visibilis Sacramenti nõ est corpus Christi, quia Christi corpus non corrumpitur. Et alibi ait, *Sacramentum foris tantùm: rem autem, cuius est Sacramentum, intus haberi*: ergo foris nil nisi Sacramentum sumitur. Sed iubet Bellarminus nos cogitare, Scholasticos omnes dicere, Christi corpus sumi ab impiis Sacramentaliter tantùm, cum tamen ipsum Christi corpus verè sumi ab ijs doceant. *Respondeo*: Quid ille nobis Scholasticos obiicit? hæc sunt ἀσύστατα & ἀνυπόστατα: nam si sumant corpus Christi tantùm Sacramentaliter, certè non sumunt ipsum Christi corpus realiter. Et Scholastici planè contra Augustinum docent, qui impios non nisi Sacramentum sumere ait, & quantum visibiliter dentibus premitur; & opponit Sacramentum rei Sacramenti, & rem non esse gratiam ait, sed ipsum corpus & sanguinem Christi. Iterum Augustinus ait, cæteros Apostolos *manducasse panẽ Dominum*, Iudam *panem Domini cõtra Dominum*: id est, non vna cum pane edisse Dominum, sed Sacramentum edisse tantùm, non corpus Christi: at si realiter in Sacramento adsit Christus, & Iudas realiter ipsum corpus Christi ediderit, vt illi volunt, tum panem Dominũ manducâsset: quanquam Hilarius Iudam exijsse antè scribit, eo quod ne Sacramentorum quidem communione dignus fuerit: eum ergo dignum fuisse corporis Christi communione multò minus sensit.

Idem in Ioan. tract. 59.

Hilar. in Matth. 26.

Bellarminus ait, non dici corpus Christi, quod ab impiis scilicet sumitur, quia non habet effectum corporis Christi: vt is dicitur nihil comedisse, qui tam parum comedit, vt non sufficiat ad eius vitam sustentandam, aut quod comedit, non retinet.

Respondeo: absurdè hoc à Bellarmino dici: nam Iudas non minùs edit quam reliqui ore: ergo si illi ore ederunt Christum, tum & ipse. Qui multum edunt, aut quantum alii, & hoc eis non sufficit, nemo ideo eos nihil comedisse dicet, quia non nutriuntur, aut eis non prodest. Deinde Christi corpus esum non potest non esse viuificum, quia est corpus Filii Dei, & est verè cibus, & nunquam est sine effectu suo nec à fructu suo separari potest: citiùs splendorem à sole, quàm salutarem gratiam & effectum à Christi corpore separabis. Non posse vitã separari à corpore Christi docet Augustinus: & habetur etiam apud Gratianum, *Quando Christus*

Augustin. serm. 2. de verb. Apost.

Gratian. c. Innotuit. d. 2. de consecrat. *Christus manducatur, vita manducatur: quando manducatur, reficit non deficit.* Sed locus Augustini apertissimus habetur in libro quodam de Ciuitate Dei, vbi non modò hæreticos & schismaticos nõ edere corpus Christi ait, sed ne Catholicos quidem in peccatis perseuerantes, quantumuis Sacramentum percipiant. Bellarm. ait, corpus Christi accipi ab Augustino pro Christi corpore mystico: quo nihil absurdius: nam corpus Christi mysticũ est Ecclesia: at quis dixerit aut pios aut impios edere Ecclesiam? Sed Augustinus de ipso Christi corpore loquitur: nam exponit illa Christi verba, *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum.* Hinc quidam promittebant sibi vitam æternam, etsi sceleratè viuerent, modo hoc Sacramentum perciperent. Sed Augustinus eorum opinionem refellit, quia (inquit) tales non sunt dicendi manducare corpus Christi, quia non sunt computandi in mẽbris Christi non autem esse in mẽbris Christi; probat, *primò* quia sunt membra meretricis, *secundò* quia non manent in Christo; id verò probat, quia Christus non manet in eis: ergo concludit, illos non reuera manducare corpus Christi, sed tantùm Sacramento tenus. Nã qui non manet in Christo, & in quo Christus non manet, non sedicat aut existimet mãducare corpus Christi: non ait virtutem aut gratiam Christi, sed ne corpus Christi.

Augustin. de Ciuit. Dei, l. 21. c. 25.

Ioan. 6. 51.

Hilar. l. 8.

Sic Hilarius, *Panis, qui de cælo descendit, non nisi ab eo accipitur, qui Dominum habet, & Christi membrum est*: at impii nec Dominum habẽt, nec Christi membra sunt. *de Trinit.*

Sic Ambrosius, *Omnis anima, quæ recipit panem illum descendentem è cælo, domus panis est, hoc est, panis Christi, quæ habitantis in sepanis cælestis firmamento alitur, & corde confirmatur*: & paulò post, *Omnis anima fidelis Bethleem est.* *Ambros. Epist. 18.*

Sic Hieronymus, *Qui non sunt sancti corpore & spiritu, nec comedunt carnem Iesu, neque bibunt sanguinem eius, de quo ipse loquitur, Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam*: at omnes nôrunt impios non tales esse. *Hieron. in Isai. c. 66.* *Ioan. 6. 54.*

CAPVT VII.

Argumenta nostra pro tropica interpretatione verborum Cœnæ.

SEQVITVR nunc vt verborum Cœnæ tropicam interpretationem defendamus, & realem præsentiam refellamus. Bellarmini responsiones & tergiuersationes in argumentis nostris quibusdã diluendis 1. loco discutiendæ sunt, tum quæ is argumenta prætermisit addẽda. *Primum* nostrum argumentum est huiusmodi: In his verbis *Hoc est corpus meum, (Hoc)* panem demonstrat: at corpus de pane propriè prædicari non potest: ergo verba non sunt propriè sed tropicè intelligẽda. Bellarminus *primò* ait, pronomen exponendum esse adiectiuè, I.

II.

Hoc

Hoc est corpus meum, id est, hoc edulium est corpus meum: *Hic est sanguis meus*, id est, Hic potus est sanguis meus. Ineptissimè sanè & alienissimè. Nam, 1. (*Hoc*) necessariò ad id referendum est, quod Christus discipulis dedit, & de quo ait, *Accipite, mãducate*: ergo neutro substantiuè pro hac re, id est, pro hoc pane sumitur. 2. Quando Christus dixit (*Hoc*) si hoc edulium demonstrabat, non aliud edulium nisi panem demonstrabat: ineptum enim est, vt (*Hoc*) ad rem communiorem referatur, cum rem demonstret singularem. Sic melius, τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου, interpretamur, *Hoc est sanguis meus*, quàm *Hic est sanguis meus*, quia non sanguinem, sed vinum, aut potum demonstrat.

Iansen. in concord. c. 131.

Sic Cyprianus habet; & sic Beza. Et sic Iansenius ait melius, *Hoc*, quàm, *Hic*, vsurpari. Iam si (*Hoc*) vtrobique rem singularem demonstret, quæ non sit corpus & sanguis Christi propriè; prædicatio est tropica non propria.

2. *Secundò* ait Bellarminus, Catholicos conuenire de re, quam pronomen (*Hoc*) demonstrat, non tamen in modo explicandi. Sed reuera nec de re, nec de modo conueniunt, vt nos antea docuimus. Alii enim esse ipsum Christi corpus & sanguinem volunt: sed hoc nunc Papistæ Thomam sequentes non tenent: at sic veteres plærique Pontificii interpretabantur, & multi recentiores, vt Alanus, & Iansenius; & ratio est, quia in propositionibus, quę significant quod tunc fit, cum dicitur, *Hoc*; pronomen demonstrat non quod est, sed quod erit: vt si quis dum lineam aut circulum pingit, diceret, hæc est linea, hic est circulus. Sed Bellarminus hanc explicationem non probat propter duas causas. *Prima* est, quia si quis rem digito ostendat, dum pronomen effert; valde absurdum videtur dicere, pronomine illo non demonstrari rem præsentem: at Christus accepit panem, eumque porrigens ait, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum*: videtur igitur (inquit) panem demonstrauisse. *Respondeo*: Imò Christus hoc pronomine reuerâ panem demonstrauit, aut Bellarminus rationem suam euertit. Nihil enim aliud p̃sens fuit, nisi panis: at Christus aliquid p̃sens demonstrauit: & contra sentire, Bellarminus ait esse valde absurdum. Ait enim pronomina demonstratiua mox indicare certum aliquid, etiam antequam sequantur cæteræ voces: nulla autem est transubstantiatio, nisi post omnes voces prolatas: ergo non potuit Christus aliud aliquid hoc pronomine demonstrare, quam panem. *Secunda* causa, quam obrem Bellarminus hãc explicationẽ non probet hæc est, quia si (*Hoc*) demonstraret corpus, verba Sacramentalia erunt speculatiua, non practica; quod est contra omnes Catholicos. Semper enim verum est (inquit) demonstrato Christi corpore dicere, *Hoc est corpus Christi*, siue id dicatur ante consecrationem, siue postea, siue à laico, siue à sacerdote: at verba Sacramentalia, quia operatoria (inquit)

Alan. de Sacramẽt. l. 1. c. 34. Iansen. in concord. c. 131.

quit) non sunt vera, nisi dicantur ab eo, qui est legitimus minister.

Respondeo: Tum nihil efficiunt verba Sacramentalia, nisi à sacerdote proferantur: at secus de verbis Sacramentalibus in Baptismo sentiunt, quæ etiam in ore laici, imò mulieris valere affirmant. Sed quid si sacerdos nõ intelligat verba? quid si non cogitet de transubstantiatione? quid si verba proferat sine intentione consecrandi? imò quid si afferat mentem Transubstantiationi contrariam? quid? tumnè hæc verba vera erunt? imò ex illorum opinione tum non sunt practica, quia dicunt nullam fieri cõsecrationem sine sacerdotis intentione. Ergo tunc hæc propositio erit falsa; *Hoc est corpus meum*: at id nullo modo fieri potest, quia hæc Christi verba sunt, quæ quo minùs vera sint, nullius negligentia facit.

Sic igitur contra Aduersarios disputo: Illa expositio, ex qua sequitur verba Christi posse falsa esse, nõ est admittenda: at hæc Papistarum expositio talis est: ergo non est admittenda. Minorem probo, quia non erit corpus Christi, si sacerdos voluerit, cum tamen Christus dicat, *Hoc est corpus meum*; quod necessariò semper de Sacramẽto verum est in vsu legitimo, cum nos scil. id agimus, quod Christus nos vult agere, licet sacerdos aliud intendat; aut Sacramenta non ex institutione Christi, sed ex voluntate sacerdotum pendebunt. Deinde si Christus his verbis indidit eam vim, quam illi volunt, vt statim post prolationem horum verborum adsit Christi corpus, tum vis hæc non in mente sacerdotis est, sed in ipsis verbis.

Aliam ergo sententiam Bellarminus sequitur, & aliam horum verborum expositionem probat, quæ statuit pronomen (*Hoc*) nec panẽ, nec corpus Christi demonstrare, sed in communi substantiâ, quæ est sub illis speciebus: & tamẽ ait demonstrationem propriè ad species pertinere, sed in obliquo; non vt sensus sit, *Hoc*, id est, hæ species sunt corpus meum, sed *Hoc est corpus meum*, id est, sub his speciebꝰ est corpus meum. Hæc præclara illa expositio est, in qua ille acquiescit, & quam reliquis omnibus expositionibus præponit. Sed *respondeo primò*: non esse hanc propriam prædicationem, quando de re, quę propriè demonstratur, quis ait, *Hoc est*, id est, contentum sub hoc est, quod volo scilicet; vt si quis crumenam porrigens, in qua est aurũ, diceret, Hoc est aurum, & demonstret propriè crumenã; vel si quis cantharum in manu tenens vino plenum, diceret, Hoc est vinum, cum cantharum propriè demonstret. Quis diceret eum qui sic loquitur propriè, & non potiùs tropicè loqui? Tale quidem est, quod hic Bellarminus ait: affirmat enim demonstrationem propriè pertinere ad species: ergo aut species propriè sunt corpus Christi, aut prædicatio non erit propria. I.

Secundò, ait Bellarminus (*Hoc*) aliquam rem præsentem demonstrare mox cum profertur: de- 2.

monstrat ergo panem, quia nulla alia substantia mox præsens est: nã illud, Edulium, aut Contentum sub his speciebus, non substantiam singularem, sed in communi substantiam significat: at nulla substãtia nisi singularis sub illis visibilib. speciebus contineri potest: nam genera & species non subsistunt. Debet ergo illud, quod Christus demonstrauit, nõ communis substantia esse, sed indiuiduum substantiæ, quia sub speciebus singularibus nihil nisi singulare contineri potest. Vnde sic disputo. Contentum sub illis speciebus aut est aliquid singulare, aut vniuersale: non vniuersale, quia vniuersale tantùm in intellectu est, & Christi corpus non ex communi seu vniuersali materia, sed ex singulari fit: ergo singulare fit neçesse est: si singulare sit, aut corpus Christi est, aut corpus panis: non Corpus Christi ex confessione Bellarmini: ergo panis.

3. *Tertiò*, quod ait Bellarminus, optimè solui posse nostrum argumentum, dicendo (*Hoc*) non demonstrare panem præcisè, sed cõtentũ sub his speciebus: dico (*Hoc*) debere aliquid præcisè demonstrare: est enim ea natura pronominis demonstratiui, idque ex Bellarmini cõfessione, qui eo rem præsentem demonstrari affirmat: res autem præsens est aliquid præcisè. Præterea (*Hoc*) id est, contentum sub his speciebus, supponit aliquid vel ante consecrationem, vel post, vel inter consecrandum: ante consecrationem est præcisè panis: post cõsecrationem est præcisè corpus Christi: ergo inter cõsecrandum aut panis est, aut corp⁹ Christi, aut tertia quędam natura, quæ nisi singularis sit, est monstrũ. Semper igitur (*Hoc*) singulare aliquid demonstrat: aut panem ergo, aut corpus Christi. Denique de illo contento ait, quòd licet fuerit panis ante consecrationem, tamen vi illorum verborum incipit esse corpus Domini. Sed quid hoc est, incipit esse? nam non prius aut posterius in Transubstantiatione ponunt: dicunt enim fieri in momento, in termino finiente prolationẽ horum verborum: ergo cum incipit esse corpus Christi, est in momento eodem corpus Christi. Si ergo corpus esse incipit, cum (*Hoc*) profertur, tum est ibi corpus Christi, cum primum (*Hoc*) profertur: si sic; tum esset ibi etiamsi reliquæ voces non sequerentur: at id nemo dixerit: ergo (*Hoc*) aliquid significat, quod nec est corp⁹ Christi, nec esse incipit corpus Christi, quia principium & filius non distinguuntur in Transubstantiatione. Quare hæc aut pessima, aut nulla reuerâ est solutio nostri argumenti.

Bellarminus Guitmundi expositionem sequitur, qui scripsit contra Berengarium, quæ est huiusmodi, *Hoc est corpus meum*, id est, hoc hactenus panis, nunc est corpus meum: ex hoc scilicet tempore est corpus meum. Sed non aduertit in hac propositione, Hoc hactenus panis nunc est corpus meum, aut inesse tropum, aut falsitatem: nam hactenus panis, quid erat nisi panis? at panis non est corpus Christi: si sic verba intelligãtur; Hoc hactenus panis, nunc est, id est, fit corp⁹ Christi, aut mutatur in corpus Christi; tum in verbis est tropus: nam tum (*Est*) ponitur pro fieri aut mutari: ita Bellarminus aut tropum, aut absurditatem non effugiet. Similiter ipsa Bellarmini expositio tropo non caret (*Est*) i.e. incipit esse: at in Transubstãtiatione nulla est successio. Quãto melior nostra expositio, quæ nullas admittit huiusmodi absurditates.

Guitmũd. lib. 2.

Sed nostram expositionem esse veram, ex altera parte huius Sacramenti præterea constat, cum Christus ait, *Bibite ex hoc omnes*. Pronomen illud (*Hoc*) quid tandem significat? & quid demonstrat? certè nihil aliud, nisi vinum. Bellarminus ait, Christum non iussisse, vt biberent vinum, sed quod in calice sub speciebus vini continebatur, i.e. Christi sanguinem. Sed quando Christus dixit, *Bibite ex hoc*, non erat sanguis: nondum enim illa verba protulerat Christus, in quib. vis Transubstantiationis consistit, i.e. quibus dicunt vinum mutatũ esse in sanguinem. Nam postea Christus dixit, *Hoc est sanguis meus*: non erat autem sanguis, antequam hæc verba prolata sunt: at Christus antea dixit, *Bibite ex hoc*: ergo illud (*Hoc*) vinum demonstrabat. Sic igitur argumẽtum instituo: Quod Apostoli iussi sunt bibere, illùd biberunt: vinum autem iussi sunt bibere: vinum ergo biberunt. Minorem probo, quia Christus ante consecrationem dixit, *Bibite ex hoc*: ergo vinum fuit, quia cum nondũ pronunciata essent verba cõsecrationis, nondum mutatum vinum fuit.

Matt. 26. 27.

Et Marcus Euangelista ait, Apostolos bibisse, antequam Christus dixit, *Hoc est sanguis meus*: ergo si vinum in sanguinem mutatum est, id in Apostolorum visceribus factum est. Sed Bellarminus ait, fuisse vinum ante cõsecrationem, sed finitis verbis consecrationis, non vinum sed sanguinem fuisse. At cum Christus iussit bibere hoc, non finierat verba consecrationis, imò nullum verbum consecrationis protulerat: ergo vinum erat, non sanguis. Si illos iussisset Christus bibere vinum, & statim vinum è medio sustulisset, non potuissent Apostoli facere, quod iussi sunt: at voluit Christus eos facere, quod iussi sunt: vinum igitur illis bibendum præbuit. Similiter de altera parte Sacramenti dixit, *Accipite, edite*: quid? nimirum, *Hoc*: illi ergo acceperunt, & ederunt, quod illos Christus iussit accipere & edere: iussit autem accipere & edere panem.

Marc. 14. 23. 24.

Et hoc argumentum est ἄλυτον, id est, *insolubile*. Sic etiam in ijs verbis, *Hic calix est nouum Testamentum*, τοῦτο de calice dicitur, non de sanguine: similiter alterum τοῦτο ad panem refertur, non ad corpus. Bellarminus ait hoc facere pro se, quia calix generatim significat, quicquid in calice continetur. Sed hoc pro nobis facit; non enim modo hoc à nobis affertur, vt τοῦτο de

Luc. 22. 20.

pane & poculo intelligi probem⁹, ſed vt in his verbis eſſe tropum doceamus. Clamant illi contra nos, quia tropos in verbis Chriſti ſtatuimus: at in his verbis, *Hic calix eſt nouum Teſtamentum*, tropus duplex eſt; *primò* enim calix ponitur pro eo quod eſt in calice; *ſecundò* nouũ Teſtamentum ponitur pro inſtrumento noui Teſtamenti, vel noui fœderis, quo ſanciebatur: nam ſi vel ſanguis ponatur in poculo fuiſſe, tamen non potuit ſanguis Chriſti nouum Teſtamentum eſſe, ſed id, quo nouum Teſtamentum ſancitur. Quid quod ne ſanguine quidem propriè, ſed morte Chriſti nouum Teſtamentum ſanciebatur? Quare ergo nobis ſuccenſent, & nobiſcum tantopere litigant, q̃ tropum ſtatuamus in illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, cum illi duplicem ſtatuant in his, *Hic calix eſt nouum Teſtamentum in ſanguine meo?* & hęc quidem verba non minùs ſunt conſecratoria, quàm illa. Lutherus aliam rationem habet, quæ tamen non concludit, Chriſtum ſcil. Hebraicè locutum eſſe: Hebræos verò non habere genus neutrum in pronomine: Chriſtum ergo non dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, ſed, Hic eſt corpus meum; ac proinde panẽ demonſtrâſſe, non corpus. Sed nõ dubium eſt, quin Euangeliſtæ mẽtem Chriſti rectè intellexerint; & pronomen Hebraicum poteſt cum nomine (*Corpus*) congruere. Atque hinc apparet, Lutherum in initio (*Hoc*) de pane interpretatum eſſe, vt nos, nec ita à tropis abhorruiſſe, vt poſtea; imo anathema ijs denũciauit, qui non de pane interpretarentur.

Luther. in lib. de Captiu. Babyl c. 1.

Sed Calvinus & Martyr ex ordine verborum firmiſſimum argumentum colligunt in hunc modũ: Quod Chriſtus accepit, benedixit, fregit, id dedit Apoſtolis: nam verba omnia accepit, benedixit, fregit, dedit, eundem caſum regũt: Sed Chriſtus panem accepit, benedixit, fregit: ergo & dedit. Bellarminus fatetur Chriſtum accepiſſe, & benedixiſſe panem; ſed dediſſe non panem communem, ſed benedictum, & benedictione mutatum.

Reſpondeo: Neque nos panem communem dediſſe dicimus, ſed benedictum, & mutatum: ſed non quoad ſubſtantiam: panis enim Sacramentalis eſt verus panis naturâ, relatione tantùm aut qualitate diuerſus: at nullam aliam naturam aut ſubſtantiam dedit Chriſtus, niſi panem: Papiſtæ verò volunt, ſubſtantiam vnam accepiſſe, & benedixiſſe; dediſſe verò aliam: quod eſt contra τάξιν & collocationem verborum. Sed Bellarminus ait, verbum (benedixit) intercedere inter accepit, & dedit: quid tum? hoc facit, inquit, ne verba hæc omnia regant eundem accuſatiuum eodem modo ſe habentem.

Reſpondeo: εὐλογεῖν, id eſt, *benedicere*, poteſt eundem caſum regere, quem λαβεῖν, id eſt, accipere: & quanquam non neceſſe ſit, vt accuſatiuus in omnibus verbis eodem modo ſe habeat, tamen non debet mutari in aliam naturam: debet

debet ergo eadem natura remanere. Sed ſi vult verbum εὐλογεῖν mutaſſe naturam panis, tum Chriſtus tranſubſtantiauit panem, quando benedixit, non illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*. Et addit Bellarminus, non eſſe hoc inuſitatum: vt ſi quis dicat, Aliquis Petrum percuſſit, occidit, ſepeliuit; verba omnia regunt eundem caſum, ſed non eodem modo ſe habentem: nam Petrus percuſſus eſt viuus, ſed ſepultus eſt mortuus.

1. *Reſpondeo:* Sed 1. Petrus mortuus & viuus eſt naturæ eiuſdem: qui hominem occidit, non eius ſubſtantiam mutat; corpus enim, non animam occidit; corpus, non animam percutit; corpus, nõ animam ſepelit: non ergo aut percutit, aut occidit, aut ſepelit totum Petrum, ſed corpus Petri. Vt ergo de eâdem ſubſtantiâ omnia illa tria verba intelliguntur (percuſſit, occidit, ſepeliuit;) id eſt, de corpore, nõ de anima Petri: ita hæc omnia verba (accepit, fregit, dedit) de vnâ & eâdem ſubſtantiâ intelligẽda ſunt.

2. 2. In illis verbis, percutere, occidere, ſepelire, operatio pertinens ad rei deſtructionem ſignificatur: nã mors ex percuſſione oritur; percuſſio enim eſt cauſa mortis: mors verò mutationem affert, etſi non tranſubſtantiationem: at in his verbis, accepit, benedixit, fregit, nullum verbum eſt, quod aut trãſubſtantiationem aut deſtructionem innuat. Exemplum ergo non congruit. Sed Bellarminus ait, panem fuiſſe benedictione mutatũ: quibus verbis ſignificat Chriſtum benedictione conſecrâſſe: eo enim alea & impetu diſputationis redactus eſt, vt conſecrationem in benedictione ponat. Sed in eo & ſecũ pugnat; & cum aliis, quorum ſententia iamdudum in ſcholis dominata eſt. Secum *primò*, quia contendit pronomen (*Hoc*) demonſtrare ſubſtantiam, quæ non ſit corpus Chriſti præcisè: at poſt cõſecrationem eſt ibi præcisè corpus Chriſti; & fatentur poſt conſecrationem dici poſſe, Hoc eſt corpus Chriſti, præciſe: ſi ergo conſecrauit Chriſtus benedictione, tum (*Hoc*) Chriſti corpus præcisè demonſtrabat: ſed negat hoc Bellarminus: ergo ſecum apertè pugnat. Deinde fatetur hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, eſſe operatoria, id eſt, operari quod ſignificãt: at ſi Chriſtus antè conſecrauit benedictione, nil operantur, ſed tantùm ſignificant. Nam quid opus fuit aliqua operatione, ſi antea fuit corpus Chriſti?

1.

2.

Secundò cum aliis manifeſtè pugnat, qui conſecrandi vim omnem in illis verbis ponunt, *Hoc eſt corpus meum*. Sed forſan ego Bellarmini mentem nõ aſſequor: forſan enim hanc ſententiam tener, Chriſtum his verbis benedixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, & non vſum eſſe aliâ benedictione: & hæc quidem ſententia Thomæ fuit: ſed Bellarminus, vt eſt callidus, ſententiam ſuam occultat. Verum ſi hæc illius ſententia ſit, facilè refelli poteſt. Secum enim ipſe tum pugnat, quia antea in decimo capite huius libri, probat eſſe tranſubſtantiationẽ, quia

Bellarm. de Euchariſt. l. 1. c. 10.

Christus benedixit: nunquam enim legi benedixisse, nisi cum magnum aliquid, & mirabile facturus esset, vt cum pisces & panes multiplicauit, & Lazarum suscitauit. At illæ omnes benedictiones erant verbis conceptis prolatæ ante miraculum: ergo debet similiter hic esse benedictio quædam ante Transubstantiationem, id est, antequam Christus miraculum operaretur. Et aliâs sanè non seruaret Christus eum ordinem, quem semper seruare solitus est, qui erat hic scilicet, benedictione vti, antequam rem magnam aggrederetur. Igitur benedictio fuit alia à verborum horum prolatione. Deinde omnes Euangelistæ mentionem huius benedictionis faciunt, & eam ante verba consecrationis ponunt. In re tanti momenti incredibile est omnes verborum inuersione vsos esse. Nam regula est apud Theologos, quod omnes Euangelistæ perinde narrant, de eo nil controuersiæ esse; omnes autem Euangelistæ dicunt, Christum statim cum accepit panem benedixisse, & tum fregisse, dedisse, & dixisse, *Hoc est corpus meum*: ergo necesse est istam benedictionem diuersam fuisse à prolatione horum verborum, *Hoc est corpus meum*. Præterea hoc εὐλογεῖν, *benedicere*, nil aliud est, quàm εὐχαριστεῖν, id est, *gratias agere*, vt nos antea docuimus: ergo in hac εὐλογίᾳ debuit esse gratiarum actio: at hæc verba, *Hoc est corpus meum*, nullam in se gratiarũ actionem continent: ergo Christus aliis verbis quam his benedixit. Bellarminus ipse ait, in ista εὐλογίᾳ fuisse orationem & gratiarũ actionem, & εὐχαριστίαν, id est, gratiarum actionem accipiendam esse in propria significatione. *Bellarmin. vbi supra.*

Et sic Chrysostomus hoc ipsum εὐλογεῖν refert ad Deum, & de gratiarum actione interpretatur: Christum autem gratias egisse ait tres ob causas: *primò*, vt nos instrueret, quomodo hoc mysteriũ celebrare oporteret, nempe cum gratiarum actione; *secundò*, vt declararet, se sponte sua ad mortem ire, & sponte sua in hunc mũdum venisse, vt mortem subiret; *tertiò*, vt nos omnia quæ patimur, æquo animo & cum gratiarum actione ferenda esse discamus. Ergo de solenni benedictione Chrysostomus interpretatur, quæ non potest intelligi de illis verbis, *Hoc est corpus meum*. Quare Thomæ sententia falsissima est, qui Christum ait, benedixisse proferendo hæc verba, *Hoc est corpus meum*: nam cum Christus benedixit, statim post accepit, antequam fregit, aut dedit, aut dixit aliquid: sic accusat Thomas Euangelistas, quod verborum ordinẽ transmutârint: quod de illis nullo modo imaginandum est. *Chrysost. homil 83. in Matth.*

Ita Thomas & Bellarminus nõ possunt sua figmẽta tueri, nisi vim verbis Euangelii afferant. Sed vt demus Christum consecrâsse benedicendo, & benedixisse proferendo hæc verba, *Hoc est corpus meũ*, tamen argumẽtum nostrum perinde sequitur: tum enim sic argumẽtamur, Quod Christus accepit, de eo dixit, *Hoc est corpus meum*.

Si

Si hæc verò Bellar. sententia sit, tum cũ aliis magni nominis Papistis pugnat, inprimis cum Innocẽtio tertio, Pontificè Romano, cuius authoritas debet omnes minutos Scholasticos præponderare. Is ait Christum quidem consecrasse benedicendo, sed hanc benedictionem de arcana quidem vi interpretatur, non de horum verborum prolatione, *Hoc est corpus meum*, vt stultè Thomas, & multi hodie Thomam sequentes. *Innocent. l. 4. c. 6.*

Bonauentura existimat, Christum non consecrâsse benedicendo. *Bonauent. in 4. d. 8.*

Sic Caietanus ait, illam fuisse benedictionem laudis. Et Dominicus Soto improbat illam Thomæ expositionem, & ait Christum nunc fecisse, quod semper solebat, cum cibum sumeret, id est, DEO benedixisse. Et sic in Canone Missæ legimus, Christum benedixisse, eleuatis in cælum oculis: at quando dixit, *Hoc est corpus meum*, non oculos in cælum eleuauit, sed in panem demisit, quia demonstrauit panem, nisi velimus oculos eleuasse in cælum, & digitum intendisse ad panem. Quare falsum est, quod Bellarminus ait, Christum accepisse panem, sed mutâsse cum benedixit: nulla enim mutatio facta est, nisi his verbis, *Hoc est corpus meum*, & Christus aliis verbis benedixit, vt nos iam probauimus. Et hoc constat ex omnibus Liturgiis Iacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, in quibus dicitur Christus benedixisse, & gratias egisse Deo, sublatis in cælum oculis, cum panem manu teneret, & postea fregisse, & dedisse, & dixisse: *Hoc est corpus meum*. Et certè absurdum est, vt dicamus omnes Euangelistas inuertisse ordinem verborum Christi, & præbuisse occasionem tantarum controuersiarum in Ecclesia Dei. Alanus tamen noster ait, hanc communem esse sententiam omnium Scholasticorum, Christum benedixisse his verbis, *Hoc est corpus meum*. *Caietan. in Thom. & in comment. in Matth. 26. & in 1. Cor. 11. Dominic. Sot. in 4. d. 10.*

Sed iam ad argumentum redeamus: Christus quando dixit, *Hoc est corpus meũ*, pronomine (*Hoc*) panẽ demonstrauit: nam (*Hoc*) ad illud refertur, quod Christus accepit, benedixit, fregit: id autem erat panis: ergo (*Hoc*) non rem nouam, sed eandem demonstrauit; quia debet rem præsentem demonstrare ex confessione Bellarmini supra. Sed negat Bellarminus panem, aut corpus Christi, præcisè demonstrari, sed substantiam sub illis speciebus contentam: at ea non alia est, nisi panis; id quod ex Bellarmino constare potest.

Ille enim hoc exemplo vtitur, & ait esse aptum exemplum: Si Christus (inquit) quando mutauit aquam in vinum, ostendisset hydrias aquæ, ac dixisset, Hoc est vinum, & illis verbis mutâsset aquã in vinum, non posset hæc sententia sic exponi, Hoc est vinum, id est, hæc aqua est vinum, neq; sic, Hoc vinum est vinum; non enim aderat vinum, cum diceretur (*Hoc*) sed hic esset sensus, Hoc est vinum, id est, in hoc vase est vinum. Hinc sic disputo; Cum Christus dixit; *Hoc est*

corpus

corpus meum, nondum adfuisse eius corpus: at panis fuit antequam Christi corpus fuit, quia corpus Christi succedit pani: (*Hoc*) igitur panem demonstrauit. Tum quis non tropum hic videt, Hoc est vinum, id est, in hoc vase est vinum? & tum similiter hic esset: sensus enim verborum hic esset, *Hoc est corpus meum*, id est, hic est corpus meum, aut in his speciebus est corpus meum. Sed Aduersarii (*Hoc*) de substantia exponunt, non pro (*Hic*) aut (*in hoc*) poni volunt. Nulla igitur substantia intelligi potest, nisi aut corpus Christi, aut panis: nam indiuiduum vagum cogitari potest, & mente concipi, demonstrari autem non potest. Et hic Bellarminus, dum Petrum Martyrem doctissimum virum insciticæ vult accusare, quod Scotum primum authorem indiuidui vagi faciat, qui nullum tamen de eo verbum haber; ipse non minus suam insciti-

Dominic. Sot. in 4. d. 11. q. 1. art. 5.

am prodit, qui Dominicum à Soto eius primum meminisse vult. Nam ante illum Durandus indiuidui vagi meminit, quiait pronomine (*Hoc*) non indiuiduum signatum, sed vagum demonstrari, vt sensus sit, Hæc substantia non specialis, sed in genere, sine determinatione aut ad corpus Christi, aut ad panem. Et hæc est sententia Bellarmini. Sed (*Hoc*) necessariò indiuiduum aliquod signatum & determinatum demonstrat, quia quod sub illis speciebus continetur, certum indiuiduum est: communis enim substantia non potest sub illis accidentibus, quæ singu-

Durand in 4. d. 8. q. 2.

laria sunt, latere. Sed hic Bellarminus admonet dicendum esse, non, Hæc substantia, sed, Substantia sub his speciebus; multum enim interesse inter illa duo, *Hoc*, id est, hæc substantia, &, *Hoc*, id est; substantia sub his speciebus. O miras & meras præstigias. Sed age, dic (quæso) quid interfit: Nõ dicimus (inquit) *Hoc*, id est, Hæc substantia, vel, Hoc ens, sed, *Hoc*, id est, substantia sub his speciebus. Cur ita, quæso? Quia si dicas *Hoc* (inquit) id est, hæc substantia, necesse est, vt substantia illa tunc sit præsens, quando dicitur, *Hoc*; at nondum Christi corpus est præsens: at si dicas, *Hoc*, id est, substantia sub his speciebus, non necesse est, vt illa substantia tunc sit præsens, sed satis est, si præsentes sint species, quæ demonstrantur pronomine, *Hoc*. Ergo hic sensus est, *Hoc est corpus meũ*, i. e. substantia sub *his* specieb. est corpus meũ, vel, Sub *his* speciebus est corpus meũ.

Sed *Respondeo*: 1. hanc expositionem esse figuratam, vt (*Hoc*) demonstret accidentia propriè, cum tamen accidentia non sint corpus Christi aut propriè, aut impropriè. Roffensis contra negat pronomẽ (*Hoc*) demonstrare accidentia, sed ait demonstrare corpus Christi, 2. (*Hoc*) semper aliquid determinatum demonstrat, etiam præcisè. Sic Caietanus, ait enim (*Hoc*) demonstrare indiuiduũ substantiæ, i. hanc substantiã. Sic igit ex Caietano disputo: Si (*Hoc*) demonstrat hanc substantiã, tum rem p̃sentem demonstrat; si rem præsentem, tũ panem, quia corpus Christi nondũ

aderat.

1.

2.

aderat. 3. Quis non videt absurdissimum esse, vt substantia sub illis speciebus contenta demonstretur, & tamen non sit præsens? sunt hæc planè contradictoria, contineri sub illis speciebus, & non esse præsens. (*Hoc*) non significat substantiam præsentem; & tamen cõtentam sub illis speciebus. Quid hoc monstri est? quasi non sit necesse, substantiam sub illis specieb. contentam esse præsentem: & ipse Bellarminus necessarium esse fatetur, vt pronomen (*Hoc*) rem præsentem demonstret, & mox aliquid certum indicet. Certè quam verè sunt species illæ prẽsentes, tam verè præsens est res cõtenta sub illis

4. speciebus. 4. Aut nulla erit in his verbis operatio, aut (*Hoc*) debet demonstrare substãtiam, ex qua corpus Christi fiat: corpus autẽ Christi non fit ex indiuiduo vago, sed ex pane (vt illi volunt) nisi & corpus Christi sit indiuiduum vagum: ergo sequitur (*Hoc*) de pane intelligi, quem Christus accepit, benedixit, fregit, dedit: & ideo est tropus: qui contrasentiunt, ij nesciunt certe quid tropus sit. Res singularis non nisi ex re singulari fit: at corpus Christi est res singularis: ergo ex re singulari fit: nulla est autem alia res singularis, cum pronomen (*Hoc*) effertur, nisi panis: ergo ex pane fiat necesse est, si fiat omnino. Idq; ex eo patet, quod Aduersarii in infinita absurda rapiuntur, cum aliter exponunt

Dominic. à Sot. in 4. d. 11. q. 1. ar. 5.

Dominicus à Soto ait de expositione horum verborum tot esse sensus, quot sunt capita: desinant ergo nobis dissensionem obijcere. Et quidem non alius sensus est horum verborum (*Hoc est corpus meũ*) post consecrationem, quàm quando sacerdos ad consecrandum accedit, aut in consecrando versatur; nimirum, Hoc est Sacramentum corporis mei, vel, Hoc significat corpus meum. Et pronomine (*Hoc*) demonstrari panẽ, ex ratione Aduersariorum probatur. Nam Caietanus probat, per (*Hoc*) non demonstrari corpus Christi, quoniã corpus Christi non fit ex corpore Christi, nec conuertitur in corpus Christi: ergo si ille rectè ratiocinatur, pronomine (*Hoc*) panis demonstratur, quia panis fit corpus Christi, ex illorum sententia.

Caietan. tom. 2 tr. 2. c. 7.

De primo nostro argumento diximus: nunc ad *secundum* veniamus, quod sumitur à verbo (*Est.*) Papistæ verbum (*Est*) tropicè pro (*Fit*) accipere cogũtur: ergo in his verbis tropus est. Antecedens dupliciter probatur.

2.

1. *Primò*, alioqui falsa hæc propositio esset, *Hoc est corpus meum*. Res enim prius esse debet, quam pronunciemus eam esse, præsertim si hæc verba sint causa cõuersionis: causa enim semper est effectu suo prior.

1.

2. *Secundò* verba hæc sunt operatoria ex sententia Papistarum, sicut illa (*Fiat lux*:) ergo verbum (*Est*) debet sumi pro (*Fit.*) Bellarminus cum Thoma respondet, verba hæc non habere perfectam significationem, nisi in vltimo instanti: pendere enim intellectum, donec ad finem veniatur: idq; ait fieri in

Thom. 3. p. q. 78. art. 2. & 5.

2.

1. I. 11 quauis

quamis alia ſententia. *Reſpondeo*: 1. Neceſſe eſt, vt verbum (*Eſt*) aliter in hac propoſitione ſumatur, quã in aliis, quia hanc eſſe ſingularem propoſitionem, inter omnes conſtat. 1.

In aliis autem veritas orationis ſequitur veritatem rei: talis enim eſt veritas orationis, qualis eſt rei, vt ſi dixero, Bellarminus eſt * Ieſuita, vera eſt hæc propoſitio, ſi ante ſit Ieſuita, ſi non, falſa. Etſi ergo intellectus in omni oratione pendet, donec ad finem veniatur, tamen veritas in re ſe habet ante, vt poſt; & intellectus pendet non loquentis, ſed audientis. Nam me loquente veſter intellectus pendet, donec orationem plenã protulerim: at eius intellectus orationem totam mente concepit, & informauit, priuſquam incipio loqui.

* *Fuit Bellarminus Ieſuita, cum habita eſt hæc Prælectio, licet nunc Cardinalus.*

Similiter quando Chriſtus protulit hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, pendebat quidem intellectus, ſed Apoſtolorum, non Chriſti, vſque dum ad vltimi verbi finem peruẽtum eſt, nam hæc ſententia in mẽte Chriſti prius concepta & informata fuit. Ergo ſemper ita rem eſſe oportet, quemadmodum eſſe pronunciatur, etiam priuſquam verba omnia proferantur, ſi proprius ſermo fuerit. 2. Conuerſio non eſt, niſi in vltimo inſtanti, vt illi volũt, & verba hæc ſunt cauſſa conuerſionis: ergo conuerſio eſt poſterior hac oratione. Quando igitur (*Eſt*) profertur, nondum eſt conuerſio, quia duo verba, nempe (*Corpus meum*) nondum ſunt prolata, & non tantùm intellectus pendet, vſque dum omnia verba proferantur, ſed & veritas rei, vt illi volunt. Ita enim hic fatetur Bellarminus, verba hæc, quatenus cauſſa ſunt conuerſionis, præcedere conuerſionem; è contra quatenus veritas propoſitionis pendet ab eſſentia rei, conuerſionem præcedere ſignificationem. Ergo verbum (*Eſt*) non habet propriam ſignificationem: quia in aliis propoſitionibus naturam rei ſequitur, non præcedit; in his autem verbis conuerſio præcedit ſignificationem: ergo donec conuerſio facta ſit, aut nihil ſignificat, vt Scotus ait, aut non propriè. Conuerſio, vt illi dicunt, ſequitur prolationem horum verborum; nam prolationem dicunt eſſe cauſſam conuerſionis: ergo dũ oratio profertur, nulla eſt in ea veritas: at debet eſſe in oratione veritas, quando profertur, aut aliter ſe res habet in hac oratione, quàm in aliis. 3. Quod ait ſe Thomam ſequi apertiſſime falſum eſt: nam Thomas hanc opinionem ponit inter eas, quas refellit; nam tum, ait, *Hoc* non aliud niſi corpus Chriſti demonſtraret, & ſic hæc eſſet horum verborum ſententia, Hoc corpus meum eſt corpus meum. Idque etiam ex Bellarmino conſtat, qui ſecundum Thomam vult (*Hoc*) non demonſtrare panem, ſed ſubſtãtiam in communi ante prolationem omnium verborum: at quid opus eſt iſtis ambagibus, ſi veritas orationis ex vltimo inſtanti pendeat? nam in vltimo inſtanti eſt ſubſtantia non in communi, ſed 2. 3.

ſed determinata. Quare Bonauentura (*Eſt*) pro (*Fit*) poni ait, vt Dominicus à Soto. Non ergo hæc obiectio eſt Petri Martyris, aut Caluini, ſed Papiſtarum. Obſeruemus interim Bellarminum dicere, intellectum horum verborum pendere ex vltimo inſtanti, & tamen ſolicitè quærere, quid demonſtretur per pronomen (*Hoc*:) dicamus ergo cũ Scoto & aliis, pronomen (*Hoc*) nihil demonſtrare donec omnia verba prolata fuerint.

Quod ad *ſecundam* noſtram rationem attinet, qua antecedens huius argumenti probamus, ait Bellarminus, verba eſſe operatoria, etiamſi non ponatur (*Eſt*) pro (*Fiat*) quia cum Deus, qui mentiri non poteſt, dicit aliquid eſſe, neceſſe eſt, vt illud ſit.

Reſpondeo: tum eſſe falſum, quod illi aiunt, veritatem propoſitionis ſuſpendi ad finem prolationis omnium verborum. Non eſt corpus Chriſti, vt illi aiunt, donec finis loquendi fuerit: ergo nondum eſt, quod Deus eſſe dicit: at Deus nunquam dixit eſſe aliquid, quod non fuerit. Igitur verbum (*Eſt*) non poteſt ſumi propriè, vt ſenſus verus propoſitionis ſit, quia verba omnia nondum ſunt prolata.

3. *Tertium* noſtrum argumentum ſequitur, quod eſt huiuſmodi: Hæc oratio (*Hoc eſt corpus meum*) eſt Sacramentalis: ergo Sacramentaliter intelligenda eſt, vt ſenſus ſit, *Hoc eſt*, id eſt, Hoc ſignificat corpus meum Sacramentaliter, vel, Hoc eſt Sacramentum corporis mei. Hoc quidem noſtrum argumẽtum eſt, quod Bellarminus aut non intellexit, aut non intelligere ſe ſimulauit: igitur quędam reſpondet, ſed nihil ad rem. Probat enim ſolicitè his verbis Sacramentum inſtitutũ eſſe, non modo explicatum. Et nos quoque his verbis inſtitutum eſſe Sacramentum affirmamus: & quia Chriſtus nunc Sacramentum inſtituit, ergo orationem eſſe Sacramentaliter exponendam. Chriſtus enim inſtituit Sacramentum, non vnam naturam conuertit in aliam, aut nouam creaturam produxit: Sacramenta verò non requirunt, vt ſigna externa in res ſignatas mutentur, ſed vt naturis ſuis ſaluis aliud quiddam ſignificent.

Quando ergo Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum, quia Sacramentum inſtituit corporis ſui, non mutauit panem in corpus ſuum, ſed ex pane Sacramentum corporis ſui fecit. Nam in nullo Sacramento ſignum mutatum eſt in rẽ, quia tum ſignum nõ eſſet ſignum, ſed res ipſa ſignata, nec relinqueretur analogia aliqua inter externum ſignum, & rem illam, quæ hoc ſigno declaratur. Et Calvinus verè de hoc argumento dixit, *Hic murus aheneus eſto.* Prorſus enim Sacramenti veritas tollitur, ſi ſit conuerſio Sacramenti in rem. Bellarminus omnino nihil ad rem reſpondet, & tamen ait hunc murum inuentum eſſe luteum. Sed quo, quæſo, argumento? iſtone? Chriſtus inſtituit Sacramentum: ergo corpus ſuum fecit ex pane, quia

dixit, *Hoc est corpus meum?* at tum quando Circumcisionē instituit, & dixit, *Circumcisio est fœdus meum*, conuertit Circumcisionem in fœdus: & quando *Agnum* similiter transitum esse dixit, mutauit Agnū in transitum. Imo quia voluit Sacramētum instituere corporis sui, debuit nomen corporis sui Sacramento tribuere, vt fieri solet in omni Sacramento. Et hic murus aheneus esto contra lutea Papistarum argumenta. De hoc igitur argumento satis multa diximus: iam ad quartum veniamus.

4. *Quartum* nostrum argumētum sic se habet: Apostoli verba Christi sic acceperunt, vt nos, & non dubitarunt Christum figuratè locutum esse; & illi Christi mentem intellexerunt: ergo nostra expositio vera est. Sic intellexisse illos Christum, ex eo liquet, quod alioqui vehementissimè turbati & obstupefacti fuissent Christi verbis: at illi placidè & tranquillè audierunt, & fecerunt quod à Christo iussi sunt facere. Nullam ergo transubstantiationem agnouerunt, sed figuratè locutum esse Christum existimarunt, vt solitus est. Si Christum propriè loquutum esse credidissent, sanè hæc oratio eos commouisset. Perplexè enim de leuioribus multò & minutioribus reb. interrogabant, vt cum Thomas Christo dixit, *Domine, nescimus, quo vadis*, Christus verò dixisset, illos scire: & cum dixerunt quidam ex eis, *Quid est hoc quod dicit nobis, Paulisper, & non conspicietis me; & rursus paulisper, & videbitis me: &, Quia ego vado ad Patrem? Dicebant ergo, Quid illud est, quod dicit, paulisper: nescimus quid loquatur.* Ita multis aliis in locis, cum res ipsa non postulabat tantam dubitationem, turbati erant: at nunc cum Christus ait, *Hoc est corpus meum*, nullus eorum commouetur, miratur, dubitat, aut interrogat: non illis igitur in mentem venit, Christi verba esse propriè intelligenda. Bellarminus duas causas affert, cur non turbati sunt.

Ioan. 14. 5.

Ioan 16.17

Prima est, quod antea instructi & præmoniti fuerunt, vt Chrysostomus docet. *Respondeo*: nos istam causam non improbare. Præmoniti quidē à Christo Apostoli sunt de māducatione corporis sui, quæ in fide fieret, de qua Christus in 6. capite Ioannis copiosè concionatus est, & ibi de carne & sanguine suo multa verba fecit, & longum sermonem instituit: & edocti sunt à Christo, hæc omnia intelligenda esse spiritualiter: quando igitur Christus nunc instituit Sacramentum huius spiritualis manducationis, hoc eis nouum visum non est. Quanquam Apostoli sæpius de vna eademque re admoniti sunt, & ex minima quauis occasione Christum interrogauerunt, vt eis Christus semel dixerit, *Adhuc & vos sine intelligentia estis?* Quare hæc caussa non satisfacit huic argumento. Licet enim præmonuisset eos Christus, si tamen cum Christus Sacramentum instituit & dixit, *Hoc est corpus meum*, carnaliter hæc verba intellexissent, multas procul dubio quæstiones proposuissent. Sed

1. *Ioan.* 6. *Chrysost. homil.* 83. *in Matth.*

Mat. 15.16.

2. *aliam* adhuc causam subiungit Bellarminus, nempe quia idem Christus, qui mysteria tradebat, mentē eorum fide illustrabat, vt simpliciter crederent. Nam alia (inquit) multa audierant mirabiliora, & non turbati sunt; vt hominem illum, quem videbant comedere, bibere, dormire, fatigari, esse verū Deum, & iam tunc esse in cælo, cū loqueretur in terris. *Respondeo*: hoc non esse tam mirabile: nam Christum esse Deum Apostoli & ex ipsius operibus, & ex Scripturis Propheticis norant: non illis ergo mirum videri potuit, quòd se tum in cælo esse dixerit, cum in terra esset quoad præsentiam corporalem: nil enim absurdum est, esse in cælo quoad Deitatem, qui in terris erat quoad carnem. Sed corpus quod intuebantur, & quod ibi sanum sedebat, esse inuisibiliter in pane, & comedi ab vnoquoque illorum; hoc non modò admirationem, sed & horrorem illis incussisset, idque dupli. i nomine, *primò*, quomodo inuisibiliter ibi adesse potuit, *secundò*, quomodo & quorsum Domini sui corpus comederent.

Ioan. 3. 13.

Certè nunquam hoc præteriissent Apostoli sine multis & curiosis quæstionibus: at illi nullam quęstionem nouerunt. Zacharias, cum ei Angelus dixit, se geniturū esse filium, mox ait, πῇ τὶ γνώσομαι τοῦτο; inquit, id est, *Vnde hoc cognoscā?* sic Maria cum se virginem parituram audierit, πῶς ἔσται τοῦτο; inquit, id est, *Quomodo erit hoc?* hoc erat multo magis mirabile, & tamen nemo Apostolorum quærit πῶς, id est, *quomodo* hoc fieret: imò neq; de re, neque de modo dubitant Apostoli, quia nulla difficultas est in spirituali manducatione. Petrus, cum voluit Christus pedes illius lauare recusauit, donec Christus ei dixit, nisi pareret, nil sibi cū illo commercii fore: nunc scilicet Dominum suum totum deuorat, & à singulis Apostolis deuoratum videt, & tamen tacet.

Luc. 1. 18. & 34.

Ioan. 13. 8.

Sed prętер has duas causas Chrysostomus aliam commemorat, quā Bellarminus callidè subticuit, & consultò prætermisit. Ait enim Apostolos non fuisse turbatos, quòd viderint Christum antè edentem & bibentem: Vnde intelligebant, Christū Sacramentaliter locutum fuisse, quia nunquam in mentem illorum venire potuit, vt Christus corpus suum comederet: quorsum enim Christus seipsum ederet, & quis esset modus huius manducationis? Sed Bellarminus quærit, cur hodie tot millia simplicium Catholicorum non turbantur, nisi quia fide illustrantur. *Respondeo primo*, hanc nō esse fidem, sed crassam & brutam opinionem ex eorū errore, & peruersa verborū Christi intelligentia natam. Tum etsi hodie nulli turbantur Papistarum, quia illis res non noua est: at Apostoli debebant turbari, quibus hoc nouum & inauditum fuit: ideo in sexto capite Ioannis multos recessisse legimus, & dixisse, *Durus est hic sermo*: at plærique eorum postea redierunt. Si illi offensi sunt, cum Christus non nisi de spirituali co-

Chrysost. vbi supra.

Ioan. 6. 60. & 66.

poris ſui manducatione loqueretur: quid Apoſtolos facturos credimus, ſi Chriſtum de corporali manducatione locutum eſſe exiſtimâſſent? Cum Chriſtus ſe Hieruſalem iturum diceret, & ibi multa paſſurum, Petrus aut non intellexit, aut putauit indignum eſſe Chriſto; certè contra ſuaſit: nos nunc tamen iſta nō miramur, nec illis offendimur: ergo Apoſtolis mira & noua multa fuerunt, quæ non ſunt nobis propter aſſiduitatem, quia non nunc audimus primum. Quare nulla hæc ratio Bellarmini eſt. *Matth. 16. 21. 22.*

5. *Quintum* noſtrum argumentum ſumitur ab illis verbis, *Accipite, manducate*: ipſum Chriſti corpus non mãducatur propriè: ergo aut corpus figuratè ſumitur, aut manducare. Bellarminus reſpondet 1. *primò*, Corpus Chriſti manducari in Euchariſtia propriè. At certè non teritur dentibus; quod eſt neceſſarium ad manducationem. Sed ait Bellarminus, hanc attritionem non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere ſumptionem, & tranſmiſſionem ab ore ad ſtomachum: & probat, quia aliter pueri & ſenes edentuli nihil comederent. *Reſpondeo*: in manducatione, quæ propriè ſic vocatur, aut attritionem, aut comminutionem requiri, quia à mandendo fit: eſt igitur manducare, ſi verbi propriam ſignificationem ſpectemus, cibum aut dentibus, aut ore & mandibulis conficere. Quod verò ad pueros & ſenes edentulos attinet, quis puerum edentulum propriè manducare dixerit? fugere enim non eſt manducare, nec ſorbere eſt propriè manducare: tum enim bibere eſſet edere: imò cibos integros demittere in ventriculum ſine præmanſione, non eſt manducare propriè: aliud enim eſt deglutire, aliud mãducare. Et ſenes decrepiti ſolent ſorbitiunculis, aut cibis mollioribus, aut frugibus vti, quæ facilè manducari poſſunt: at corpus humanũ traiicere in ſtomachum, & illud quidem totum, eſt genus manducandi Cyclopicum. Imò ipſi etiam ἀνθρωποφάγοι, id eſt, *humana carne veſcentes*, eorum corpora diuidunt fruſtulatim, quos deuorant. Non igitur eſt hoc manducare aut edere propriè, aliquid integrum deuorare, quia non his inſtrumentis fit, quæ ad manducationem requiruntur.

Sed *ſecundò* reſpondet Bellarminus, ſi attritio eſſet neceſſaria, tamen Chriſti corpus propriè manducari in Euchariſtia: non abſolutè, ſed tamen propriè. *Reſpondeo*: Mirum hoc certè, vt aliquid edatur propriè, nec tamen abſolutè: non igitur hæc eſt abſoluta manducatio. At Chriſtus de manducatione abſoluta loquitur; nam iuſſit Apoſtolos ita edere, vt alii homines edunt. Non dixit, hoc integrum deuorate; abſtinete dentes; ſed manducate: nec dubium eſt, quin Apoſtoli, vt rudes, ſic Euchariſtiam, vt alios cibos, manducârunt. 2.

Sed Bellarminus manducationem propriam, non abſolutam, vocat, quando ſpecies viſibiles & ſenſibiles manducantur, & dentibus atteruntur, & ſub illis inuiſibiliter ſumitur etiam & tranſmittitur ad ſtomachum integrũ corpus Chriſti. Fatetur igitur ſpecies atteri, & dentibus atteri: iam verò hoc cogitandum eſt, Chriſti corpus integrum latere ſub vnaquaq; parte ſpecierum; eſt autem attritio ſpecierum in multas partes: ex hoc igitur ſequitur, fieri poſſe, vt vnus homo habeat in ore non vnum tantùm corpus Chriſti, ſed multa, forſan centum aut mille corpora: in ſingulis enim vel minutiſſimis fragmentis ſpecierum eſt integrũ CHRISTI corpus, quia ipſum Chriſti corpus non atteritur, ſed tantùm ſpecies: at hoc monſtrum eſt, vt aliquis tot ſimul Chriſtos in ore habeat. Sed hic neceſſe eſt, eſſe tropum, ſi quod Chriſtus de corpore ſuo dixit, id de ſpeciebus panis intelligatur: imò duplex tropus eſt: *primò*, quia corpus Chriſti dicitur manducari, quando ſpecies tãtùm panis ſub quibus latet, manducantur: nam Bellarminus ait, ſpecies tantùm dentibus atteri: at attritio ad manducationem neceſſariò requiritur; *ſecundò*, quia ſpecies non poſſunt propriè manducari: nam manducatio eſt alienius ſubſtantiæ & eius quidem corporalis. Debet eſſe aliquid, q; poſſit manducari: ſed ſpecies per ſe manducari non poſſunt, quia nihil in eis craſſum eſt, quod comminui aut atteri poteſt: imò non opus eſt multum morari in ſpeciebus manducandis, id eſt, atterendis: nam omnes ſpecies rerum, ſi poſſent abſtrahi à ſubiectis ſuis, nihil in ſe ſolidum, aut craſſum, aut durum haberent, ne quis metuat ab illis ſuffocationem. Si omnes rerum ſpecies eſſent in vnum collectæ, facilè deglutiri poſſent, & in ſtomachum traiici, ſine attritione: at nollet Bellarminus hoſtiam traiici ſine comminutione & attritione ſpecierum. Et quod atteritur, & poſt attritionem in ſtomachum traiicitur, alit corpora noſtra: non ſic ſpecies: certè ſi Aduerſarii ſpeciebus tantùm paſcerentur, citò fierent macilenti. Non igitur hæc manducatio ad ſpecies refertur, quæ non poſſunt manducari, niſi reſpectu ſubiectorum: Chriſtus autem iuſſit manducari *Hoc*: nam de quo dici poteſt, *Hoc eſt corpus meum*, illud manducare iuſſit: at (*Hoc*) non ſpecies panis, ſed vel corpus Chriſti, vel panis eſt. Sic igitur concludo; Quando ſumimus & manducamus Sacramentum, atterimus aliquid ſolidum & craſſum: non autem corpus Chriſti: ergo corpus panis: ergo quod Chriſtus iuſſit accipere & manducare, non aliud erat; quam panis. Sed adhuc pergit Bellarminus & ait, verum panem non atteri dentibus, niſi ratione accidẽtium ſuorum. Quid tum? an quia panis non poſſet diuidi & ſic manducari, niſi mollis & fragilis eſſet; ergo accidentia abſolutè manducantur? Subſtantiæ nō poſſunt manducari ſine accidentibus: ergo ne accidentia propriè manducantur? certè ſi ſubſtantiæ ſine accidentibus manducari non poſſunt: multò minùs accidentia ſine

ſine ſubſtantiis. Igitur cũ manducationẽ refert Bellar. ad accidentia, nõ ad corpus Chriſti; qs nõ videt corpus Chriſti non manducari ꝓpriè? Accidentia verò ſola, à ſuis ſubſtantiis ſeparata, nil in ſe habẽt, in quo dentes occupentur aut exerceantur: nulla igitur eſt illorum manducatio. Si ergo manducare referant ad corpus Chriſti, & hoc de propria manducatione intelligant, tum Chriſti corpus debet dentibus atteri, quia hoc neceſſarium eſt in corporib. ſolidis, quæ carnem, neruos, & oſſa habent: at hoc de Chriſti corpore ſtatuendũ non eſt: manducatio igitur ꝓpria ad panem, id eſt, Sacramentum externum; figurata verò ad corpus Chriſti refertur, quod corde non corpore, fide non dente aut ore manducatur. Atque hoc eſt quod Auguſtinus ait, *Quid paras dentem & ventrem?* at in manducatione propria dens & venter parandi ſunt.

Caietan. tom. 2. tr. 2. c. 5. Caietanus ait, *manducari verum Chriſti corpus in Euchariſtia, ſed non corporaliter, ſed ſpiritualiter.* Hoc eſt, quod nos dicimus. Non igitur propria eſt hæc manducatio, quia ſpiritualis manducatio nõ eſt propria manducatio, ſed per ſimilitudinem tantùm: manducatio verò quæ eſt propria eſt corporalis.

6. *Sextum* noſtrum argumentum ſumitur ab illis Scripturę locis, qui ſanè multi ſunt, in quibus aut verbum (*Eſt*) accipitur pro, *ſignificat*, aut p̃dicatũ accipitur figuratè, vt *Gen. 17. 13.* Gen. 17. *Circumciſio eſt fœdus*, & eiuſmodi innumera, de quibus mox dicendum erit: quidni ergo liceat idem de hoc loco dicere, & de his verbis, *Hoc eſt corpus meum?* Bellarminus dupliciter reſpondet, *primò* in genere, *ſecundò* in ſpecie de ſingulis locis. In genere etiam dupliciter reſpondet: *primò*, non poſſe ex aliquot exemplis concludi, ſic vbique eſſe.

Reſpondeo: Nos non ita diſputamus, In multis locis verbum (*Eſt*) ſumitur pro (*ſignificat*) ergo in omnibus: ſed ex eo quod (*Eſt*) in multis ſimilibus locis ſumitur figuratè, & in ſimili argumento: ergo & hoc in loco ita ſumi contendimus. Et ipſi Põtificii ſic argumentari ſolent: verbũ (*Eſt*) in aliis multis Scripturę locis ꝓpriè accipitur: ergo & in hoc loco. Bellarminus Klebitium ſic reſpondentem ait mentiri in caput ſuum.

Reſpondeo: Certè nil mentitur; nam reuera vrgẽt propriam ſignificationẽ horum verborum, quia alia loca plerumq; propriè ſumuntur. Sed Bellarminus ait: Nos generali regula vtimur, ac dicimus vbique (inquit) ſeruandam eſſe verborum proprietatem, niſi euidenter doceatur, alicubi eſſe tropum.

Reſpondeo: Et in his etiam verbis, niſi eſſent peruerſiſſimè cæci, euidentem tropum viderent. Cum enim Chriſtus panem accepit, & de pane dixit, *Hoc eſt corpus meum*, quis negaret tropum? Neq; quicquam ad rem facit, quo minùs (*Hoc*) de pane intelligatur, quia verbum (*benedixit*) eſt interpoſitum: nam ſi benedictionem ſeparat à prolatione

ne horum verborum, tum putat Chriſtum nõ conſecrâſſe his verbis, *Hoc eſt corpus meum*; quod eſt contra opinionem à Pontificiis communiter receptam: ſi benedictionem de prolatione horũ verborum intelligát, tum quid de eo ſtatuet, quod Chriſtus in manus accepit, & de quo dixit, *Hoc*? certè non poteſt aliud ſtatuere, quam quod nos dicimus, nempe fuiſſe panem.

Deinde cum Chriſti corpus tale ſit, quale noſtrum, & iam in cælo ſit, analogia fidei poſtulat, vt in verbis tropum conſtituamus, ne Chriſtum è cælo deuocemus, & veritas humanæ naturæ tollatur, cum in tantillo ſpacio includatur. Hæc ſunt fundamenta tropicæ ſignificationis.

Secundò, reſpondet in genere Bellarminus, nullum à nobis exemplum ſimile allatum eſſe. Nam in exemplis allatis, inquit, ſemper prædicatur de diſparato diſparatum, vt patet ex illis, *Boues ſunt anni*; *Semen eſt verbum*, *Chriſtus eſt vitis*, &c. ergo cogimur neceſſariò recurrere ad tropos: at in hac ſententia, inquit, *Hoc eſt corpus meum*, non prædicatur diſparatum de diſparato, ſaltem verbis diſertis. *Reſpondeo*: Quid hoc eſt, *ſaltem verbis diſertis?* ſufficit ſi diſparatum de diſparato omnino prædicetur: & quidẽ diſertiſſimè prædicatur: nam corpus Chriſti de pane dicitur.

At panis, inquiet, non nominatur. At (*Hoc*) reſpicit panem, nil aliud: & Chriſtus panem accepit, dedit, & dixit, *Hoc eſt corpus meum*. Sed Bellarminus ait eſſe in quæſtione, quid (*Hoc*) ſignificet. At illi nullam probabilem horum verborum ſignificationẽ afferre poſſunt, niſi vt, *Hoc*, de pane intelligatur. Sed iubet afferri exemplum, vbi de pronomine prædicatur aliquid tropicè. Certè quanquam exempla quædã ab alio allata ſunt, tamen quia requirit exemplum vnum, ego repræſentabo illi duo, eaque ex vno capite Prophetæ Zachariæ, vbi *primò* de volumine volante dicitur, *Hæc eſt maledictio*; *ſecundò* de muliere, quæ ſedebat in medio amphoræ, dicitur, *Hæc eſt impietas*, quia mulier illa fuit typus nequitiæ. Sed nunc de exemplis in argumento allatis videamus. *Zach 5. 3. & 8.*

Non neceſſe erit ſingula percurrere, ſatis eſt, ſi quæ præcipua ſunt attingam, eaque in primis, in quibus eſt Sacramentalis analogia. Fatetur enim Bellarminus in plærisque eſſe tropum, quando ſcilic. ſimilitudo vſurpatur, vt in his, *Septem vaccæ ſunt ſeptem anni*, &, *Ego ſum vitis*, & in aliis huiuſmodi: ſed nos probabimus etiam in Sacramentalibus locutionibus rem ita ſe habere, vt cum dicitur, *Hic eſt ſanguis fœderis.* Bellarminus ait non legi, *Hoc eſt Teſtamentum. Reſpondeo*: *Hic ſanguis eſt fœderis*, non alium ſenſum habet, quam hic ſanguis eſt fœdus, vel ſignum fœderis. Nam ſanguis erat iuuenci, ſed hoc ſanguine fœdus illud repræſentabatur. *Hic eſt ſanguis fœderis*, non poteſt ſine tropo intelligi; quia fœdus non habet ſanguinem. *Exod. 24. 8.*

Cum ergo sanguis sit propriè iuuenci, impropriè fœderis, nempe quia illo sanguine sanciebat fœdus suum Deus; non esse hanc propriam sed tropicam & impropriam locutionem necesse est. Sic sacrificia sæpe vocantur expiationes: non tamen ipsæ expiationes, sed signa tantùm eorum erãt. Bellarminus ait hoc esse falsum: non sic dici. At nihil frequentius est, quam *immolare hostiam expiationis*, &, *aqua expiationis*, quod perinde est, ac si hostia & aqua dicatur expiatio. Sic Arca vocatur Deus: quod cum Bellarminus negat, apertè Scripturis contradicit. Cum enim Arca tolleretur, Moses solebat dicere, *Surge Iehova*, & cum deponeretur *Reuertere Iehova*: Deus autem nec surgit, nec reuertitur. Sic stare coram Domino, epulari coram Domino, sæpissimè dicitur, hoc est, coram Arcâ. Dicta est autem Arca Iehoua, quia symbolum erat præsentiæ diuinæ. Sed ad manifestiora veniamus. Agnus dicitur *Pesah*, id est, transitus. Atq; hic audacia Iesuitæ obseruanda est. Ait Agnum quidem dici Pascha non tropicè, sed propriè: quasi hoc nomen proprium Agni fuerit: quod nemo vnquam dixit, nec à quoquã explicari, imo ne cogitari quidem potest, quomodo Agnus fuerit Pascha, & quomodo transitus dici potuerit. Nam transitus est in prædicamento Actionis; Agnus verò in prædicamento Substantiæ: quemadmodum verò substantia dicatur actio, nemo cogitare potest.

Exod. 29. 36.

Num. 19. 21.

Num. 10. 35. 36.

Exod. 12. 13.

Sed ait Bellarminus, nullam esse similitudinem inter Agni occisionem, & transitum Domini. At potuit dici Pascha propter aliam causſam, quam propter occisionẽ. Nam Deus iussit comedi festinanter, & addit causſam, quia est transitus Iehouæ. Propter hanc in cõedendo celeritatem vocatur transitus, quia illam celeritatem adumbrabat, qua vsus est Deus in Ægyptiis interficiendis. Erat ergo signum huius transitus; quod cum Bellarminus negat, quid aliud nisi aperte Scripturam negat? Deus enim iubet comedi cum festinatione, & rationem addit; quia est transitus Domini. Vbi dicitur Pascha, non quod hoc ei proprium nomen fuerit, sed quia transitum Iehouæ repræsentabat. Quidam vir doctus vult Pesah propriè significare saltum, quia Deus quasi saltu quodam transilibat per domos Israelitarum, irruebat verò in domos Ægyptiorum: cum enim Israelitæ inter Ægyptios habitarent, Deus saltando quasi transibat eorum domos. Obseruandum autem, quam præclare inter istos Iesuitas conueniat.

Duræus Scotus negat Agnum dici transitum, sed tantum causſam afferri ait, cur vtendũ fuit festinatione in comedẽdo, qa Deus trãsiturus erat Israëlitas pcussis Ægyptiis: Et sic alii multi Papistæ, vt Claudi⁹ Sainctes. Et Roffensis ait, Agnum non vocari Pascha, sed cæremoniam in occidendo Agno transitum dici. Quanquam Petrus Micael Iesuita, agnoscit tropum in

Ioan. Duraus Scot. in refutation. responſ. Guil. Whitack. ad 10. ration. Capian. l. 2. Claud. Sainct. Repet. 3. c. 2.

Beſſenſ. ann. Oecolampad. l. 1. c. 10. Pet. Michael. in l. Cõtrouerſ. de Euchariſt. Sacrament. l. 1. c. 2.

in his verbis. Sed illi omnes suprà nominati palam refelluntur, quia iubetur Pascha sæpè mactari, & immolari, & comedi, & præparari: quæ omnia de Agno intelligenda sunt: quare nomen Pascha tribuitur Agno, non cæremoniæ; nã de cæremonia ista dici non possunt.

Exod 12. 46. 1. *Cor* 5. 7.

Bellarminus adeo Agnum dici Pascha vult, vt hoc sit eius propriũ nomen: quo nihil absurdius aut desperatius ab illo dici potuit. Præterea prohibentur Israelitæ os eius confringere; quod de Agno necessariò intelligendum est: & Christus Pascha nostrum dicitur.

Hieron. ab Oleaſt in Pentateuch. 1. Cor. 10. 4.

Hieronymus ab Oleastro disertè ait, Agnum vocari Pascha, quia signum eius saltus fuit. Ita nullis calumniis locus est: vt Agnus Pascha fuit, sic panis est corpus Christi. Ita petra dicitur Christus: de quo loco valde laborat Bellarminus. Ait non accipi hoc de petra materiali, quæ significaret Christum, sed de petra inuisibili & spirituali, quæ Iudæis omnia necessaria prouidebat; quæ petra, inquit, verè & propriè erat Christus, vt Deus: & Chrysostomi Theophylacti, Theodoreti, & Ambrosii nomina vsurpat. Sed ego his omnibus possum vnum Augustinum opponere, qui multis locis contrarium docet. In libro de Quæstionibus super Leuiticum hæc verba habet. *Petra erat Christus, non dixit significat Christum, sed quasi hoc esset, quod vtique hoc non erat per substantiam, sed per significationem.*

Augustin. in quæst. super Leuit. q. 57.

Augustinus igitur de petra materiali intelligit: nam petra inuisibilis erat Christus quoad substantiam. Ita alibi ait *petram aliud significare, quam erat*: erat ergo corporalis & visibilis, sed petram spiritualem & inuisibilem significabat.

Idem de Gen. ad lit. l. 8. c. 4.

Et Hieronymus ait, *hanc petram fuisse figuram Christi*: non ergo erat ipse Christus, vt vult Bellarminus. Idque ex ipso loco euidentissimè colligi potest: ait enim Paulus *omnes bibisse eundem potum spiritualem*, id est, aquam è petra illa spirituali fluentem: at non omnes Christi, qui fuit petra inuisibilis, participes erant; tum enim omnes salui fuissent: omnes tamen petram spiritualem, id est, spirituale signum Christi acceperunt. Sed Bellarminus de Christo probat intelligi, quia Paulus ait, hanc petram secutam esse Hebræos: at hæc aqua non secuta est eos: nã statim post aqua indiguerunt. *Respondeo*: Apostolus non ait, petram hanc eos sequutam esse per totam solitudinẽ, etsi sic fert traditio Iudæorum, & Tertullianus *Mannæ escatilem pluuiam, & petræ aquatilem sequelam cõmemorat*, & Hieronymus ait, *petram sequutam esse illos per omne desertum.* Sequi potuit ad spatium aliquod; & legimus petram esse bis percussam à Moſe, & longum interuallum interceſſiſſe inter primã percussionem & secundam: Deus ergo aquam illis è petra bis dedit. Apostolus simpliciter ait, *Petra erat Christus*, non alterutra, sed vtraq;: vtraque enim erat figura Christi.

Hieron. in 1. Cor. 10.

Num 20. 2. & 21. 5. *Tertullian in lib. de patientia. Hieron. in locum. Exod.* 17. 6. *Num.* 20. 10.

Et Bellarminus ait, illam fuisse

figuram Christi, sed non propterea eam figuram explicatam esse per hæc verba, *Petra erat Christus*. Quæro igitur quibus aliis verbis explicata sit? proferat alia verba, vbi ea petra dicitur esse figura Christi: at non potest. Quid nostrā interest, quod ille petram esse Christi figuram dicat, si hoc non possit probare? sublato certe hoc loco nunq̄ probare poterit. Nos igitur verū loci sensum proponimus, cum dicimus Apostolum per petram non inuisibilem petram intelligere, de qua non omnes biberunt, sed illā terrestrem, aut potius aquam ex illa fluentem: hæc non erat verè Christus, sed dicebatur Christus, quia erat Sacramentum Christi. Ita mare fuit quoddam Sacramentum Christi, & nubes, & Manna, quæ erant res externæ: eodem modo & petra. Ergo sensus est, petram dici Christum, quia significabat Christum, & erat figura Christi.

Innocent. 3. in l. 4. de myst. Missæ c. 7. Sic Innocentius tertius illa verba, *Petra erat Christus*, hoc modo exponit, *Petra significabat Christum*.

Caietan. in opusc. tom. 2. tr. 2. c. 7. Sic Caietanus, & alii. Sic igitur petra dicitur Christus, vt panis dicitur corpus Christi, id est, figuratè, & propter hanc figuram nomē rei signo tribuitur. Sed iam veniamus ad eum locum, qui in eodem capite paulò post habetur, *Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Christi?* In his verbis nemo negare potest esse tropum: nā panis nō est propriè communicatio corporis Christi, sed eius signū & Sacramentum. Bellarminus ait, non esse hic tropum vllum tollentem rei veritatem: aut qui obscuret sententiam. Id nos quoque dicimus: nam certè tropi nec tollunt rei veritatem, nec sententiam obscurant: nā ad illustrationem adhibentur. Nos tamen affirmamus in verbis his esse tropum: panis enim non est propriè communio: & vt panis est communio corporis Christi, sic est corpus Christi. Paulus ergo est optimus hoc in loco Christi interpres, cuius verba sunt instar commentarii in illa verba Christi, *Hoc est corpus meum*. Quando Christus ait, *Hoc est corpus meum*, quid per, *Hoc*, intelligitur? Apostolus respondet, *Panis*: quid per *Corpus*? non, vt Papistæ volunt, ipsum Christi corpus realiter & substantialiter; sed vult Apostolus oportere nos communicare Christum fide: non ergo ait, panis est corpus Christi, sed panis est communio corporis Christi: quæ certè oratio necessariò tropum includit.

1. Cor. 10. 16. Sed Bellarminus ait, hunc non esse sensum, *Panis significat communicationem corporis Christi*. Quis ergo sensus est? Loquitur Apostolus, inquit, de pane consecrato. Esto; quis tum sensus est? hic scil. Communicatio panis consecrati in Cæna Domini est communicatio corporis Domini. At Apostolus non ait, *Communicatio panis*, sed, *Panis*. Sed demus per panem intelligi verum corpus Domini: tamen qui dicit, verum corpus Domini esse communionem corporis Domini, is non propriè loquitur. Sed quam hic absurdus sensus est, Verum corpus Domini nonne est communicatio corporis Domini? quis

quis de eo dubitat? nam qui verum panem edit, is verum panem communicat. Sed Apostolus docet illo pane communionem eam, quam cum Christo habemus, declarari. Absurdissimè sanè Apostolus, si sic loqueretur, Qui verum Christi corpus edit, is Christi corp⁹ communicat: sed sensus verus est, cum pane hoc Christi corpus communicari. Et quod hic de pane ait Apostolus, prius de poculo dixit, *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est?* vbi communio sanguinis Christi prædicatur de poculo. Si remoueamus omnes tropos, quomodo hæc verba interpretabimur? an poculum esse propriè communionem sanguinis Christi dicemus? Non, opinor: si ergo hic necesse sit tropos admittere, non sic malitiosè de tropis calumniemur. Sed quid tandē de illis verbis respondebunt, *Circumcisio est fœdus*? certè non aliud respondet Bellarminus, nisi ibidem explicationem poni, id est, dici signum fœderis. Sed quia expositio ibidem habetur, non proinde illa sententia non est figurata. Fatetur ergo Bellarm. hic esse tropū; q̄ tamen Duræus noluit: nō n. circumcisionem, sed cōuentionem Dei cum Abrahamo dictam esse fœdus ait: at hoc absurdum: nā tum fœdus diceretur fœdus. Similiter etiam respondet Sanctes, vt Duræus. At iubetur Abrahamus imprimere fœdus in carne: at fœdus ipsum non potuit imprimi in carne. Et sic habetur in libro, qui vocatur Ecclesiasticus, vbi de Abrahamo dicitur, *In carne eius stare fecit testamentum*. Quare manifestum est, circumcisionem vocari fœdus & Testamentum. Et hoc Bellarminus hic concedit; sed ait ibidem haberi explicationem, esse scilic. signum fœderis. Similiter nos multas solemus explicationes afferre ex Scripturis, vnde has orationes esse figuratas doceamus. Christi omnia verba indicant tropos: Paulus panem vocat, quod Christus suum corpus. Non ego nunc parabolas, & allegorias, & similitudines affero, in quibus nemini dubium esse potest, quin (*Est*) ponatur pro *significat*, sed ea tantùm testimonia, in quibus oratio Sacramentalis habetur.

Gen. 17. 10. & 13. & 11.

Duræus vbi supra.

Sanct. vbi supra.

Ecclesiast. 44. 21.

Iam ad *septimum* nostrum argumentum veniamus? illud verò sic instituimus; Si in illis verbis, *Hoc est corpus meum*, corpus propriè sumatur, tum est ibi corpus sine sanguine, sine anima, sine deitate: at hoc nō est concedendū, q̄a nulla est diuisio naturarū: quare ista separari nō possunt: si verò corp⁹ significet totū Christum, tū non sūmitur p̄priè: ergo est tropus, & quidē tropus manifestus, quia corpus nec significat sanguinem, nec animam, nec deitatem propriè: præterea tum æquè liceret dicere de pane, *Hoc est sanguis*, atq̄e *Hoc est corpus*; & de poculo, *Hoc est corpus*, atque *Hoc est sanguis*: at hoc sine tropo ne cogitari quidem potest: non enim potest sanguis cum corpore, aut corpus cum sanguine & anima intelligi, cum dicitur corpus tantùm, & sanguis tantùm, sine tropo. Bel- 7.

larminus audacter respondet, verba propriè significare, & nomine corporis solum corpus intelligi, nomine sanguinis solum sanguinem, nec tamen distrahi corpus à sanguine propter necessariam cõcomitantiam. *Respondeo*: 1. vt concedamus talem concomitantiam, tamen necesse est, vt in verbis figuram statuamus, & hic tropum esse dicamus, quia corpus tantùm nominatur: at corpus propriè non significat sanguinem cum corpore, sed solum corpus. Qui corpus tantùm demonstrat, & intelligit corpus cum sanguine, ille procul dubio tropo vtitur. 2. Imo hæc ipsa concomitantia est maximus tropus, vel monstrum potiùs tropi; facit enim vt sub speciebus panis non corpus modò sed & sanguis lateat, & sic sub speciebus vini non sanguis modò sed corpus. 3. Non modo tropum in verbis statuit, sed naturæ ordinem tollit. Si enim sit sub specie panis verus sanguis, tum edere iubemur sanguinem, quia illud totum iubemur edere, quod latet sub specie panis: & hoc forsan non mirum: qui enim corpus integrum edit, ei facile est sanguinem in venis latentem vna cum corpore edere: sed iussi sumus etiam corpus bibere (quod est ἀδύνατον, & ab omni ratione alienum) quia cum sanguine est corpus per cõcomitantiam, & sanguis nõ potest esse extra corpus; & quicquid sub specie vini latet, bibere iubemur: & tamen debet sanguis prius demonstrari dicendo, *Hoc est sanguis*: quod nõ potest fieri, nisi sanguis sit extra corpus.

1. 2. 3.

Cum ergo nos ex Papistarum sententia Christi corpus eodem modo bibamus, quo edimus, novum hic tropum esse necesse est, qui facit vt humana corpora non modo edantur, sed etiam bibantur. Sic igitur disputo: Si verba Cænę postulent, vt Christi corpus bibatur, & sanguis edatur, tum figuratè accipiũtur: at verum prius: ergo & posterius. Maioris consequentia patet, quia tropus est, vbi non est proprius sensus: at edere non est propriè & edere & bibere; nec corpus propriè & corpus & sanguis; nec bibere propriè est & bibere & edere. Minor etiam patet, quia quod in poculo est iussi sumus bibere: si ergo corpus Christi sit in poculo, non minus quàm sub specie panis, tum illud bibere iubemur, & si sanguis Christi sit sub specie panis, non minùs quàm sub specie vini, tum sanguinem edere iubemur. 4. Hæc concomitantia pugnat non modò cum verbis Christi, verum etiam cum mẽte Christi: cum verbis primò, quia Christus corpus & sanguinem separatim dedit: ita concomitantia ea cõiungit, quæ Christus disiunxit; Christus primò corpus, deinde sanguinem porrexit: at Aduersarii ista miscent: & Christus dixit hoc esse corpus, non corpus cum sanguine; & hoc esse sanguinem, non sanguinem cum corpore; & iussit edere corpus tantùm, & sanguinem tantùm bibere, non & edere, & bibere vtrumque, vt illi qui

4.

qui concomitantiam statuunt: deinde pugnat cum mente Christi, quia Christus voluit Sacramentum instituere corporis sui exanguis, id est, mortui; ergo ait, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, & *Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionẽ peccatorum*: at corpus fractum, id est, exanime & mortuum, est à sanguine separatum, & sanguis effusus non est in corpore. Sic nobis Christus voluit mortem suam repræsentare, quia redemptio & salus nostra in morte Christi cõsistunt: at isti cum tropo suo concomitantiæ euertunt mortis Christi Sacramentum & memoriam, quia corpus viuum in hoc Sacramento repræsentari volunt, cum Christi corpus in Sacramẽto vt mortuum nobis proponatur, quia Christus nobis vitam morte sua peperit, & in hoc Sacramento hoc beneficiũ celebramus. Sed adhuc de isto argumẽto respondet Bellarminus, & contendit nullum ibi tropum esse, quia etiamsi ibi sit anima, & sanguis, & deitas Christi, (*Hoc*) tamen corpus tantùm demonstrat, idque exemplo declarat, vt si quis Petri corpore demonstrato diceret, Hoc est corpus Petri, corpus propriè sumitur, nec tamen sequitur esse sine anima.

1. Cor. 11. 24. Matt. 26. 28.

Respondeo: exemplum dissimile esse, quia qui tantùm corpus demonstrat, is propriè loquitur dicendo, Hoc est corpus Petri: nec refert ad veritatem propositionis, sitne anima ibi an non, quia tantùm de corpore loquitur: sed sacerdos primò facit Christum ibi præsentem totum, vt illi volunt; deinde non vult demonstrare solum corpus Christi, sed totum Christum: illud enim totum demonstrati volunt quod fit, idq; ex ipsis patet, qui dicunt (*Hoc*) demõstrare totum contentum sub illis speciebus: id autem est corpus, & sanguis, & anima: cum ergo hæc omnia nomine corporis significẽtur, tropum hic esse necesse est.

Pulchra hæc concomitantia est, ex qua nõ modò sequitur esse sanguinem cum corpore, & corpus cum sanguine, sed quæ facit etiam sanguinem Christi ex pane & corpus Christi ex vino: imò non id modo, sed animam quoque; nisi fortè velint dicere, corpus ex pane fieri, & sanguinem ex nihilo; & sanguinem ex vino fieri, corpus vero ex nihilo: sed vnde tunc anima in vtroque? absurdum est, animam fieri vel ex pane, vel ex vino, quia substantia spiritualis non fit ex substantia materiali. Sed nunc de tropo verborum: Corpus tantùm nominatur, & tamen totus Christus intelligitur: ergo est tropus. Exempli gratia, cum *verbum caro factum* esse dicitur, caro συνεκδοχικῶς pro tota humana natura sumitur: ita hic synecdochen constituant necesse est. Bellarminus se non grauatè id facturos ait, quia magnum est discrimen, inquit, inter intellectionem (sic ab illo synedoche vocatur) & metonymiã, quia hæc tollit rei veritatem, illa non.

Ioan. 1. 14.

Sed metonymia non tollit veritatem

Tit. 3. ritatem rei, vt cum Baptismus *lauacrum regenerationis* dicitur; est enim verè *lauacrum regenerationis*, & signum quoq;, quia res simul cum signo coniungitur. Sed vt tropus est in voce *caro*, sic in voce *Corpus* ex ipsorum Aduersariorum sententia. Et certè est vtrobique tropica locutio: illic significatur vnio hypostatica τῦ λόγυ cum humanitate; hic Sacramentalis, Christi sc. cum Sacramento.

8. *Octavum* nostrum argumentum sumitur ex Luca & Paulo, apud quos hęc verba habentur, *Hic calix est nouum Testamentum in meo sanguine.* Hic tropus duplex est, *primus* in voce (*Calix*) vbi continens pro re contenta accipitur; secundus in voce (*Testamentum.*) Bellarminus fatetur in priore voce esse tropum. sed tamen clarissimè ibidem explicatum. Sed non refert quàm clarus sit tropus modò tropus sit. Nõ ergo nos accusandi sumus, quod tropos adhibeamus, quia non possunt Christi verba sine tropis intelligi, & quia Christus ipse tropis vsus est. Et sanè non minùs illustris & perspicuus tropus est in his verbis, *Hoc est corpus meum.* Nam vt vas non bibitur, sed quod in vase continetur, ita nec Christi corpus ore editur: imò facilius est vasa omnia ebibere, quàm illud gloriosum Christi corpus edere. Nulla igitur hæc responsio est, quod sit tropus apertus, aut statim explicatus.

Luc. 22. 20. 1. *Cor.* 11. 25.

Nam ex eo quod Christus iussit accipere & edere quod dedit, & hoc esse corpus suum dixit, quod pro nobis frangeretur & daretur, nõ minus perspicuum esse tropum apparet, quia corpus eius tum non dabatur aut frangebatur, nec nũc, sed semel in cruce: & illud accipere & edere non potest de propria veri corporis manducatione intelligi, quia quod Apostolos iussit facere, ipse prior fecit: at non potuit ipse corpus suum edere, imò nec manibus tenere, quia totum non potest à parte vna capi aut teneri: ergo Christum panem ore sumpsisse & manu tenuisse constat, non corpus suum. Ita omnes circumstantiæ, & verba etiam ipsa, testantur imò clamant esse tropum. Sed bene est quod saltem vnum tropum agnoscit Bellarminus: non ergo aut Christus, aut Euangelistæ absurdum putârunt figuratè loqui. Sed nos docebimus esse tropum etiam in altero vocabulo, scilicet in voce (*Testamentum.*) Neque enim dicet Bellarminus aut sanguinem aut vinum esse Testamentum: est igitur hic metonymia, quia signum pro re signata ponitur: idque his argumentis Calvinus & Martyr docent.

Luc. 22. 16. 18.

1. *Primò*, quia alioqui Testamentum Christi singulis diebus renouaretur: celebratur enim hoc Sacramentum sæpius. Bellarminus primò distinguit, & tum respondet. Ait esse duo, quæ nomine Testamenti appellari solent; *primum* esse voluntatem testatoris: *secundũ* esse instrumentum authenticum, quo continetur voluntas testatoris. Sed debuit explicare, quid Testamentum propriè sit: nomen enim

nim multis rebus congruere potest: & constat Testamentum propriè esse vltimam voluntatem eius qui cõdit. Instrumentum quidem vocatur Testamentum, sed impropriè, quia significat voluntatem vltimã testatoris, vt sacra Biblia vocantur Testamenta, quia in his explicatur voluntas Dei. Quare si Eucharistia fit secundo modo Testamentum, certè non nisi figuratè & impropriè Testamentum est.

Iam igitur respondet, non renouari quotidie hoc Testamentũ, quia Eucharistiæ celebratio nõ est noua institutio Testamenti, sed repetitio eiusdem, quæ fit ad applicandam hæreditatem variis hæredibus.

Respondeo: 1. Si sanguis hic sit ipsum Testamentum realiter, necesse est repeti & renouari, quoties Eucharistia celebratur: nam vt sunt diuersa individua Sacramenti, ita quoque diuersa Testamenta, si modo realia Testamenta sint. At Testamentum ipsum est vnicum, idq; non nisi semel factum est: nisi velimus dicere Christum quotidie condere Testamentum suum. Id si faceret, tum esset nouum quotidie: at nõ indiget reali renouatione aut repetitione, quia illud vnũ Testamentum semel conditum sufficit omnibus hæredibus. Si enim hominis Testamentum semel factum nõ opus habet repetitione, tum nec Christi: at hominis Testamenta non repetuntur: ergo nec Christi Testamentum indiget repetitione. Tantùm haberi in memoria debet, conseruari, adhiberi, inspici, non repeti realiter. 2. Ad applicationem hæreditatis nõ opus est repetitione Testamenti: vnum Testamẽtum semel factum sufficit in æternum. An opus est Testamentum repeti aut describi, quoties singuli volunt hæreditatẽ sibi datam cernere? nequaquam: igitur certum est in Eucharistia nõ ipsum esse Testamentum, sed signum Testamenti. Nam si Testamentum sit voluntas Dei de hæreditate, id est, de remissione peccatorum, reconciliatione cum Deo, & vitâ æternâ, patet ne ipsum quidem Christi sanguinem esse Testamentum, sed id quo sancitur Testamentum. Vocatur ergo Christi sanguis Testamẽtum, quia eo fuit confirmatum fœdus.

2. *Secundum* Calvini & Martyris argumẽtum hoc est, quia tum necesse esset Christum sæpe mori: nã Testamentum sine morte testatoris non valet. Bellarminus ait, mortem Christi non fuisse Testamentum, sed confirmationem Testamenti: sufficere tamen vnam eius mortem ad confirmandum testamentum ipsius, etiamsi infinities repetatur.

Heb. 9. 16.

Respondeo: 1. Si in Eucharistia sit Testamentum propriè, debet esse ibi mors propriè. Vt ibi est mors Christi, ita ibi Testamentum est: vt vna realis mors Christi fuit, sic nõ nisi vnum reale Testamentum. 2. Si mors Christi non sit Testamentum, multò minùs sanguis Christi, qui est signum tantùm mortis: at vult sanguinem dici Testamẽtum, propriè, cum fateatur mortem nõ

esse testamentum: ergo tropus est. Nam sanguis sumitur pro morte; & mors non est Testamentum: ergo sanguis non nisi figuratè Testamentum dici potest: sic est tropus in voce *Testamentum*.

3. *Tertium* Martyris & Calvini argumentum sumitur à collatione Matthæi cum Luca. Matthæus ait, *Hic est sanguis meus noui Testamenti*; vbi non vocatur sanguis nouum Testamentum, sed noui Testamẽti: at Lucas ait, *Hoc poculum est nouum Testamentum in sanguine meo*. Necesse est alterum horum figuratè loqui. *Matth.* 26 28.

Bellarminus ait in verbis Matthæi accipi vocem Testamenti primo modo, id est, pro diuina promissione: in Luca verò pro instrumento eius promissionis: & sic vtrumque propriè dictum esse. *Respondeo:* Christus non dixit vtrumque, sed alterutrum. Euangelistæ non ijsdem verbis vtuntur: alter vocat sanguinem Testamenti; alter Testamentum in sanguine: vtrumque figuratum. Nam quocunque modo Testamentum sumatur, sanguis Testamenti non propriè dicitur; Testamentum enim non habet sanguinem: & sanguis non potest dici nouum Testamentum, quia Testamentum est fœdus & promissio, vt fatetur Bellarminus: ita semper tropus remanet. Certè Euangelistæ non fuissent ea diuersitate vsi, si tantùm in tropis periculum fuisset, quantum volunt Aduersarij.

4. *Quartum* Martyris & Calvini argumentum sumitur à verbis Lucæ & Pauli, quorum vterque ait, *Hic calix est nouum Testamentum in meo sanguine*: ergo per calicem non sanguis in calice intelligitur: tũ enim hic esset sensus, Hic sanguis est Testamentum nouum in sanguine meo: at hoc absurdum, quia tum idem esset in seipso. Bellarminus ait nõ esse absurdum, quia sanguis primo loco sumitur pro sanguine latente in poculo sub specieb. vini; at in secundo loco pro sanguine ipso Christi visibiliter effuso in cruce, vt sensus sit, Hic calix, id est, res contenta in hoc calice sub speciebus vini, est novum Testamentum dedicatum & sancitum in sanguine meo. *Respondeo:* Si per calicem verus sanguis latens in poculo intelligatur, tamen non est propriè Testamentum, quia Testamẽtum propriè est promissio & voluntas diuina, vt fatetur Bellarminus: non hoc sanguis. Et si calix ponatur pro re contenta in calice; quis nõ videt manifestum tropum esse? Deinde secum nunc Bellarminus pugnat: nam supra contendit, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *quod pro vobis effunditur*, referri ad ποτήριον, id est, ad poculum: si ergo calix pro sanguine sumatur, tum pro sanguine visibiliter effuso in cruce sumitur: sed nunc aliter. Ianſenius ait, non posse calicem hic sumi pro sanguine in calice contento: & necessario fatendum esse, verba hæc non esse in proprio sensu accipienda. Si verò Testamentum fuit dedicatum & cõfirmatum sanguine visibiliter effuso in cruce, vt ait Bellarminus, ideoque sanguis vocatur *Luc* 22. 20. 1. *Cor.* 11. 25. *Ianſen. in concord. Euangel. c.* 131.

catur Testamentum; tum sanguis in poculo non est Testamentum, quia non est visibiliter effusus.

5. *Quintum* & postremum Martyris & Calvini argumentum est, Matthæum & Marcum exponi debere per Lucam & Paulum. Illi dicunt, *Hic est sanguis meus noui Testamenti*; hi verò, *Hic calix est nouum testamentum in sanguine meo*, id est, Sacramentum noui Testamenti. Lucas & Paulus non modo vsi sunt pluribus verbis, quàm Matthæus & Marcus, sed etiam post hos scripserunt: ergo horum interpretes esse debent: illi verò apertè vocant calicem nouum Testamentum in sanguine Christi: at calix non potest esse nouum Testamentum, propriè: idque his argumentis probari potest; *primò*, quia si esset nouum Testamentum, tum sine eo nulli seruarentur: nam sine sanguine testamenti nulla est salus: at multi seruati sunt sine poculo in Eucharistia, cuius illi nullum ex plebe participem esse volunt: *secundò*, quia tum omnes, qui hoc Sacramentum percipiunt, necessariò seruarentur: qui enim cum DEO reconciliati sunt, ij interire non possunt: at qui ipsum Testamentũ sumunt, ij reconciliantur: est enim Testamentum ipsa reconciliatio, vt qui partem in Testamento habeant, non possint esse extra gratiam. Iam quomodo Lucam & Paulum interpretetur Bellarminus, videamus. Hic calix, id est, sanguis in hoc calice sub speciebus vini, est nouum Testamentum, id est, instrumentum promissionis diuinæ, ait Bellarminus, in sanguine meo, visibiliter scil. in cruce effuso. *Matth.* 26. 28. *Marc.* 14. 24. *Luc.* 22. 20 1. *Cor.* 11. 25.

Hic igitur sensus est, verum Christi sanguinem esse instrumẽtum confirmandæ promissionis, quod scilicet instrumentum Christus suo sanguine visibiliter in cruce effuso confirmauit. Absurde! nam non instrumentum promissionis, sed ipsa promissio fuit sancita sanguine Christi visibiliter in cruce effuso. Si verò nouum testamentum in Luca & Paulo pro ipsa promissione hæreditatis sumatur, tum tropus manifestus in verbis est, quia sanguis non est ipsa promissio.

9. *Nonum* nostrum argumentum sumitur à illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo hic non est corpus & sanguis Christi, sed symbola vtriusque. Bellarminus hæc verba exponit pro alia verba Pauli, *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat*: mors Christi non est præsens, sed tamen eius corpus & sanguis potest esse præsens. *Respondeo*: mortem Domini posse annunciari sine eius corporali præsentia: imò corporalis præsentia mortis eius ἀνάμνησιν, id est, recordationem impediret. Cum igitur his finis sit Sacramenti, vt eius mortem annunciemus & commemoremus, non hic præsentem esse Christum putemus: nam sumptio corporis viui, non est commemoratio mortis. Si ergo argumentum instituo: Si hic finis præcipuus Sacramenti sit, vt mortem Christi annunciemus, tum non vt eius *Luc.* 22. 19. 1. *Cor.* 11. 25. 26.

corpus & sanguinem realiter sumamus (ratio est, quia corpus & sanguis eius non sumuntur realiter, vt eius mortem commemoremus) at verum prius: ergo & posterius. Minorem Lucas & Paulus confirmant, qui tradunt Christum instituisse hoc Sacramentum, vt eius mortem annunciemus: in quo non dubium est, quin quorsum hoc Sacramentum celebrari voluerit docuit: non vt corpus eius realiter sumamus, sed vt mortem eius gratis animis recolamus. Sed Bellarminus ait, Christum iis verbis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, &, *Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, apertè significare, finem huius Sacramenti esse peccatorum remissionem.

Luc. 22. 19. 1. *Cor.* 11. 26. *Luc.* 22. 19. *Matth.* 26. 28.

Respondeo: id non negari: est ille quidem finis vltimus: commemoratur enim mors Domini, vt nos hac commemoratione mortis eius, qua nobis remissionem peccatorum impetrauit, de salute nostra certiores fiamus. Et hoc est quod Christus in sexto capite Ioannis toties ait, carnem suam esse comedendam: nos autem Christi carnem edimus, quando eius mortem fideli commemoratione celebramus.

Decimum nostrum argumentum sumitur ex verbis Matthæi & Marci, *Non bibam* posthac ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, *ex hoc fructu vitis*, vel vt vetus interpres habet, *ex hoc genimine vitis*; Columella vocat progeniem vitis: fructus verò vitis est vinum: ergo in calice post consecrationem vinum fuit: figuratè igitur sanguis vocatur.

Matth. 26. 29. *Marc.* 14. 25.

Bellarminus ait, Matthæum & Marcum hoc non narrâsse suo loco: nam ex Luca constare, hæc verba prolata fuisse ante consecrationem, & pertinere ad calicem vini, quem Christus Apostolis propinauit post esum Agni Paschalis, ante huius Sacramenti institutionem. Idque probat duabus rationibus, *primò*, quia Lucas narrat Christum bis Apostolis poculum porrexisse, & de priore non dixisse, *Hic est sanguis*, vel, *Testamentum in sanguine*: de illo autem non de altero dixisse, *Non bibam posthac de hoc genimine vitis*: *secundò*, quia Lucas coniungit hæc verba (*Non bibam amodo de hoc genimine vitis*) cum illis, *Non manducabo ex hoc*, nimirum Paschate, *donec impleatur in regno Dei*: ergo illa verba (*Non bibam amodo de hoc genimine vitis*) de vino intelligenda esse, quod cum Agno Paschali biberunt. *Respondeo*: *primò* de posteriore ratione: etsi Bellarminus contendit, de Agno Paschali intelligi quod Christus ait, *Desiderio desideraui hoc Pascha edere vobiscū, antequam ego patiar*, tamen aliter magnis Theologis videtur, nempe de nouo Paschate, id est, de hoc Sacramento intelligi. Sic Eusebius, vt affirmat Thomas in catena aurea; sic Tertullianus; sic Hieronymus; sic Roffensis; multique alii, vt si multitudine testimoniorum res agatur, non hoc facilè euicturus sit Bellarminus. Tamen ego hoc largior, quia mihi sanè multò verius videtur: Christus enim se desi-

Luc. 22. 18. 1. *Thom. in caten. aur. in locum. Tertullian l.* 4. *cont. Marcion. Hieron. in Matth.* 26. *Roffens. l.* 5. *cont. Oecolampad. c.* 2.

derio magno teneri dixit huius vltimi cum Apostolis conuiuii celebrandi, vt significaret se læto animo ad mortem proficisci. 2. *Respondeo*: Lucam quidem meminisse duplicis poculi, cuius nullus præter ea Euangelista meminit; sed an hoc aliud fuit poculum, quam quod in huius Sacramenti institutione adhibuit Christus, dubium est.

2.

Multi putant eum morem fuisse à Iudæis seruatum in his Paschalibus epulis, vt pater-familias in fine omnibus conuiuis poculum propinaret: Christum nunc sic fecisse: sed alii non nisi vnum fuisse poculum volunt, de quo Lucas bis meminit.

Augustinus ait Lucam præoccupasse, quod Matthæus & Marcus suo loco narrant: & Euthymius idem poculum fuisse ait: & sic Iansenius: nam & Paulus poculi meminit antequam panis. Etsi horum authoritatem vrgere possem, non tamen eâ vtar: nam diuersum fuisse poculum credo ab eo quo Christus in Cæna vsus est, *primò* quia Lucas noluit in tam breui narratione eiusdem poculi bis meminisse; *secundò*, quia magna sunt testimonia illius moris Iudæorū de poculo inter conuiuas circumferendo. Et tamen nostrum argumentum nil inde detrimenti capit. Nam *primò* cum Matthæus & Marcus scribant Christum hoc dixisse de eo quod in poculo Apostolis dedit post consecrationem: necesse est vt vinum eis in eo poculo dedisse dicamus, quia γέννημα τῆς ἀμπέλου, id est, *fructus vitis* est vinum, & Christus ait, ἐκ μηκέτι ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, *non amodo bibam ex hoc fructu vitis*: etsi ergo Christus post prius illud poculū hæc protulit, tamen Matthæus & Marcus, qui nullam illius poculi mentionem faciunt, hæc verba non prætermiserunt, & statim post vini cōsecrati propinationem recitârunt: quod non fecissent, nisi illud esse verum vinum credidissent.

Augustin. de consens. Euangel. l. 3. *c.* 1. *Euthym. in loc. Iansen. in concord. Euangel. c.* 131. 1. *Cor.* 10. 16. 1.

Secundò, Christus in illo poculo εὐχαριστήσαι, id est, *gratias egisse* dicitur: iam quid fiet de argumento Bellarmini ab εὐχαριστία & εὐλογία sumpto? certè aut vinū in hoc poculo transubstātiatum est, aut nullum est Bellarmini argumentum ex Christi benedictione seu gratiarum actione ductum pro reali præsentia: nā & huic poculo Christus benedixit, seu de eo gratias egit: si ergo Christi εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν mutationē naturarum effecerunt, tum hoc vinum fuit mutatū. Mittat ergo Bellarminus argumētum à Christi benedictione sumptum, quæ non nisi communis benedictio fuit, cuius forma in libris ritualibus Iudæorum habetur, vt cum poculum ab iis in solennibus epulis inter conuiuas distribueretur, in hunc modum gratias agerent, *Benedictus es Domine, qui fructū vitis creasti*. Bellarminus antea dixit, Christum nunq̄ egisse gratias, nisi cum miraculum ederet: igitur in illo priore poculo miraculū fuit. Non ergo satis est quod ait, nunc Christum non hoc de vino con-

2. *Luc.* 22. 17. *Bellarm. de Sacram. Euchar. l.* 1. *c.* 10.

3. secrato dixisse. *Tertiò* Patres etiam pro nobis faciunt, & nostram sententiam confirmant. Clemens Alexandrinus sic scribit, ὅτι οἶνος ἐῶ τὸ εὐλογηθὲν, ἀπέδειξε λέγων, ἃ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, *Quod vinum fuit, cui benedixit* Christus, *demonstrauit dicens, non amodo bibã ex hoc fructu vitis*, &c. & antea ait fuisse αἷμα τῆς ἀμπέλου, sanguinem vitis, de quo Christus dixit, *Bibite ex hoc omnes, Hoc est sanguis meus.* Ergo nos ex hoc loco verè concludimus esse tropum in verbis Cænæ, quia Apostoli biberunt vinum, & Christus appellat sanguinem. Alii Patres possent afferri, sed dabitur occasio illos postea proferendi.

Clemens Alexand. ped. l. 1. c. 2.

Sed Bellarminus ait, Si Christus post consecrationem hoc dixit, nõ tamen debere verba hæc referri ad calicem consecratum, sed antea potatum: non enim voluisse Christum dicere, se non amplius celebraturum Eucharistiam, sed se non bibiturum more humano ad reficiendas vires.

Respondeo: Dicant illi cum Matthæo & Marco hæc Christum dixisse de vino, quod in calice consecrato fuit & necesse est, vt illud fuisse verum vinum fateãtur, quia τοῦτο τὸ γένημα τῆς ἀμπέλου, *hic fructus vitis*, verum vinum necessariò demonstrat.

Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. Luc. 22. 20.

Vndecimum & postremum nostrum argumentum ab illis verbis sumitur, *quod pro vobis datur*, &, *quod pro vobis frangitur*, &, *qui pro vobis effunditur.* Hæc tropicè necessariò intelligenda sunt: nec enim Christi corpus in Cæna dabatur aut frangebatur, nec sanguis eius rum effundebatur, sed postea in cruce. Huic argumento Bellarminus hic nihil respondet, sed antea aliquid dixit, posse scil. hæc omnia dici de corpore & sanguine Christi, vt est in Eucharistia, non autem vt fuit postea in cruce, vt sensus sit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, i.e. quod offertur & donatur Deo Patri in sacrificium; & vt verborum de calice hic sit sensus, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*, i.e. qui libatur & offertur Deo in sacrificium pro salute vestra.

Bellarmin. vbi supra.

Respondeo: hanc expositionem & falsam esse & blasphemam. Christi enim corpus in Eucharistia non offerebatur in sacrificium, quia tũ bis offerebatur, in Cæna scil. & in cruce. Vtrâ igitur oblatione redemit nos Christus? num illâ, quam in Cæna obtulit? at tum non est mortuus: num non in Cæna? at ait, *Hoc est corpus, quod pro vobis datur*, si pro nobis dedit, nonne vt nos redimeret? sed Scriptura habet etiam *quod pro vobis frangitur*, quod in cruce tantùm factum est. Sed Bellarminus exponit frangere per dare, vt apud Isaiam, *Frange esurienti panẽ tuum*; & tamen hic frangere non significat dare, sed aliquid præcedens.

Isa. 58. 7.

Et si tum in Cæna scil. offerebatur Christus in sacrificium Deo Patri, aut non fuit acceptum hoc sacrificium Deo, aut valuit ad salutem nostram: at neutrum dici potest: non igitur constare potest ista expositio. Præterea pugnat hæc expositio cum verbis in versione vulgata, in qua legitur, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, &, *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur*, &, *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo; qui pro vobis fundetur*, in futuro scil. Et sic Augustinus, *non estis bibituri sanguinem, quem fundent, qui me crucifigent: quem fundent*, inquit, non quem ego nunc fundo. Sed ait Bellarminus, hanc expositionem, si recipiatur, planè euertere sententiam hæreticorum de corpore Domini tropice intelligendo. Sed ista expositio recipi non potest, nisi ab hæreticis, imò apostatis, & atheis, quæ Christum sese in sacrificium Deo obtulisse statuit, antequam in cruce passus est: nam si in Cæna se Patri obtulit, non opus fuit, vt postero die moreretur: sic hac expositione tollitur sacrificiũ crucis, salutis fundamentum. Ergo quod Christus in Cæna dedit, non sacrificium fuit, sed signum & Sacramentum sacrificii. Ex quo sequetur, aut tropum esse in voce *Corpus*, vt sensus sit, *Hoc est corpus meum*, id est, Hoc est Sacramentum corporis mei, aut in verbo (*Est*) vt sensus sit, Hoc est signum corporis mei, vel, Hoc significat corpus meum: nostra non refert, in vtro vocabulo tropus ponatur. Sed non in vtroque ponendus est tropus: non enim hic sensus est, Hoc significat signum corporis mei.

1. Cor. 11. 24. Matth. 26. 28. Luc. 22. 20. Marc. 14. 24. August. in Psal. 98.

***

CAPVT VIII.

Argumenta nostra ex Scripturis contra realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

QVICQVID hactenus pro figurata verborum Cænæ expositione disputatum est, id pertinet ad hãc quæstionem, quã nunc tractare aggredimur, in qua illorum opinio est refellenda, qui corporalẽ Christi in Eucharistia præsentiam defendunt. Si enim Christus locutus est figuratè, quando dixit, *Hoc est corpus meum*, &, *Hoc est sanguis meus*, tum certum est errare eos, qui hinc Christum in Cæna corporaliter adesse & comedi cõtendunt. Christus autem loquutus est figuratè, quemadmodum vndecim argumentis demonstratum est: errant igitur qui corporalem præsentiam defendunt. Sed nunc aliis argumentis vtendum est in hac causa, quæ huius quęstionis propriá sunt. Et multa quidem è Scripturis afferuntur à nostris Theologis, quorum nõnulla Bellarminus attingit, sed non diluit. De ijs primum disseremus.

I.

Primum nostrum argumentum sumitur ex verbis quæ habentur Psal. 113. vel, ex Hebræorum computatione, 115. *Deus autem noster in cælo*, & ex Isai. 66. *Cælum sedes mea*: & hoc esse Petri Martyris argumentum ait Bellarminus, Quia Christus

Psal. 115. 3.

Isa. 66. 1.

Pet. Mart. in lib. cont.

Gardiner. part 1. in 8. obiect. Christus, vt homo, est in eadem sede cum Patre, & Pater non in templis, sed in cælo habitat, ideo non est in templis aut in pixide quærendus Christus, nisi velimus sedem Dei & cælum in pixide contineri. Respondet Bellarminus, etsi sedes Dei est in cælo, tamen Deum extra cælos inueniri, cum sit vbique; & falsum esse, Deum non esse quærendum nisi in cælo, cum Paulus dicat Act. 17. vbique posse quæri & inueniri Deum. Sic & Christum hominem, licet in cælo sedeat, tamen esse extra cælum, vbicunque voluerit. *Respondeo* 1. A natura Dei, quæ omnipotens est, & vbiq; præsens, nō valet argumentum ad naturam, quæ finita & creata est. Nō loquimur de persona Christi, qui Deus est, & est vbique vt Deus, sed de Christi humanitate, quæ non potest simul esse in cælo, & in templo. *Secundò*, Bellarminus nō rectè proposuit Martyris argumentum: nam sic Martyr disputat: Si Christus quatenus homo in cælis sedeat ad dexteram Dei Patris, tum nō habitat in templis manufactis, nec est quærendus in hostia aut in pixide: at verum prius: ergo & posterius. Consequentia maioris probatur, quia Scriptura distinguit cælum à terris, & Deum in cælo habitare ait, non in templis: ergo Christi humanitas ad illam sublimem sedem euecta, non est in hostia aut pixide quærenda. Etsi est Deus vbiq;, tamen Prophetæ docent sedem Dei in cælo esse: & credimus Christi corpus in illa sede collocatum esse: nō ergo Christus in his terris nunc habitat: si enim habitaret, tunc sedes Dei & gloria esset in terris: at Scriptura ait esse in cælis: ibi ergo est Christus quoad humanitatem. Quare Gardinerus aliter coactus est respondere, quam hic Bellarminus, nempe Christum non habitare in pixide, sed adesse in Sacramento, non secundū sedē habitationis, q̄ in cælo est, sed secundū dispensationē. Sed inepte: nā, 1. tempus dispēsationis, quæ detrahit & tollit aliquid de maiestate & gloria Christi, iam præteriit: Christi corpus non potest non sedere nunc ad dexteram Patris, id est, non potest non esse gloriosum: nulla dispensatio nunc est admittenda, quæ cum hac gloria pugnet. Christus nunc non habet corpus, nisi gloriosum: ergo vbi Christus, ibi gloria. 2. Nos de reali præsentia agimus, quam quocunque modo intellexeris, siue secundum sedem habitationis, siue secundum dispensationem, necesse est talem esse, quæ fidei articulis conueniat: non autem conuenit, vt Christi corpus sit in terris, aut spatio tam exiguo inclusum: vbicunque aut quomodocunque sit, oportet esse verum corpus hominis, & propterea non contineri alicubi inuisibiliter: hoc enim pugnat cum naturâ veri corporis. Sed præterea Petrus Martyr deducit hoc argumentum ad absurdum in hunc modum: Christi corpus est in cælo: & Christi corpus est in Sacramento Eucharistiæ: ergo Sacramentum Eucharistiæ est in cælo. Gardinerus respondet, esse in hoc

Act. 17. 27.

Pet. Mart. vbi supra. obiect. 48.

hoc syllogismo quatuor terminos: Petrus Martyr negat, & ait non nisi tres esse nempe corpus Christi, existens in cælo, existens in Sacramento. Sed Bellarminus verum esse ait, quod Gardinerus respondet, de quatuor terminis: nā aliud est, inquit, Sacramentum, aliud, quod est in Sacramento: conclusionem igitur, ergo Sacramentum Eucharistiæ est in cælo, non recte inferti, sed hanc debere esse cōclusionem, ergo aliquid existens in Sacramento est in cælo, & id esse verum. Sed Martyr syllogismum expositoriū esse ait, Hoc corpus est in cælo: Hoc corpus est in Eucharistia: ergo Eucharistia est in cælo. Et necessariò sequitur hoc argumētum: simile enim est huic: Christus fuit natus ex Maria: Christus fuit natus Bethleem: ergo fuit Maria Bethleem. Quis hoc bonum argumentum esse negauerit? Si Christus & nasci Bethleem debuit, & ex Maria; tum necesse est Mariam fuisse Bethleem: Sic si corpus Christi in cælo sit, idemque simul in Eucharistia, quia vnum corpus non potest esse in locis tam remotis quam cælum est à terris, oportet aut cælum esse in Eucharistia, aut Eucharistiam esse in cælo, idque propter veri corporis naturam. Nam certè non sic se habet in natura diuina: non enim sequitur, Deus est in cælo: Deus est in terra: ergo terra est in cælo: nam hæc natura est vbique: sed corpus non nisi in vno loco est.

Idque sic Martyr docet: Si corpus Christi in cælo sit eodem tempore sine Sacramento, erit & cum Sacramento, & sine Sacramento: at hæc est contradictio. Bellarminus negat, quia vtrumque est affirmatiuum; esse cum Sacramento, & esse sine Sacramento. Sed esse in Sacramento, & non esse in Sacramento, est contradictio: at Christi corpus est in Sacramento, & non est, si Eucharistia non sit in cælo. Nam si quis corpus illud Christi in cælo demonstret, & dicat, Hoc corpus nō est in Eucharistia, is verum dicet: nam alias corpus gloriosum erit in Eucharistia, quod non concedunt; aut vnum idemq; corpus simul erit gloriosum, & nō gloriosum; quod implicat contradictionem: nam hoc corpus significat corpus cum suis indiuiduis proprietatibus: quicquid ergo in hoc corpore ineſt, id debet in Eucharistia esse, si ibi idē corp⁹ sit: ergo Eucharist. debet ad dexterā Dei sedere, & esse plena maiestatis: q̄ & alio syllogismo demonstrat Petrus Martyr in hunc modum: Omne corpus Christi, vel, quicquid est corpus Christi, est in cælo: at Eucharistia est corpus Christi: ergo Eucharistia est in cælo: nō nunc de corpore mystico loquor, id est, de Ecclesia militante, quam Bellarminus non esse in cælo ait, sed de proprio & naturali Christi corpore. Siue dicas, omne corpus Christi, siue corpus Christi, erit propositio vniuersalis, & sic syllogismus erit in prima figura: nam omnis Petrus, & Petrus, idem est, si de vno homine loquamur, vt concedit Bellarminus: si corpus Christi,

& omne corpus Christi, est idem. Sic igitur disputo: Corpus Christi est in cælo: Eucharistia est corpus Christi: ergo Eucharistia est in cælo.

Iam Bellarminus assumptionem negat: esse enim corpus Christi in Sacramento ait, sed Sacramentum nõ esse corp⁹ Christi. Sed hoc absurdè & miserè ab illo dicit. Quid ergo est Eucharistia? num species aut accidentia? at Christus dixit, *Hoc est corpus meum.* Deinde obiicimus illud Augustini, non dubitauit Christus dicere, *Hoc est corpus meum,* cum daret signum corporis sui: ipsi verò dicunt, idem esse signum & rem: Eucharistia est signũ: ergo & res. Sed Eucharistia non est externum Sacramentum, sed multo magis ipse Christus: verè igitur Eucharistia dici potest Christi corpus ipsum: quare si sit Christi corpus propter realem præsentiam, tum Eucharistia est in cælo, quia Christi corpus ibi est. Sed esto: nõ dicamus Eucharistiam esse corpus Christi, sed contentum sub illis speciebus. Sic igitur disputo: Corpus Christi est in cælo: contẽtum sub specie panis est corpus Christi: ergo contentum sub specie panis est in cælo. Nullam hic propositionem negare possunt: nõ maiorem, Christi corpus esse in cælis; nec minorem, contentum sub specieb. panis esse corpus Christi: omnia ergo concedant necesse est: ergo illud singulare corpus, q̃ sub specie panis latet, est in cælo. Si sic, tum panis est in cęlo: nam illud singulare nõ continetur sub specie panis, si sit extra eam speciem: at est extra, nisi panis sit in cælo, vbi est contentum sub specie panis. Deus quidem, quia est in cælo & in terra simul, non dicitur contineri aut ibi, aut hic, quia tum non esset in alterutro: quare si Christi corpus in cælo continetur, non est in Eucharistia; si in Eucharistia, non est in cælo: at dicunt Christi corpus contineri in specie panis, & sanguinem in poculo: ergo nusquam hæc sunt nisi hic: quare contentum sub specie panis non est in cælo.

Secundum nostrum argumẽtum sumitur ex verbis Christi Matth. 15. *Omne quod in os ingreditur, in ventrem cedit, & in secessum eijcitur:* at Christi corpus nõ emittitur in secessum, sed solus panis: ergo non intrat corpus Christi in os, sed solus panis. Bellarminus respondet *primò*, cum Algero, oportuisse ad huiusmodi argumenta aures obturare.

2. *Matth* 15. 27.

1. *Alger. l. 1. cont. Berengar.*

Respondeo: Si quid in argumento sit, quod pias aures meritò offendat, illorum esse culpam, ex quorum sententiâ necessariò consequitur, vt homines in tales cogitationes & sermones prorumpant.

Cum enim Christus Apostolos defendens, quod nõ lauerint se priusquam ederent, iis verbis vsus sit, *Nondum intelligitis, quicquid ingreditur in os, in ventrẽ cedere, & in latrinã eijci?* ex eo statim infertur, Christi corpus non in os & stomachum intrare, quia nefas est tale aliquid, quale illud est, quod sequitur, de Christi glorioßissimo corpore somniare:

niare: nõ igitur ore nostro editur: nam de omni quod editur Christus hoc pronunciauit, πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα, *Omne quod intrat in os,* vel, *quicquid ingreditur in os,* & apud Marcum, πᾶν τὸ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον εἰς τὸν ἄνθρωπον, *quicquid extrinsecus ingreditur in hominẽ,* non polluere hominem, & ratio sequitur, *quia nõ in cor, sed in ventrem ingreditur:* Christi ergo corpus, etsi ore nostro ederetur, non posset in cor ingredi. Nos ergo verissimè & sanctissimè concludimus, Christi corpus non ingredi in os, nec cedere in ventrem: fundamentum nostræ rationis ex Scripturis est: minor ab Aduersariis negari non potest. Et quemadmodum quod in os ingreditur, non polluit aut coinquinat hominem, sic nec sanctificat. 2. Bellarminus ait, esse inter Catholicos quæstionẽ, de speciebus in stomacho corruptis, sed de ea non nunc disputari.

Marc. 7. 18. 19.

2.

Respondeo: at oportuisse eum nũc de illis respondere. Nam certum est, nulla fieri ex solis accidentibus excrementa, nec posse in latrinam emitti, quia nulla est in eis crassa materia: Sed in Sacramento aliquid est, quod expellitur: ergo est ibi verus panis, verumque vinum, nisi aliam materiam aliquã ostenderint. Sic igitur disputo: Si sola accidentia non possunt stomacho molesta esse, & ideo expulsionem nullam requirunt, tum est aliqua corporalis materia: at verum pri⁹: ergo & posterius. Non autem de corpore aut sanguine Christi hoc imaginãdum est: ergo de substantia panis & vini. 3. Respondet Bellarminus, corpus Christi intrare in os, sed corruptis in stomacho speciebus desinere ibi esse sine vlla sui læsione.

3.

Respondeo: Sed quid tum in secessum abit? certum est, accidentia sine subiectis non posse corrumpi, nec posse à manu in os, ab ore in stomachum, à stomacho in secessum transire, quia in accidens nil potest agere si sit abstractum: sola accidentia nil pati possunt: quia quod patitur, debet esse substantiale. 4. Bellarminus ait, Dominũ loqui de cibis qui sumuntur ad alendum corpus: sed corpus Christi ad animam alendam, non ad corpus sustentandum sumi. *Respondeo:* Christus in genere de omni cibo loquitur, q̃ in os imittitur; & non refert quorsũ cib⁹ sumatur: nam q̃ sumunt ad sanitatẽ non ad alimẽtũ, quia tamẽ in os immittũtur, & in ventrem ingrediuntur, necesse est vt in secessum transeant: non igitur hoc verum est dumtaxat in cibis corporalibus, sed omnino in omnibus, quæ in stomachum deiiciuntur, quæ non possunt ibi perpetuo hærere, sed quærũt exitum. Et quanquam non accedunt ad Eucharistiam Christiani, vt alant corpora, neque in hunc finem sumitur Eucharistia, vt corpus nutriatur; tamen certissimum est corpus ali Sacramento: aliâs non esset analogia & similitudo inter Sacramentum & rem Sacramenti: quare Sacramento corpus, re animam nutriri oportet. Et omnes intelligunt hominem posse viuere solo

4.

pane consecrato,& solo vino consecrato,si tantùm sumat, quantum sufficiat ad sustentandam vitam: q̃ non fieri posset,si nil in Sacramento nutrimenti esset. Si quis solo pane consecrato & vino vtatur,nõ panem meliorem, aut vinum melius desiderabit, si modò sumat, quantum satis est. Et potest sacerdos,si velit non vnum panem tantùm, sed & totum pistrinum,nec vnum poculum, aut vnum haustũ tantùm,sed & totam cellam vinariam consecrare.

Guitmund l. 2. cont. Berengar. Guitmundus,qui scripsit cõtra Berengarium,ait quosdam sanctos Patres, nullum aliud eduliũ sumpsisse, sed sola communione Dominica saginatos vixisse multos annos: accidentia verò nunquam saginabunt. Quare esse aliquid in Sacramento, quod nutriat,manifestum est: ergo quod in secessum abeat: non ergo materia Sacramẽti est corpus Christi. 5. Bellarminus ait, Dominum post resurrectionem comedisse,non ad nutriendũ corpus, sed ad testandam resurrectionem, & corporis sui veritatem: & nihil emissum fuisse in secessum.

Gardiner. ad obiect. 88. Sic Gardinerus conatur multis exemplis Christi sermonem arguere falsitatis: ait enim multos comedere,& non posse expellere, & inde mori;aliquos cum cupiant cibum in stomachum dimittere, eum læthaliter dimittere in pulmones, quosdam gargarismo reiicere quod hauriunt; quosdam ora tantùm diluere,tum expuere; Demosthenem verò lapillos in ore tenuisse, vt pronunciationem suam emendaret. Sed quorsum ista? Christus loquitur de cibis, qui transmittuntur εἰς γαστέρα, *in ventrem*:si expuantur,aut in pulmones dimittantur,nõ εἰς γαστέρα,i.*in ventrem* abeunt. Demosthenis lapilli, quos in os iniecit,si in stomachum dimissi fuissent, non multum eius aut pronunciationem,aut valetudinem iuvissent. At Sacramentum verè in stomachum dimittitur, ex eoq; aliquid excernitur (vt Christus de omnibus cibis ait) quod in latrinam eiicitur: blasphemum autem est Christi corpus eiici: ergo panis est,qui in stomachum dimittitur,& in latrinam eiicitur. Præterea Christus non loquitur de corporibus immortalibus aut angelis,qui interdum edisse legũtur; nam hoc fuit miraculosum: sed loquitur Christus de corporib. mortalibus, qualia nostra sunt, qui ad Eucharistiam accedimus. Si accidentia sine substantia nutriãt nostra corpora & eiiciantur, id non sine miraculo fit: at tam multa miracula fingere, est ineptissimum. Non est ergo exemplum aptum de Christo post resurrectionem comedente: nam miraculosè cibus ille non nutriebat.

Damascenus hac de re sic scribit, ἐγένσατο βρώσεως μετὰ τὴν ἀνάστασιν, ἀλλ' ἐ νόμῳ φύσεως, οἰκονομίας δὲ τρόπῳ; τὸ ἀληθὲς πιστώσων τῆς ἀναστάσεως. *Gustauit cibum post resurrectionem, non tamen naturali lege, sed dispensationis modo, veritatis resurrectionis suæ fidem faciens.* At Sacramentum nutrit, vt nos antea docuimus. *Damascen. in Grec. cod. c. 05. id est 77. in Latin. l. 4. c. 1.*

cimmus. Tum quorsum Christus in stomachum dimittitur, vt ibi maneat quamdiu accidentia non sint corrupta; tum euanescat, editur enim vt nutriat: & tum aut corpora aut animas nutrit: non corpora,quia non est cibus corporalis, & nostra corpora non possunt verè nutriri corpore Christi, quia tunc Christus in nos mutaretur;quod est blasphemum, & tum nostra corpora essent meliora corpore Christi, quia quod nutritur, semper eo melius est, quod nutrit. Si animas nutriat, tum non ore edere oporteret; nam quod ore editur, tantùm in stomachum dimitti Christus ait: non potest anima,quæ est spiritus,cibo corporali nutriri. Christi verò corpus frustra comedi, impium est: frustra autem comeditur, si nec corpus, nec anima eo nutriatur: neutrum autem propriè nutritur: nam spiritualiter anima nutritur, etsi non edatur ore corpus Christi. Nec hoc Berengatii argumentum est, aut nostrum, sed Origenis,qui ait, *cibum sanctificatum; iuxta id quod habet materiale, in ventrem abire, & eiici in secessum:* vbi etiam Sacramentum vocat *typicum & symbolicum corpus Christi*:ergo corpus Christi non est materia Sacramenti. *Origen. in cap. 15. Matth.*

3. Duobus argumentis realem præsentiam sustulimus; quorum primum sumptum est ab illa sede, in qua Christi corpus nunc collocatum esse Scripturæ affirmant;alterum à Christi ipsius pronuncia to dicentis, quicquid in os ingreditur, ab ore in stomachum,à stomacho transmitti εἰς ἀφεδρῶνα, *in secessum*, vel, *in latrinam*.

Tertium nostrum argumentum nititur illo Christi interdicto, *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut hic, ne credite*: non igitur credẽdum est Papistis, Christum adesse realiter præsentem mentientibus in his atq; illis altaribus, templis, sacrariis. Sic enim illi in locis infinitis Sacramentariũ suum Christum ostendant: ab iis igitur cauendum est. *Matth. 24. 23.*

Bellarminus 1. ait, Christum monuisse, vt nobis caueremus ab impostoribus,qui se Christi nomine venditabunt. *Respondeo*: nullum vnquam fuisse in mundo tantum impostorem, quantus est Papistarum cibarius Christus. Nam reliqui paucos fefellerunt, nec diu præstigiis suis vsi sunt, sed intellecti sunt breui, certo euentu esse præstigiatores: sed hic transubstãtiatus Christus, cum non nisi merum idolum sit, tamen trecentos iam annos & amplius pro vero Christo habitus est à maxima multitudine Christianorum, & pontificum ac præsulum omni authoritate defensus. Tanto magis cauendum,ne hac fallacia capiamur, quanto ea plus inualuit, & maiores habet ad fallendum oportunitates. Si ergo Christus iussit cauere impostores, qui Christi nomine abusi sunt, hunc in pixide latentem Christum non nisi suppositicium Christum esse manifestũ est. Sed Bellarminus 2. hos impostores describi ait à Christo duab. conditionibus,quæ omnino repugnant

gnant Euchariſtiæ. *Prima* conditio eſt, eos eſſe venturos clanculum, non apertè & manifeſtè, vt
Verſ. 26. patet, inquit, ex illis verbis, *Ecce in deſerto eſt, ecce in conclauibus*; Chriſti aduentus fuit omnibus manifeſtus: at illi occultè venient: iam verò Euchariſtia nõ in deſerto, aut penetralibus, ſed in mediis vrbib⁹, in frequentiſſimis templis, in editis & conſpicuis altaribus conſecratur & aſſeruatur. *Reſpondeo*: 1. Chriſtus nõ modò de deſertis loquitur, & penetralibus, ſed ſimpliciter omnem Chriſti poſt ſuam aſcenſionem in terris monſtrationem cauendam eſſe monet, *Si quis dixerit, ecce hic Chriſtus, aut hic, ne credite*: at Papiſtæ hic eſſe Chriſtum & illic aiunt, vt quocunque ferè te contuleris, aliquem illorum Chriſtum inuenias: Chriſtus autem, vt omnem eius in terris præſentiam corporalem poſt aſcenſionem eius caueamus, nec illum in terris quæramus, nec eius corpus vſpiam eſſe in terris cogitemus; monet non eſſe credẽdum iis, qui eum hic aut
Gardiner. obiect. 9. ibi eſſe dixerint. Rectè enim Gardinerus ait, Chriſtum hæc de ſecundo aduentu ſuo intellexiſſe. Chriſtus enim aſcendens reliquit mundum: igitur ad finem mundi nemo Chriſtum in terris inueniet: non niſi impoſtores ergo ſunt, qui hic in terris Chriſtum demonſtrant, & ſe habere Chriſtum præſentem affirmant. Sic igitur diſputo: Si non eſt credendum iis, qui dicũt, Ecce hic Chriſtus, ecce illic, tum nos Papiſtæ fallunt, qui & hic & illic eſſe dicunt: at Chriſtus diſertè monet, ne talibus credamus: nos igitur Chriſto nõ Papiſtis credamus. Voluit enim Chriſtus nos præmunire, ne fictum Chriſtum pro vero recipiamus: ergo omnes Chriſti in terris monſtratores cauendos eſſe monet: at ſi Chriſti corpus eſſet in terris, ſanè non prohiberet monſtrari. 2. *Reſpondeo*: Papiſtarum etiam Chriſtum eſſe ἐν ταμείοις, id eſt, *in penetralibus*, vel, *in conclauibus*, atque ſic præclarè conditioni huic conuenire. Nã Papiſtæ Chriſtum in ſuis templis diligenter aſſeruant in * cibotio aliquo, vt vocatur, vel pixide, vt eum proferant, quoties opus fuerit, & monſtrent ſpectare & adorare volentibus: ergo Chriſtus quaſi dedita operâ hanc Papiſticã idololatriam deſignauit ἐν ταμείοις: eſt enim ταμεῖον locus, in quo vinum, aut panis, aut frumentum, aut precioſior ſupellex ſeruatur, vt cella, aut promptuarium. Papiſtæ habent ſua ταμεῖα, in quibus Chriſtum ſuum reponunt, & inde depromunt. Nullus vnquam alius pſeudo Chriſtus fuit ἐν ταμείοις: multi in deſertis: ſed Papiſtæ domi ἐν ταμείοις ſuum pſeudo-Chriſtum ſeruant.

* *ciborium alij vocant: vide Horat carm. l. 2. ode 8.*

Iam ſecunda conditio impoſtorum, quos Chriſtus hoc loco deſcribit, eſt, vt obſeruauit Bellarminus, eos venturos eſſe viſibiliter, & more humano loquentes cum hominibus, eos verbis & falſis prodigiis decepturos: ſed Chriſtus, inquit, in Euchariſtia non adeſt viſibiliter, nec more humano, ſed ita ibi eſt, ac ſi non eſſet, quod attinet

net ad iudicium exteriorum ſenſuum.

Reſpondeo: Hinc non eſſe verum Chriſtum pro certo conſtat: nam ſi verus Chriſtus eſſet, ibi eſſet vt Chriſtus, & ſe videndum omnib. præberet, quemadmodum quando in terris fuit: Chriſtus enim nõ fallit aut ludit oculos noſtros. Quia ergo nõ videmus Chriſtum in Euchariſtia, ſed ibi eſt, ac ſi ibi non eſſet; eum ibi non eſſe eo modo quo Papiſtæ volunt, certiſſimè nobis perſuadeamus, id eſt, realiter & corporaliter: nam vt Auguſtinus ait, ſi Chriſtus nunc in terris adeſſet, eum videremus. Sed Chriſtus non modò à viſibilibus, ſed etiam ab inuiſibilibus Chriſtis cauendum eſſe monet, & non modo ab ipſis, qui ſe pro Chriſtis venditant, ſed etiam ab iis, qui Chriſtũ nobis vſpiam in terris monſtrare
Verſ. 23. volũt: *Si quis vobis dixerit*, inquit, &,
Verſ. 26. *Si dixerint vobis*. Et quãquam non non loquitur Chriſtus in Euchariſtia, & ſic illorum Chriſtus eſt & inuiſibilis & mutus, tamẽ illorum ſacerdotes eum nobis commendant, & prædicant, & docent, & perſuadere volũt, vt colamus. Sed caueamus, quia præmoniti ſumus. Igitur ex hoc loco concludimus, nulli prorſus credendum eſſe, qui locum in terris mõſtrat, vbi Chriſtus ſit. Nec refert quod Papiſtæ hoc de Chriſti viſibili præſentia intelligi volunt, cum non minor fallacia, nec minus periculi ſit in Chriſto aliquo inuiſibili: perinde n. eſt, viſibilis ne an inuiſibilis ſit, ſi fictus fuerit. Chriſtus voluit monere, vt à fictis Chriſtis caueamus; Aduerſarii dicunt, viſibiliter venientibus; nos, omnino, ſeu hoc ſeu illo modo venientibus. Non enim minus grande peccatum eſt, ſi quis panem pro Chriſto adoret; quod Papiſtæ faciunt; quàm ſi quis Ben Cocab, aut Theudam, aut Iudam pro CHRISTO adoret; quod Iudæi feciſſe dicuntur. Nos Chriſtum noſtrum Deum & Seruatorem in cælis eſſe credimus, in nullis verò nunc terrenis ſedibus: nullo igitur modo Papiſtis credamus, qui tam multos vbiq; Chriſtos, eoſque inuiſibiles oſtentant.

Si enim corpus viſibile poſſent monſtrare, non tamen illis credere oporteret: nunc quãdo nullum omnino corpus Chriſti monſtrãt, ſed ſolum panem, multo minùs illis credendum eſt. Tum hæc idololatria craſſior eſt, vt quis panem pro Chriſto, quam vt hominem pro Chriſto adoret: rectè igitur Martyr, eſſe idem periculum in occulto, & in aperto pſeudo Chriſto. Sed quia Bellarminus præſentiam Chriſti in Sacramento inuiſibilem defendit, alio argumento Chriſtum omnino non hic eſſe quoad præſentiam corporalem probabimus. 4. igitur argumentũ 4.
noſtrum ſumitur ab illis verbis Chriſti, *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* *Matt. 26. 11.* Mulier Chriſti caput pretioſo & ſuauiſſimo vnguento perfuderat: diſcipuli authore Iuda indignati ſunt, quod tantum vnguenti fruſtra profuſum eſſet, dicentes vendi potuiſſe, & dari pauperibus: Chriſtus

ſtus his verbis fœminæ factum excuſat & defendit; hoc illam piè feciſſe, vt illum ſepeliret: potuiſſe illos pauperibus alio modo conſulere, quos ſecum ſemper haberent, ſed ipſum non ſemper: ergo nunc Chriſtus non eſt corpore in terris. Bellarminus hic multa cõfusè reſpondet: nos ſingula ſigillatim examinabimus. Sic igitur ex hoc loco diſputamus; Si Chriſtus dixit, *Me non ſemper habebitis*, tum nunc à nobis corpore abeſt, & ſic illi errant, qui corporalem eius in Sacramento præſentiam ſtatuunt: at verum prius: ergo & poſterius.

1. Bellarminus 1. reſpondet, Chriſtum loqui de præſentia viſibili, & tali obſequio indigente, quale hęc mulier præſtitit, vngens corpus eius, quod erat laboribus defatigatum, vt refocillaret: Chriſtum non ſic in Euchariſtia adeſſe. *Reſpondeo*: 1. Chriſtum ſimpliciter locutum eſſe, & dixiſſe, *Me non ſemper habebitis*: ergo hoc voluit, ſe non fore ſemper nobiſcum. Aduerſarii nos Chriſtum ſemper habere aiunt: Chriſtus idem negat: vtrum his an illi credamus? Non ait Chriſtus, Non ſemper me videbitis, ſed me non ſemper ἔχετε, *habetis*: Papiſtæ etſi non vident Chriſtum, ſe tamẽ ἔχειν, id eſt, *habere* Chriſtum affirmant & credunt: neque ait Chriſtus, non ſemper indigebo tali obſequio, quale mihi exhibuit hæc mulier, ſed ſimpliciter negat ſe fore præſentem, *Me autem*, inquit, *non ſemper habebitis*. Hoc eſt Scripturas omnino peruertere, cum Chriſtus ſe ait omnino abfuturum, non niſi de abſentia viſibili interpretari. 2. Si Chriſtus in Euchariſtia non indiget tali obſequio, cur Papiſtæ Euchariſtiam ornant auro, argento, & ſuffitu, aliiſque rebus pretioſis, & putant hæc ad Chriſtum pertinere? 2. ergo reſpondet Bellarminus, duplex eſſe obſequium, honoris, & vtilitatis; & illud Mariæ obſequium fuiſſe vtrumq;: Chriſtum verò nunc nullo obſequio vtilitatis egere, ſed tãtùm obſequii honoris capacem eſſe. *Reſpondeo*: Chriſtum ſe pauperibus opponere: *Pauperes*, inquit, *ſemper habebitis, me autem non ſemper*: non ergo tantùm negat ſe poſſe poſtea obſequio vtilitatis honorari, ſed & ſumptus. Nam irati diſcipuli erant, non quod oleum non fuerit pauperibus erogatum, ſed quod non venditum fuerit, & precium eius pauperibus diſtributum: Chriſtus ergo ait, fore pauperes perpetuo, in quos ſumptus magnos erogemus, quando voluerimus, ſed non ipſum nobiſcum perpetuo futurũ, vt in eum ſumptus impenderem?: at niſi perſuaſi eſſent Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia, non ei aurum, non thus offerrent, non alios grandes in Euchariſtiam ſumptus impenderent: ergo ſumptum in eũ vt in pauperes impendunt: Chriſtus verò non magis nunc auro quam vnguento eget. Sanè aurum & argentum, quo illi Chriſtum in Sacramento honorant, vendi poſſet, & dari pauperibus: Chriſtus enim ait nullum ſumptum poſſe in eius corpus nunc fieri, qui poſſit pauperibus conuenire.

2.

Quàm

Quàm autem illi multa in illud imaginarium corpus impendunt? & certè ſi Chriſtus in terris ſit, impij ſimus, niſi & illum honore proſequamur, & ei vnguenta & aurũ conferamus: ſed Chriſtus ait, poſtquam in cælos abierit, ſe nihil eiuſmodi poſtulaturum: quare negat vllas tales impenſas poſſe nunc in corpus ſuum conferri. 3. Bellarminus ait, illam fœminam Chriſto viſibiliter præſenti obſequiũ præſtitiſſe: id nos nunc non poſſe: nihil enim nunc poſſe viſibiliter in Chriſtum conferri.

3.

Reſpondeo: Chriſtus loquitur ἁπλῶς, 1. *ſimpliciter, Me nõ ſemper habebitis*. Hæc Papiſtica p̃ſentia eiuſmodi eſt, vt eis obſeq̃is indigeat, quibus nos proſequi pauperes ſolemus: id autem Chriſtus futurum negat: omnem igitur eius corporalem præſentiam nobis ademit. Nec refert q̃ non videmus Chriſtum, ſi modo certũ ſit, Chriſtum hic adeſſe: nunquam enim noſtra in Chriſtum præſentem officia deeſſe debent. 4. Bellarminus ait, Si noſtrum argumentum valeret, Chriſtum ne in cælo nunc eſſe.

4.

Quare, quæſo? quia Chriſtum, inquit, etiam in cælo exiſtentem poſſumus auro, argento, ſuffitu honorare. *Reſpondeo*: Fateor hunc ornatum, qui in cultu Dei adhibetur, aliquo modo ad Chriſtum pertinere; quia noſtrum pium affectum erga Chriſtum indicat. Sed tamen poſſemus etiã ſine eo Chriſtum piè colere: imo hæc ornamẽta interdum poſſunt vendi, vt proſint pauperibus: quod fieri non poſſet, ſi Chriſtus in terris adeſſet: omnibus enim pauperibus Chriſtus eſſet anteponendus. Si hæc referuntur ad Chriſti corpus præſens, non poſſunt in alium vſum conuerti, quamdiu adeſt Chriſtus.

5. Bellarminus ait, non adhiberi ſuffitum, vt nares Chriſti oblectemus, nec aurum, vt oblectemus oculos Chriſti corporales. Cur igitur? adhibemus, inquit, iſta extrinſecus ad ſpecies panis & vini, vt pium noſtrum affectũ erga ipſum teſtemur. *Reſpondeo*: Abſurdum eſt, vt ſuffitum & aurum ad accidentia referamus, quæ nec aurum ſpectare, nec ſuffitum odorari poſſunt. Hoc planè idololatricum eſt, iſtis officiis proſequi non modò res inanimatas, ſed & nudas rerum ſpecies: neceſſe igitur eſt, vt hæc omnia ad Chriſtum referantur: aliàs idololatria inſaniſſima eſſet, ſpecies pro Chriſto iſto honore proſequi.

5.

Quis non videt malè agi cum Bellarmino, qui nõ aliter noſtrum argumentum diluere poteſt, niſi vt dicat hunc ornatum & ſumptum ad ſpecies panis & vini pertinere? Sed quis in illas ſpecies & ſpectra vel vnum obolum impenderet, niſi propter Chriſti corporalẽ præſentiam, quam illi ſibi opinionis ſuæ errore fingunt? tenetur igitur hic Bellarminus, ſic vt ſe commouere nequeat. Sic enim diſputo: Si iſta omnia à Papiſtis fiunt propter Chriſtum corporaliter præſentẽ, tum hoc apertè pugnat cum Chriſti verbis, *Me non ſemper habebitis*, id eſt, Ego non ſemper adero, vt in

me præsentem tales sumptus impendatis, quales pauperibus impendi solent: at illa omnia propter Christum præsentem fiunt: ergo hoc cum Christi verbis apertè pugnat. Minorem probo, quia insaniſſimum esset, hæc propter ſpecies fieri: & ſi ad ſpecies referantur, tamen ideo referuntur, quia Christum continent: ita eodem reuoluitur: nam hi ſumptus pertinent ad Christi corpus præsens: φ cum Christi verbis stare non potest.

6. Sed Bellarminus, 6. ait, Christum laudantẽ factum Mariæ docuisse cultum ſui corporis anteponendum esse aliquando eleemoſynis in pauperes. *Reſpondeo*: Hoc verum est, ſi Christus præsens corpore ſit: ſemper enim Christus pauperibus anteferendus. Ideo rectè Maria fecit, quod in Chriſtũ potius quam in pauperes hoc vnguentum contulit, & malè Apoſtoli, quod contra murmurabant; ſed Chriſtus, quod illa fecit, non posse postea fieri ait. Et hic ſatis oſtendit Bellarminus, hunc cultum non ad ſpecies, ſed ad Chriſti corpus referri; ait enim cultum corporis Chriſti esse. Nos ornamenta in cultu diuino non improbamus, imo cum Theophylacto dicimus, eos Iudæ ſimiles esse, qui eadant pauperibus, cum possint eis aliter proſpicere. 7. Bellarminus obiicit locum ex Luca, *Hæc loquutus ſum vobis, dum adhuc eſſem vobiſcum*: tamen cum illis tum fuit Chriſtus, ſed ait ſe non esse iam cum illis, quia non versabatur ampliùs cum eis more humano, licet verè & viſibiliter adesset: quanto magis dicere possumus, inquit, Chriſtum nunc non esse nobiſcum iuxta illud; *Me autem non ſemper habebitis*, cum non modò non verſetur nobiſcum more humano, ſed ne adſit quidem viſibiliter? *Reſpondeo*: Non negat Chriſtus, ſe cum Apoſtolis tunc fuisse: imò præsentiam ſuam multis modis declarauit: edebat enim & loquebatur cum illis, & corpus ſuum illis palpandum & tractandum præbebat, & illi videbant eum: ſed non ſic perpetuo & aſſidue cum illis verſabatur, vt priusante mortem. Quare cum Petro Martyre concludimus, Si Chriſtus ſit in Euchariſtia corporaliter, tum contraria ſententia erit vera, *Pauperes non ſemper habebitis, me autem ſemper*: nam pauperes non niſi in hac vita habemus: Chriſtum & in hac & in futura vita. Sed Bellarminus ait, hanc non esse contrariam ſententiam, ſed ambas esse veras, ſi de diuerſo modo præsentiæ intelligantur.

Theophylact. in c. 14. Marci.

7. *Luc. 24. 44.*

Reſpondeo: Chriſtum non loqui de diuerſo modo præsentiæ, ſed ſe omnem ſuam præsentiam corporalem nobis ablaturum innuit: alias ſecum pugnaret. Et ſi Chriſtus corpore præsens esset, nos eius corpus videremus: cum enim corpus ſit, est aſpectabile; & coram nobis positum posset videri, niſi aliquod impedimentum ſit. Sed quid, quæſo, impedimenti est? estnè impedimentum in oculis noſtris? at cætera omnia videmus, menſam, ſacerdotem, ſpecies: quid ergo

ergo cauſſæ est, quòd Chriſti corpus non videmus? num in corpore Chriſti est aliquid impedimenti? at certè niſi φάσμα, aut φάντασμα ſit, potest videri: num ſpecies non ſinunt? at cum nudæ ſpecies ſint, nec aliquid ſpiſſum aut craſſum habeant, neceſſe est, vt aere rariores, & quouis vitro pellucidiores ſint, nec aliquid in ſe habeãt, quod poſſit obtutum oculorum noſtrorum impedire. Dicunt illi quidem Chriſti corpus veſtitum esse ſpeciebus panis: ſanè ego optarem illis non meliorẽ veſtitum tempore hyemis. Sed de his poſtea. Nunc argumentum noſtrum Auguſtini teſtimonio cõfirmamus, qui illud, *Me non ſemper habebitis*, de præsentia carnis vult intelligi. Bellarminus ait, Auguſtinum per præsentiam carnis intelligere viſibilem Chriſti in terris πολιτείαν, more humano inter homines conuerſantis.

Auguſtin. in tr. 50. in Ioan.

Reſpondeo: Auguſtinus per carnem, ipſam naturam humanam, & per preſentiam carnis, corporalem præsentiam intelligit. Nam conatur hos duos locos reconciliare, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, &, *Me aũt non ſemper habebitis*, & ait illũ locũ de præsentia maieſtatis; hunc de præsentia carnis intelligi. Sed Auguſtini ipſius verba audiamus, qui in interpretatione horum verborum apud Ioannem, *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*, in hunc modum ſcribit, *Loquebatur de præſentia corporis ſui. Nam ſecundum maieſtatem ſuam, ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffabilem & inviſibilẽ gratiam* (non ait ſecundum carnẽ) *impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Secundum carnem verò, quam verbum aſſumpſit; ſecundum id quod de virgine natus est; ſecundum id quod à Iudæis comprehenſus est; quod ligno confixus; quod de cruce depoſitus; quod linteis inuolutus; quod in ſepulchro cõditus; quod in reſurrectione manifeſtatus; non ſemper habebitis me vobiſcũ*: vbi manifestè de naturâ Chriſti corporea loquitur. Addit mox: *Quare? Quoniam conuerſatus est ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & eis deducentibus videndo non ſequendo aſcendit in cælum, & non est hic. Ibi enim ſedet ad dexteram Dei Patris, & hic est: non enim receſſit præſentia maieſtatis.* Est ergo Chriſtus & ibi, id est, in cælo, & hic, id est, in terris: ibi ſecundum præsentiam carnis, hic (non ſecundum præsentiam carnis inuiſibiliter) ſed præsentia maieſtatis, id est, diuinitatis. Et ſtatim ſubiungit Auguſtinus; *Secundum præſentiam maieſtatis ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis rectè dictum est diſcipulis. Me autem non ſemper habebitis.*

Matth. 28. 20.

Matth. 26. 11.

Ioan. 12. 8.

Sed Bellarminus ait, Auguſtinum nõ tacuisse p̃ſentiam Chriſti in Euchariſtia: nam Chriſtum ait adesse tribus modis, *per maieſtatem, per prouidentiam, per ineffabilem & inuiſibilem gratiam*; & ſub hoc vltimo membro ait Bellarminus includi præsentiam CHRISTI in Euchariſtia

ristia etiam Calvino teste. *Respõdeo*: Sane Caluinꝰ Christum in Eucharistia fidei nostræ præsentem esse ait.

Sed Bellarminus hoc refellit, quia Augustinus supra distinguit Eucharistiam ab apprehensione Christi per fidem. *Respondeo*: Augustinus ait, Christum nunc haberi per fidem, per cibum & potum altaris: sed hoc non de carnali præsentia intelligitur; nam tum & in signo crucis & in Sacramento Baptismi carnaliter præsẽs esset Christus, quia Augustinus & in his Christum haberi ait. Sed hæc Augustinus ait, cum CHRISTI verba metaphoricè exponit: postea verò accedit ad aliam expositionem, & tum quomodo Christus præsens & absens sit, aliter docet. Sic idem Augustinus alibi, *Semper quidem diuinitate nobiscum est, sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus.* Et adhuc alibi, *Ibat per id quod Homo erat: manebat per id quod Deus erat.* Ergo nulla potest inuisibilis esse corporis Christi præsentia: nam si adsit, visibile erit secundum Augustinum. Similiter Cyrillus ait, Christum adesse virtute Spiritus, sed abesse præsentia carnis.

Augustin. serm. 60. de verb. Domini. Idem tract. 78. in Ioan.

Cyrill. l. 10. c. 38. in Ioan.

5. *Quintum* nostrum argumentum ex illis Scripturis sumitur, quæ disertam mentionẽ faciunt de Christi ascensione in cælos, & permansione ibidem; quæ quia de eius corporali præsentia necessario intelligi debent, non esse illum alibi, quam in cælis corporaliter, euincunt. Marc. 16. ὁ μὲν οὖν Κύριος μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, *Dominus igitur postquã loquutꝰ fuisset eis*, i.e. Apostolis, *sursum receptus est in cælum.* Act. 1. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, *Et cum hæc dixisset, aspicientibus ipsis*, id est, Apostolis, *eleuatus est.* Act. 3. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, *Quem oportet cælo capi vsque ad tempora restitutionis omnium* &c. Philipp. 3. ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, *Nostra conuersatio est in cælis, vnde etiam Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum.* Et sunt eiusmodi multa testimonia, quæ de eius corporali absentia testantur, nec illum modo esse in cælis nunc, sed & inde rediturum statuunt. Nos igitur rectè clamamus, Papistas destruere vnum articulum Symboli: neque efficiet vnquam Bellarminus, vt non verissimum hoc sit. Si enim Christus corpus suum terris abstulit, & in terras non nisi in fine mundi reuersurus esse creditur, tũ falsæ omnes illorum opiniones sunt de eius inuisibili præsentia in terris: at verum prius: ergo & posterius.

Marc. 16. 19.

Act. 1. 9.

Act. 3. 21.

Philipp. 3. 20.

Bellarminus 1. ait se fateri, Christum quoad humanam naturam ascendisse in cælum, ibique nunc esse, nec ante iudicii diem descensurum: sed negat consequentiam, non esse ideo in Eucharistia; & rationem reddit, quia vt sit in Eucharistia, non ei necessariò deserendum cælum, aut descẽdendum motu locali. *Respondeo*: Hæc responsio manifestam contradictionem con- 1.

tinet: Christus in cælum ascẽdit, nec ante diem iudicii descendet, & tamen est in Eucharistia. Nam Christus reliquit terras; & quando ascendit, nõ corpus suum post se reliquit, sed secum abstulit: quæro igitur quo pacto fieri possit, vt illud corpus in Eucharistia sit: aut enim descensione, aut noua eiusdem creatione opus est: corpus verò Christi non potest nouum creari: tum enim aut ex materia aliqua, aut ex nulla creatur: si ex aliqua materia; ex qua tandem nisi ex carne virginis? nam corpus creatum ex pane, & corpus creatum ex virgine non potest esse idem numero: at Christus nõ nisi vnum idemque numero corpus habet; non potest autem idem numero esse, quod ex materia diuersa fit. Si dicant ex Christi corpore in cælo fieri corpus in Eucharistia; tũ corpus Christi ex corpore Christi fit: & tunc aut totum corpus descendere oportet, aut aliquid inde decidi: at horum vtrũq; absurdum. Si ex nulla materia fieri dicãt, tum panis nõ transubstantiatur in corpus Christi: quod tamen illi affirmant. Sed vtcunque hic sit, motu locali adest: nam corpus non potest esse in loco, vbi ante non fuit, sine motu locali: at Christi corpus est in loco, vbi ante non fuit: ergo motu locali ibi sit necesse est. Nam si noua creatio ab illis statuatur, q̃ nõ requirat motum localem; tum necesse est hoc corpus diuersum esse ab eo quod est in cælis: nam vt est loco distinctum, & tantùm spatium est inter Eucharistiã & Christum in cælis, quantum inter terras & cælum, sic numero diuersum est, quia loca diuersa cõtinent corpora diuersa. Corpus Christi est in cælo: panis qui transubstantiatur est in terra: quare si panis conuertitur in Christi corpus, quod ante in cælo actu fuit; trahi oportet ad id in quod conuertitur: & sic panis substantia in cælum raperetur, aut necesse est esse nouam generationem & creationem corporis: sed corpus ϕ est semel generatum, non potest iterum generari. Atque hoc est, quod Angelus ait, *Non est hic, sed surrexit*: ex quo colligimus, corpus Christi non esse nisi in vno loco. Sin. resurrectio arguit corpus Christi non esse ibi, vbi iacuit, tũ ascensio arguit, nõ esse ibi, vnde ascendit. Angelus ait, non esse ibi, quia surrexit: ergo eius corpus nõ potest esse vbi iacuit: non ait modo, surrexit, sed, non est hic: resurrectio igitur fecit, vt eius corpus non esset in sepulchro: sic ascensio, vt non sit in terris. Ergo vt angelus dixit, quia surrexit, non est hic: sic nos multo magis dicere possumus, quia ascendit, non est hic: maius enim spatium est inter summos cælos & terram, quam inter terræ superficiem & sepulchrum: & quẽadmodum sepulchrum deseruit, quando resurrexit, sic terras quando ascendit: & proinde non potest esse iterum in terris, nisi vt cælum deserat. Sic Fulgentius, *Christus est homo localis ex homine*: ergo est loco circumscriptus: non ergo aut vbique est, vt Lutherani volunt, aut in Eucharistia vbique sine locali-

Luc. 24. 6.

Fulgentius l. 2. ad Thrasimund.

tate, vt Papistæ statuunt. Sed forsan localis est Christus, & tñ tum in cælo, tũ in Eucharist. Imo Fulgent. addit, *Secundũ humanam substantiam absens cælo, cum esset in terra, & dereliquens terram, cum esset in cælo.* Nota hoc non de diuerso modo, sed de ipsa substantia dici: ergo substantia humana Christi si sit in Eucharistia, deseruit cælum. Sic Vigilius, *Quando in terra fuit, non erat vtique in cælo: & nunc quia in cælo est, nõ est vtique in terra.* Sed forsan vtrobique esse potest. Imò Vigilius ait, *Vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa: diuersum autem est*, ait, *circumscribi loco, & vbique esse.* Si ergo Christus in cælo est, vt in loco, corpore, tum corpus eius non potest esse in terris, quia vna natura non potest loco circumscribi, & vbique esse, id est, non circumscribi loco. Sic Augustinus, *Ibat per id, quod homo erat, & manebat per id, quod DEVS erat: ibat per id, quod vno loco erat, manebat per id, quod vbique erat*: vbi AVGVSTINVS disertè, naturam Christi, quæ non est vbique, id est, corpus Christi, non nisi in vno loco esse affirmat. Nos igitur rectè dicimus, Christum in cælo esse quoad corpus: ergo non hic. Sed Bellarminus 2. respondet, Christum apparuisse Paulo, & Petro, cum ei dixit, *Vado Romam iterum crucifigi*, & aliis Sanctis frequẽter, & tamen nõ deseruisse cælum. *Respondeo:* Quod de Petro & aliis Sanctis ait, non nisi meram fabulam esse. Paulo quidem apparuit Christus, sed non dicitur tum fuisse in terris, aut extra cælum, quãdo cum Paulo collocutus est. Fuit quidem Paulus circumfusus luce cælesti, & vocem audiuit: sed Christum nec vidit, nec audiuit in terris: potuit Christus è summis cælis ipsius auribus intonare, vt ei non necesse fuerit è cælo deuenire. Nã & Stephanus Christum vidit, at nõ in aere, aut in terra, sed in cælis stantem. Tum si Christus se Paulo extra cælum ostendit, certè tum in cælo non fuit: sed illud probabilius est, Christum nunquam reliquisse cælum, propter illa Petri verba, *Quem oportet cælo capi vsque ad tempora restitutionis omnium.* Sic ipsi visum est, non cælos relinquere, vsque ad consummationem mundi.

Vigilius l. 4. cont. Eutych.

Augustin. tract. 78. in Ioan.

2.

Act. 9.3.4.

Act. 7.56.

Act. 3.21.

3. Sed Bellarminus 3. respondet, potius hic agi de articulo omnipotentiæ, quam ascensionis; vtrum si ilic Christus possit se in pluribus locis constituere. *Respondeo:* frustra de omnipotentia quæri, nisi prius de eius voluntate constiterit. Nam ineptè quis sic disputauerit: Christus se in pluribus locis constituere potest: ergo hoc facit. Et tamen cum hic contradictio sit, Christus hoc non potest. Cum enim eius corpus sit finitum & circumscriptum, vt simul sit non finitum & non circumscriptum, contradictio est: non potest ergo Christi corpus esse in Eucharistia, quia tum erit non circumscriptum. Sed Bellarminus ait, se velle hac de re suo loco disserere. Iam igitur cum Calvino in hunc modum disputo: Iussi sumus Christum expectare è cælis; non ergo in terris quærere.

Bellar-

Bellarminus respondet: Expectare iubemur, vt veniat cum gloria è cælis, reformaturus corpora nostra, & mundum iudicaturus: cum qua expectatione, inquit, non pugnat inuisibilis præsentia ad nos interim reficiendos. *Respondeo:* Inuisibilitas cum gloria pugnat: nam gloria est omnibus manifesta. Sed Scriptura vt nullum Christi corpus nunc nisi glorioſum agnoscit, ita nusquam esse nisi in cælis statuit, quia inde venturum iussi sumus expectare.

Act. 1.11.

Si a. Christi corpus in Eucharist. sit, nõ potest in terras venire quia nihil potest venire illuc, vbi est. Ita nunc alius articulus fidei periclitatur, nempe articulus de aduentu Christi ad iudicium. Aduentus autem non intelligendus est de gloriæ manifestatione, sed de Christi hominis aduentu. Oportet quidem gloriosè venire, quia inseparabilis est gloria ab eo: sed aduentus est naturæ humanæ. Nam Act. 1. Christum ascendisse legimus; sed non ad gloriam venit nisi post ascensionem: at Angeli eum sic descensurum affirmant, vt viderant Apostoli ascendentem. Hoc de corporali aduentu intelligendum est, quia non illum in gloria conspexerunt Apostoli: ergo realis tunc descensus erit, nec prius: non ergo hic realiter adest. Sed id Bellarmino debemus, quod verba Petri, *ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, Quẽ oportet quidem cælo capi, &c.* de Christi in cælis commansione intelligit: Luthetani ergo nimium peruicaces, qui non cælum recepisse Christum, sed Christum recepisse cælum affirmant; quasi corpus Christi cælo amplius sit. Sed interim de loco, qui habetur Philipp. 3. nihil respondet Bellarminus; vbi Apostolus ait, nõ modo Christum expectari è cælo, sed facturum esse nostra corpora similia seu conformia corpori suo: at nostra corpora nunquam erunt immensa, aut inuisibilia, aut in plurib. locis simul.

Phil. 3.20.

Sextum nostrum argumentum 6. sumitur à verbis Christi Luc. 24. *ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε, Contrectate me & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere:* vbi veritas carnis Christi sensuum testimonio comprobatur: ergo nõ est caro Christi in Eucharistia, quia ibi non tangitur aut videtur. Si ergo corpus Christi in Eucharistia sit, tam subtile est, vt nec videri nec tangi possit: at corpus humanum, quale est Christi, non potest latere sensus nostros. Bellarminus respondet, aliud esse affirmatiuè colligere, Hoc palpatur & videtur: ergo corpus est; aliud negatiuè, Hoc non palpatur nec videtur, ergo nõ est corpus. Prior consequentia, inquit, optima est: neq; enim fieri potest, vt res incorporalis videatur aut tangatur sensibus corporalib⁹: & hæc est consequentia, inquit, quam Dominus facit. Sed non sequitur negatiuè, quia Dominus talem consequentiam non facit.

Luc. 24. 39.

Respondeo: 1. Hoc palam pugnat cum instituto Christi. Voluit enim Christus persuadere Apostolis, se non esse spiritum, sed illum quem se esse dicebat, *ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμὶ,* 1.

quod

quod ego ipse sim (inquit) hoc omnium sensuum iudicio permittit. Nã cum illis loquebatur, & illum audiebant: eum etiam videbant: nec id modo, sed & se tractari & explorari manibus ac oculis illorum permisit. Iam verò hoc fallax argumentum fuisset, nisi sensus rectè possent iudicare, id est, si sensus falli possent.

Bellarminus ait, affirmatiuè sequi, sed non negatiuè: at ego probo etiam negatiuè sequi. Christus enim se verum corpus habuisse, & non fuisse spiritum probat, ex eo quod illum videre & palpare possent: ergo si non tetigissent nec vidissent verum corpus, certè nec credidissent, nec eis opus fuisset credere. Perinde enim est, ac si Christus dixisset, Nisi ostendero me spectandum, & præbuero tractandum vobis iustam causam dubitandi habetis: sed videte & palpate. Si posset corpus humanum non videri, non palpari; posset videri & palpari, quod non est corpus: permittit Christus iudicium sensibus. Si falli possunt sensus, vt non percipiant quod est, falli quoque possunt, vt non sit quod percipiunt: & sic Apostoli non desiissent dubitare & dicere; forsan spectrum est, quantumuis videamus. Ideo Christus non modo corpus eis tractandum præbuit, sed & vulnera ostendit: nam non sequitur, Est corpus: ergo est corpus Christi Domini nostri; sed corpus suis proprietatibus distinctum, quæ in nullo nisi in Christi corpore reperiri potuerunt, omnem dubitationem remouit. Non modo igitur si non corpus, sed si non corpus vulneratum eis ostendisset Christus, poterant assensionem suam cohibere.

Secundò Si hoc argumentum verum sit affirmatiuè, nobis sufficiet. 2.
Si enim constabat esse Christi corpus, quia videbatur & palpabatur, tum eodem argumento esse panẽ & vinum in Eucharistia constat; nam non visus modo & tactus, sed & gustus & olfactus esse panem & vinum indicant: & sicut Christus dixit, spiritus non habet ossa & carnem, sicut me videtis habere: ita nos dicere possumus; Christi corpus non habet similitudines & proprietates panis & vini, sicut videmus hoc Sacramentum habere. Si ergo argumentum à sensibus valeat affirmatiuè; ibi esse verum panem & verum vinum necesse est. quia sic sensus omnes iudicant.

Sic Augustinus, vt citatur à Beda, *Quod vidistis, panis est, & calix Christi: quod etiam oculi vobis renunciant:* credendum igitur oculorum renunciationi, accedente præsertim reliquorum sensuum consensu. Non enim Christus Sacramenta instituit, quibus nostros sensus luderet: imò hoc tendit ad tollendam veram persuasionem de corpore Christi. Quis enim Christi corpus verè humanum dixerit, ꝙ nullo sensu eiusmodi esse percipitur? Bellarminus respondet, sensus non posse falli circa proprium obiectũ, sed posse falli circa id, quod latet sub obiecto sensuum: quia pictores sæpe fallunt oculos, vt ille qui *August. in serm. ad infantes. Vide Bedam in 1. Cor. 10*

quí aues suis vuis fefellit. *Respondeo:* nos posse melius iudicare de obiectis, quam aues: nec cernimus nos tantùm, vt aues illę, sed olfacimus, gustamus, tangimus: ergo fallimur in omnibus ferè sensibus, si hoc verum sit, quod illi aiunt. Possunt quidem sensus falli, si vitium sit aut in obiecto, aut in sensu: at nullũ hic aut in corpore Christi, aut in oculis nostris vitium est. Bellarminus ait, Qui videbant & tangebant corpora ab angelis assumpta, non fallebantur, cum se corpora tangere & videre crederent; sed fallebantur, cum se existimarent corpora humana tangere & videre.

Respondeo: Erant illa corpora vera & humana quoad proportionẽ & substantiam, non quoad hypostasin. Illi nobis simile ostendant in Sacramento, & nos credemus esse Christi corpus: sed illi nil nisi panem ostendunt: falluntur ergo sensus, si nõ sit panis, sed Christus. Sed Bellarminus ait, non falli sensus in Eucharistia, cum album, rotundum, solidum nos sentire arbitramur, sed cum denunciant nobis latere sub eis substantiam panis.

Respondeo: Hoc tollit & euertit plane Christi argumentum. Sic enim Apostoli respondere potuerunt: Nos videmus & tangimus corpus, sed tamen fieri potest, vt non sit corpus, sed Christus ex tactu & visu esse verum corpus arguit. Et Bellarminus fatetur, argumẽtum affirmatiuè tenere; vnde sic ꝯcludimus; videtur & tractatur panis: verus ergo panis est; vel sic: Si valet hoc argumentum affirmatiuè, vt ait Bellarminus, tũ necesse est eam materiam in Eucharistia esse, quæ videtur & palpatur: at videmus & palpamus panem tantùm & vinum: ergo ibi est panis tantùm & vini materia, non substantia corporis & sanguinis Christi. 3. Cum Christus ostendit 3.
corpus suum discipulis, resurrexerat iam à mortuis; ergo illius corpus erat tum immortale, & ex parte glorioſum: si verò Christi corpus postquam fuit immortale & glorioſum, tangi potuit & videri; tum in Sacramento, & vbicunque præterea est: nos vero non loquimur de alio corpore, quam illo, ꝙ Apostoli viderunt & tetigerunt. Potest esse aliquod corpus, quod nõ palpari aut videri potest, vt aer: tangimus tamen aerem, quem spiramus: sed hoc vnum idemq; corpus est cum eo, quod Apostoli iussi sunt videre & tractare: at si nos illud non possumus tractare, vt Apostoli, non esse idem potest, imò quia nullum hominis corpus ostendunt, nullum ibi esse constat. Sic igitur disputo: Christus corporis sui veritatem Apostolis ex tactu & visu comprobauit: at sacerdotes Pontificii non possunt sui Christi veritatem hoc modo cõprobare: ergo illorum Christus non est idẽ cum eo, quem Apostoli viderunt & tetigerunt. Si enim idem Christi corpus esset cũ eo quod Apostoli cernebant & tangebant, tum à nobis similiter tangeretur & cerneretur. Quid enim affert Bellarmi-

nus, cur non? Fieri potest, inquit, vt verum corpus præsens sit, & tamen non tangatur aut videatur. Sed hoc fieri non potest, cum pugnet cum natura veri corporis. Si Christi corpus in Eucharistia non videri, non tangi potest, tum dissimile est ei corpori, quod Christus Apostolis ostendit: nam fuit illud ψηλαφητὸν καὶ ὁρατόν, tractabile & visibile: non sic hoc in Eucharistia. Sed quomodo fieri potest? quia tectum est alio corpore, inquit Bellarminus.

Respondeo: Sed in Sacramento corpus Christi nullo alio corpore tegitur: nam dicunt esse ibi nullū corpus nisi Christi: species enim non sunt corpus, nec possunt tegere corpus: imo faciunt potius vt corpus appareat. Tum corpus humanum tegi non potest, nisi alio corpore maiore: at nullum corpus est in Eucharistia maius corpore Christi. Hac in re probabilius respondēt Lutherani, qui dicunt esse substantiam panis in Eucharistia, quæ quidem tegere posset corpus Christi, si esset tantæ molis, quantæ est corpus Christi: at Papistæ nō esse ibi substantiam panis dicunt: & si ibi esset, tamen hostiola Papistica vix posset tegere muscā, multo minus Christi corpus, quod habet caput, brachia, pedes, & reliqua membra.

Sed Bellarminus iterum respondet: vel quia Deus impedit, ne corpus species sensibiles ad sensus transmittat. *Respondeo*: Id fieri non potest sine miraculo, vt res sensibiles à nemine sentiantur, cum nullum impedimentum nisi diuinum & illustre hoc facere possit: tale illi aliquod impedimentum proferāt in Eucharistia, & nos acquiescemus. At si sensus sint integri & salui, & corpus sit verum, sine miraculo fieri non potest, vt non cernatur & tangatur. At verò absurdissimum est dicere, hoc fieri per miraculum: tum enim tot essent miracula, quot homines sunt, qui accedunt ad Eucharistiam. At miracula non sunt temere fingenda: nec Scriptura facit mentionem alicuius miraculi in Eucharistia: at hic erūt mille miracula: panis mutatur in corpus, vinum in sanguinem: corpus nō videtur, nec transfertur ad sensus: nullius sensus à prima institutione diiudicauit ibi esse verum corpus. Si enim in vno aut altero homine hoc accideret, non esset absurdum: sed res similiter se habet in omnibus hominibus, & pijs & impijs.

Sed obijcit Bellarminus exemplum Christi Luc. 4. vbi Christus transiisse dicitur per medium illorum, qui eum de monte præcipitare volebant. *Respondeo*: Legimus hoc quidem: sed tamen Lucas non ait, Christum ἀόρατον, i.e. *inuisibilem* transiisse per mediū illorum: trāsiit ille quidem, sed visibilis; vbi potentiæ suæ specimen edidit. Aut enim, vt Beda ait, eos obstupefecit & terruit, aut vi constrinxit manus illorum, vt eum non potuerint apprehendere. Sed esto: demus ἀόρατον transiisse, id est, *inuisibilē*, quia illorum oculos ad tēpus perstrinxit: hoc semel tantùm sine vlla mutatione in corpore factum est: nū ideo semper hoc fieri sequit, quotiescunq; Eucharistia celebratur? & tum eius corpus mutari necesse est, cum non in iusto spatio contineatur? Sed verior est illorum sententia, qui dicunt Christum terruisse illos maiestate sua, non vt non viderent, sed vt non ausi sint eum prehendere. Sed addit Bellarminus, posse diuina virtute fieri, vt corpus existat more spirituum, sic vt videri aut tangi nullo modo possit.

Luc. 4. 30.

Beda in locum.

Respondeo: non posse hoc fieri sine miraculo, imò ne cum miraculo: nam corpus non potest simul esse corpus & non corpus, id est, spiritus: esset autem spiritus, si haberet proprietates spiritus; & non esset corpus, si non haberet proprietates corporis. Sed de hoc se postea dicturum pollicetur.

7. *Septimum* nostrum argumentum sumitur ab his verbis Christi, *Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quicquam*: ergo Christus non est in Sacramento carnaliter comedendus: loquitur enim Christus de sua carne. Et rectè Zuinglius hunc locum esse murum aheneum ait, & adamantem infractum. Sed Bellarminus ait, murum istum non modo non aheneum aut adamantinum, sed vix luteum dici posse; idque, 1. quia etsi constaret Christum de sua carne loqui, eamq; nil prodesse diceret, non tamē sequeretur, veram carnem non esse in Sacramento. *Respondeo*: horum hominum proiectam esse audaciam ad quiduis defendendum omnipotentiam.

Ioan. 6. 63.

Zuingl. in lib. de vera & fals. relig. c. de Euchar.

1.

dio dignissimum. Nonne sequitur, carnem Christi non esse in Sacramento, si nihil prosit carnaliter recepta? illi aiunt esse in Sacramēto, vt comedatur: quorsum autem comederetur, si nō prodesset? putasne Christi carnem esse in Sacramento sine fructu? Si igitur caro Christi non prodest exesa carnaliter, certum est, non esse in Sacramento, vt carnaliter edatur. Sed Bellarminus hanc suam responsionem tribus rationibus confirmat, quæ cuiusmodi sint videamus.

Prima eius ratio est, eodem modo concludi posse, non esse panem in Sacramento, quia si Christi caro non prodest, multo minus panis triticeus. *Respondeo*: Egregia certè ratio. Nam 1. absurdissimè caro Christi cum pane comparatur. Si panis non prosit: ergo Christi caro prodesse non poterit? Fieri potest, vt panis nō multum prosit: sed impium est, id de carne Christi cogitare. Longè dissimilis ratio est carnis Christi, & panis: multo præstātior est caro Christi pane triticeo; absurdum ergo est, carnem Christi cum pane comparare. Sed 2. *respondeo*: panem multum prodesse. Est enim Sacramentum corporis Christi, & nobis Christum repræsentat, & fidei nostræ excitandæ confirmandæque inseruit. Etsi ergo panis non sustentat animam, tamen quia est huius sustentationis vitæque Sacramentum, inutilis non est: at caro Christi carnaliter exesa, est omnino infructuosa.

1.

Secunda Bellarmini ratio est, quia si de

2.

si de carne sua hoc Dñs dixisset, nõ intellexisset eã absolutè non prodesse, sed nõ pdesse si sola sit, i. absque spiritu eã viuificante; qa supra in eodem capite dixit, *Qui manducat carnem meam, habet vitam æternã, &, Nisi manducaueritis, non habebitis vitam in vobis.* *Respondeo*: Christi carnem spiritualiter quidem edi ad salutem: & de tali manducatione in his locis Christus loquitur. Sed non possunt Aduersarij ex his locis docere, quis fructus in carnali esu sit. Nec enim omnes vivunt, qui carnaliter edunt, nec omnes pereunt, qui non edunt.

Ioan. 6. 54. 53.

3. *Tertia* Bellarmini ratio est, quia est summa impietas, negare Christi carnem diuinitati vnitam multum prodesse, cum Paulus nos dicat reconcialiatos esse DEO per carnem Christi. *Respondeo*: Est summa fatuitas isto modo disputare; Per carnem Christi Deo reconciliamur, quia Christus morte sua iram Dei placauit: ergo prodest edere corpus Christi carnaliter. At multi reconciliantur Deo, qui nũquam de Christi carne hoc modo comedenda somniarunt. Veteres Patres & Prophetæ per Christi carnem Deo reconciliati sunt, qui tamen Christum in Sacramento carnaliter manducare non potuerunt: & multi hodie Christiani sine Sacramento seruantur: possumus igitur reconciliari Deo sine carnali manducatione Christi. Sed Bellarminus missa hac solutione

Colos. 1. 21. 22.

2. aliam affert. 2. igitur respondet, per carnem Christi hoc in loco nõ substantiã carnis Christi intelligi, sed carnalem intelligentiam; & eam quidem nihil prodesse ait. Atque hic Patres quosdam citat, vt probet humanam & carnalem cogitationem non prodesse. *Respondeo*: Fateor carnalem cogitationem & intelligentiam non prodesse, iuxta illud Apostoli, τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεὸν, *Intelligentia carnis inimicitia est aduersus Deum.* Quis enim id diceret: ne Capernaitæ quidem, quibuscum Christus nunc locutus est. Sed quid hoc ad rem, de qua nunc agitur? Christus antea de sua carne disseruit, quam quia nobis edendam commendauit, ideo offensi sunt nonnulli: Christus vt huic offensioni occurreret, carnem suam non prodesse ait: id est, inquit Bellarminus, carnalem imaginationem. At ea nunquam prodest: & quomodo tum Christus tollit offensionem? non enim sequitur, non merito offensos esse illos hac doctrina quia carnalis intelligentia non prodest. Et tamen fateor non malè Patres de carnali intelligentia interpretari; nam per carnalem intelligentiam significant, quod hi qui offensi erant carnaliter comedendum esse Christum intellexerint: Christus igitur verè ait, se de carnis suæ substantia loqui, eamque non prodesse carnaliter exesam: ergo non id se sensisse quod illi existimabant: quare eos frustra offendi & tumultuari. Hic verus sensus est. Sed Bellarminus suam hanc solutionem & horum verborum expositionem tribus rationibus confirmat.

Rom. 8. 7.

Prima

1. *Prima* eius ratio est, carnem, quando in Scripturis contra spiritum distinguitur, pro infirmitate, & corruptione, & cogitatione carnali sumi. *Respondeo*: Quid carnis nomine intelligendum sit, potiùs ex hoc capite, in quo tam multa de carne dicuntur, diiudicari potest, q̃ ex aliis locis: *Caro mea vere est cib⁹: Qui carnem meam edit, vitam habet: Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, non habetis vitam in vobis: Quomodo potest hic dare nobis carnem suã?* denique per totum hoc caput sæpius mentio carnis fit: num caro in his locis pro carnali cogitatione sumitur? nequaquam: sed loquitur Christus de vera carne, & de vera carnis suæ substantia: nos enim verè Christi carnem sed spiritualiter comedimus.

2. *Secunda* Bellarmini ratio sumitur ab occasione, quam habuit Dominus, vt diceret ista verba: ea vero fuit error Capernaitarum. Illi Christum sic edendum esse existimabant, quemadmodum alias carnes edimus: huic errori, inquit, aptissimè respondet hæc Domini sententia: idem enim est, ac si dixisset, Animalis homo non assequitur diuina mysteria. *Respondeo*: Capernaitæ quidem Christum de carnali edendi modo intelligebãt, & sic offensi sunt. Bellarminus Christum carnaliter edendum esse vult, sed non vt alios cibos: quid ergo interest? alij scil. cibi frustulatim eduntur, Christus verò totus: & sic putat omni offensioni satisfactum. At sic potius augetur offensio: magis enim immane est, hominẽ totũ vno morsu deuorare & deglutire, quam hominem membratim ac frustulatim edere. At totus sine læsione editur: sic etiam posset particulatim sine læsione edi. In re nullum discrimen inter Capernaitas & Papistas, nisi q̃ hi paulo voraciores sint: nam illi Christum sic edendum putabant, vt reliqui cibi eduntur: Papistæ inusitato modo totum deuorari sentiunt; & tamen se putant non crassam & carnalem cogitationem habere. Non est dubium, quin Capernaitæ talem edendi modum intellexerint, qualis in edendis carnib. vsitatus est, quarum quædam eduntur comminutæ, quædam nulla indigent comminutione. nõ illi loquuntur de Christo aut toto, aut per partes comedendo, sed tantùm quærunt, quomodo Christus posset illis dare carnem suam comedendam: seu hoc modo, seu illo. Christus non omnino sic se comedendum respondet, quia sic nihil prodesset. Ita illum errorem remouet, vero edendi modo explicato, *Spiritus*, inquit, *est, qui viuificat, caro non prodest quicquam*, id est, spiritualis manducatio vitam affert, carnalis nihil prodest. *Tertia* eius ratio sumitur ex verbis statim sequentibus, & hic detorquet Christi verba, *verba, quæ ego loquut⁹ sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est, inquit, sunt verba explicantia & tradentia res diuinas spirituales. *Respondeo*: imo sunt spiritualiter intelligenda de vita cælesti & spirituali: nam certè omnia Christi verba res diuinas explicabant.

Ioan. 6. 52.

Ioan. 6. 63.

Sed Christus illorum opinionem de esu carnali improbat, quia quæ dixit, de spirituali esu sunt intelligenda, qui vitam æternam spectet. Sed vrget Bellarminus, quod
Ioan. 6. 64. sequitur, *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt*; quod ait non cohærere cum his, *Caro non prodest quicquam*, id est, nil prodest manducare carnem in Sacramento.

Respondeo: Non cohærere quidem cum illis, sed cum proximis verbis, nempe cum his, *verba, quæ ego loquor vobis, sunt spiritus & vita*: & cum his optime cohærent in hunc modum; Verba mea de spirituali manducatione sunt intelligenda, quæ vitam affert, & quæ in fide consistit; sed ex vobis multi sunt, qui non credunt. Sophista refert ista ad id quod remotius est. Sed hic Bellarminus incipit aduersus nos declamare, & ait, causam præcipuam, cur nos nō credamus esse, quia sola carnali ratione ducimur, quæ nō assequitur arcana Dei. Sed ineptus declamator est, cum nullam Scripturam afferat pro reali manducatione; quia tamen non credimus, id nos nō aliam ob causam facere ait, nisi quod non assequimur mysteria Dei. At hoc mysterium realis præsentiæ nos non minus assequimur, quam illi: est certè mysterium iniquitatis, contra Scripturas, blasphemū, Christo contumelioſum. Fruantur illi mysteriis suis: nos non carnali ratione, sed verbi Dei gladio contra hoc mysterium pugnamus. Quare vt hoc argumētum concludamus, Si Christi caro prodest, cur non docuit Bellarminus, quid prodesset? nullum verbum habet, quomodo prosit. Et reuera nemo potest hoc docere: quidam enim volunt Christi corpus in Eucharistia non præterire dentes: sic quidam Lutherani, vt Heshusius, & alii: quidam non dimitti in stomachū: alii in stomachum descendere, sed non diu ibi manere: at tum non recipitur vt cibus, sed vt hospes, nec aliquis inde fructus percipitur.

Westphalus Lutheranus in libro contra Calvinum, ait ex corpore Christi calorem quendam salutarem ad animam prouenire: at id non minus ex manducatione spirituali fieri potest: nam quomodo à carnali re prouenire spiritualis calor potest? Certè est blasphemum, vt quis Christi carnem re percipiat sine fructu. Sed Bellarminus callide prætermisit argumentum nostrum, quod nos ex
Westphal. in lib. cont. Calvin.
verſ. 62. sumimus, *Quid si conspexeritis Filium hominis ascendentem eo, vbi erat prius?* nam his verbis Christus clarissimè refellit illam opinionē & Capernaitarum & Papistarum de reali manducatione. Videbitis Filium hominis ascēdentem: tum intelligetis illum non esse de carnali manducatione loquutum. Et non hæc nostra expositio est, sed Athanasii, cuius hæc verba sunt.
Ioan. 6. 62.
Athanas. in hom. de Spirit. S.
Διὰ τοῦτο τῆς εἰς οὐρανὸς ἀναβάσεως ἐμνημόνευσε, ἵνα τῆς σωματικῆς ἐννοίας ἀφελκύσῃ, *Ob eam causam Christus mentionem fecit ascensionis suæ, vt à carnali cogitatione, seu, à corporali intelligentia abstraheret.*

Sic

August. in psal. 27. in 1. 1. Sic Augustinus, *Illi putabant eum erogaturum esse corpus suum: ille autem dixit se ascensurum in cælum vtique integrum.*

Idem in Psalm. 98. Sic idem alibi, *Verba quæ locutus sum vobis spiritus sunt & vita (inquit Christus) spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui: Spiritualiter intellectum viuificabit vos.*

8. Iam ad *octauum* nostrum argumētum veniamus, quod sumitur ab illis Christi verbis, *Vbi sum ego, illic & minister meus erit*: at Sancti nō sunt in Eucharistia: ergo nec Christus ibi est. Bellarminus vix dignatur respondere, cum tamen argumentum satis rectè conclusum sit. Si enim Christus promisit, vbicunque ipse fuerit, ipsius ministros cum eo fore; non potest esse in Eucharistia sine ministris suis: miror autem quos ei ministros in Eucharistia assignaturi sint. Bellarminus respondet tamen tandem dupliciter.

Ioan. 12. 26.

1. *Primò* ait, Christum non dixisse, vbicunq; ego sum, sed, *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*. Satis igitur est, inquit, si sancti alicubi sint cum Christo, etiamsi non sint, vbicunque est ipse: alioqui etiam in cruce cum ipso omnes esse debuissent.

1. *Respondeo*: hanc esse miseram & ineptam responsionem. Nam 1. Christus dixit ὅπου; quod perinde est ac si dixisset, *vbicunque*. Sic alibi,
Matth. 24. 28.
ὅπου ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, *Vbicunque fuerit cadauer, illuc congregabuntur aquilæ*: de se loquitur, vbicunque ipse fuerit, ibi oportere aquilas esse: ὅπου ἐὰν, *vbicunque*. Sic alibi, *Hi sunt qui sequuntur Agnum*, ὅπου ἂν ὑπάγῃ, *quocunque erit*. Non potest igitur Christus ne in Eucharistia quidem à ministris suis remoueri 2. Pugnat 2.
Apoc. 14. 4.
cum natura veri hominis, vt qui cum eo est alicubi, non cum eo sit alicubi, & simul: quia verus homo non potest esse simul in diuersis locis. Nam Christus ne post resurrectionem quidem in duobus locis simul fuit: cum esset Emaunte, non fuit Hierosolymis; cum ad mare Tiberiadis, non in conclaui; cum in monte Olineti, non in valle: in vno semper loco fuit 3. Quod obiicit, tum sanctos debuisse esse cum Christo in cruce, hallucinatur: nam certum est, Christum de gaudio & fælicitate sua loqui: promittit enim eis præmium: at in cruce esse, non fuit iucundum. Igitur Bellarminus *secundò* respondet, certum esse, Christum illis verbis promisisse consortium regni & gloriæ, quia alibi ait, *Pater volo, vt vbi sum ego, & isti sint mecum, vt videant claritatem meam*. *Respondeo*: Verum hoc quidem est: & si Eucharistia ab hoc regno & gloria fuerit separata, non ibi Christus est. Hinc apparet, Christum, cum est in Eucharistia, non modo carere gloria, sed esse extra regnum suum: at hoc pugnat cum articulo de sessione Christi ad dexteram DEI Patris, & cum Paulo, *Oportet illum regnare, vsquequo omnes inimicos subiecerit pedibus eius*. Non potest ergo Christus nō esse in regno suo, non

3.
2.
Ioan. 17. 24.
1. Cor. 15. 25.

esse

esse in gloria. At Bellarminus ait, Christum, cum dixit, *Vbi ego fuero, ibi minister meus erit*, de regno suo loqui: vnde Christum vult in Eucharistia non modo inglorium esse, sed & priuatum esse regno suo: non igitur esse ibi suis ministris stipatum. Quis non hos Papistas execretur, qui quoties conficiunt Christum in Eucharistia, toties eum de regno & gloria sua detrahunt? quantum hoc facinus est, Christum è cælo in terras, è regno in ergastulum, è gloria ad humilitatem deuocare? Sic igitur cum Petro Martyre disputo: Si Christus sit in Eucharistia, tum aut est ibi in gloria, aut non: si in gloria, tum cum eo ministri sui sunt: si non in gloria, tum impiè sacerdotes faciunt, qui eum à gloria Dei Patris ad hæc inferiora deuocant. Bellarminus distinguit valde sapienter, Christum in Eucharistia esse in gloria Patris, dupliciter intelligi posse.

Primò, vt dum est in Eucharistia, videat Deum; & sic Christum in Eucharistia esse in gloria. *Respondeo*: Non hoc est, de quo Christus loquitur, vt ipse videat gloriam Patris, sed vt ipse glorioſus sit, & eius gloriam sui ministri videant. *Pater volo*, inqt, *vt vbi ego sum, ibi illi mecum sint, quos dedisti mihi, vt conspiciant gloriam illam, quam dedisti mihi*: nusquam igitur Christus est, vbi non in gloria conspici possit. Bellarminus absurdissimè ait; Christum esse in gloria, quia gloriam Patris vidit. At sic epulo potuit esse in gaudio, quia Lazarum in gaudio vidit. *Secundò* ait Bellarminus, Christum in Eucharistia esse in gloria Patris, sic intelligi posse, vt esse in Eucharistia sit illi gloria & beatitudo; & hoc modo Christum in Eucharistia non esse in gloria.

Ioan. 17. 24.

Respondeo: Quam hoc Christo indignum? iam Christus in Eucharistia non modo non in regno & gloria, sed ne in felicitate quidem est: quantam Christo iniuriam faciunt, qui eum è fælicitate sua dejiciunt? Sic enim disputo: Si Christus in Eucharistia non sit in beatitudine, vt Bellarminus vult, tum sacrilegi sunt, qui Christum in eũ locum detrudunt, vbi eius beatitudo non est: at verum prius: ergo & posterius. Sed Bellarminus addit, Christo in Eucharistia adesse choros Angelorum, idque secundum doctrinam Patrum. *Respondeo*: De doctrina Patrum postea dicemus. Sed Christus quando ait, Volo vt vbi ego sum, ibi minister meus sit, non de angelis, sed de sanctis loqui, quos ille redemptus in mundum venerat. Quare vt de argumento hoc concludam: Si sancti non sint in Eucharistia, aut circa Eucharistiam, tum non ibi Christus est: at sancti non sunt in Eucharistia; ergo non est ibi Christus. Consequentia patet, quia vbi Christus est, ibi est stipatus satellitio & ministerio non modo angelorum, sed & sanctorum hominũ: blasphemi igitur Papistæ sunt, qui Christum compingunt in eas angustias, vt solus sine ministris suis esse cogatur.

Nonum

9. *Nonum* nostrum argumentum sumitur à verbis Christi variis in locis, *Ego ad Patrem proficiscor*, &, *Relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.*

Ioan. 14. 12. *Ioan.* 16. 28.

Bellarminus respondet Christum reliquisse mundum visibiliter, quoad conuersationem humanam, sed esse tamen inuisibiliter in mundo. *Respondeo*: 1. πολιτείαν hanc ἀόρατον esse meram impostura: versatur nobiscum Christus, inquiunt, sed ἀορατῶς, id est, *inuisibiliter*: at tum eius corpus non differret à spiritu: nam ἀοράτια, id est, *inuisibilitas*, est spiritus, non corporis: Christi verò corpus non est spiritus: non igitur potest esse ἀόρατον, si hic sit. 2. Christus se mundum relinquere ait: at hoc falsum esset, si remaneret in mundo inuisibiliter. 3. Promisit Christus, se absentiam suam compẽsaturum aduentu paracleti: at præsentia paracleti est inuisibilis: ergo Christus non est corpore inuisibilis. Bellarminus ait, 1. paracletum supplere vicem Christi inter homines humano more conuersantis. *Respondeo*: Præsentiam paracleti inuisibilem esse, non potest negari: ergo Christus non adest inuisibiliter: nam non opus est inuisibilem præsentiam compensari inuisibili præsentia. Christus consolatur Apostolos hac promissione, quod quãuis relicturus mundum esset, tamẽ paracletum esset missurus, qui cum illis maneret, at non nisi inuisibiliter: non ergo Christus inuisibiliter præsens futurus erat: tum enim eodem modo ipse cum illis versaretur, vt Spiritus Sanctus; & huius quoq; consolationis mentionem aliquando fecisset, dicendo, Abeo visibiliter, sed vobiscum maneo inuisibiliter. 2. Bellarminus ait, Spiritum Sanctum verè descendisse, & tamen in cælo etiam mansisse: sic Christum verè ascendisse, & tamen verè etiam mansisse nobiscũ, non solum vt Deum (quomodo vbique est) sed etiam vt hominem in Eucharistia, licet modo spirituali & inuisibili. *Respondeo*: hoc esse hæreticum, blasphemum, Eutychianum: tollit enim veritatem corporis Christi. Nam hoc modo oportet Christi corpus non modo esse spiritum, sed etiam Deum esse. Spiritus Sanctus enim est Deus, & ideo potest esse in cælo, cum in terris est: si corpus Christi similiter, tum debet esse similis naturæ, id est, diuinæ. Quis non istorum blasphemias exhorrescat? Sed quia de Christi ascensione supra diximus, nunc plura non dicemus.

1. 2. 3. 2.

10. *Decimum* nostrum argumentum sumitur ab illis Christi verbis, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.*

Hinc Calvinus colligit, Christum non esse in terris quærendũ: ideo se vetare tangi à mulieribus, donec in cælũ ascenderit, vt nusq; alibi se esse, aut q̃rendũ esse ostenderet. Bellar. in hoc argumẽto diluendo mult⁹ est: quod tamẽ fateor non multum in se virium habere. Possunt enim reuerâ aliæ causæ assignari, cur prohibuerit se Christus nunc tangi. Namcertè non modo permisit se tangi à mulieri-

Calvin. instit. l. 4. c. 17. §. 29.

bus, sed iussit etiam Apostolos tangere, & Thomam præcipue. Sed quod hinc Bellarminus colligit, Christum velle se quæri & tangi in terris, non sequitur. Voluit tunc à multis & videri, & tangi, vt resurrectionem suam comprobaret; sed nunc nec vult, nec potest tangi, quia se nobis subduxit, & corpus suum in cælos eleuauit. Num Bellarminus se putat Christum tangere? at Christus post resurrectionem non est passus se tangi à quibusuis: piæ quædam fœminæ, & Apostoli tetigerũt: à nullo verò impio aut contactus aut conspectus legitur. Iam illum tangi promiscuè à quibusuis volunt: qui vero Christum tangunt, ij cum Christo coniunguntur: at impii cum Christo non coniunguntur: ergo non tangunt illum. Sed negabit forsan, impios Christum tangere spiritualiter. Verum id quidem est, & proinde corporalis tactio nil valet ad coniunctionem spiritualem. Certè enim si tactio corporalis prodesset, non minus prodesset ea, quæ manibus, quam quæ lingua aut palato fit. Cibi nisi concoquantur in stomacho, & inde succus ad corporum nostrorum sustentationem hauriatur, isque in nostram substantiam conuertatur, tantum prosunt tacti quãtum esi: Christi autem corpus non concoquitur, neque in naturam nostram conuertitur: tantum igitur proficimus tangendo, quantum edendo.

Matth. 28.9. *Luc.* 24. 39. *Ioan.* 20.27.

Si igitur disputo: Quæ sententia sic Christum edendum commendat, vt edere non plus prosit, quam tangere, ea respuenda est: at Papistarum sententia talis est: ergo est respuenda. Maior perspicua est: Minorem probo, quia nullam vtilitatem nominare possunt ex eo quem diximus esu, quæ non ex tactu percipiatur. Nam si dixerint, Christum, cum editur plus aliquid pati, quam cum tangitur, vt cibus comminuitur; quod plus est, quam tangi: certum est Christum non mutari, aut corrumpi, aut pati aliquid: ergo nõ plus quam tangitur. Carnalis igitur manducatio, est non nisi carnalis tactio: fide ergo tangendus & edendus Christus est, non manibus, non dentib. Si quid prosit Christum tetigisse carnaliter, id manib. præstari tam potest, quam ore: sic non necesse est Papistis hostiam edere, sed tangere tantùm: hoc apertissimè ex illorum doctrina sequitur. Iam de loco non multa dicam. Nos non ex hoc loco argumentum ducim⁹, qui variè exponi potest: & hoc Calvini argumentum ab ea expositione sumitur, quæ non videtur aptissima. Multò mihi magis placet expositio, quam Bellarminus affert, quæ est quoque Petri Martyris: Noli me tangere nunc, quin abi sine mora, & nuncia discipulis meis: poteris me tangere alias: nõdum enim ascendi. Ita missum hoc argumentum facio.

Pet. Mart. in 2. Reg. 4. 27.

Vndecimum nostrum argumentum sumitur à verbis Stephani, *Deus in templis manufactis non habitat*, & Pauli, *Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, quum sit cæli & terræ*

11.

Act. 7.48. *Act.* 17.24

terræ Dominus, in manufactis templis non habitat. Hoc argumentum ferè idem est cum primo; sed Bellarminus distinguit: Christus igitur non est in templis inclusus. Bellarminus ait, Christum esse in templis, sed non habitare in templis, quia habitare significat indigentiam loci: illi enim propriè habitant in domo, qui nisi ibi essent, male essent; significat etiam comprehẽsionem & conclusionem in loco. Vtrumque repugnat DEO vero, & tamen vtrunque conueniebat idolis Gentilium, & sic distinguitur Deus ab idolis. *Respondeo*: Si habitatione in templis Deus ab idolis distinguitur, tum Christus non habitat in eis. Concedit Bellarminus nõ habitare, sed esse ibi. Sic nec idola verè habitabant: cum enim idolum nihil sit, non potest propriè habitare in aliquo loco: neque id Propheta sensit, sed Deũ non posse vllis templis quantumuis amplis comprehendi, quia vbique est. Non is sensus est, Deus nõ habitat in templis, id est, non indiget his tectis: sed voluit hominum mentes altius erigere, vt Deum in cælo habitantem contemplentur. Quid? num Deus indiget cælo? tamen habitare in cælo dicitur, *Qui habitat in cælis, irridebit eos, Dominus noster in altis habitat.* Tum nonne Christus indiget templis, & illis pixidum & capsularum claustris? certe sine his non hominum modo, sed & canum, murum, & porcorum iniuriis exponeretur. Sed Bellarminus ait, eum esse quoque extra illum locum.

Psalm. 2.4.

Respondeo: Sic Deus est extra cælum, & tamen dicitur in cælo habitare. Sed quid si extra sit? tamen verè est intus: ergo verè hic conclusus & comprehensus, quia hic Christus est, qui in Sacramento non est extra species Sacramenti. Non enim in pixide reponerent, si illum putarent non posse in pixide comprehendi: verum igitur hoc idolum est. Nam idolum erat cõclusum in templo: tamen putabant idololatræ esse etiã extra templũ: sic Papistarum Christus. Sed vtrũ corpus Christi possit concludi in tam paruo spacio, postea dicendum. Nunc his contenti erimus.

Duodecimum nostrum argumentum sumitur à verbis Pauli, *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt*: ergo veteres Hebræi similiter ederũt Christum, atque nos: at illi non carnaliter Christum ederunt: ergo nec nos carnaliter edimus. Bellarminus ait, omnes illos, qui tunc viuebant, & boni & mali, eandem escam comedisse, non eandem nobiscum. *Respondeo*: Nos supra in Controuersia de Sacramentis in genere hanc interpretationem multis argumentis refutauimus, & docuimus eandem nobiscum escam comedisse: non est necesse nunc eadem repetere. In hanc sententiam luculenta ex Augustino testimonia protulimus.

12.

1. *Cor.* 10. 3.4.

De Augustino Bellarminus duo respondet. *Primò*, Chrysostomum ei anteponit, quia Augustinus nõ exposuit hunc locum in commen-

August. in Psal. 77. *& in tract.* 26. *in Ioan.*

tario aliquo proprio. Sed hæc nulla ratio est: potest enim loci verum sensum explicare non minus qui obiter citat, quam qui ex professo exponit. Sed Bellarminus ait, non omnes ex nostrâ sententiâ, sed bonos tantùm eam escam manducasse.

Respondeo: Omnes Sacramentaliter eandem escam manducârunt, & sic nunc omnes, sed pii tantùm fide & spiritualiter; id est, rem Sacramenti perceperunt. *Secundò* Bellarminus ait, Augustinum dicere, Hebræos eandem nobiscum escam manducâsse, nimirum significatione; quia idem significât Sacramenta illa & nostra; sed non eandem re. *Respondeo*: Augustinum apertè dicere, rem eandem fuisse, quam illi perceperunt, & quam nos percipimus. Vocat autem Sacramenta significatione eadem, qa idẽ significabant, quod nostra: nostra Christum significant; & illa Christum significabant: at in neutris Christus est realiter: tum enim illi non escam eandem, sed tantum significationem huius escæ percipiebant. Sed obijcit, quod Augustinus ait, *Christum illis in petra figuratum, nobis in carne manifestatum.* Vides, inquit Bellarminus, Christum tribui Iudæis in petra; nobis in carne, quam petra illa figurabat.

Augustin. in Psal. 75.

Respondeo: Augustinus ait, illis Christum & nobis eundem prorsus fuisse: non ergo illi solam Christi significationem habuerunt: sed in petrâ illis figuratus, nobis incarne manifestatus Christus dicitur, quia nos in Christum incarnatum credimus, illi in incarnãdum: non enim Christi caro in Sacramento manifesta est. Loquitur igitur Augustinus de Christi incarnatione, non de reali præsentia in Sacramento. Sic quod Augustinus alibi ait, *Aliud est Pascha, quod Iudæi de oue celebrant; aliud quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus,* per corpus & sanguinem Domini intelligit Sacramenta harum rerum. Sic igitur concludo, Israelitas in deserto non eadem Sacramenta nobiscum habuisse, sed rem eandem, id est, escam & potum spiritualem, nempe Christum: non illi autem carnaliter habuerunt: nec nos igitur.

Augustin. cont. lit. Petilian. l. 2. c. 37.

Decimum tertium nostrum argumentum sumitur ex 1. Corinth. 10. 16. 17. & 11. 26. 27. 28. vbi Apostolus Eucharistiam vocat panem quinquies, idq; post consecrationem: non ergo desinit esse panis: & sic per consequens non est ibi corpus Christi. Valet hoc argumentum contra Papistas, qui facilè dabunt, non esse ibi corpus Christi, si constiterit ibi esse panem: at non contra Lutheranos, qui non tollunt panem, sed cum pane corpus Christi coniunctum esse volunt. Sed iam quid Bellarmin⁹ respondeat videamus.

13. 1. Cor. 10. 16. 17. & 11. 26. 27. 28.

Primò communem Papistarum responsionem improbat, panem dici, quia fuit antea panis, vt Eua os Adami dicitur: virgæ in dracones conuersę vocantur virgæ: claudi & cæci dicuntur ambulare & videre: meretrices & publicani dicuntur præcedere in regnum cęlorum: Simon leprosus vocatur, quod fuerit antea leprosus: architriclinus aquam gustasse dicitur, q̃ facta est vinum. Et hæc fuit veterum Papistarum responsio, qui aduersus Berengarium scripserunt: sed hanc responsionem non probat Bellarminus. Posset enim Aduersarii dicere, inquit, non ideo, quia alicubi res denominatur ab eo, vnde facta est, vbique ita esse accipienda vocabula. Sed nos duas alias rationes afferimus, quarũ *prima* est, quia tum Apostolus tropice loqueretur: nam res impropriè dicitur non quod est, sed quod fuit; & sic nos eodem iure dicere possumus, esse tropum in his verbis, *Hoc est corpus meum*: & sic olim Berengarius respondit: *secunda* nostra ratio est, quod nusquam in Scripturis res aliqua vocetur nomine eius rei, quæ fuerit, nisi cum mutatio sensibus manifesta est, Sic constabat Euam iam mulierem, non os esse; & virgas iam fuisse dracones, non virgas; & claudos ac cæcos desiisse esse claudos & cęcos; & similiter meretriçes ac publicanos, sic nec vinum tum erat aqua, sed architriclinus ex gustu diiudicabat esse vinũ; nec Simon tum leprosus erat, quia paulo ante sanatus fuit, & omnes tum sanatũ esse videbant. Sed hic videtur panis, & sic vocatur: est ergo. Nusquam talis tropus est, nisi cum res euidentes sunt, & euidenter tropum esse declarant. Non ergo corpus vocatur panis, quia ex pane factum est, cum omnes sensus non esse corpus sed panem diiudicent.

1.

Gen. 2. 23. Exod. 7. 12. Matt. 11. 5. Mat. 21. 31.

Mat. 26. 6 Ioan. 2. 6.

Secundò Bellarminus ait, Scripturam vocare res ordinariè, vt exterius apparent, vt æneus serpẽs vocatur serpens: sic Eucharistia vocatur panis, quia forma exteriore non differt à vero pane. 2.

Respondeo: hoc quoque tropicum esse. Nam serpens æneus non verè serpens erat, sed propter similitudinem; & sensus hic non fallebantur: nam sensus omnes testabantur esse æneum non viuum serpẽtem: in Eucharistia autem nisi panis sit, sensus omnes falluntur. Nõ ergo nos accusandi sumus, quod affirmemus panem dici corpus Christi, quia signum est corporis Christi, si hæc ratio interpretandi permissa fuerit, vt panis propter externam speciem dicatur.

Tertiò Bellarminus ait, vocari panem phrasi Hebraica, qua nomine panis omnis cibus intelligitur. *Respondeo*: 1. Hebraicam vocem (Lechem) non omnem cibum propriè, sed tantùm panem significare, nisi tropicè & metaphoricè; tum enim pro omni cibo promiscuè sumitur: si hic sic sumatur, tum tropus est 2. ἄρτος, & panis, nõ solent sic sumi in bonis authoribus 3. Non alium cibum quam panem, mysterii ratio docet: nam verus panis triticeus in mẽsa positus est, nec potest alius cibus præter panẽ triticeum hoc mysterium denotare. 4. Patres verum panem esse testatur, vt nos postea docebimus, qui ex multis granis tritici fit, vt eo modo nostra inter nos cõiunctio significetur. Periret ista mystica

3.

analogia, si alius cibus & non panis esset. 5. Apostolus ait, *Panis, quem frangimus nonne est κοινωνία, i. e. communicatio corporis Christi?* Quem hæc verba sensum haberent, si per panem cibus, id est, caro Christi intelligatur? 6. Caro Christi non nisi metaphoricus cibus est, non verus corporalis cibus. Sed quàm perdita horum causa sit, quis non videt, qui tales expositiones comminisci coguntur? Paulus vocat panem, id est, inquiunt, cibum: at quis cibus in mensa Dominica, nisi panis.

1. Cor. 10. 16.

4. *Quartò* Bellarminus ait, Eucharistiam vocari panem, quia nō modo cibus est, sed cibus solidus, præcipuus, substantialis, qualis est cibus triticeus inter cibos corporales.

Respondeo: Hoc nihil differt à superiore. Sed Apostolus apertè se de pane loqui testatur: nam ait, *Panis quem frangimus.* Hoc propriè ad panem refertur: panis enim propriè frangi dicitur: corpus Christi non frangitur: nec alius quiuis cibus frangi, sed scindi potiùs dicitur: nam fractio indicatur, quæ manibus fit.

5. *Quintò* Bellarminus ait, Christi corpus vocari panem sæpe Ioan. 6. vbi non intelligunt Aduersarii, inquit, panem materialem: ergo cibum cælestem. *Respondeo:* Quando Christi corpus vocatur panis, necesse est de pane spirituali intelligi: sed quando panis demonstratur, qui verè panis fuit, vt ipsi fatentur, & est adhuc verus panis, vt sensus declarant, tum materialis panis intelligatur necesse est. Nos ergo optimè ex Apostolo concludimus, panem in Eucharistia manere, quia Scriptura vocat panem post consecrationem. Illi non possunt sine tropis respondere: & illorum tropi sunt absurdissimi, & aliis tropis, qui in Scripturis habentur, dissimiles: nostri faciles.

14. *Decimum quartum* nostrum argumentum sumitur ex Philipp. 3. *Philipp. 3. 21.* ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, *Qui transformabit corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso.* Corpora nostra post resurrectionem easdem dotes habebunt, quas nunc habet corpus Christi: at stultum est, nostra corpora fore in pluribus locis, aut sub modica specie panis. De hoc loco nos antea nonnulla diximus. Bellarminus ait, quod Christi corpus esse possit in pluribus locis, id non oriri ex eo, quod corpus glorioſum sit, sed ex potentia Dei: nam Christum fuisse in Eucharistia ante resurrectionem. *Respondeo:* Apostolus non modo ait nostra corpora fore glorioſa, sed σύμμορφα, i. e. conformia corpori Christi. Theodoretus eodē modo disputat, quo nos, ex hoc loco, *Theodoret. Dial. 2.* ἐκ τοῦ τῶν ἁγίων ἀσύγχυτον. φυλάττει τὸν χαρακτῆρα τῆς φύσεως, καὶ τὸ δεσποτικὸν ἀρχετύπως τῷ οἰκείαν οὐσίαν ἀμεταβλητον ἔχει. *Si sanctorum corpora retinent notam, seu, proprietatem naturæ suæ, tum & Dominicum corpus similiter propriam substantiam immutabilem habet*: at in reali

reali præsentia nullus χαρακτὴρ φύσεως retinetur.

15. *Decimum quintum* nostrum argumentum sumitur ex Coloss. 3. *Coloss. 3. 1.* *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens:* Christus ergo non in Eucharistia quærendus est, sed in cælis: & rectè vetus Ecclesia instituit, vt ante mysteriorum celebrationē diceretur, *Sursum corda.* Bellarminus respondet, illud *Sursum corda*, non significare eleuationem ad locum corporalē, sed eleuationem à rebus terrenis, & à curis huius vitæ, ad Deum, & res æternas, & diuinas. *Respondeo:* ἄνω locum corporalem ab hoc mundo secretum significat; non res in hoc mundo, sed τὰ ἄνω, quæ sursum sunt: at si Christus in Eucharistia esset, oporteret τὰ κάτω, i. est, *quæ deorsum sunt* quærere. Et Apostolus locum designat, cum ait, ὃ ἐστὶν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος, *vbi Christus est ad dexteram Dei sedens.* Quod autem obiicit de Astronomis, qui semper versantur animo & oculis inter sydera, ineptū est: nam illi non nisi sydera cōtemplantur; at Apostolus nō vult, vt nos oculis sydera cōtemplemur, sed vt supra stellas ascendant mentes nostræ, & Christum contemplentur, qui est in cælis. Sed adhuc obiicit de Magis, qui Christum in præsepi quærebant, de virgine Maria, quæ quærebat in templo, de Magdalena, quæ quærebat in sepulchro; quæ tamen omnes sursum corda habebant, quia illum quærebant, qui est super omnia Deus benedictus in sęcula. *Respondeo:* Christum quando fuit in terris, hic in terris quærendum fuisse: at nunc subduxit se è terris: ergo non est nunc in terris, sed in cælis quærendus, in quos sublatus est. Eo spectabat, *Sursum corda:* at oporteret & oculos & corda in Sacramentum defigere, si ibi esset Christus.

Caput IX.

An possit fieri, vt Christi corpus sit præsens in Eucharistia.

Vide apud Bellarmin. lib. 3 de Sacram. Eucharist. c. 1. & 2.

Realem Papistarum præsentiam nō nisi humanum commentum esse, variis argumentis, quæ sunt è Scripturarum fontibus ducta, iam demonstratum est: sed nondum toto opere defuncti sumus, quia supersunt alia argumenta, quæ nullo modo in hac caussa prætermittenda sunt, cum contra superstitiosam Aduersariorum opinionem vel maximè valeāt. Neque enim satis est nobis veritatem aperuisse, atque errores, quos refutandos suscepimus, mediocri aut sufficiente refutatione redarguisse; sed nostro instituto conuenit omnia complecti, quæ inter Theologos vtriusq; partis de hac controuersia agitari solent. Veniemus nunc igitur ad illud argumētum, quod à natura corporis sumitur, quod etsi videri potest philosophicum, tamen reuera Theologicum est. Nam Scriptura docet, Christi corpus esse ijsdem proprietatibus præditum, quibus nostra: eiusdem naturæ esse: & hanc natu-

naturam atq; has proprietates retinere, quandoquidem est necesse vt Christi corpus nunquam desinat humanum esse: ex quo efficitur, vt quod à vero corpore alienũ est, non possit verè de Christi corpore affirmari: quare quicquid de Christi corpore affirmatur, quod naturæ veri corporis repugnet, id falsum esse manifestum est. Iam inprimis ad naturam veri corporis pertinet, habere dimensiones suas, & proinde loco suo cõtineri: at Christi corpus Papistæ in Sacramento affirmant carere quantitate iusta ac proportione corporis, nec loco circumscribi; quod perinde est, ac si corporis veritatem tollant. Quid enim refert palamne an tectè hoc faciant? hoc posito Christi corpus expers esse quantitatis, & earum proprietatum, quæ in corpore necessariæ sunt & ἀπώδεις, id est, *essentiales*; quantumuis millies dixerint verum corpus esse Christi, tamen Christum nõ iam vestimento suo spoliant, vt furti rei sint, sed ipsi corpus suum auferunt, vt homicidæ & hæretici euaserint.

Quemadmodum enim si quis Deum esse concederet, interim in certum locum compingeret, nec infinitum esse cõcederet, is Deum tolleret: sic qui se Christi corpus agnoscere profitentur, & tamẽ corporis veri proprietates euertunt, nihil in corpore integrum relinquunt. Vtinam hæc nobis lis esset cum Papistis solis: sed Lutherani in eodem cum Papistis absurdissimi erroris cæno volutantur: imò hærent hic putidius. Papistis enim satis est, vt Christus sit in omnibus consecratis hostiis: at Lutheranorum plærique monstrosam quandam vbiquitatem, & æqualitatem humanitatis ac deitatis, & omnipræsentiam, & omnimaiestatem, & huiusmodi prodigia in Eutychete damnata referunt. Sed nos rectum veritatis filum sequentes, id de Christi corpore teneam⁹, quod Scriptura docuit, veriq; corporis ratio requirit. Sumpto igitur argumento à natura corporis, realẽ præsentiam oppugnamus. Repugnat enim naturæ & veritati corporis humani, quod membra distincta habet, & magnitudinem iustam, esse in tantillo spatio. Et Papistæ nõ posse hoc fieri sine miraculo aiunt: nos contra *primò*, miracula non esse temerè fingenda dicimus; sed de miraculis postea: *secundò*, vt Christi corpus eo modo sit in Sacramento, quo Papistæ volunt non posse fieri, ne per miraculum affirmamus, quia simpliciter est ἀδύνατον. Nam cõtradictionem implicat, quia sic erit simul corpus & non corpus. Eo igitur insaniæ Papistas deuenisse contendimus, vt talem Christi prẽsentiam in Sacramento statuant, quæ sit simpliciter impossibilis, quæ ne in potentiam diuinam cadat.

Quæstio igitur nunc est, possitnè Christi corpus esse in Eucharistia eo modo, quo Papistæ volunt. Bellarminus duas huius quæstionis partes facit, quarum *prima* est, an potuerit Deus hoc facere, *secunda*, an voluerit.

Quan-

Quanquam hoc argumentum à potestate Dei nõ concludit, p Papistis: non n. sequitur, Potest Deus hoc facere: ergo facit: imò pro nobis contra illos maximè facit: Si enim non potest, certè non facit: quemadmodum verò non posse dicatur, mox dicemus. Iam de argumento Papistarum & Lutheranorum; Deus efficere potest, vt corpus Christi sit in multis, aut in omnib. locis: ergo sic credendum est: *respondeo*: non sequitur: tum enim quicquid fieri potest, factum esse statuamus necesse est. Simili argumento olim Praxeas hæreticus vsus est, quo Patrem esse & Filium probare voluit, quia difficile non fuit Deo ipsum se & Patrem & Filium facere, vt & sterilem & virginem parere.

Tertullian. cont. Praxeam.

Sed Tertullianus hanc insipientiam hæreticorum egregiè refellit. *Si tam abruptè*, inquit, *in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur, quiduis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideoque credendum est, illum fecisse etiam, quod non fecerit; sed an fecerit requirendum. Potuit hominem pennis ad volandum instruxisse: potuit Praxeam & omnes hæreticos statim extinxisse.* Tum ait, *Hac ratione erit aliquid & difficile Deo, id scil. quodcunque non fecerit; non quia non potuerit, sed quia noluerit.* Ex quibus Tertulliani verbis nos duo colligimus; *primum* est, non esse à potentia Dei argumentandum, nisi de eius voluntate constiterit.

Quantumuis ergo posset Deus efficere, vt Christi corpus in mille locis simul esset, non ideo credendum, nisi & voluisse docuerint Aduersarij: id autem nunquam ostẽdent: *secundum* est, Deo difficilia dici posse, quæ noluerit, non simpliciter, quasi non omnino potuerit, sed quodammodo, quia quod Deus noluerit facere, perinde est ac si non potuerit fieri. Iam igitur, etsi Papistæ euicerint posse fieri, quod contendunt, parum profecerint, quia non oportet vtitam abruptis præsumptionibus, & quiduis de Deo confingere, vt Tertullianus loquitur. Sed quia nec Deus facit, quod fieri non possit, & nos hoc esse ex eorum genere dicimus, quę fieri nequeunt, vidit Bellarminus, hunc locum in initio sibi perpurgandum esse. Quid igitur? Deus aliquid non posse dicendus? an non hoc cum Dei omnipotentia pugnat? num nos igitur omnipotentiam Dei negamus, aut in quæstionem vocamus? Absit. Id tamen non Papistæ tantùm, sed insulsi quidam Lutherani de nobis blaterant, nos negare omnipotentiã Dei, quia non dicimus abruptè & absolutè, sine omni exceptione aut explicatione, Deum omnia posse.

Sic præclarus quidam author Conradus Shlushelburgius ait Dei omnipotẽtiam à nobis impiè negari, quia hoc fieri nõ posse dicimus, vt corpus sit non corpus: vt aliquid actu sit & non sit simul. Indoctè. Quædam enim Deus facere non potest, vt peccare, mentiri, mori, quæ præterita sunt, facere vt sint futura, quæ facta sunt infecta

Conrad. Shlushelburg. art. 3.

facere; & Scriptura ipsa affirmat Deum quædam non posse, vt ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν δύνατον, *negare seipsũ non potest*, & ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεὸν, *impossibile est, Deum mentiri.* Apostolus tamen non negat omnipotentiam diuinam. Ita Deus non potest impellere quenquam ad peccandum, nec fallere, nec falli, nec potest non esse beatus, æternus, infinitus, bonus: hæc enim omnia pugnant cum natura diuina. Quare Augustinus ait, *Propterea quædam non potest DEVS, quia est omnipotens*, & alibi, *Ego dico quanta non possit; non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest, quia si posset, non esset omnipotens*; & adhuc alibi, *Quisquis ita dicit, si omnipotens est Deus, faciat vt quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt se hoc dicere, si omnipotens est, faciat vt ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint.* Similiter Ambrosius, *Quid ei impossibile? non q̃ virtuti arduũ, sed quod naturæ eius contrarium.* Theodoretus ait, πολλὰ ἐυρήκαμεν ἀδύνατα ὄντα τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ, *Multa inuenimus impossibilia omnipotenti Deo*, nimirum quę sunt τῆς φύσεως ἐναντία ἢ ἀλλότρια τῆς θείας, *quæ sunt aliena à natura diuina, eique contraria.* Sed rectè monet, ista non posse, non esse ἀσθενείας aut ἀδυνάμεως τεκμήριον *infirmitatis aut impotentiæ indicium*, ἀλλὰ δυνάμεως, *sed potentiæ & posse, esse* δυναμίας, ἀδυνάμεως *impotentiæ non potẽtiæ.* Et sic Ambros. *Impossibile istud non infirmitatis, sed virtutis & maiestatis.* Hieronymus ait, *Audenter loquar; cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam*, id est, è corrupta, facere non corruptam. Non mirum igitur quod quędam non posse Deum dicamus: nam si posset, aut non esset Deus, aut faceret vel pateretur aliquid suæ naturæ contrarium. Quemadmodũ à Deo alienum est, vt quod verum est, falsum esse faciat, sic vt quod corpus est, non esse corpus faciat: hoc enim facere est mentiri: at hoc Deus non potest, quia Deus nisi verus ne cogitari quidem potest. Tria autem sunt in Papistarum dogmate impossibilia; *primum* est, vnum corpus poni simul in diuersis locis: *secundum*, corpus esse alicubi, & non occupare locum: *tertium*, accidentia esse sine subiecto, & nutrire. Hæc præcipua sunt: nam alia quoque ex his sequuntur: hæc illi statuunt: nos esse & falsa & ἀδύνατα dicimus. Sed anteq̃ de his separatim dicam⁹, dicendũ prius in genere, an hæc sint simpliciter impossibilia. Quærendum ergo, quid sit impossibile, id est, quid Deus non possit facere; eo intellecto, facilè an hæc possibilia sint intelligemus. Quærenda ergo regula est, ex qua liqueat, quid DEVS possit, quid non; de qua, vt spero, inter nos conueniet. Sed tamen de ea Theologi variè scripserunt. Bellarminus ait, regulam hanc posse sumi vel à Deo, vel ab homine, vel à reb. ipsis: nos de his breuiter respondeam⁹. Ait, Calvinũ in Catechismo & institutione docere, Deũ posse facere, quod vult, & facit, nullam autem esse in Deo potentiam faciendi quod non decreuit.

2. Tim. 2. 13. Heb. 6. 18.

Augustin. de ciuitat. Dei l. 5. c. 10. Idem serm. 119. de tempore. Idem cont. Faust. l. 26. c. 5. Ambrosius Epist. 37. Theodoret. Dial. 3. Ambrosius vbi supra.

I. Galvin. in Catechis. in art. 1. Symbol.

Sanè quin possit Deus quod vult, nemo pius negarit: non esse autem in Deo potentiam, qua possit facere, quod non facit, id nunquam Calvinus dixerit, neque eiusmodi aliquid in Calvino habetur: quare mendacium hoc Bellarmini est. Id quidem Calvinus ait, potentiam Dei non esse fingendam otiosam, & quodammodo sopitam, sed efficacem, vigilem, operosam: ne Deũ permisisse vim omnem secundis causis, ipsum nihil nunc agere existimemus: nõ tamen propterea Deus non posset multo plura facere, si vellet, etiam nouum mundũ creare, imo multos mundos. Tamen quia inutile est de potẽtia Dei disputare, quæ nunquam in actum venit, Theologi nonnunquam Dei potentiam ad eius voluntatem referunt, vt omnipotens sit, quia potest quicquid vult.

Idem in inst. l. 1. c. 16. §. 3.

Tertull. cont. Prax. *Deipossevelle est, & non posse, nolle*: ergo ait, *Si probaueris illum fecisse, tunc probabis illum & potuisse & voluisse.*

Tertullianus ait, *Dei posse velle est; & non posse, nolle*: ergo ait, *Si probaueris illum fecisse, tunc probabis illum & potuisse & voluisse.*

August. de Ciuit. Dei l. 5. c. 10. Psalm. 115. 3.

Sic Augustinus, *Dicitur omnipotens faciendo quod vult, non patiendo, quod non vult.* Et sic Propheta Dauid de potentia Dei disserens ait, *Deus noster in cælis est, quicquid voluit facit.* Nos volumus multa, sed non possumus, & dæmones volunt plura, quam possunt: at Deus potest omnia quæ vult: in quo eius omnipotentia elucet, quæ nulli creaturæ conuenit. Sed tamen certum est, posse Deum multa, quæ nunquam facturus est, nec putandus est facere omnia quæ potest. Potuit impedire ne Adamus peccaret, ne serpens mulierem falleret, ne Iudæi Christum occiderent: potuit efficere vt omnes seruarentur, etiam dæmones. *An putas me non posse nunc precari Patrem meum*, inquit Christus, *qui huc sistat mihi plures quam duodecim legiones Angelorum?* at hoc factum non est. Et alibi, *Dico vobis posse Deum etiam ex lapidib. istis excitare filios Abrahæ*: at hoc nunquã fecisse legitur. Sic adhuc alibi, *Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi: trãsfer à me istud poculum*: potuit Deus transferre, sed non transtulit. Sic August. ait, *in futuro seculo nos multa cognituros, quæ nescim⁹ nunc, veluti cur Deus noluerit multos seruari q̃ seruari possẽt: cur noluerit Christus facere miracula apud eos q̃ crederent, & facere apud eos qui non crederent: cur elegerit hos, non illos: cur non faciat multa quæ potest.* Sic idem alibi ait, *posse fieri, vt homo sit* ἀναμάρτητος, *sine peccato, etsi nullus vnquam fuit, Christo excepto, qui natura Deus est.* Non ergo negandum, ideo posse hoc Deum, quia nunquam fecit, aut facturus est.

Mat. 26. 53. Luc. 3. 8. Marc. 14. 36. August. in Enchirid. c. 95. Idem de spirit. & lit. c. 1.

Damascenus hac de re hæc verba habet, πάντα ὅσα θέλει, δύνατῳ· οὐχ ὅσα δὲ δύνατῳ, θέλει· δύνατῳ γὰρ ἀπολέσαι τὸν κόσμον, οὐ θέλει δὲ. *Omnia quæcunq; vult potest, non autem quæcunq; potest vult: potest enim mundum destruere: non vult autem.* Ergo simpliciter potentia Dei latiùs patet, quam eius voluntas, si per eius voluntatem intelligatur executio & effectio. Falsum & hæreticum est, Dei potentiam exæquari eius effectibus, vt Petrus Abeilardus docuit. Sed aliquo modo

Damascen. l. 1. c. 15.

voluntas & potentia Dei æqualis est: quicquid enim Deus velle potest, id facere potest. Nam etiam Angeli boni faciunt quæ volunt, quia nihil volunt, nisi quod velle debent: sic in hoc Deo pares sunt: at non possunt omnia, quæ velle possunt. Re in Deo idem voluntas & potentia est. Sed non minus incertum est, quid Deus possit velle, quam quid facere possit: melior ergo certiorq; adhuc regula quærenda est.

2. *Secundò* ex parte hominis (inquit Bellarminus) posset accipi hęc regula, id omne posse Deum facere, quod potest homo concipere. Si aliqui Scholastici, quia obiectũ humani intellectus est ens aut verum: quicquid est ens aut verum, fieri potest. Et quidem Deus potest facere omnia, quæ cadere in humanam intelligentiam possunt, si de proprio obiecto loquamur (fingi enim etiam contradictoria possunt, quæ fieri nequeunt) sed Dei potentia non est humanæ mentis angustiis circumscribenda: plura potest Deus, quam nos cogitare. Quis enim nostrum mundi structuram animo complecti potest? constructum esse credimus, & eius rei ideam quandam animo cõcipimus: sed modus superat intelligentiam nostram. Corpus solis oculis cernimus, sed eius rationẽ, vires, operationes omnes, non intelligimus. Quid de animæ origine, de generatione Filii, de processione Spiritus Sancti, de Trinitate personarum dicemus? nonne hæc omnia sunt ἀκαταλήπτα, id est, eiusmodi quæ animo nostro concipi & comprehendi non possunt? Et nonne legimus, *Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis ἀνέβη, ascenderunt, parauit Deus ijs, qui ipsum diligunt?* Et nonne Apostolus ait, Deum posse ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, *infinita cum redundantia omnia facere, supra ea quæ petimus, aut mente concipimus?* Potest ergo Deus, quod nunquam cuiquam in mentem venit: ergo nõ est eius potentia ex ingenii nostri captu metienda. Et quanquam, quod intelligimus, verum est: at infinita vera sunt, quæ non intelligimus. In natura quam multa sunt, quorũ ratio nobis ignota est? de quibus Augustinus respondens ethnicis, qui nostra putant esse falsa, quia nõ intelligunt, quærit cur sal Agrigẽtinus admotus igni velut in aqua fluescit, cum in aqua, velut in igne crepitare soleat: & ait apud Garamantas fontem esse tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam feruidum noctibus, vt non tangatur; & alia eiusmodi commemorat. Fatẽdum igitur vinci nostram cogitationem à potentia diuina: nostra enim intelligentia finita est; at Dei potentia infinita. Nos cur Deus hunc eligere, illum reiicere voluerit, non capimus. Quare quod Bellarminus ait, nos nolle credere, nisi quod ratione capimus, mera calumnia est. Sed posse Christi corpus in Eucharistia esse nõ credimus, non quia non capimus, sed *primò*, quia pugnat cum Scripturis, *secundò*, quia est simpliciter ἀδύνατον,

1. Cor. 2. 9.

Ephe. 3. 20

Augusti. de ciuit. Dei. 21. c. 5.

τον, id est, *impossibile*, vt nos postea docebimus.

3. *Tertiò*, à rebus ipsis regula sumi potest, fieri scil. posse, quicquid nõ implicat contradictionem. Quia nihil simul est, & non est: si hoc Deus faceret, sibi repugnaret: esset enim Deus & non Deus: quicquid ergo repugnantiam & contradictionem inuoluit, id non potest fieri, non modò quia cum immoto quodam principio naturæ pugnat, sed quia Deus tum sibi dissimilis esset: tum enim dici posset, Deum non prædestinâsse, quos prædestinauit; non reprobâsse, quos reprobauit, non fecisse, quod fecit. De regula igitur inter nos conuenit, sed quæstio est, an hoc implicet contradictionem, de quo nunc disputamus. Illi negant, nos affirmamus.

Caput X.

An vnum corpus esse in pluribus locis, implicet contradictionem. Argumenta Pontificiorum quibus probant nom implicare.

Posse vnum corpus in pluribus locis simul adesse, Bellarminus quinque argumentis conatur probare, quorum primum è Scriptura sumitur, quæ testatur Deo nihil esse impossibile. *Apud Deum omnia possibilia sunt*, inquit Christus: item alibi, *Apud Deum ἐκ ἀδυνατήσει πᾶν ῥῆμα, non erit impossibile vllum verbum.* Si nihil sit impossibile Deo, ergo nec impossibile est, vnum corpus esse simul in multis locis.

Matth. 19. 26. Luc. 1. 37.

Respondeo: Cum fateatur Bellarminus, ea Deo impossibilia esse, quæ sunt ἀνυπόστατα, id est, quæ implicant contradictionem, non omnia simpliciter erunt possibilia. Sed ea tè omnia, quæ non caudam contradictionis trahunt. Si hoc eiusmodi sit, possibile esse dabimus. Sed fieri sine contradictione non potest, vt vnũ corpus in plurib. locis statuatur, quia tum erit corpus idem, & non idem corpus; quod sine contradictione ne cogitari quidem potest. Sed hoc Bellarminus ex nostris principiis conatur refellere. Tria autem affert principia nostra.

1. *Primum* est, nil esse credendum sine verbo Dei: at verbum Dei nusquam excipit à Dei omnipotentia præsentiam vnius corporis in diuersis locis. *Respondeo:* Si contradictionem implicet, certum est ex ipsius confessione alienum esse à Dei potentia; neque opus est proferre testimonium Scripturæ, quo corpus vnum non esse in duobus locis probetur, cum pugnet cum communi regula, quæ satis clare in Scripturis habetur. Nam Deus non potest *mentiri*, nec *se negare*: id Scriptura disertè affirmat: quare? quia cum eius natura pugnat: similiter vnum corpus non potest esse in duob. locis, qui tum Deus faceret, vt vnum non esset vnum, corpus non corpus; & sic mentiretur: deinde corpus Christi esset

Heb. 6. 28. 2. Tim. 2. 13.

voluntas & potentia Dei æqualis est: quicquid enim Deus velle potest, id facere potest. Nam etiam Angeli boni faciunt quæ volunt, quia nihil volunt, nisi quod velle debent: sic in hoc Deo pares sunt: at non possunt omnia, quæ velle possunt. Re in Deo idem voluntas & potentia est. Sed non minus incertum est, quid Deus possit velle, quam quid facere possit: melior ergo certiorq; adhuc regula quærenda est.

2. *Secundò* ex parte hominis (inquit Bellarminus) posset accipi hęc regula, id omne posse Deum facere, quod potest homo concipere. Si aliqui Scholastici, quia obiectũ humani intellectus est ens aut verum: quicquid est ens aut verum, fieri potest. Et quidem Deus potest facere omnia, quæ cadere in humanam intelligentiam possunt, si de proprio obiecto loquamur (fingi enim etiam contradictoria possunt, quæ fieri nequeunt) sed Dei potentia non est humanæ mentis angustiis circumscribenda: plura potest Deus, quam nos cogitare. Quis enim nostrum mundi structuram animo complecti potest? constructum esse credimus, & eius rei ideam quandam animo cõcipimus: sed modus superat intelligentiam nostram. Corpus solis oculis cernimus, sed eius rationẽ, vires, operationes omnes, non intelligimus. Quid de animæ origine, de generatione Filii, de processione Spiritus Sancti, de Trinitate personarum dicemus? nonne hæc omnia sunt ἀκαταλήπτα, id est, eiusmodi quæ animo nostro concipi & comprehendi non possunt? Et nonne legimus, *Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis ἀνέβη, ascenderunt, parauit Deus ijs, qui ipsum diligunt?* 1. Cor. 2. 9. Et nonne Apostolus ait, Deum posse ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, *infinita cum redundantia omnia facere, supra ea quæ petimus, aut mente concipimus?* Ephe. 3. 20. Potest ergo Deus, quod nunquam cuiquam in mentem venit: ergo nõ est eius potentia ex ingenii nostri captu metienda. Et quanquam, quod intelligimus, verum est: at infinita vera sunt, quæ non intelligimus. In natura quam multa sunt, quorũ ratio nobis ignota est? de quibus Augustinus respondens ethnicis, qui nostra putant esse falsa, quia nõ intelligunt, quærit cur sal Agrigẽtinus admotus igni velut in aqua flueſcit, cum in aqua, velut in igne crepitare soleat: & ait apud Garamantas fontem esse tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam feruidum noctibus, vt non tangatur; & alia eiusmodi commemorat. Fatẽdum igitur vinci nostram cogitationem à potentia diuina: nostra enim intelligentia finita est; at Dei potentia infinita. Nos cur Deus hunc eligere, illum reiicere voluerit, non capimus. Quare quod Bellarminus ait, nos nolle credere, nisi quod ratione capimus, mera calumnia est. Sed posse Christi corpus in Eucharistia esse nõ credimus, non quia non capimus, sed *primò*, quia pugnat cum Scripturis, *secundò*, quia est simpliciter ἀδύνατον, id est, *impossibile*, vt nos postea docebimus. Augustin. de ciuit. Dei l. 22. c. 5.

3. *Tertiò*, à rebus ipsis regula sumi potest, fieri scil. posse, quicquid nõ implicat contradictionem. Quia nihil simul est, & non est: si hoc Deus faceret, sibi repugnaret: esset enim Deus & non Deus: quicquid ergo repugnantiam & contradictionem inuoluit, id non potest fieri, non modò quia cum immoto quodam principio naturæ pugnat, sed quia Deus tum sibi dissimilis esset: tum enim dici posset, Deum non prædestinâsse, quos prædestinauit; non reprobâsse, quos reprobauit, non fecisse, quod fecit. De regula igitur inter nos conuenit, sed quæstio est, an hoc implicet contradictionem, de quo nunc disputamus. Illi negant, nos affirmamus.

Caput X.

An vnum corpus esse in pluribus locis, implicet contradictionem. Argumenta Pontificiorum quibus probant nom implicare.

Posse vnum corpus in pluribus locis simul adesse, Bellarminus quinque argumentis conatur probare, quorum primum è Scriptura sumitur, quæ testatur Deo nihil esse impossibile. *Apud Deum omnia possibilia sunt*, inquit Christus: item alibi, *Apud Deum & ἀδυνατήσει πᾶν ῥῆμα, non erit impossibile vllum verbum.* Si nihil sit impossibile Deo, ergo nec impossibile est, vnum corpus esse simul in multis locis. Matth 19. 26. Luc. 1. 37.

Respondeo: Cum fateatur Bellarminus, ea Deo impossibilia esse, quæ sunt ἀντιφατικὰ, id est, quæ implicant contradictionem, non omnia simpliciter erunt possibilia. Sed ceteè omnia, quæ non caudam contradictionis trahunt. Si hoc eiusmodi sit, possibile esse dabimus. Sed fieri sine contradictione non potest, vt vnũ corpus in plurib. locis statuatur, quia tum erit corpus idem, & non idem corpus; quod sine contradictione ne cogitari quidem potest. Sed hoc Bellarminus ex nostris principiis conatur refellere. Tria autem affert principia nostra.

1. *Primum* est, nil esse credendum sine verbo Dei: at verbum Dei nusquam excipit à Dei omnipotentia præsentiam vnius corporis in diuersis locis. *Respondeo:* Si contradictionem implicet, certum est ex ipsius confessione alienum esse à Dei potentia; neque opus est proferre testimonium Scripturæ, quo corpus vnum non esse in duobus locis probetur, cum pugnet cum communi regula, quæ satis clare in Scripturis habetur. Nam Deus non potest *mentiri*, nec *se negare*: id Scriptura disertè affirmat: quare? quia cum eius natura pugnat: similiter vnum corpus non potest esse in duob. locis, qui tum Deus faceret, vt vnum non esset vnum, corpus non corpus; & sic mentiretur: deinde corpus Christi esset circum-

Heb. 6. 18. 2. Tim. 2. 13.

circumscriptũ in vno loco, quod est de corporis essentia, & simul esset in multis locis, quod est contra essentiam corporis, & sic esset contradictio. Cum autem contradictio non cadat in sinum Dei, vt recte Augustinus, hoc posse fieri prorsus negandum est. Habemus igitur verbum Dei: Deus non potest facere, quæ implicant contradictionem, quia non potest mẽtiri. Bellarminus ait, vnum corpus in duobus locis esse, non posse clarè ad hoc reduci: sed satis est, si vllo modo reducatur.

August. Confess. l. 12. c. 25.

2. *Secundum* principium nostrum est, eam esse verã doctrinam, quæ Deum exaltat, & hominem deprimit, & contra falsam esse, quæ hominem exaltat, & deprimit Deum. At qui dicit posse Deum ponere vnum corpus in pluribus locis, hic Deum exaltat, & hominem deprimit, cum fateatur Deum plura posse facere, quam nos intelligamus: qui autem id negat, Deum deprimit, & hominem exaltat, cũ Dicat Deum nõ posse facere, quod homo nõ potest capere. *Respondeo*: Hoc est sophisticè nugari. Non enim verum semper est, quicquid nos Dei potẽtiam amplificare fingimus, quia sic possemus fingere, Deũ multos filios genuisse, & multos mundos condidisse, & tñ horũ vtrumque falsum est: non ergo dicimus, veram doctrinam sic semper esse æstimandam. Nostrum principium est, de rebus diuinis loquendum esse ex prescripto verbi diuini, non vt cancellos verbi prætergressi nescio quæ somniemus. Denique hoc eiusmodi est, vt cum diuina gloria constare nequeat: esset enim Deus sibi contrarius, si aliquid simul esse & non esse faceret.

Tertium nostrum principium à 3.
Bellarmino citatum est, esse in loco, non esse de essentia corporis, sed accidentarium quiddam: ergo non implicat contradictionem, vnum corpus esse in plurib. locis, quia illa tantùm implicant contradictionem, quæ pugnant cum essentia rei. *Respondeo*: Est de essentia corporis, implere locum, quia habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Hæ dimensiones non possunt sic coarctari, vt sint sine spatio: non ergo potest esse corpus sine his: de essentia ergo sunt hæ dimensiones: & per cõsequens non potest esse corpus sine loco.

Bellarminus obiicit, vltimum cælum non esse in loco: Sic nullam instantiam nisi de vltimo cælo dare potuit: ad summum cælum fugere coactus est, quia nullum in mundo exemplũ reperire potuit. Sed respondeo, 1. nos de corporibus physicis loqui, imo de corpore humano, quod necessariò debet esse in loco. 2. De cælo vltimo *respondeo*, non esse aut vbique, aut in multis locis: imò Bellarminus ait, in nullo loco esse: & sane sic videri potest, quia omnis locus est intra vltimum cælum. Sed etsi vltimum cælum non sit in loco propriè, tamen superficie sua circumscribitur. Sophisticum est, cum nos de locis propriis loquamur, instantiam dare de loco non propriè dicto; & cum nos de corpore organico loquamur, sphæram cælestẽ vltimam obiicere: non enim axioma est de tali corpore, sed de corpore composito ex elementis. Sed 3. *Respondeo*: de vltimo cælo non dixerit, esse in loco simul, & non esse: at de Christi corpore aiunt, esse simul circumscriptum loco, & non esse: quod necessariò contradictorium est.

2. Accedo nunc ad *secundum* Bellarmini argumentum, quod sumitur ab exemplo Scripturæ. Christus cum Apostolo Paulo post ascensionem apparuit, fuit simul in summo cælo, & in terra, siue in aere terræ vicino: ergo vnum corpus potest esse in pluribus locis simul. Fuisse in cælo probat, quia id, inquit, Aduersarii non negant.

Act. 9. & 22.

Respondeo: Si Christus tam fuit in terra, aut in aere terræ vicino, fuisse simul in cælo negamus. Hoc Bellarmino probãdum fuit, Christum simul fuisse in cælo, & Paulo præsentem adfuisse in terris. Sed primò fuisse in cælo probat, quia Scriptura ait, *Quem oportet cælum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium. Respondeo*: 1. Illud, δεῖ, *oportet*, non ita rigidè vrgendũ esse, quasi non liceat Christo, si velit, extra aulam cælorum egredi, ne ad tẽpus quidem, sed hanc illi sedem fore. Christus Zachæo dixit, δεῖ με μεῖναι σήμερον ἐν τῷ οἴκῳ σου, *Oportet me hodie domi tuæ manere*: non hoc ei necessarium fuit; & mansit, quamdiu voluit. Sic alibi dicitur, Ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας, *Oportebat eum transire per Samariam*: potuit tamen Christus alia via proficisci in Galilæam. Non ergo necessarium est, hoc de perpetua Christi in cælis permansione intelligi, quasi ne ad horam esse alibi potuerit, sed de mora & assidua commoratione ibi, vt dicitur quis nunquam exire domo, qui rarissimè exit. Sic Pater filij prodigi dixit filio natu maiori, *Tu semper mecum es*: non tamen perpetuo coram patre fuit. Sic locus exponi potest, & sic non fuit Christi corpus simul sursum & deorsum. 2. Si semel aut bis è cælo egressus est Christus, non sequitur, eum in Eucharistia semper esse. 3. Dico tum Paulo apparuisse Christum, & Paulum vidisse, & ex visione agnouisse: at Christus in Eucharistia non apparet. 4. Nego Christum fuisse in terra, aut in aere, quando Paulo apparuit; & postquam ascendit, nunquam in terris cõspectum esse.

Act. 3. 21.

1.

Luc. 19. 5.

Ioan. 4. 4.

Luc. 15. 31.

2.

3.

4.

Sed probat Bellarminus ex Act. 9. & 22. atque hic duas nostras responsiones affert, & sigillatim refellit. *Prima* est, Paulum non vidisse Christum in persona sua, sed in specie seu similitudine quadã, nec ipsum Christum audiisse, sed vocẽ quandam factam diuinitus, qualis fuit vox Dei Patris super ipsum Christum in Baptismo, & in monte Thabor: & ait sic Calvinum videri locum hunc intellexisse Act. 9. Sed Calvinus nihil eiusmodi habet, neque nos hanc responsionem agnoscimus: neque enim dubitamus, quin Christum ipsum viderit Paulus, non modo spectrum

aut

aut ſimilitudinem Chriſti: neq; eſt neceſſe nobis ad has coniecturas confugere. Paulus ipſum Chriſtum vidit, *Nonne Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?* inquit, & alibi, Ἔσχατον δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί. *Vltimo vero omnium, velut abortiuo, viſus eſt etiam mihi:* & adhuc alibi, ὁ Κύριος ἀπέσταλκέ με (inquit Ananias Paulo) Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ ὁδῷ ᾗ ἤρχου, *Dominus miſit me, Ieſus,* inquam, *qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* Ergo ſine dubio Paulus reuera vidit Chriſtum. *Secunda* noſtra reſponſio, quam affert Bellarminus, eſt, Paulum vidiſſe & audiiſſe Chriſtũ, ſed in cælo exiſtentem, ita vt diuina virtute factum fuerit, vt Pauli oculi & aures cælum penetrârint: & ſic quidem Calvinus. Videamus iam, quomodo Bellarminus iſtam expoſitionem refellat. Primo perſtringit Calvinum, quod alio loco contra inuocationem Sanctorum ſcribens ait, *Quis eouſque longas eſſe illis aures reuelauit, quæ ad voces noſtras porrigantur; oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſſitatibus noſtris aduigilent?* Si oculi carnei, inquit Bellarminus, & aures carneæ in cælum penetrent; non poterit eadem virtute fieri, vt oculi & aures ſpirituales animarum glorificatarum in terrã penetrent? *Reſpondeo:* Quin poſſit hoc miraculo fieri, non dubium eſt, vt in Paulo & Stephano factum eſt: hoc miraculum probent illi de Sanctis in cælo: imo Papiſtæ illos non videre aut audire aliquid ex ſe aiunt, ſed aut in Deo videre, aut reuelari eis à Deo. Sed hæc obiter

1. Cor. 9. 1.

1. Cor. 15. 8.

Act. 9. 17.

Calvin. inſt. l. 4 c. 27. §. 29.

Calvin. inſt. l. 3. c. 20. §. 24.

Ergo iam repetimus reſponſionẽ noſtram, quod Paulus viderit audieritque Chriſtum, non ex eo ſequi, Chriſtum fuiſſe in terra aut aere. Sed quare non obiicit Bellarminus, viſum quoque fuiſſe Chriſtum à Stephano; quod Lutherani obiiciunt: quia vidit ſcilic. apertè contra ſe facere: nam Stephanus ait, *Ecce, conſpicio cælos apertos, & Filium hominis adſtantem ad dexterã Dei.* Stephanus vidit Chriſtum, ſed in cælo: nam cæli aperti ſunt. Iam vero quemadmodum virtute DEI factum eſt, vt Stephanus Chriſtum in cælis viderit: ita eadem virtute fieri potuit, vt Paulus Chriſtum in cælis videre atque audire potuerit.

Act. 7. 56.

Et ſic Auguſtinus, *De cælo vocatus eſt, voce ſublimi:* Si Chriſtus iuxta ſtetit, non de cælo vocauit, nec voce ſublimi opus fuit: nec in loco aliquid habetur, vnde Chriſtum fuiſſe in terris intelligamus. Sed poſtea conatur Bellarminus excuſpere aliquid ex eo, quod lux, quæ Paulum circumfulſit, eum planè excæcauerit: non autem lædere potuiſſet eius oculos, inquit, lux illa corporis Domini, niſi propinqua fuiſſet.

Auguſt in Pſalm. 58.

Act. 9. 3. 8. 9.

Reſpondeo: Lucas non ait illam lucem fluxiſſe è corpore Chriſti, ſed è cælo: περιήστραψεν αὐτὸν φῶς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *circumfulſit eum lux è cælo:* id autem fieri potuit, vt Chriſti corpus non deſcenderit; imo potuit lux è corpore Chriſti in cælo manentis fluere, quæ non modo Pauli oculos perſtringeret, ſed & ipſũ obrueret. Et certè ſi Chriſtus tam

Act. 9. 3.

tam prope fuit, quam illi volunt, cur ſolus Paulus illum vidit & audiuit? cur Pauli comites non viderunt hanc lucem? cur illi excæcati non ſunt? dicuntur illi lucem vidiſſe & timuiſſe, ſed vocem non audiuiſſe; & tamen alibi ait Lucas audiuiſſe vocem, ſed neminem vidiſſe. Opinor vocem Pauli audiuiſſe, at non Chriſti, qui cum Paulo loquebatur: tum enim credidiſſent; & ſic Oecumenius non incommode. Sed ſi Chriſtus iuxta fuit, certè & audiiſſent & vidiſſent; aut forſan tantus fulgor illorum quoque aciem obruiſſet, quẽadmodum de Paulo legimus: at illi nihil paſſi ſunt detrimenti in oculis: quod non potuiſſet fieri ſine miraculo, ſi Chriſtus adfuiſſet.

Act. 22. 9.

Act. 9. 5.

Quare quod Bellarminus ait, comites Pauli non potuiſſe oculis & auribus ſummum cælum penetraſſe, qui tamen & lucem viderunt, & ſonum vocis audierunt: dico non id neceſſarium fuiſſe. Nã 1. quod ad oculos attinet, non illi Chriſtum, ſed lucem quandam cælo demiſſam viderunt: neque enim propter comites, ſed propter Paulum Chriſtus apparuit. 2. Non audierunt Chriſtum, ſed Paulum loquentem, vt vult Oecumenius: vel ſi quis de voce Chriſti intelligendum eſſe contenderit, tum illi loquentem Chriſtum audiebant, ſed quid loqueretur neſciebant; ſonitum quendam auribus perceperunt, ſed vim & ſententiam verborum non intellexerunt. Sic nos ſæpe audimus loquentes, ſed quid loquantur, non aſſequimur; quod perinde eſt, vt ſi non omnino audiamus. Id ergo neceſſarium eſt, vt Comites neſcierint, quid Chriſtus Paulo dixerit: at ſi Chriſtus tam prope fuiſſet, quam illi fingũt, procul dubio exaudiiſſent, cum integri ſenſibus fuerint: ergo Chriſtum de cælo tonuiſſe, & in Pauli aures oculoſq; influxiſſe manifeſtum eſt. Sed adhuc vrget Bellarminus, Paulum dixiſſe, *Quis es Domine?* & Chriſtum reſpondiſſe, *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris:* Hęc inquit, apertè Chriſti præſentiam indicant: nam ſi vidiſſet Paulus Chriſtum in ſummo cælo, vt eum vidit Stephanus, inquit, non dubitaſſet, quiſnam eſſet; ſed quia repente vidit coram ſe hominem quendam ſupra lucem ſolis rutilantem, ideo dixit, *Quis es Domine? Reſpondeo:* Neque in hac coniectura quicquam eſt, quod ſit alicuius momenti. Stephanus, cum Chriſtum vidit in cælo, nõ quærit, quis eſſet: norat enim & in eum crediderat: Paulus vero Chriſti apertus hoſtis fuit: quamuis ergo in cælo nunc videat Chriſtum, non mirum eſt, quod quis eſſet quærat, cum illum in cælis videret, quem impoſtorem eſſe putabat, & in quem non credebat, ſed eum perſequebatur & odio habebat. Quanquam illud, *Quis es Domine?* vox eſt attoniti, & nõ tam neſcientis quis fuerit, quam mirantis & doceri cupientis.

Sed poſtremo ait Bellarminus, Si ſolum in cælo Paulus Chriſtum vidiſſet, non fuiſſet idoneus teſtis reſurrectionis: potuiſſent enim

homines dicere, eum deceptum fuisse, aut sola imaginatione vidisse.

Respondeo: Ad confirmandam resurrectionis veritatem satis est quod Christum viderit: in cælis mean in terris viderit, nihil refert, modo viderit omnino. Tam enim sequitur Christum resurrexisse, si ascendit, quam si in terris se vidēdum præbeat: calumniatores possent non minus falsum dicere, si in terris Christum Paulus vidisset, quam si in cælo vidisset. Quid illi possint calumniari, parum refert: imo magis confirmat resurrectionem, Christum in cælo visum esse cum corpore suo, quam in terris, quia nulla in cælo spectra sunt, multa vero in terris. Hactenus ex Scripturis ratiocinatus est Bellarminus: nunc argumentum suum ex aliis Christi apparitionibus extra Scripturas confirmat. Petro Christum apparuisse scribit Egesippus & Ambrosius. *Egesipp. de excid. Hier. l. 3. c. 2. Ambros. in orat. cont. Auxent.* *Respondeo*: nullam esse necessitatem credendi his testimoniis. Hegesippus primus fuit, qui Petrum Romæ fuisse, & Romæ mortuum esse scripsit: ab illo alii hoc hauserunt: nec tamen aliquid est, quod cogat nos credere, illum fuisse ibi, multa quæ non fuisse persuadeāt. De illa apparitione nullum nisi humanu testimonium est. Quod autem de Sancto Antonio affertur ex Athanasio, ei Christum apparuisse; certum est illum librum non esse Athanasii, nec habere aliquid dignum Athanasio: nō enim vllam ingenii aut pietatis Athanasiani habet. Certè Hieronymus, qui multa de Antonio scripsit, nihil tale de illo commemorat. Sed potuit apparitio esse imaginaria, qualis in extasi esse solet: sic enim Paulo Christus nonnunquam apparuisse legitur: ait enim, cum precaretur in templo in Hierusalem, & extra se raperetur, se vidisse Christum dicentem sibi, *Festina & exi cito ex Hierusalem: quoniam non accipient testimonium tuum de me.* *Act. 22. 17. 18.* Quod vero ex Gregorii Dialogis affert de Tharsilla, q̄ Iesum venientem ad se vidit, cum moreretur, hoc quoque ἐνεργητικῶς fieri potuit: non ex tali quaque visione colligi potest, ipsum Christum venisse. *Gregor. Dial. l. 4. c. 16.* Neque quod locus fragrabat miris odoribus, præsentiam Christi arguit: potuit id miraculo fieri, vt illam animam sibi charam esse Christus ostenderet. Eiusmodi est, quod Ioannes Diaconus in vita Gregorii affirmat, Christum Gregorio apparuisse: quasi quicqd aut Diaconus in vita Gregorii, aut Gregorius ipse in Dialogis scripserit, id verum sit: nostra fides Scripturis, non visis eiusmodi nititur. Neque plus in se momenti habet, quod affert ex Paulino: potuit angelus esse, qui pro Christo apparuit. Sed nunc vt concludamus, de huiusmodi exemplis duo respondemus, quorum *primum* est, Christum nunquam fuisse corpore cōspectum eodē tempore in diuersis locis: si ergo fuit in terris, reliquit cælos, vt quando in cælos abiit, terras reliquit: *secundum*, Christum se videndum præbuisse ijs quibus apparuit, & illos ex visu Christum adesse

Ioan. Diacon. in vit. Greg. l. 2. c. 22.

Paulin. in Epist. ad Macar. quæ est inl. 5. Epist. Paulin.

adesse intellexisse: alias nemo dixisset, Christum ibi fuisse: in Sacramento autem nil tale est. Vbicunque Christus fuit corporaliter, ibi visus est: at nemo Christum in Sacramento videt. Si mille eiusmodi exempla afferri possent, qualia affert Aduersarius, eoque sine controuersia omnia, hæc duo responsa sufficient.

3. Tertium Bellarmini argumentum sumitur à testimoniis Patrum, qui docent rem vnam posse esse in pluribus locis simul. Chrysostomus ait, Christum in cælo cum Patre sedere, & eodem temporis articulo omnium communicantium manibus in terra pertractari. *Chrysost. l. 3. de Sacerdot.* *Respondeo*: ex eodem loco: Christum sic pertractari manib. communicantium, vt immolatus conspicitur oculis communicantium: nam Chrysostomus ait, populum videre Christum immolatum, & turbam φοινίσσεσθαι, *intingi*, aut *rubefieri* eius sanguine: ποιοῦσι δὲ τοῦτο πάντες ἀμφὶ τῶν ὀφθαλμῶν, *Faciunt hoc omnes per oculos*, inquit, id est, hæc omnia fiunt intuentibus astantium oculis. Neque sane nunc Christus propriè tangitur: loquitur ergo Chrysostomus hyperbolicè, de quadam spirituali tractatione. Sed Bellarminus ait, non loqui Chrysostomum de pertractatione in symbolo solum, quia hoc tribuit miraculo.

Respondeo: Miraculum ibi sumitur pro re mira, & communē naturæ ordinem superante. Est autem θαῦμα, id est, res admiranda, Christum posse in Sacramento sic sumi & pertractari, vt si in medio esset: quod certè fit vi spiritus & gratiæ, non naturæ aut carnalis præsentiæ. Idem de reliquis Patribus responderi potest, qui præsentiam Christi in Sacramento statuunt, sed eam neque corporalem, neque visibilem. Sed duo hæc aut tria testimonia, quæ sequuntur, nos suo loco explicabimus: nullus Pater de præsentia reali inuisibili vnquam somniauit. Sed ex Augustino aliquid affert, qui proponit quæstionem, vtrum ad memorias Martyrum, vbi miracula fiunt, ipsi martyres adsint in tam multis locis vno tempore, an hæc ministerio angelorum fiant; & se nescire respondet; & ex eodem narrat historiam de Ioanne Monacho, qui mulieri apparuit in somnis, cum nunquam è monasterio exierit. *Augustin. de cura pro mort. c. 16. & 17.*

Respondeo de Ioanne, illum non in monasterio, sed in solitudine vixisse: quod autem apparuisse dicitur, id facile fieri potuit: nam fuit in somnis, & non inusitatum est, vt nos videre absentes somniem⁹. Sic Paulus cæcus vidit Ananiam ad se venientem in visione. Iam de Martyrib⁹, ex Augustini ignorantia non colligitur bonum argumentum ad probandum sic esse, vt fingit Bellarminus. Augustinus nescit, vtrum ipsi Martyres adsint, an pro illis angeli, aut alii, qui eorū personas sustinent. Non dicit Augustinus posse fieri, vt Martyres vno temporis articulo simul in diuersis locis sint, sed an ita sit ad memorias Martyrum, non audet statuere; non quod nescierit, vnam

Act. 9. 12.

eandemque ſubſtantiam finitam non poſſe ſimul eſſe in remotiſſimis locis, ſed quia putauit poſſe fieri, vt Deus transferret ſpiritus Martyrum celerrimè ab vno loco ad alium. Sed certũ eſt, non Martyres, ſed Deũ illa miracula in illis locis feciſſe, ad confirmandam eam doctrinam quam Martyres & viui profeſſi ſunt, & ſanguine ſuo obſignarunt.

Sed Bellarminus reſponſionem proponit, eamque diluit; aliam eſſe ſpirituum rationem, quam corporum: ſpiritus Martyrum poſſe eſse in pluribus locis ſimul, non autẽ corum corpora: & tum probat eandem eſſe rationem ſpirituum & corporum, vt ſane eſt in hac re. Nos igitur nec Martyres nec Angelos per ſe vnquam fuiſſe in diuerſis locis ſimul dicimus, neq; id aut exemplo, aut Scripturæ aliquo teſtimonio probari poſſe affirmamus: ſunt enim Angeli, etſi ſpiritus, tamen finitæ naturæ.

4. *Quartum* Bellarmini argumentum ſumitur ab exemplis Dei, & animæ rationalis. Deus eſt res vna, & ſimpliciſſima, atque indiuiſibilis, & tamen eſt ſimul in infinitis locis. Sic anima eſt tota in qualibet parte corporis: ſi enim extenderetur ad extenſionem corporis, eſſet materialis, & ſic mortalis. *Reſpondeo*: 1. de anima. Tractatur hæc quæſtio à Philoſophis, num anima ſit tota in toto, & tota in qualibet parte. Nonnulli ſedem ei in capite aut in corde tribuunt, vnde corpus moueat, eique imperet. Et Scriptura quidem videtur animã in corde collocare, vbi principium cogitãdi & volendi eſt. Scholaſtici hanc quæſtionem copioſè tractarunt, & in re omnes conſentiunt: ſed aliqui non putant hoc pertinere ad fidem, credaſnè animam eſſe ſic an non: ſic Bonauentura, & alii. Sed aliis tenendum eſſe aiunt, animam eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte, eadem fide, qua eam eſſe immortalem tenemus, id eſt, catholica: ſi enim diuiſibilis, aut extenſa eſſet, non poſſet eius immortalitas defendi. Præterea eſt forma corporis (vt quidam ratiocinantur) at niſi eſſet in toto, & in qualibet parte totius corporis, non eſſet forma totius: forma autem eſt totius non partis: in toto igitur eſt: non autem extenſiuè: ergo totaliter; non totalitate quantitatiua, vt rectè Thomas, ſed totalitate perfectionis eſſentiæ. Et ſic eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte corporis Patres affirmant.

Bonauent. 1. d. 8. p. 2. q. 3.

Sic Auguſtinus, *tota in omnibus, & tota in ſingulis membris.* Similiter Ambroſius, *Anima in ſuo corpore vbique tota viget, viuificãs illud, mouens, & gubernans.* Sed nunc ad Bellarmini argumentum veniamus. Anima eſt quidem in corpore toto, & tota in qualibet parte, ſed non eſt in diuerſis locis: nã eſt indiuiſibilis; nec eſt in corpore omnino, tanquam in loco, ſed tanquam forma in materia ſiue ſubiecto ſuo; nec eſt in alio corpore, præterquam in ſuo, quod informat, non in alieno; nec vſquam tota niſi in vno corpore, aut in vno vbi: quare ſi membrum vnum à corpore

Auguſtin. de Trinit. l. 6. c. 6. Idem Epiſt. 28. Idem in l. cont. Epiſt. Fundam. c. 16. Ambroſ. in l. de dignit. human. condition.

re ſeparetur, anima in illo membro eſſe deſinit, quia iam non eſt illius corporis membrum. Semper igitur anima indiuiſa conſiſtit: at ſi in pluribus locis eſſet, deberet eſſe diſtantia animæ vnius à ſe: quod eſt impoſſibile. Corpus diuidi poteſt; ſed tum non idem corpus eſt: anima autem cum non habeat quantitatem, nõ poteſt diuidi: tum enim eam perire neceſſe eſt. Nam corpus cum naturam diuiſibilem habeat, ideo & corruptibilẽ: quod vero corrumpi non poteſt, per accidens eiuſmodi fit. Malè igitur corpus cum anima cõparatur: nec tamen anima vlla eſt plus quam in vno vbi ſimul. Sed Bellarminus ait, etſi anima non poſſit naturaliter eſſe in membro abſciſſo, tamẽ Deus poteſt animam conſeruare in brachio abſciſſo, vt ante abſciſſionẽ erat. *Reſpondeo*: Deus quidem poteſt miraculo cõſeruare vitã in brachio abſciſſo, aut nouã animã in brachio creare: at vt eadẽ anima ſit in brachio, quæ eſt in corpore, à quo avulsũ & ſeparatũ eſt, facere nõ poteſt: cum n. vna eſſet ſingularis forma duorum corporum, & anima diuideretur, id eſt, immortalis eſſet ſimul & mortalis. Sed iſti inſtantiis egent, cum his vtuntur. Ad Deum quod attinet, quis neſcit, Deum eſſe vbique totum, eum infinitæ & immenſæ ſubſtantiæ ſit: at corpora compoſita ex elemẽtis finita ſunt: Deus tamen non eſt in diuerſis locis, ſed vbique vt in vno ſuoque loco. Deinde Deus nõ circumſcribitur loco, quia ſpiritus eſt: hoc eſt corporis proprium loco circumſcribi: debet enim corpus loco includi, & diuerſa corpora locis diuerſis diſtingui debẽt. Sed Bellarminus miram inſtantiam affert. Poſſet Deus, inquit, alium mundum creare, qui iſtum, qui nunc eſt, nulla ex parte contingeret: & in eo Deus eſſet; ac proinde eſſet in locis diſſitis: ergo concludit, rem poſſe eſſe in pluribus locis ſimul ſine contradictione. *Reſpondeo*: 1. Deum non eſſe in loco propriè, quia non circumſcribitur: at corpora ſunt περιγεγραμμένα, *circumſcripta*, & certis finibus concluſa: abſurda igitur eſt comparatio. 2. Etſi Deus in locis eſt, quæ reſpectu ſui ſunt diſſita & ſic diuerſa, tamen non eſt in diuerſis locis: quia etſi loca diuiduntur, ipſe tamen non diuiditur. Quanquam ergo alius mundus crearetur, tamen Deus non eſſet in diuerſis locis diuiſione aliqua ſubſtantiæ ſuæ, ſed vbiq; totus, in mundo, extra mundum: at corpus Chriſti volunt eſſe in locis pluribus, ſic vt non occupet ſpatium interiectum: eſſe enim volunt in omnib. hoſtiis, ſed non in ſpatio inter eas: at Deus eſt in omni ſpatio. 5. *Quintum* & poſtremum Bellarmini argumentum ſumitur à myſteriis noſtræ fidei, quæ ſunt aut difficiliora, aut æquè difficilia, atq; hoc eſt, de quo agimus. Eiuſmodi ſex commemorat, de quibus breuiter eſt dicendum. Sed *primò* in genere *reſpondeo*, eſſe multa admodum difficilia in fidei myſteriis, at nihil impoſſibile, quia nihil eſt in illis, quod contradictionem implicat. Nos autem negamus præ-

sentiam Christi in tam multis locis, quia non potest id fieri sine cõtradictione. Iam nisi in mysteriis fidei contradictiones reperiri doceat Bellarminus, frustra laborat, quia nil tam difficile agnoscimus, quod à Deo fieri non potest, si tantùm difficile sit: at hoc non modo difficile, sed & impossibile est. Iam de singulis his mysterijs in specie respondeamus.

1. *Primum* est mysterium Trinitatis, quod quidem intelligere, naturæ vires vincit. Sed tamen non est difficile Deo, vt sint tres distinctæ personæ in vna indiuidua natura. Quid hinc Bellarminus colligit? Si potest, inquit, vna numero natura non distrahi à seipsa, etsi identificetur cum personis realiter distinctis, cur non facilius poterit vnum corpus cõiungi extrinsecus cum distinctis locis, & tamen non distrahi à seipso? *Respondeo*: Quia inter corpus, quod est in hoc loco, & quod in alijs locis est, spatium intercedit, quod illo corpore non occupatur: nõ ergo vnum corpus erit, quia interstitium cum corporis vnitate pugnat: hoc igitur simpliciter impossibile est. Iam verò in diuinis, etsi est personarum distinctio, nulla tamen aut naturæ aut loci distinctio est: ergo dissimilitudo manifesta est. Præterea personæ in Deo sunt essentiæ spirituales non corporales: illis multa cõuenire possunt, quæ non his.

2. *Secundum* mysterium est de incarnatione. Mirabilius videtur (inquit) vnam esse hypostasin in duabus naturis, quam vnum corpus esse in duobus locis. *Respondeo*: absurdissimè concludi ab vnione ad diuisionem in hunc modum: Duæ naturæ possunt coniungi in vna hypostasi: ergo vnum corpus potest in mille locis poni. Nil in vnitate naturarum est ἀνυφαπτὸν, id est, *cõtradictorium*, etsi multa sint mirabilia & ἀκαταλήπτα, *incomprehensibilia*. Nos de contradictoriis loquimur: etsi videri possit incredibilius, eundem esse in vna hypostasi Deum & hominem, quam vnum idemque corpus esse in variis locis, tamen non est, quia illud nõ pugnat cum essentia naturarum: vtraque enim natura seruat suas proprietates: at vnum corpus esse in varijs locis, maximè facit contra vnitatem corporis: absurdè ex mysteriis contradictio infertur.

Tertium mysterium est resurrectionis, quod Philosophis semper impossibile visum est. Fateor, sed quare? non propter contradictionem, sed propter alias difficultates in natura: at Deo nihil difficile est, nisi quod contradictionem implicet. In resurrectione non est contradictio: neque enim contradictio est, vt idem bis fiat. Deinde non idem bis fit in resurrectione, sed quod semel factum est, & periit, instauratur vi diuina supra naturam. Neque Bellarminus docere potest esse in resurrectione contradictionem; tum enim tolleret hunc articulum. Nos autem in præsentia reali esse contradictionem dicimus, & propter hanc solam, impossibilem esse eam affirmamus. 3.

Quartum

4. *Quartum* mysterium est creatio & annihilatio. Videtur implicare contradictionem, fieri aliquid ex nihilo, vel ex aliquo nihil. *Respondeo*: Videtur, sed tamen non implicat contradictionem. Nam si Bellarminus creationem putat verè implicare contradictionem, tum tollit fidem Catholicam de creatione mũdi, quia certissimum est, Deum non posse facere, quod cõtradictionem implicat. Vnum autem corpus esse nõ vnum, sed plura, est palam contradictorium: ergo Deus, qui potest creare ex nihilo aliquid, & ex aliquo facere nihil, non potest hoc facere. Non habet reuera speciem contradictionis, vt vis diuina, quæ est infinita, ex non ente faciat ens: sed certa contradictio est, vt non ens simul sit ens, aut ens non ens, id est, vt aliquid simul creatum sit & nõ creatum, aut non creatum & creatum simul.

5. *Quintum* mysterium est æternitas: vnum instans durationis est in diuersis temporibus: ergo vnum corpus potest esse in diuersis locis: vnum instans durationis coexistit toti tempori præterito & futuro: quod superat captum nostrum.

Respondeo: Posse fieri concedo, quicquid nõ nisi nostrum captum superat. Sed quædam sunt, quæ nõ nostrum tantùm, sed Dei quoque captum (vt ita loquar) potentiamque superant, nempe efficere, vt contradictoria sint simul vera. Nõ modo captum vincit, vnum corpus esse simul in diuersis locis, sed etiam est impossibile, quia contradictionem implicat: nam loci diuersitas & disiunctio, corporis etiam diuersitatem arguit: ita vnum non vnum, & idem diuersum erit. Quod ad æternitatem attinet, tẽpus hac in re non est simile loco. Nam in tempore sunt spiritus, in loco non nisi corpora: & tempus non significat affectionem ad corpus, sed locus significat: tempus ex motu pendet, eiusq; quædam successio est: at locus est res permanens: nos in eodem loco manere possumus, non tempore. Sed quomodo Deo præsens sit tempus p̃teritum & futurum, etsi captum nostrum superat, non tamen Dei potentiam: non quasi præteritum sit non præteritum; nam hoc est cõtradictorium in rebus: sed quia essentia infinita & prouidentia nihil est immensius. Sed nihil hic contradictionis est: at vni corpori loca diuersa & distincta non conueniunt sine contradictione. Non potest Deus facere, vt q̃ sit p̃teritũ, non sit præteritũ, aut quod sit futurum, non sit futurũ: nam licet omnia Deo præsentia sint, quia Dei substantia omnia ambit: non est tamen existimandum, præterita esse futura, aut futura esse præterita, sed præterita sunt Deo præsentia, vt præterita, & futura, vt futura.

Hic nihil est contradictorium: at in hoc est contradictio, vt vnum corpus sit in mille locis; tum enim vnum corpus erit mille corpora, aut mille corpora vnum.

6. *Sextum* sumitur à simili in hunc modum. Potest vnus locus capere duo

duo corpora simul: ergo vnum corpus duo loca replere potest simul. Consequentia probatur, quia sic se habet locatum ad locum, vt locus ad locatum. Hæc quæstio Scholasticos mirum in modũ exercuit, qui dicunt Christum exiisse per lapidem sepulchri, intrasse per clausum ostium, vt lumen per fenestras; cum nasceretur, vterum non aperuisse. Hinc disputant, quomodo duo corpora simul in vno loco esse possint, vt non sit aut diuisio loci, aut confusio corporum; & volunt duo corpora posse esse simul in vno loco: quod tamen quemadmodum fiat, explicare nequeunt. Plærique glorificationi tribuunt, & dicunt corpus glorioſum posse esse simul cum non glorioso, sed nõ duo glorioſa, aut duo non glorioſa simul esse posse, & in corporib. glorioſis dicunt esse maiorem subtilitatem. Sed Christi corpus, quando natus est, non fuit glorioſum: volunt tamẽ exijsse ex vtero miraculoſe, sic vt non modo nil difficultatis aut doloris in partu fuerit, sed nil mutatum aut motum in corpore virginis. Et certè si subtilitas in causa sit, tum facilius duo corpora glorificata simul esse possunt, quam vnum glorificatum cum alio non glorificato. Sed hæ meræ fallaciæ & præstigiæ sunt: vnus locus non capit duo corpora: non magis hoc fieri potest, quam vt duo loca vnum corpus capiant: nam de Christi exitu è sepulchro & reliquis postea dicemus. Et Scholastici, qui putant duo corpora in vno loco esse simul, tamen non putant vnum corpus in duobus locis simul esse posse: quare non est bona consequentia Bellarmini, quia nõ est eadem ratio loci ad locatum, quæ est locati ad locum. Nam vt Thomas ait, cum sint duæ conditiones vnitatis, tollitur tantùm posterior, quæ est accidentalis, cum duo corpora sunt in vno loco simul; sed cum vnum corpus est in duobus locis, tum prior tollitur, quæ est essentialis. Nam vt aliquid vnum sit, opus est, inquit Thomas, *primò*, vt indiuisum sit in se, *secundò*, vt sit diuisum ab alio quocunque: iam vt duo corpora in vnum locum compingantur, tolli debet hæc posterior conditio, & potest, quia est accidentaria, inquit: at vt vnum corpus in duobus locis simul sit, tolli debet indiuisio in se: quod non potest fieri, quia hoc essentiale est corpori. Sed quis non videt, quod est vnum, nõ posse confundi cum alio, quatenus illud est aliud, & hoc vnum; & non minus absurdũ ac impossibile esse, corpus penetrare corpus, & dimensiones suas cum eius dimensionibus confundere, quam facere vt vnum sit diuisum, & tollere indiuisionem ab vnitate? Nam vt quando vinum cum aqua miscetur, non duo corpora sunt, sed vnũ: sic si corpus solidum posset in alterius solidi corporis locum penetrare, cũ eo confunderetur, & sic non duo corpora, sed vnum esset in loco. Quid ergo? an ex Thomæ mente non potest vnum corpus esse in locis diuersis simul? non localiter, inquit, sed Sacramentaliter.

liter. Sed hæc inepta & sophistica distinctio est. *Primò* enim, quid hoc est, esse in loco Sacramentaliter? nouus hic modus est existendi in loco. Patres de manducatione Sacramentali sæpe loquuntur, sed de loco Sacramentali nunquam. Et hæc est contradictio, esse in loco, & non esse localiter: nam non esse in loco localiter, est non esse in loco omnino. Quemadmodum aliquid in loco sit Philosophorum est explicare. *Secundò*, si Christus in Sacramento sit, vt in loco, tum Sacramentum debet esse mensura corporis Christi, & ei adæquari, & extendi ad eius magnitudinem, nõ corpus Christi ad Sacramentum: nam locus respondet corpori, non corpus loco. Si non in Sacramento sit, vt in loco, tum inepte dicitur vnum corpus esse in duobus locis Sacramentaliter, quia non est in Sacramento, vt in loco. *Tertiò* vidit Bellarminus, Scholasticorum hanc doctrinam non constare. Si enim vnum corpus ideo non possit esse in duobus locis localiter, quia tum à seipso diuideretur; tum nec posset esse Sacramentaliter. Nam præsentia corporis in tam multis altaribus, & non in locis intermediis, vt Bellarminus inquit, non minus tollit indiuisionẽ rei, quam esse in multis locis localiter. Sit enim corpus Christi in tam multis hostiis quocunq; modo, diuisio est horum corporum vt locorum: Et sic neque vnum corpus in duobus locis simul esse potest, nec duo in vno loco, quia cum natura vnitatis pugnat, & contradictionem implicat. *Quartò*, quid quod secum Bellarminus pugnat? probare enim vult, vnum corpus replere duo loca: & tamen Christum non esse localiter in Sacramento putat. Certè ne spiritus quidem possunt esse nisi indiuisi & distincti: multo minus corpora. Quod ergo sumitur ad probandũ, nempe duo corpora posse in vno loco esse simul: tam est in dubio, quam quod probandum est, nempe vnum corpus posse esse in duobus locis simul: vtrumque est falsum, & ἀδυνατώτατον, *maximè impossibile*. Certè ne priusillud fiat, mouetur terra, imo ipsum etiam cælum citius rumperetur, quam duo corpora in vnum locum cogerentur. Ita ne hoc fieret rumpuntur firmissima, mouentur immobilia. Substantia in substantia esse non potest.

Caput XI.

Argumenta nostra, quibus probamus implicare cõtradictionem, vt vnum corpus sit in pluribus locis simul.

NVNC nos paucis eos refellamus, qui Christi corpus esse in pluribus locis affirmant, & huius sententiæ contradictionem atque impossibilitatẽ ostendamus. Matth. 28. Angelus ait mulieribus, *Non est hic: surrexit enim.* Non potest igitur vnus homo esse in diuersis locis, alioqui consequentia Angeli *Matth. 28. 6.*

non valeret. Tum enim non sequeretur, non esse hic, quia est alibi: non esse in sepulchro, quia surrexit. At Angelus optimo argumẽto vsus est: surrexit è sepulchro: non est igitur in sepulchro quærẽdus. Similiter & nos possumus dicere, Ascendit in cælum: igitur è terris abstulit corpus suum. Bellarminus dupliciter respondet. *Primò*, Non est hic, id est, non iacet mortuus in sepulchro, vt vos creditis: loquitur enim Angelus ad mentẽ mulierũ, quæ veniebant, vt Christum vngerent. *Respondeo*: Angeli non modo non illum iacere mortuum in sepulchro aiunt, sed non esse omnino in sepulchro: οὐκ ἔστιν ὧδε, *non est hic*, inquiunt, nec mortuus scilicet, nec viuus. Si illum in sepulchro viuum inuenissent mulieres, illum procul dubio suis vnguentis perfundere voluissent. Dicũtur illæ fæminæ Luc. 24. ingressæ esse in sepulchrum, & non inuenisse ibi corpus Domini IESV: ex quibus verbis omnino non fuisse ibi constat: cum vero mirarentur, quid de eo factum esset, Angeli non esse ibi quærendum dixerunt, quia surrexerat: vnde necessarium simpliciter est, vt corpus, quod è sepulchro surrexerat, non potuerit simul in sepulchro remanere. *Luc.* 24. 3.

Secundò, Bellarminus ait, moraliter non metaphysicè loquendo hoc esse verum, sed potuit ibi Christus esse, inquit, absolutè loquendo vt si quis dicat, Talis homo nõ sedet ad mensam: cænatus enim est.

Respondeo: Potest aliquis ad mensam sedere, qui cœnatus est, sed non qui surrexit à mensa. Non sequitur, Cœnatus est: ergo à mensa surrexit: sed, discessit à mensa: ergo nõ ad mensam sedet: & sic Angelus, Surrexit: ergo non est hic: non ait, Reuixit: ergo non est hic: potuit enim viuus in sepulchro esse: sed surrexit: ergo non est hic. Sed aliud validissimum argumentum tum contra Papistas, tum cõtra Lutheranos, hinc colligi potest. Angeli enim vt fœminis de resurrectione persuadeant, ne eius præsentiam aliquam in sepulcho somniẽt, hoc argumento vtuntur, *Venite, videte locum, vbi positus est Dominus.* Locus erat vacuus, quasi dicerent, nisi eum hic inueneritis, nihil est quod de eius resurrectione & absentia dubitetis: at Christus non magis in Eucharistia apparet, quam in sepulchro post resurrectionem, vnde sic concludi ratio potest. Vbicunque Christus est, ibi potest inueniri & videri: at in Eucharistia Christus nec inueniri nec videri potest, sanè non magis, quam tum in sepulchro: ergo ibi non est. Si potuit Christus esse in sepulchro, & non conspicuus esse, certe Angeli lusissent fœminas. Non ergo modo fuisset Christus in sepulchro, si eum in sepulchro inuenissent fœminæ, sed quia non in sepulchro inuenerunt, ideo non erat ibi. Prætereà etiam Scriptura testatur, esse vbiq; aut vbiuis sine circumscriptione loci, proprium esse diuinitatis: Ierem. 23. *Cælum & terram ego impleo*: Isai. 66. *Cælum mihi* *Mat.* 28. 6. *Ierem.* 23. 24. *Isai.* 66. 1.

sedes, terra autem scabellum pedũ meorum. 1. Reg. 8. *Cæli, & cæli cælorum te capere non possunt.* Si potest Christi corpus esse in locis tam multis, eadem ratione potest esse in locis infinitis; imo in omnibus, vbicunq; est diuinitas: & tum par erit diuinitati: & sic creatura erit par creatori. Nam quod Christi corpus non sit in cælo in pluribus locis q̃ vno, & quod non sit vbique in mundo, id non propter rei impossibilitatem, aut corporis naturam fit, vt illi volunt, sed quia non sunt vbique sacerdotes, qui Missam celebrent: si vbiq; possent fieri Missæ, posset Christi corpus vbiq; esse: ita in natura corporis Christi nihil est, cur non æquale diuinitati sit: at manifesta cõtradictio est, tale corpus Christo affingere, quod possit ita excedere naturam veri corporis, vt par sit diuinitati: tum enim creatura non differet à creatore quoad omnipræsentiam: quod nõ modo contradictorium & impossibile est, sed etiam planè ἄθεον. Bellarminus respondet, duas esse differentias inter DEVM & corpus Christi, quod attinet ad existentiam in loco. 1. Reg. 8. 27.

1. *Prima* est, quod Deus vbique de facto, & reipsa sit, corpus vero Christi non vbique reipsa & de facto est, sed est in vno loco localiter; in multis Sacramentaliter; in aliis multis nullo modo. *Respondeo*: 1. Esse in loco, est loco circumscribi, & locum implere, id est, locari in loco: hoc autem est ibi esse localiter: si est igitur in multis locis, est ibi localiter, quia localiter non nisi modum & cõditionem significat: ratione loci est localiter: quod est in loco, est ratione loci ibi: & sic localiter est ibi. Bellarminus ait Christi corpus esse in multis locis, sed non localiter: at vel nomen loci non propriè sumitur; & tum potius negandũ est esse in locis multis; aut si propriè sumatur, tum est localiter in multis locis: nã quod in loco propriè est, est ibi localiter: est igitur contradictorium, esse in loco non localiter, perinde ac si dicamus aliquid esse in loco, & non esse in loco simul: nam localiter esse, est non excedere, nec excedi ab eo loco, in quo inest: & sic corpus Christi debet esse in Sacramẽto, si ibi sit vt in loco: quomodo enim est in loco, si non localiter? Dicendum erat, non vt Bellarminus ait, vnum Christi corpus esse in pluribus locis, sed in vno loco, & alibi non vt in loco. Sed quia est corpus; non potuit quin ei locum assignaret, dicendo esse in multis locis Sacramentaliter, quem tamẽ statim aufert, cum ait non localiter esse in Sacramento: hæc clara contradictio est. Sed vt vbi est substantia, ibi est substantialiter, ita vbi est aliquid in loco, ibi est localiter: nam locus localitatem arguit. Angelus non est in loco localiter: non enim est in loco propriè, quia non spacium occupat: definitvè quidem est in loco, quia quando est hic, non est illic: non circumscribitur loco, nec vbique diffunditur, sed est in vno vbi: sed corpus debet esse in spatio, & si non sit in spatio, non est in loco. Sed si Christi

corpus sit in Sacramento realiter, tum quia est in cęlo circumscriptivè propter quantitatẽ, sic esse debet in Sacramento. Nam vbicunque idem est realiter, ibi sunt omnia eius necessaria: at quantitas est de necessitate, imo de natura corporis: si ergo propter quantitatem est circumscriptiue in cælo, similiter etiam in Sacramento erit. Si habet in Sacramento partem & partem, tum est circumscriptiuè ibi: at habet ibi partem & partem: nam si non habeat, tum non est corpus organicum, & tum non
2. est idem, quod est in cælo: at dicũt illi idem esse. 2. Quia Bellarminus ait, corpus Christi esse multis in locis Sacramentaliter, quæro quid sit esse in loco Sacramẽtaliter? an non in loco esse secundum modũ Sacramenti? & quid hoc est, esse in loco secundum modum Sacramẽti? an non ibi esse, vbi est Sacramẽtum, nec id tantùm, sed etiam esse in loco, vt Sacramentum est in loco? saltem igitur corpus Christi est in loco, vt Sacramentum est in loco: at certè panis & vinum sunt in loco localiter: ergo corpus Christi, quod pani vinoque succedit, si sub forma panis & vini lateat, in loco etiam localiter sit necesse est. Nam illa substantia panis & vini locum aliquem impleuit, quantumuis exiguum, & fuit in loco propriè & localiter: cum igitur Christi corpus ibi sit, vbi erat panis & vinum, est in loco propriè. Sed non apparet: quid tum? non enim vides substantiam panis, sed accidentia tantum: & tamen in loco panis est. At non localiter Christus ibi est propter exiguam quantitatẽ: at quæcunque substantia sit, seu magna, seu parua, localiter ibi est: nec tenuitas in causa est, cur non ibi localiter sit; nam potest esse tãta magnitudo panis, quanta est corporis humani; quæ si consecrata sit, necesse est ibi esse Christi corpus tam magnum, quã est in cælo: at dices non esse ibi localiter: at certè implet magnum locum, neque duæ eiusmodi hostiæ possunt esse in eodem loco. Dicunt illi duas hostias etsi tenues illas quidem & exiles (cuiusmodi sunt sphæricæ illorum hostiæ) non tamen posse esse simul in vno loco: ergo sunt in duobus locis, & si in locis, tum certe localiter, vt nos antea docuimus. Ex his patet, Sacramentaliter esse in loco, nõ pugnare cum hoc, localiter esse in loco: nam necesse est vt dicant Christi corpus esse in tam magna hostia Sacramẽtaliter, & tamen localiter etiam ibi est. Quare vana est illa distinctio inter Sacramentaliter esse in loco, & localiter esse in loco. Et posses non minus dicere, aliquid in loco esse spiritualiter, quam Sacramentaliter: quid enim Sacramento cum modo existendi in loco? Sed quid hoc est Sacramentaliter esse in loco. Sacramentum est aut externum signum, aut interna gratia: signa sunt in loco propriè: si ergo de signis hoc intelligatur, tum Christi corpus est in loco propriè: interna gratia in hoc Sacramento est, vt illi volunt, corpus Christi: si ergo de corpore Christi hoc intelligatur, tum

tum friuola est distinctio, quia tum hic sensus erit, corpus Christi est
3. in loco Sacramentaliter, id est, vt corpus Christi est in loco. 3. Bellarminus ait, Christi corpus esse tantum in vno loco localiter, scilic. in cælo, in multis locis Sacramentaliter: ergo Christi corpus in loco est & localiter, & non localiter: nõ enim est bona diuisio, nisi Sacramentaliter sit non localiter: Christi corpus est in vno loco localiter, in alio non localiter: ergo & localiter & non localiter est in loco. Iam hæc contradictio est: nam certè nulla ratione potest idem esse numero corpus quod est in loco illocaliter, cum eo quod est in loco localiter. Nostis enim quæ sit ratio indiuiduationis: indiuiduum est vnum numero, quod proprietates certas habet, quibus distinguitur non à se, sed ab aliis omnib. Diuersæ proprietates & conditiones distinguunt indiuidua: at localiter & illocaliter sunt diuersæ proprietates & conditiones: non igitur de vno indiuiduo simul dici possunt, nec vni simul competere: nec omnino quidem, quia pugnat cum natura corporis, vt sit illocaliter in loco: nam habere dimensiones, est ratio indiuiduationis corporis: ergo esse in loco localiter est accidens inseparabile corpori: ita nihil hic sine cõtradictione est.
4. 4. Fatetur Christi corpus non esse in multis locis: est ergo non nisi in diuersis locis. Tum Vbiquistæ & Lutherani multo melius sibi consuluerunt hac in re, quam Papistæ, qui dicunt corpus Christi esse vbique. Nam vbiquitas cõstat cum continuatione & indiuisione: esse in distinctis locis tollit hanc concontinuationem & indiuiduationem: continua habent continuam superficiem; quod est in hoc loco, non habet continuam superficiem cum eo, quod est in alio loco; fit enim diuisio per spacium, quod est inter illos locos: at hoc est maximè proprium corporis habere partes continuas.

Bellarminus ait, Christi corpus non esse in locis intermedijs: deberet autem esse, si esset continuatio: non est ergo vnum & idẽ corpus, quia non est continuum. Atque hinc apparet, quam friuolum sit, quod Bellarminus ait, cum vnũ corpus est in pluribus locis, non tolli indiuisionem intrinsecam, quia principia intrinseca, quæ corpus constituunt, non diuiduntur: nam est principium intrinsecum corporis habere partes continuas: continua verò non sunt, inter quę aliquid intercedit: at inter Christi corpus in cælo & in Sacramento intercedunt sphæræ cælestes & elementa, & alia multa: imo nõ sunt continua corpora in pluribus altaribus, non magis quam plura altaria sunt continua. Omnes dant corpus naturale non posse esse in duobus locis, cur, nisi quod cum principijs intrinsecis pugnet? cur Bellarminus negat Christi corpus esse in locis pluribus localiter, nisi quod natura corporis non patitur sic esse? Sed esse in loco, inquit, est accidentarium corpori, non de essentia corporis: quid tum? quia nõ

ponitur in definitione corporis esse in loco, num ideo potest corpus esse sine loco? sic nec risibile ponitur in definitione hominis, tamen homo non potest esse, nisi sit risibilis. Est in natura & definitione corporis habere dimensiones, quas habere non potest, nisi sit in loco. Cardinalis Cusanus hac de re hæc verba habet, Esse corporis, inquit, est esse perfectæ dimensionis: vnde infert, corpus idem esse indiuisibile & immultiplicabile. In eo quod vnum corpus est, indiuisibilitatem & incõmunicabilitatem necessariò habet: iam corpus, quod est in multis distinctis locis non est indiuisum, quia non est continuum. Sic enim disputo, Omne non continuum est diuisum, ideo non vnum: corpus quod hic est non est continuum cum eo quod est alibi: ergo nõ est vnum cum eo. *Secunda* differentia inter Deum & Christi corpus, quoad existentiam in loco, hæc est, inquit Bellarminus, quod diuinitas non modo est vbique, sed etiam non potest cõstringi ad vnum locum: at Christi corpus fuit in vno tantùm loco ante institutionẽ Sacramenti, & post mundi cõsummationem in vno tantùm loco erit.

Cusan. in lib. de apice theoriæ. c.10.

2.

Respondeo: hoc nihil esse. Nam, 1. corporis ratio requirit, non modo vt possit redigi ad vnum locum, sed vt omnino & necessario in vno loco sit: & non possunt in tota rerum natura aliud exemplum proferre vnius corporis, quod sit in diuersis locis: ergo hoc est contra naturam. Est etiam contra naturam, vt corpus vllo modo possit sic dilatari, vt occupet plura loca. 2. Eadem ratione posset loca omnia occupare. 3. Quare non potest diuinitas redigi in vnum locũ? quia scil. pugnat cum eius natura: similiter nec corpus esse vbiq; potest, quia & hoc cum eius natura pugnat. Atque hic Bellarminus fatetur, nostrum argumentum valere contra vbiquistas, qui Christi corpus de facto & reipsa vbiq; esse aiunt: & hoc in Eutychete damnatum esse. Sed si Eutyches & vbiquistæ merito damnati sunt, tum quoque Papistæ damnandi sunt: nam ex doctrina Papistarum sequitur, non esse impedimentum in natura corporis Christi, quo minus vbique sit: hoc autem non minus in se hæreticum est, quam si cum Eutychete & vbiquistis diceret, corpus Christi re ipsa vbique esse. Sic enim veritas humanitatis & corporis Christi tollitur: & id Scholastici quoq; viderunt, nec se possunt ex hoc labyrintho expedire.

Iam sumamus aliquid à philosophia, quæ cum vera synceraque ratione nitatur, non potest repugnare Theologiæ: non de adulterina philosophia loquor, sed de ea, quæ certis suis necessarijsq; principijs continetur. Habemus multas rationes contra præsentiam vnius corporis in diuersis locis. Sed Bellarminus in initio occurrit omnibus nostris rationib. testimonio quodam Augustini. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana*

2.

August. de ciuit. Dei l.22. c.11.

mana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas? Respondeo: nos nullum verbum contra Dei omnipotentiam facere, sed contra Papistarum contradictionem. Cum Papistæ falsa & cõtradictoria docent, quæ nulla aut Scriptura aut ratione defendi possunt, tum ad Dei omnipotentiam confugiunt, vt veteres olim hæretici: at à Dei omnipotentia sciunctum est, facere quę contradictoria sunt. Nos igitur nostras rationes breuiter proponamus, quibus ille non aliter resistere potest, nisi diuinam omnipotentiam ementiendo. At sic quiuis posset monstra insomniaq; sua defendere.

Wicleff. in tom. 2. cap. 72. apud Waldensẽ.

Wicleffus Theologus & Philosophus acutissimus in hunc modum contra realem Christi præsentiam in Sacramento ratiocinatus est: Non potest aliquid esse simul in duobus temporibus: non ergo in duobus locis. Bellarminus ait id fieri, quia tempora non possunt esse simul; fluunt enim: sed loca permanent.

Respondeo: Etsi loca permanent, tamen loca diuersa non sunt simul, non magis quam diuersa tempora: ergo quod in diuersis locis est, non potest esse simul. Si ergo aliquid non potest esse in diuersis temporibus simul, quia diuersa tempora non sunt simul, tum nec aliquid potest esse in locis diuersis simul, quia loca diuersa non simul sunt. Corpus vnum est simul, nec potest non esse simul, tum enim non est vnum. Certè vt omnia sunt in tempore vno, sic in loco vno: contradictorium est, vnum esse in locis discontinuis: tum enim simul & non simul erit. Simul aliquid dicitur propter partium coniunctionem: loca diuersa non sunt simul: ergo quod in eis est, non est simul, nisi volumus propter figmentum realis præsentiæ conuellere principia naturæ, & permiscere omnia. Sic igitur breuiter disputo: Quod vnum est, debet esse simul: quod autem est in diuersis locis, non est simul, nisi hi duo loci sint simul: nã vt aliquid sit simul, requiritur partium continuatio inter se: at interuallum interiectum hoc non patitur: nam interuallum interiectum facit, vt res non sit vna & eadem. Ergo ratio optimè sequitur à temporibus ad loca; nam nec diuersa tempora possunt esse simul, nec diuersa loca.

Iam ad illud argumentum veniamus, quod nostri ab vnitate rei sumunt: Si vnum corpus sit in diuersis locis simul, tum erit vnum simul & multa. Corpus in altari est diuisum ab eo quod est in cælo, & ab ijs quæ sunt in alijs altaribus: at vnum non est diuisum: tum enim erit vnum & non vnum. Bellarminus respondet, vnitatem rei essentialem non pendere ab vnitate loci, sed ab internis suis principiis.

3.

Respondeo: Internum principium vnitatis in corpore est indiuisio partium: partes verò in toto sunt distinctæ, sed indiuisæ: nam in vnitate non debet esse confusio. Aristoteles tribuit corpori tanquam intrinsecum & αὐτῶδες, *essentiale*, habe-

Aristot. in prædicamẽt. Quantitat.

habere ſitum & poſitionem partium in continuo. Iam verò corpus, quod eſt in hoc loco, non poteſt continuum eſſe cum eo corpore, quod eſt in alio loco, nec habere partes coniunctas cum illo, propter ſeparationem locorum, & interuallum interiectum. Diuiduntur enim, quæ non ſunt in eodem loco, cum nequeat fieri, vt interuallū, quod inter loca intercedit, non diuidat corpus hoc ab illo.

Sed Bellarminus rationem affert: Prius eſt rem eſſe vnam, quam eſſe in vno loco: ergo vnitas rei eſſentialis non pendet ab vnitate loci. *Reſpondeo*: Eſt natura quidem prius eſſe, quam in loco eſſe, & ſic rem vnam eſſe, quam in vno loco eſſe: at non re & tempore prius. Propria ſunt ſubſtantiis ſuis naturâ poſteriora, ſed re tamen inſeparabilia: ſic eſſe in vno loco & ſi corporis vnitate ſit poſterius natura, eſt tamen inſeparabile. Sic igitur contra Bellarminum diſputo: Si corpus vnum poteſt in duobus locis eſſe, quia vnum eſſe eſt naturâ prius, quam in vno loco eſſe, tum non poteſt in duobus locis ſimul eſſe, quia vnum eſſe, & in vno loco eſſe ſunt ſimul tempore inſeparabiliter. Si vnitas loci ſit proprietas inſeparabilis ab vno corpore, ſatis eſt ſit natura poſterior, modo non tempore. Sed Bellarminus addit, imaginationem non poſſe concipere vnum corpus in diuerſis locis, ſed ſanam rationem poſſe. Sic fallitur imaginatio, inquit, dum non cogitare poteſt, Deum aut animam in diuerſis locis eſſe. *Reſpondeo*: Ratio & imaginatio de Deo concipiunt, quod ſit vbique, & de anima, quod ſit in toto corpore; ſed non concipere poteſt, Deum eſſe in cælo & in terra, & non in locis intermediis; aut animam eſſe in capite & pedib. & non in brachiis & alijs partibus interpoſitis: at illi volunt vnum corpus eſſe in cælo, & ſimul in terra, nec tamen inter cælum & terram: hoc nulla aut Imaginatio aut ratio concipere poteſt. Sed ait Bellarminus, quod ſint multa corpora inter corpus in cælo & in altari, hoc probare loca ipſa eſſe diſcontinua, nimirum cælum & terram. Sed quare? ſi enim cælum eſt diuerſus locus à terra, quia inter hæc duo, corpora multa poſita ſunt, tum ſimiliter neceſſario corp⁹ quod in terra eſt, diuerſum eſt ab eo, quod eſt in cælo, quia intercedunt multa corpora: vtrobique argumentum valet. Deinde etiam loca diuerſa ſunt propter diuerſa locata: vt vero locorū diuerſitas ex locatorum diuerſitate arguitur, ita locatorum diuerſitas ex locorum diuerſitate. Et nonne quanta eſt diſtantia inter loca, tanta eſt inter locata, & per conſequens tanta diſcontinuatio? Sed quid? an tam multorum corporū interpoſitio inter Chriſti corpus in cælo & in altari, nihil aliud arguit, quam cælum & terram eſſe loca diſcontinua? imò, inquit Bellarminus, & hoc quoque probat, corpus Chriſti diuiſum eſſe à ſe reſpectu loci, ſed non reſpectu propriæ ſubſtantiæ, ſiue quantitatis. *Reſpondeo*: Quid hoc eſt, reſpectu loci?

loci? ait Bellarminus, à ſe diuiſum eſſe reſpectu loci, & tamen negat Chriſti corpus eſſe in Sacramento, vt in loco. At hic reſpectus non eſt imaginarius aut phantaſticus, ſed realis: re igitur diuiditur à ſe Chriſtus. Et diuidi reſpectu loci, eſt loco diuidi: Chriſti igitur corpus diuiditur à ſe loco: ergo cum ſit in diuerſis locis, non eſt idem: diuiſum enim non eſt idem: ergo hoc corpus, quod eſt in terra, non eſt idem cum eo quod eſt in cælo. Sic ſi loco diuiditur, etiam ſubſtantia diuidetur: nam vni corpori eſſentialiter conuenit, habere partes cohærentes & connexas, & nullâ diſtantiâ diſiunctas: hoc non accidentale, ſed eſſentiale eſt: non autem cohæret corpus, quod in terra eſt, cum eo quod in cælo eſt, quia cohærentia, multorum corporum interpoſitione, impeditur, imo tollitur. Sed vrgemus rationem: Quod eſt in locó, circumſcribitur loco, aut ſaltem ſic continetur in loco, vt non alibi ſit; q. à Philoſophis & Theologis dicitur eſſe in loco definitiuè: quæ enim definitiuè ſunt alicubi, nuſquam ſunt alibi, quia definita eſt illorum ſubſtantia in illo vbi, vt anima, & angeli: at illi nolunt corpus Chriſti ita eſſe aut in cælo, aut in altari aliquo, vt non ſit etiam alibi. Hic Bellarminus anxius hæret, vt in biuio, & quo ſe vertat, dubius eſt. An dicet circūſcribi corpus Chriſti, aut definiri, an non? præuidit vtrinq; eas difficultates, è quibus ſe expedire non potuit. Sequitur tandem non rationem, ſed fortunam: Thomas reſponderet, inquit, corpus Chriſti eſſe in cælo circumſcriptiuè, in Sacramento vero non eſſe in loco aut circumſcriptiuè aut definitiuè. Sed hoc Bellarminus non reſpondebit, ergo diſſentit à Thoma; quod certè facit ob aliquam cauſſam, nimirum quia vidit ſic vnum & idem corpus eſſe ſimul & circumſcriptiuè & non circumſcriptiuè in loco; quæ eſt aperta contradictio. Si enim non circumſcribitur loco, non poteſt eſſe idem cum eo, quod circumſcribitur loco, quia circumſcribi & non circumſcribi ſunt oppoſita contradictoria. Sed Bellarminus ait ex Thoma Chriſti corpus eſſe in Sacramēto circumſcriptiuè non ſecundum ſe, ſed ratione dimenſionum panis.

Reſpondeo: 1. Chriſti corpus debet circumſcribi loco ratione dimenſionum ſuarum, & ſic in cælo ſe habet; non alienarum: nam corpus non poteſt à dimenſionibus ſuis ſeparari. Dicere Chriſti corpus eſſe in Sacramento circumſcriptiuè ratione dimenſionum panis, non ſuarum, eſt dicere ibi eſſe corpus Chriſti, & non eſſe, quia vbi eſt corpus, ibi erunt neceſſario ipſius dimenſiones. Cum enim habeat ſuas dimenſiones, æquum eſt, vt harum potius ratione, quam alienarum circumſcribatur. Nam quid de ſanguine reſpondebunt? certè neceſſe eſt, cum ſit iuuenis, vt eis circumſcribatur, quemadmodum medulla oſſibus, & caro pelle. 2. Quid hoc eſt, eſſe circumſcriptiuè in loco ratione di-

mensionum panis, aut quomodo hoc fit? num dimensiones panis competunt Christo? erit igitur Christus superficie latâ & rotundâ, & tantâ tenuitate, quanta est hostia: at hoc pugnat cum veritate corporis Christi: nam habet corpus Christi dimensiones corporis humani. Deinde absurdum est, dimensiones panis tribui corpori Christi: nam hæ possunt esse variè, non in hoc Sacramento, vt in alio, exiles in hoc, crassæ in alio. Sic idem corpus possit & rotundâ & longâ figurâ circumscribi, imo simul omni formarum varietate, & sic aliquid potest esse maius & minus seipso; imo duæ quantitates dimensiuæ erunt simul, scil. panis & corporis Christi: hoc autem impossibile est.

Aristot. Metaphys. 3. text. 9.

Sic Aristoteles, id est, vox naturæ & rationis ait, *duo solida non possunt esse in eodem loco.* Hæc huius contradictionis monstra, & alia infinita sunt. Sed hactenus contra Thomam: iam quid Bellarminus ipse respondeat videamus. Ait igitur se existimare, posse corpus non modo esse in pluribus locis, sed etiam localiter & circumscriptiuè, nec hoc tantùm, sed etiam visibiliter & definitiuè. Huc certè ille non voluntate & iudicio suo, sed necessitate deductus est. Nam cum antea dixit, Christum apparuisse Paulo in terris, & simul locum suum in cælis occupasse, necesse ei fuit, vt Christum in pluribus locis visibilem statueret, tum etiam localiter & circumscriptiuè. Nunc fertur præceps; postquam cæpit ire: nil tam absurdum est, quod nō ausit statuere. Sed in hoc, 1. secum misere pugnat. 2. cum aliis etiam, & ferè omnibus, certè cum optimis & doctissimis. 3. A bomni ratione deseritur, imo certissimis rationibus refellitur.

Primò, paulo prius dixit, quando voluit differentiam inter Deū & corpus Christi statuere quoad existentiam in loco; in pluribus locis Deum esse vbique de facto, Christi verò corpus in vno esse loco localiter, in multis esse Sacramentaliter: vbi *localiter* & Sacramentaliter opposuit: nō ergo vult ibi Christum localiter esse in pluribus locis. Nunc contra. Sed forsan ibi dixit, non esse Christi corpus localiter in plurib. locis, nunc esse posse, non tamen ait esse. Sed aliter: nam hic non acquiescit in responsione Thomæ, qui ait Christi corpus esse in cælo tantum circumscriptiuè: ipse igitur ait, esse posse in Eucharistia circumscriptiuè: si ad rem loquatur, diceret ibi esse circumscriptiue: & quæstio est, quomodo sit Christi corpus in Sacramento, non quomodo possit esse: ergo secum pugnat, & superiorem responsionem tollit. Imo & sequentem quoque rationem euertit: nam postea ait, Christum esse in Eucharistia, sed non per motum localem: at certe si est ibi localiter, tum locali motu: & Christus quando apparuit Paulo, localiter venit, vt illi volunt. Neq; hoc nouum est: millies enim sibi contradicit.

Secundò cum aliis pugnat, ijsque præ- 2.

Thom. in 3. q. 76. art. 5. Idem Quodlib. 1. art. 22. & Quodlib. 3. art. 2.

præstantissimis Scholasticis, inprimis verò cum Thoma. Thomas enim ait Christi corpus nullo modo esse in Sacramento localiter: & idem ait, vnum corpus esse localiter in duobus locis, implicare cōtradictionem. Sic Thomas affirmat, esse in sententia Bellarmini contradictionem: quod ergo dicit, est tam falsum, vt eo nihil falsius esse possit. Sic Bonauentura. Sic Durandus. Sic Gabriel. Capreolus etiam ad Thomam adhæresci. Licet Scotus dissentiendi studio aliter sentiat, sed contra rationem: affert enim ille miseras quasdam obiectiūculas, quæ facilè dilui possiunt. Imo *tertiò* cum manifestissima & inuictissima ratione pugnat Bellarminus, cum hoc dicit. Nec hic nostras aliquas rationes afferam, ne in eis parum momenti esse putent, sed Scholasticorum. *Prima* nostra ratio est Thomæ: Deus non potest facere, vt duo contraria simul sint: at loca omnia distinguuntur secundum aliquam loci contrarietatem, vt sursum, deorsum, sinistrorsum, dextrorsum: ergo Deus non potest facere, vt vnum corpus sit in diuersis locis localiter.

Bonauen. d. 10. q. 4. in 4. Durand. in 4. d 10. q. 1. Gabriel. in 4. d. 10. q. 1. & in can. lect. 43. Capreol. in 4. d. 10. q. 1. art. 3. 3. Thom. in quodlib. 3. art. 2. Idem in quodl. 1. art. 22. Idem in 3. q. 76. art. 5.

Secunda ratio est etiam Thomæ: Locus est terminus locati: at terminus rei est extra quem nihil est rei: si ergo vnum corpus in duobus locis simul sit, erit extra suum terminum, & ita locatum & non locatum; quod est contradictorium. Recte! cur igitur illi Christi corpus faciunt non locatum, & extra terminum suum ponūt, cum nulla res possit extra suum terminum esse?

Tertia ratio est eiusdem etiam Thomæ: Locus & locatum sunt æqualia: sic Aristoteles: sed Sacramentum est multo minus quam corpus Christi: nō ergo est corpus Christi in eo, vt in loco: quomodo igitur potest corpus Christi circumscribi ratione dimensionum panis; quod vult Thomas? Nec sunt hæ obiectiones, quibus postea respondet, sed rationes, quibus suam opinionem ex animo probat.

Aristot. 4. Physic.

Quarta ratio est ipsius Bellarmini hoc ipso in loco: Corpus trium cubitorum occupabit spacium sex aut nouem cubitorum, si in duob. vel tribus locis æqualibus ponatur: Christi vero corpus est trium cubitorum: iam si hoc in tribus locis ponatur, occupabit spaciū nouem cubitorum, imo quia in locis tam multis est, innumerabilium cubitorum: ita non erit corpus, sed monstrum. Respondet Bellarminus, id posse fieri, si corpus illud in duobus aut tribus locis ponatur; non posse autem fieri, vt corpus trium cubitorum commensuretur loco sex aut nouem cubitorum. Sed hoc miserum est subterfugium: nam sic eueniet vt Christi corpus trium cubitorum, etsi non vno loco æquetur spacio nouē cubitorum; at in multis locis æquabitur: imo sic Christi corpus erit trium, & quatuor, & duorum cubitorum, & vnius, & nullius, si localiter in loco sit, id est, si loco commensuretur: tum etiam quo-

modo corpus trium cubitorum possit esse in Sacramento, quod nõ est vnius palmi? Addam & *quintam* rationem. Si vnum corpus localiter in duob. aut pluribus locis esse possit, tum Petrus posset esse hic in scholis, & Oxonij in foro: posset ibi loqui, hic tacere: ibi esse calidus, hic frigidus: quid si ibi admotus esset igni, num hic calesceret etiam in medio gelu? quid si ibi in ignem imponeretur, num hic arderet? nũ audiret ibi nos hic loquentes, & hic videret quid ibi ageretur? num posset hic disputare in scholis, & ibi contendere cũ aduersario coram prætore? num posset idẽ ambulare Oxonium versus, & illinc ad nos per eandem lineam venire, & non se impedire in loco, vbi obuiã sibi occurreret? certe nõ posset impedire qa nõ nisi vnus & idẽ homo est: at deberet se impedire, qa est in duob. locis localiter, vt illi volunt: cum a. duo homines, qui sunt localiter in duobus locis sibi occurrunt, se mutuo impediunt; non possunt ambo per eandem lineam ire; alter cedat alteri necesse est: & quã hæc noua salutatio esset, quando vnꝰ sibi occurreret? quid si neuter vellet alteri cedere (nemo enim sibi cedere potest) & sic ad manus veniretur? quam hæc mira pugna esset? Eiusmodi prodigia ex eo sequuntur, quod vnum corpus in duobus locis statuant.

Dominic. à Sot. in 4. d. 10. q. 1. art. 4.

Imo Dominicus à Soto ait, hoc modo Deum posse vnum corpus ponere vbique. Iam igitur ex Bellarmini sententia, qua vnum corpus in pluribus locis simul statuit, hæresis Eutychianorum infertur, quam ille prius confessus est, nostris argumentis vna cum errore Lutheranorum conuinci. Quanquam igitur certissimum est, nec Christi corpus, nec vllum corpus posse esse localiter in duob. locis simul, vt ipsi etiã Scholastici demonstrant, ideoq; Christum non esse in Sacramento localiter aiunt: tamen alij Scholastici non minus esse facile aiunt, vt vnum corpus sit in pluribus locis simul localiter, quã Sacramentaliter, quos Bellarminus sequi videtur; & hoc magis conuenit veritati corporis. Ego quidem fateor hoc esse verum, q̃ dicunt, quia vtrumque est impossibile. Sed vos pugnam Scholasticorum hac in re obseruate, quæ non definita est, nec vnquam definietur, de modo scilicet præsentiæ Christi in Eucharistia. Quidam Christum in Sacramẽto esse aiunt non vt in loco localiter, sed Sacramentaliter; alij esse etiam ibi localiter & circũscriptiue, & ratio est, qui a Deus æque hoc atq; illud facere potest: illud autem nõ potest fieri propter contradictionem, vt illi optimè dicunt: neq; igitur hoc: nostra igitur sola vera sentẽtia est, Christum esse ibi sed non realiter: nam realis præsentia teneri & defendi non potest sine tautã implicatione contradictionum, quantã videtis. Quid noster Bellarminus? ille est in hac caussa quotis Proteo mutabilior. Nã *primò* negat Christi corpus esse in Sacramento localiter; *secundò* defendit ibi esse localiter; *tertiò* inquit, "Quod si quis

quis contendat, ad hoc vt aliquid in loco sit circumscriptiuè & definitiuè, requiri vt res nullo modo sit alibi (quod est profecto necessarium) tum possumus dicere, inquit, Christum esse ibi per solam præsentiam, vt Deus est in loco. At hoc dici nõ potest, quia tum Christi corpus posset vbique esse, & sic vbiquitatẽ defendit, quam supra refellit. Præterea Christi corpus non potest sic esse alicubi, vt Deus, quia est natura diuersa corporis & spiritus: spiritus enim potest esse in loco, & nõ implere locum, at corpus non potest non implere, quia debet esse ibi cum quãtitate & dimensionibus suis. Sed quid hoc est esse in Sacramento p̃ solã præsentiam? perinde est ac si diceret esse ibi, sed se nescire quomodo ibi sit.

Dominic. à Soto vbi supra.

Nam vt recte Dominicus à Soto ait, modus præsentiæ non requirit conuersionem panis: at esse ibi per conuersionem panis volunt. Talis certe hæc p̃sentia esse potest, qualem Lutherani statuunt. Hic modus ab omnibus explosus non displicet Bellarmino, quia reuera nullum certum modum inuenire potuit. Ita nequeunt se extricare labyrinthis expedire. Tum hæc opinio ponit modum existendi in loco, qui non conuenit creaturæ: nam omnis creatura est in loco aut circumscriptiuè, aut definitiuè: circumscriptiuè, vt corpora, definitiuè, vt angeli, & anima humana: nõ est alius modus. Nam quod illi dicunt de existendo in loco Sacramentaliter, est hoc nouum & fictũ. Sed si corpus Christi sit Sacramentaliter in Eucharistia ratione dimẽsionum panis, tum est ibi per accidens: sed quod est in alio per accidens, sic est in loco per accidẽs, quo illud aliud est in loco per se: at dimensiones panis in loco sunt per se circumscriptiuè: igitur corpus Christi est in eodem loco circumscriptiuè per accidens: si circumscriptiuè, tum vna pars respondet alteri: at partes corporis Christi nõ possunt respondere dimensionibus panis, quia nec figura similes, nec magnitudine æquales sunt. Et rationes, quibus Thomas probat, Christi corpus non esse in Sacramẽto circũscriptiuè & localiter, non esse ibi omnino probant. Nam *primò*, si hic sit, est sursum & deorsum; *secundò*, est extra suum terminum, quia locum habet in cælo: locus verò est locati terminus, & nihil est extra terminum suum; *tertiò*, si in Sacramento sit corpus Christi, tũ aut ei æquale, aut inæquale est: si inæquale, aut maius, aut minus: si maius, tum est extra Sacramentum: si minus, tum non circumscribitur dimensionibus panis, nec est in vnaquaq; parte panis: si æquale, tũ Christi corpus est æqualis magnitudinis cum pane: q̃ absurdissimũ est: nõ est igit ibi omnino. Sed non dũ est peruẽtũ, quo volumus, vt certus modus p̃sentiæ Christi in Cæna intelligatur. Certè enim Scholastici sophistæ in hoc non consentiunt, nec minus ipsi secum, quam nobiscum pugnant. Meru prohibiti sunt, ne auderent contra realem præsentiã disputare; sed alij aliorum opinio- 4.

nes damnant: quod nobis instat esse debet maximi argumẽti, illos non veritatem defendere, sed cõmunem opinionem Pontificum tyrannide stabilitam. Sed nos pergamus in hæc mysteria, imo monstra inquirere. Christi corpus esse in Eucharistia audio: id oẽs Pontificij pertinacissimè defendunt: sed de modo, quæso, mihi narrate. Quomodo ergo est Christus in Sacramento Eucharistiæ? si Bellarmino credam, non credam Thomæ; si Thomæ, non aliis multis Scholasticis: & quis quidem his sophistis credet? Pontifex verò nihil hac de re statuit. Sed agite, dicite quomodo Christus est in Sacramento? Certè si Christi corpus sit in Eucharistia, aut ibi de nouo generatur, aut eo venit motu locali: nam quando corpus incipit esse, vbi prius non fuit, aut venit aliunde, aut generatur. Sed Christi corpus non ibi generatur: nam semel tantum natus est, nec potest generari, quod generatum est, aut fieri quod factum est. Non venit motu locali: tum enim desereret priorem locum, quia sic localiter res mouentur. Bellarminus respondet, incipere esse in altari, non per generationem, aut per morum localem, sed per conuersionem panis in ipsum.

Respondeo: Conuersio panis in corpus Christi nonne est noua generatio? ex pane enim fit corpus Christi: ergo noua ibi productio est; & vbi est vnius rei corruptio, ibi necesse est, alterius generationem sequi: non fuisset ibi, nisi propter hanc cõuersionem panis. Exempli caussa, quando aqua à Christo versa est in vinum, noua hæc vini generatio fuit: sic cum virga Mosis in serpentem mutata est; igitur modus conuersionis non facit vt non sit noua generatio. Nã res generari multis modis dicitur: *primò* creatione, vt Adam, & totus mundus in initio: *secundò* procreatione, vt nos: *tertio* putrefactione, vt lumbrici: *quartò* conuersione vnius substantiæ in aliam, quæ est miraculosa generatio: & sic Christus in nuptiis optimo vino multa dolia impleuit, quæ prius erãt plena aqua. Igitur inepta distinctio est, esse ibi non generationem, sed conuersionem panis. Atque hic obiter obseruandum est, Bellarminum euertere quod prius dixit: nam paulo antea dixit, Christum esse in Eucharistia per modũ præsentiæ: at modus præsentiæ (vt ait Dominicus à Soto) non requirit conuersionem panis. Sed esto: sit ibi Christus per conuersionẽ panis: nonne illud ipsum Christi corpus, quod est in cælo, per conuersionem panis est in Eucharistia? nõ negabunt, opinor: ergo illud corpus, quod est in cælo, fit ex pane: nam hoc ex pane fit: at hoc est impossibile. Nam quod est (vt ait Bellarminus) nõ potest fieri, multo minus ex diuersa materia fieri: at materia panis diuersa est à semine Abrahæ: corpus verò, quod in cælo est, factum est ex semine Abrahę: at panis ex tritico factus est. Ita Papistarum Christus ex tritico fit: sed habeant illi hunc Christum sibi;

Dominic. à Soto vbi supra.

sibi: non erit is noster Christus. Sic ergo nos disputamus: Quod est, non potest fieri: at Christi corpus est: ergo non potest fieri: fit autem ex pane, vt illi volunt: ita contradictio manifesta est: fit enim, quod est: & fit (vt aiunt) ex pane: æquiuocum igitur corpus est: nõ enim vniuocum esse potest, quod ex diuersa materia fit: at Christus non nisi vnus est. Deinde esto vt Christus non descendat localiter, nec generetur, tamen illum augeri necesse est: cum enim perpetuæ fiant conuersiones panis in ipsum, non potest non augmentum esse: concedere ergo debet, esse ibi augmẽtationem, etsi neget generationẽ. Fingunt illi panem cõuerti: at hæc conuersio panis aut est in nihilum, & tum non est in Christum; aut est in corpus Christi, & tum aliquam mutationẽ in corpore Christi, statuant necesse est; aut est conuersio, & non conuersio.

Sic enim disputo: Omnis cõuersio est in aliquid, & producit aliquid: at hæc conuersio non est in aliquid, nec producit aliquid: ergo non est conuersio.

Minorem probo: nam si sit in aliquid, tum in corpus Christi; si in corpus CHRISTI, tum in illud, quod est in cælo: nam non est aliud corpus Christi; si in illud, quod est in cælo, tum illud, quod est in cælo, mutatur hac cõuersione: nam impossibile est, vt aliquid mutetur in aliud, sine mutatione eius rei, in quam mutatur: at illud corpus non est mutationi obnoxium.

Si verò mutatur in corpus Christi, quod est in cælo, tũ necesse est, vt vel hic panis feratur in cælum, vel corpus Christi è cælo delabatur in Sacramentum. Præterea si hæc conuersio producit aliquid, tum corpus Christi producit: at productum non potest produci. Sed Bellarminus ait non deesse exempla, & tum exempla animæ & Dei affert, quę sunt planè ἑτερογενῆ, id est, *diuersi generis*: nos enim de corporea substantia loquimur: non potuit in natura rerum aptum exemplum inuenire: nullum enim esse potest cõtradictionis exemplum. Sed exemplum animæ non congruit. Etsi enim anima incipit esse in materia, quæ corpori additur p nutritionem aucto, & noua anima non generatur, tamen illa noua materia non conuertitur in animam: sed vult panem conuerti in corpus Christi. Certe cibus & nutrimentum facit nouam quandam generationem, vt medici & philosophi statuunt, quia quod decedit, reparatur: est igitur aut generatio aut mutatio in corpore: sed nulla est in Christi corpore, in quod tamen volunt panem conuerti. Exemplum de Deó multo alienius est. Deus est in rebus omnibus, sed nihil in Deum mutatur, est etiam ille quidem in nouis rebus, quæ quotidie de nouo fiunt; at resillæ non cõuertuntur in substantiam Dei: si enim conuerterẽtur, Deus indies auctior esset: similiter si panis in corpus Christi mutatur, augetur indies corpus Christi.

Sed

Sed quæro ab illo, quæ sit causa formalis, propter quam Christi corpus est in hoc Sacramento? nã vnicuique rei est aliqua ratio formalis existendi in loco: num conuersio panis in corpus Christi est ratio formalis? at illa transijt: ratio vero formalis manet: debet ergo causa assignari, quæ cum corpore remaneat: num species aut dimẽsiones Sacramenti sunt ratio formalis, quia tam diu manet corpus, quamdiu manet species? at illæ nõ sunt in corpore Christi, forma verò est in materia, cuius est forma. Certe Aristoteles formam existẽdi in loco ait esse quantitatem corporis: & hoc verum est; quia quãdiu habet quantitatem, tamdiu est in loco: ergo corpus Christi erit in Sacramento ratione quantitatis, vel quantitativè, vel per suam terminabilitatem, vt alii loquuntur: quod Aduersarij negant. At quantitas corporis Christi non potest plurificari, vt Scholastici loquuntur, quia vt corpus est vnum, sic eius quantitas est vna: nõ igitur esse potest in plurib. locis, aut nisi in vno loco. Sed illi dicũt etiã alia corpora esse in pluribus locis: at quomodo? num p modum conuersionis? at quid? num ergo generatione? ergo quod generatum est, potest denuo generari. Sed cum Bellarmino pergamus, & videamus quomodo contradictiones multas, quæ ex hac sententia pendent, & eam sequuntur, diluat. Nam si vnum corpus sit in pluribus locis, tũ sequentur contradictoria multa: erit enim simul sursum & deorsum, remotum & non remotum; quiescet & mouebitur; accedet & recedet; hic summe calidum, illic summe frigidum erit; hic vulnerari & ægrotare potest, illic valere. Quomodo Bellarminus his contradictionibus satisfacere potest? fatetur Scholasticorum dissensiones in hoc: nam aliqui relationes multiplicari aiunt, sed non absoluta; alij ipsa etiam absoluta, vt posse dicant vnum hominem esse in vno loco ebrium, in alio sitire, imo in vno mori, in altero viuere. Sed quid Bellarminus? ille mediam viam tenet, quam esse tutissimam ait. Ergo quod ad relationes attinet, putat eas necessario multiplicari ad loca: ergo vnum corpus posse esse sursum & deorsum; moueri & quiescere, diuerso respectu: possunt enim in eodem subiecto esse contrariæ relationes diuerso respectu. *Respondeo:* Potest quidẽ vnũ corpus esse ad dexterã aut sinistrã; sursum aut deorsũ diuerso respectu vt colũna hæc est ad dexteram mihi, alteri ad sinistram; sed corpus Christi in Eucharistia secundum illos potest sui ipsius respectu esse sursum & deorsum: corpus in pixide, vel supra altare pendens, est sursum: idem corpus in mensa iacens est deorsum; hoc corpus in manu mouetur, illud in pixide quiescit; vnum tamen corpus est: totum quiescet, totumque mouebitur, sui respectu: quod fieri non potest. Et hic Bellarminus se egregium philosophum indicat, q motum & quietẽ inter relata numerat: nam hæc sunt absoluta: quies non est nuda relatio. Rectè

Aristot. l. 4. Physic.

Thom. in 3. q. 76. ar. 6. THOMAS, impossibile esse, idem esse motum & quietum: tum enim contradictoria de eodẽ verificarentur: non ergo relationes sunt, sed aliquid absolutum: sic quies. Fatetur Bellarminus absoluta nõ multiplicari: at in Christi corpore multiplicantur, & contrariè: nam hic moueri, illic quiescere; hic sursum, illic deorsum esse potest: sed sursum & deorsum sunt relationes, inquiet: at eidem: nam dextra potest esse sursum, læua deorsum. Non tollit Bellarminus contradictionem, cum ait, respectu diuersorum locorum. Nam 1. respectus, qui tollit cõtradictionem de sursum & deorsum, non est quod vnum corpus situm in diuersis locis sit sursum simul & deorsum respectu horum locorũ (tum enim non tantum relatione, sed re etiam erit sursum & deorsum) sed respectu locorum, in quibus non est; vt ego sursum sum respectu pauimenti, deorsum respectu tecti: non in tecto, non in pauimento sum: tum enim actu & re esse in diuersis locis; quod est impossibile: nam hæc loca vni homini & corpori sunt diuersa. Quare Thomas probat, Christum non esse localiter in Eucharistia, quia tum duo contraria simul essent, scil. sursum & deorsum; at hac ratione Christus non omnino erit in Sacramento: nam quocunq; modo ibi sit, erit sursum & deorsum: & sic cõtraria erunt in Christi corpore simul. 2. Si posset idem homo esse sursum & diuersum in diuersis locis, tum posset in vno loco cadere deorsum, & frangere ceruicem, cum interim alibi stabit in loco plano: & si hoc fieri posset (& potest fieri ex hac suppositione) tum idem corpus occidi, & simul illæsum esse posset: quod tamen hic negat Bellarminus. Nam ait absoluta non multiplicari, vt si aliquis ebrius aut satur ibi sit, non sitiet, non esuriet hic: si sanus ibi sit, non æger erit hic: at hæc euenire possunt necessariò, si vnus homo in diuersis locis simul sit. Nam Romæ potest comprehendi, & in carcerem conijci, & cruci affigi vel comburi propter religionem: hic interim in nullo periculo erit: ibi ergo morietur, quia ibi sunt omnes causæ mortis, non hic, quia nulla causa hic mortis est: ergo si vn⁹ in plurib. locis simul esse potest, non modo relationes multiplices erunt, sed etiam ipsa absoluta contraria, vt vnus & idem ebrius Francofurti, sobrius Londini esse potest. Atque hoc est, quod Scholastici disputant, si hostia remansisset, cum Christus crucifigebatur, Christum in cruce mortuum, in hostia viuum futurum esse. Et huc referri possunt, quæ Hugo habet. Sed nunc aliter Scholastici: de quo forsan postea dicemus. Sed si Christus mortuus fuisset in hostia, tum crucifixus in hostia fuisset, & tum crucem in hostia fuisse necesse est, & Iudæos, qui Christum crucifixerunt; quorum neutrum fieri potuit. Ex his quæ diximus constat, nullum corpus simul in diuersis locis esse posse.

Thom. quodl. 3. art. 2.

Hugo de Sacram. l. 2. p. 8. c. 3.

5. Nunc Patres adhibeamus vel testes, vel prȩcones veritatis. Auguſt. ait, *nullum corpus poſſe eſſe vbiq; totum*: & poſt, *quantamcunque corpus ſit, ſeu quantulumcunq; corpuſculum, locioccupet ſpatium, eundemque locum ſic impleat, vt in nulla eius parte ſit totum.* Non igitur Chriſti corpus totum eſt, præterquam in vno loco. Bellarminus ait Auguſtinum loqui de corpore exiſtente in loco naturaliter; eſſeque contradictionem, vt corpus maneat extenſum, & tamẽ ſit totum in qualibet parte. *Reſpondeo*: 1. Auguſtinus Voluſiano reſpondet quærenti quomodo Deus potuerit claudi vtero virginis: aitque Deum nullis locis includi, ſed totum vbique eſſe: corpus autem ſic claudi contineriq; loco, vt non niſi in vno loco eſſe poſſit, nec totum in eius parte qualibet. Loqtur ergo ſimpliciter Auguſt. non poſſe vllo modo, quia h.e. propriũ diuinitatis. Si ergo Chriſti corpus non includatur loco, Deus erit. 2. Bellarminus fatetur, corpus non poſſe naturaliter eſſe totum in qualibet parte loci: & hoc implicare cõtradictionem, vt corpus maneat extenſum, & totum ſit in qualibet parte loci: at Chriſti corpus manet extenſum, & tamen eſt totum in qualibet parte loci, vt plærique Papiſtæ volunt: ergo eſt in eorum doctrina contradictio. Imo ipſe Bellarminus antea dixit, Chriſtum poſſe eſſe definitiuè in pluribus locis: at certe aut Biel fallitur, & cum eo innumerabiles alii, aut eſſe definitiue in loco, eſt eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte: iam hoc de Chriſti corpore non ſine contradictione affirmari poſſe concedit Bellarminus.

Auguſt. in Epiſt. 3. ad Voluſian

2.

Biel. in 4. d. 10. q. 1. & in Canon. Miſſæ lect. 43.

Si vero corpus Chriſti non ſit totũ in qualibet parte propter extenſionem, tũ habet corpus Chriſti partes extenſas, & tum eſt certus ordo & diſpoſitio partium: caput propter extenſionem partium debet eſſe in ſuprema parte corporis, pedes in infima, pectus in media parte. Hoc etiam ſi detur, tum erit quædam pars recta, quædam obuerſa; quædã antica, quædam poſtica; & tum Chriſtus aut ſupinus aut pronus iacet; aut in dexterum, aut in ſiniſtrum propẽdet; nunc eſt auerſus, nunc aduerſus. 3. Etiam in doctrina Thomæ erit implicatio cõtradictionis. Nã ille ait, Chriſti corpus nõ circumſcribi loco, & tamẽ eſſe quantum, id eſt, extenſum: at ſi non circumſcribatur loco, tum eſt totum in qualibet parte: nã circumſcriptio ſola partium diſtinctionem extẽſionemq; arguit: vbi nulla circumſcriptio eſt, ibi partes ſimul ſunt: & ipſi Pontificii Chriſti corpus in minutiſſima quaque parte Sacramenti totum eſſe volunt. 4. Auguſtinus ait, nullum corpus eſſe nec magnum nec paruum, quod non occupet ſpatium, & impleat locũ, & loquitur de quouis corpore ſine exceptione, etiam de Chriſti corpore; & optima ratione vtitur, quia *corpus* (inquit) *eſt aliqua ſubſtãtia, & quantitas eius eſt in magnitudine molis eius: & habet partes diſtantes, quæ non poſſunt eſſe ſimul.*

3.

4.

Si

Si putaſſet aliter eſſe in corpore Chriſti, eius mentionem aliquam feciſſet, præſertim cum de Chriſto clauſo in vtero virginis loquatur: at Papiſtæ Chriſti corpus in mille locis ſimul eſſe affirmant, & nullum ſpatium aut locum implere. Idem quoque Auguſtinus alibi ait de Chriſto, *Secundum præſentiã corporalem ſimul & in ſole, & in luna, & in cruce eſſe non poſſet.* Bellarminus in recitatione huius teſtimonii omiſit illa verba, *Secundum corporalẽ præſentiam.* Reſpondet ille, ſed nihil ad rem, quia non aſſequitur ſcopum Auguſtini. Quærit Auguſtinus à Manichæis, quot illi Chriſtos ponant, num vnum, quẽ Spiritus Sanctus genuerit ex terra patibilem, ſuſpenſum (vt illi volebant) ex omni arbore, & iacentem in omni herba: alium, quem Iudæi crucifixerunt: tertium per ſolem lunamque diſtentum: an vnum eundemque ex parte ligatum in arboribus, ex parte liberum. Tum Auguſtinus hoc delirium refellit; quia Chriſtus (inquit) aut eſt ſpiritus, aut eſt corpus: ad ſecundum præſentiam ſpiritualem non potuit crucifigi à Iudæis; & ſecundũ corporalem præſentiam non poteſt eſſe ſimul in arboribus, in herbis, in cruce, in luna, & in ſole, vt illi abſurdiſſime affirmarunt: at ſecundum opinionem Papiſtarum poteſt eſſe in multo pluribus & locis & rebus.

Auguſt. cont. Fauſtum Manich l 20. c. 11.

Sed Bellarminus ait, Si Auguſtinus loquatur de Chriſti corpore, vt eſt reuera, & non ſecundum ſententiam Manichæorum, tum loquitur de corpore, ſecundum ordinariũ curſum naturæ, & nõ ſecundũ id, quod poteſt in illo facere omnipotẽtia Creatoris. *Reſpondeo*: Si hoc poſſet fieri, vt Chriſtus ſecundum præſentiam corporalem ſit in ſole, & luna, & cruce ſimul, tum Auguſtinus inepte Manichæos refutaſſet, ex quorum doctrina eiuſmodi quid ſequebatur: nam poterant illi Auguſtino eandem abſurditatem obiicere, & dicere; Cur negas poſſe Chriſtum eſſe in arboribus, & herbis, cum eſſe in infinitis altaribus vos ipſi ſtatuatis? Neque enim Manichæus Chriſtum eſſe naturaliter, in tam multis locis & rebus dixit, ſed vi Spiritus ſancti.

At Auguſtinus non veritus eſt talem calumniam, quia Chriſtum nuſquam niſi in vno loco eſſe nouit. Sed Bellarminus probat, Auguſtinum non loqui de Chriſto, vt eſt in ſe, quia ait, ſpiritũ nullo modo pati poſſe in cruce; quod neceſſariò intelligi debet (inquit) ſecundum ordinarium curſum naturæ; alioqui (inquit) Auguſtinꝰ pugnaret ſecum, quia alibi ait ſpiritum poſſe pati ab igne corporeo. *Reſpondeo*: Ait quidem Auguſtinus, dæmones ignibus infernalib. cruciari, vel quod aerea corpora habeant, vel quod etiam ſpiritus ſine corporibus poſſint miris & ineffabilibus modis igne corporali torqueri. Hoc fateor eſſe verum: dæmones ſine corporibus igne cruciabuntur: ergone Iudæi poterant Chriſtum crucifigere, & ſi non habuiſſet corpus? certe dæmones à

Auguſtin. de ciuit. Dei, l. 21. c. 10.

Deo torqueri possunt flammis, sed non ab hominib. aut crucifigi, aut torqueri: Christus autem à Iudæis crucifixus est: nõ ergo spiritus fuit: corpus igitur habuit: non ergo in luna & sole, & aliis locis innumerabilibus simul esse potest, vt Manichæi statuebant. Hæreticum igitur est, ponere Christum in pluribus locis simul. Ineptum verò est, quod Bellarminus ait, si spiritus possunt alligari igni corporeo, vt ab eo pœnam recipiant, cur non alligari cruci possunt? perinde enim est, ac si hic diceret; dæmones sunt in aere definitiuè: ergo possunt comprehendi, & in carcerem coniici. Nam ignis est locus dæmonum, & substãtia ignis est subtilis, & in igne habitabunt: sed homines non possunt illos, vt Iudæi Christum, crucifigere. Aliud testimonium affertur à nostris ex Augustino in tractatu quodam in Ioannem, vbi hæc verba habet, *Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, vno loco esse potest: veritas eius vbique diffusa est.* Quod verò ait Augustinus, *potest esse*, perinde est, ac si diceret, *debet esse*: nam opponit corpus veritati eius: *veritas*, inquit, *vbique diffusa est*, id est, spiritualis gratia, sed ipsum corpus potest esse in vno loco, id est, est in vno loco; alias nulla erit oppositio.

Augusti. tract. 30. in Ioan.

Sed Augustinus ait, *potest*, quia est vbi vult, nulla necessitate in hoc aut in illo loco. Nostri Theologi interdum solent hoc testimonium sic allegare, *Corpus in quo Dominus resurrexit, in vno loco esse oportet.* Aduersarii clamant. At in Gratiano sic legitur: vbi ridiculus Glossator, quod Augustinus ait, veritatem corporis esse vbique, sic exponit, *verum corpus Christi est in forma panis in quolibet altari*: quasi hoc sit, esse vbique? Sed Augustinus opponit corpus, & veritatem corporis: at non sunt opposita, si corpus sit & in vno loco, & in omnibus locis. Statim igitur Glossator ait, *vel veritas est diuinitas*: at hoc quoq; absurde, quia ait Augustinus, *veritas eius*, id est, corporis: at non est diuinitas corporis veritas. Similiter multi Patres probant diuinitatem Spiritus Sancti, ex eo quod sit vbique: si ergo Christus vbiq; sit secundum humanitatem, tum ea est Deus.

Gratian. de consecr. d. 2. cap. Prima quidem.

Ambrosius hæc verba habet, *Quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habeat circumscriptam determinatamque virtutem? nam esse in omnibus, & vbique, est diuinitatis proprium*: & sic per totum caput pulchre creaturas limitibus suis circumscribit, Spiritum Sanctum nullis; & hinc Spiritum Sanctum non esse creaturam probat: tollunt ergo Christi humanitatẽ, qui eã aut in omnibus, aut in pluribus locis statuunt. Similiter Basilius, τῶν μὲν ἄλλων ἑκάστη δυνάμεων ἐν ὡρισμένῳ τόπῳ τυγχάνειν ὠρισεν τὴν, *Datum hoc est aliis facultatibus* (intelligit Angelos) *in circumscripto loco esse*, vt Angelus, qui cum Cornelio loquebatur, & qui Zachariæ astitit, nõ tum in cælo fuit: at πνεῦμα Κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, *Spiritus Domini impleuit totum*

Ambros. de Spiritu S. l. 1. c. 7.

Basil. de Spiritu S. c 22.

tum orbem: concludit igitur, quod est ἀχώρητον τῷ μεγέθει, *immensum magnitudine*, ita scil. immensum, vt nullo loco capi possit, esse Deum: Christus igitur si in terra simul & cælo corpore sit, corpus eius non est finitæ naturæ: ergo est DEVS. Hieronymus hæc verba habet, *Ex quo intelligimus Deum esse, qui totus vbique sit.* Id ipsum Didymus quoq; probat. Augustinus ait, *se mirari cor Arianorum, plus quam explicare possit, quod cum dent, Spiritum Sanctum vbique præsentem adesse sanctificandis fidelibus, ausint negare Deum esse*: quasi diceret dementissimum esse, negare eum esse Deum, qui vbiq; sit: ergo si corpus Christi sit vbiq;, est Deus.

Hieron. in Psal. 138. Didym. inl. 1. de Spir. S. August. l. 3. c. 11 cõt. Maxim.

Cyrill de Trinit. l 7.

Similiter Cyrillus. Si hoc bonũ argumentum Patrum sit, tũ Christi corpus non est vbiq;, quia tum est Deus. Sed Bellarminus forsan hæc omnia concedet, quia illi non dicunt Christi corpus esse vbique: & hæc argumenta à se remouent in Lutheranos. Fatentur ergo illi Lutheranos optime refelli his & huiusmodi testimonijs. Vtinam Lutherani agnoscerent tandẽ suũ errorem & absurditatem. Sed num excusandi Papistæ sunt? nequaquã. Eadem enim vi, qua Christus est in tam multis locis, posset esse in omnibus: nam nõ naturaliter hoc fieri dicunt, sed propter omnipotentiam Dei: at omnipotentia sua tam posset facere Deus vt Christi corpus esset vbique, quam vt sit in tam multis locis: & sic posset naturam suam communicare creaturæ. At hoc impossibile est: non potest enim DEVS facere plures Deos: non igitur proprietates suas rebus creatis communicare: at vbique esse est proprietas Dei: & hoc potest Deus cõmunicare corpori Christi, non minus quam esse in multis locis simul. Deinde Eutyches, qui posuit vbiquitatem Christi, ab Ecclesia Catholica dãnatus est: aut legitimè certè, aut non: si non, tum male fecerunt, qui illum in Concilio Chalcedonensi damnarunt: at id dici non potest, quia Scriptura eius hæresin apertissimè damnat: si legitime & meritò damnatus est Eutyches, similiter & Papistæ damnandi sunt, nõ modo Lutherani, quia Papistæ ponunt fundamenta hæreseos Eutychianæ, affirmando id, ex quo necessariò vbiquitas consequatur. Lutherani sine ambagibus dicunt Christi corpus vbique esse: Bellarminus fatetur eos refelli ab vbiquitate quæ est proprietas Dei. Sed non minus absurdi Papistæ sunt, qui dant eius esse efficere, vt Christi corpus vbique sit, qui facit, vt in pluribus locis sit; & necessariò colligitur ex eorum placitis, quia cum caussa existendi sit omnipotentia Dei, non minus vbique per hanc causam esse potest. Sed forsan dicent esse in vno loco circumscriptiuè, sed esse secundum diuersum respectum in mille locis. At hoc non est distinguere, sed petere principium, & affirmare prædicatum.

Nos negamus posse esse Christum in diuersis locis sine circumscriptione: pugnat enim cum natura

tura corporis, esse simul in multis locis. Sic respondent Papistæ, quasi dicent, solem splendere sua luce, & esse obscurum suis tenebris: at quis dixerit tenebras esse in sole? Quid quod multi Papistæ disertè asserunt, Christi corpus posse esse vbique? Sic Roffensis disertè ait, Christi corpus posse vbique esse. Et Occamus eo quod Christi corpus est in qualibet parte vnius parui loci, colligit posse esse quoq; in qualibet parte vnius magni loci, & quia in quatuor locis est, ergo posse in pluribus & omnibus locis esse, vbi est Deus. Et mea quidem opinione minus est absurda opinio Lutheranorum, quia ex illa non sequitur discontinuatio vnius & eiusdem corporis, vt ex opinione Papistarum.

Roffens. cont. Oecolampad. l. 5 c. 33.
Occam. in centil. concluſ. 25. & 29.

CAPVT XII.

Argumenta Papistarum, quibus probant Christi corpus non occupare locum in Sacramento, diluuntur.

IAM ad secundam Papistarum cõtradictionem veniamus, quæ in eo posita est, quod ex illorum sententia corpus non occupet locum. Non enim modo corpus Christi in infinitis locis esse dicũt, sed etiam nullum occupare locũ. Id nos nõ posse fieri dicimus, quia contradictionem necessariam implicat. Atq; hic primo videndum de statu Quæstionis. Bellarminus ait duo esse obseruanda. *Primum* est, esse duas opiniones falsas Scholasticorum, quæ hæreticis, inquit, dederunt occasionem argumenta subtiliora contra veritatem fidei obijciendi.

Prima est Durandi, corpus Christi esse in Eucharistia sine quantitate. Sane Durandus non potuit videre, quomodo quantitas sit in Eucharistia, sed quomodo substãtia sine quantitate, facile intellectu putabat. Si quidem corporis substantia à quantitate separari posset, melius esset affirmare, esse in Eucharistia substantiam sine quantitate, quia substantia non extenditur nisi per quantitatem. Hæc via Durando placuit. *Secunda* est, esse ibi quantitatem & magnitudinem, sed non esse distinctionem aut ordinem partium, sed singulas partes à singulis penetrari: & hæc videtur esse Occami & Alliacensis sententia. Hæ opiniones sunt hæreticæ, quia naturam corporis destruunt, sed tamen à Papistis refelli non possunt, qui realem præsentiam Christi in Eucharistia tenent, cum qua nullo modo constare potest, vt postea docebimus, vel distinctio partium, vel vlla ratio quantitatis. Sed quænam tandem est opinio Bellarmini, & Ecclesiæ Papisticæ? ista nimirum, esse corpus Christi in Eucharistia cum figura sua, & habere ordinem ac distinctionem partium, vt in cælo, & habere omnia accidentia, excepta relatione ad locum cælestem.

Durand. in 4. d. 10. q. 2.
Occam. in 4. q. 4.
Alliacens. in 4.

Sed, 1. vt corpus Christi in Eucharistia

ristia distinctionem & ordinem eundem habeat, quem in cælo, impossibile esse postea euincemus. 2. Quod excipit vnum accidens, scilicet relationem ad locum, se planissime refellit. Nam non potest idem non habere omnes relationes respectu sui, & eiusdem rei: Christi autem corpus semper est idem & vnum: non potest igitur à se differre relatione: differret autẽ, si sit in Eucharistia realiter. Sed hoc est impossibile, vt aliquis respectu sui à se differat: potest respectu rerum aliarum, vt ego simul supra & infra esse possum, vt Ioannes & pater & filius; & præceptor & discipulus simul esse potest, diuersorũ respectu: at corpus Christi respectu sui à se differet ex Bellarmini sententia. Idem non potest referri ad se oppositis relationibus, vt Scholastici loquuntur. Similiter propinquum & distans sunt oppositè relata: si autem idem esset in diuersis locis, posset eidem esse & propinquum & distans. Sed affert Bellarminus quasdã rationes, quibus probat corpus Christi esse in Sacramento cum quantitate & distinctione partium.

Prima ratio sumitur ex Concilio Tridentino: Ecclesia vniuersa docet, inquit, non solum corpus & sanguinem, sed etiam animam & diuinitatem, atque adeo totum Christum esse in Eucharistia: certum autem est, inquit, animam & diuinitatem non esse ibi ex vi consecrationis, sed ex concomitantia: at magnitudo & figura, inquit, vnita sunt corpori Christi naturaliter & inseparabiliter. Sed hic pugnat cum Thoma: nam Thomas ait, quantitatem quoque esse in Eucharistia non ex vi consecrationis, sed propter concomitantiam. Substantia est ibi, inquit, ex vi Sacramenti, quantitas ex reali concomitantia: igitur in Sacramento est quantitas, sed per concomitantiam. Posset igitur ex hac opinione separari quantitas à substantia, vt sanguis à carne, & anima à corpore. Sed esto: quod ad rem nil refert.

Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 1.
Thom. in 3. p. q. 76. art. 4.
Idem contra Gent. l. 4. c. 64.

Secunda Bellarmini ratio hæc est: Christus ait, *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: at non tradebatur corpus sine magnitudine & figura, & aliis accidẽtibus, quæ in magnitudine fundantur. *Respondeo*: At hoc modo Christus erit in Eucharistia visibilis, & cum sua iusta magnitudine, non cum hac mathematica & Papistica magnitudine: nam cum tradebatur, & visibile erat corpus eius & habebat iustam magnitudinem.

Tertia ratio: In Eucharistia datur caro Domini: sed substantia sine quãtitate & complexione quadam accidentium caro dici non potest. *Respondeo*: At tum hic ossa esse debent: nec erunt ossa sine quantitate & cõplexione ossium. Sed in Eucharistia nullum est discrimen inter carnem & ossa: ergo nulla est ibi complexio carnis.

Quarta ratio: Anima etiam in Eucharistia est: ergo est ibi corpus dispositum & organizatum: non ergo sine quantitate sua. *Respondeo*:

At

tura corporis, esse simul in multis locis. Sic respondent Papistæ, quasi dicent, solem splendere sua luce, & esse obscurum suis tenebris: at quis dixerit tenebras esse in sole? Quid quod multi Papistæ disertè asserunt, Christi corpus posse esse vbique? Sic Roffensis disertè ait, Christi corpus posse vbique esse. Et Occamus eo quod Christi corpus est in qualibet parte vnius parui loci, colligit posse esse quoq; in qualibet parte vnius magni loci, & quia in quatuor locis est, ergo posse in pluribus & omnibus locis esse, vbi est Deus. Et mea quidem opinione minus est absurda opinio Lutheranorum, quia ex illa non sequitur discontinuatio vnius & eiusdem corporis, vt ex opinione Papistarum.

Roffens. cont. Oecolampad. l. 5 c. 33.
Occam. in centil. conclus. 25. & 29.

CAPVT XII.

Argumenta Papistarum, quibus probant Christi corpus non occupare locum in Sacramento, diluuntur.

IAM ad secundam Papistarum cõtradictionem veniamus, quæ in eo posita est, quod ex illorum sententia corpus non occupet locum. Non enim modo corpus Christi in infinitis locis esse dicũt, sed etiam nullum occupare locũ. Id nos nõ posse fieri dicimus, quia contradictionem necessariam implicat. Atq; hic primo videndum de statu Quæstionis. Bellarminus ait duo esse obseruanda. *Primum* est, esse duas opiniones falsas Scholasticorum, quæ hæreticis, inquit, dederunt occasionem argumenta subtiliora contra veritatem fidei obijciendi.

Prima est Durandi, corpus Christi esse in Eucharistia sine quantitate. Sane Durandus non potuit videre, quomodo quantitas sit in Eucharistia, sed quomodo substãtia sine quantitate, facile intellectu putabat. Si quidem corporis substantia à quantitate separari posset, melius esset affirmare, esse in Eucharistia substantiam sine quantitate, quia substantia non extenditur nisi per quantitatem. Hæc via Durando placuit. *Secunda* est, esse ibi quantitatem & magnitudinem, sed non esse distinctionem aut ordinem partium, sed singulas partes à singulis penetrari: & hæc videtur esse Occami & Alliacensis sententia. Hæ opiniones sunt hæreticæ, quia naturam corporis destruunt, sed tamen à Papistis refelli non possunt, qui realem præsentiam Christi in Eucharistia tenent, cum qua nullo modo constare potest, vti postea docebimus, vel distinctio partium, vel vlla ratio quantitatis. Sed quænam tandem est opinio Bellarmini, & Ecclesiæ Papisticæ: ista nimirum, esse corpus Christi in Eucharistia cum figura sua, & habere ordinem ac distinctionem partium, vt in cælo, & habere omnia accidentia, excepta relatione ad locum cælestem.

Durand. in 4. d. 10. q. 2.
Occam. in 4. q. 4.
Alliacens. in 4.

Sed, 1. vt corpus Christi in Eucharistia

ristia distinctionem & ordinem eundem habeat, quem in cælo, impossibile esse postea euincemus. 2. Quod excipit vnum accidens, scilicet relationem ad locum, se planissime refellit. Nam non potest idem non habere omnes relationes respectu sui, & eiusdem rei: Christi autem corpus semper est idem & vnum: non potest igitur à se differre relatione: differet autẽ, si sit in Eucharistia realiter. Sed hoc est impossibile, vt aliquis respectu sui à se differat: potest respectu rerum aliarum, vt ego simul supra & infra esse possum, vt Ioannes & pater & filius; & præceptor & discipulus simul esse potest, diuersorũ respectu: at corpus Christi respectu sui à se differet ex Bellarmini sententia. Idem non potest referri ad se oppositis relationibus, vt Scholastici loquuntur. Similiter propinquum & distans sunt oppositè relata: si autem idem esset in diuersis locis, posset eidem esse & propinquum & distans. Sed affert Bellarminus quasdã rationes, quibus probat corpus Christi esse in Sacramento cum quantitate & distinctione partium.

Conc. Trid. sess. 13. can. 1.

Prima ratio sumitur ex Concilio Tridentino: Ecclesia vniuersa docet, inquit, non solum corpus & sanguinem, sed etiam animam & diuinitatem, atque adeo totum Christum esse in Eucharistia: certum autem est, inquit, animam & diuinitatem non esse ibi ex vi consecrationis, sed ex concomitantia: at magnitudo & figura, inquit, vnita sunt corpori Christi naturaliter & inseparabiliter. Sed hic pugnat cum Thoma: nam Thomas ait, quantitatem quoque esse in Eucharistia non ex vi consecrationis, sed propter concomitantiam. Substantia est ibi, inquit, ex vi Sacramenti, quantitas ex reali concomitantia: igitur in Sacramento est quantitas, sed per concomitantiam. Posset igitur ex hac opinione separari quantitas à substantia, vt sanguis à carne, & anima à corpore. Sed esto: quod ad rem nil refert.

Thom. in 3. p. q. 76. art. 4.
Idem contra Gent. l. 4. c. 64.

Secunda Bellarmini ratio hæc est: Christus ait, *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: at non tradebatur corpus sine magnitudine & figura, & aliis accidẽtibus, quæ in magnitudine fundantur. *Respondeo*: At hoc modo Christus erit in Eucharistia visibilis, & cum sua iusta magnitudine, non cum hac mathematica & Papistica magnitudine: nam cum tradebatur, & visibile erat corpus eius & habebat iustam magnitudinem.

Tertia ratio: In Eucharistia datur caro Domini: sed substantia sine quãtitate & complexione quadam accidentium caro dici non potest. *Respondeo*: At tum hic ossa esse debent: nec erunt ossa sine quantitate & cõplexione ossium. Sed in Eucharistia nullum est discrimen inter carnem & ossa: ergo nulla est ibi complexio carnis.

Quarta ratio: Anima etiam in Eucharistia est: ergo est ibi corpus dispositum & organizatum: non ergo sine quantitate sua. *Respondeo*:

At

At profecto nulla diſpoſitio humani corporis eſt in Euchariſtia: nō ergo ibi eſt aut quantitas, aut anima. Si ergo anima non poteſt eſſe niſi in corpore diſpoſito & organizato, nulla certe anima eſt in Euchariſtia, quia in diſpoſitione iuſta, debet eſſe poſitio, qualē membra organica poſtulant. Sed do eſſe neceſſarium, vt ſi ibi ſubſtātia corporis Chriſti ſit, & quantitas, & anima ibi ſimul ſit: ſunt enim inſeparabilia. Sed quia non quantitas hic aut anima eſt; nec corpus hic eſſe poteſt.

2. *Secundum* illud, quod hic obſeruandum eſſe ait Bellarminus, eſt tria conuenire magnitudini, quorum vnum ex altero ſequitur. *Primum* eſt eſſentiale, ſcilicet eſſe extenſam in ſe, & habere partem extra partem, ac proinde ſitum intrinſecum, & ordinem, & diſpoſitionem partium, & hæc eſſe in magnitudine perpetua. Quid enim eſt linea, inquit, niſi extenſio in lōgum? quid ſuperficies niſi extenſio in longitudinē & latitudinem? quid corpus niſi extenſio in longitudinē, latitudinē, & profunditatem? ſublata igitur extenſione tollitur magnitudo. *Reſpondeo:* Hęc ab illo rectiſſimè dicuntur: neque enim vel cogitari magnitudo poteſt ſine extenſione. Cum a. in corpore ſit triplex magnitudo, triplex etiam extenſio neceſſaria eſt: quæ neceſſitas facit, vt Chriſti corpus non poſſit eſſe in Euchariſtia, vt nos poſtea docebimus. *Secundum* illud, quod conuenit magnitudini, eſt coextendi loco, ſeu commēſurari loco, & habere ſitum extrinſecum in ordine ad locum. Hoc, inquit, ſequitur ex primo: & ideo ſeparari poteſt ab eo. *Reſpondeo:* At ſi ſequatur, & neceſſario ſequatur, non poteſt ſeparari. Aut enim ſequitur neceſſario & inſeparabiliter, aut non: ſi neceſſariò, tum non poteſt non coextendi: ſi non, cur ait ſequi? imo neceſſariò ſequitur, vt corpus, quia habet extenſionē, impleat locum, quia extenſio eſt in longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Et ſequitur non vt effectum ex cauſſa: poſſet enim Deus impedire, ne cauſa producat effectum: ſed vt ex forma formatum: extenſio enim eſt ratio formalis exiſtendi in loco, & locum occupandi: at forma non poteſt à re formata ſeparari, dum res eſt, ſine contradictione. Et ſane nō poteſt eſſe extenſio partium ſine occupatione loci: quare hac ſublata, & prior tolletur, vt poſtea docebimus. Nam quod de ſupremo cælo obiicit, ſupra reſpondimus: etſi non propriè eſt in loco, tamen ſitum partium in extēſione habet, & ſua ſuperficie circumſcribitur. Exemplum non conuenit: nam ſupremum cælum propter immenſitatem non eſt in loco: at corpus Chriſti non occupare locum putatur, non propter immenſitatē, ſed contra quia locus in quo ponitur ab illis, non eſt iuſtæ magnitudinis. Nihil eſt in corpore Chriſti, cur non extendi ad locum poſſit: at in cælo aliquid eſt, cur non loco capiatur. Nullam inſtantiam corporis dare potuit intra ſphæram mundi.

mundi. *Tertium* illud, quod conuenit magnitudini, eſt extrudere aliud corpus è loco, & non pati, vt ſimul cum eo ſit: & hoc ex ſecundo ſequitur: quare ait hoc poſſe ſeparari à ſecundo & primo, quia eſt poſteriùs eis. Et ideo Catholici, inquit, tenent poſſe corpus eſſe in loco, & non expellere aliud; quæ dicitur penetratio corporum. Imò ſic corpus erit in loco circumſcriptiuè cum alio. Sed ratio fallit: q̄ enim poſterius eſt tempore, eſt ſeparabile: non quod natura poſterius eſt, ſemper & neceſſariò. Non magis poſterius eſt corpore implere locum, quam animale eſſe ſenſibile, aut homine eſſe riſibile. Si Deus ſepararet riſibile ab homine, non iam homo erit: hæc ergo contradictio eſt. Iam ſententiam Papiſtarum habemus, corpus Chriſti verè cum magnitudine ſua in Sacramento eſſe, tamen non cōmenſurari loco, aut coextendi loco, & poſſe penetrare aliud corpus. Hoc pro Lutheranis facit: cur igitur panem deſtruunt, vt locum faciant corpori Chriſti, cum poſſit corpus Chriſti eſſe in Sacramento vna cū alio corpore? fruſtra igitur litigant Papiſtæ cum Lutheranis: Nos contra in hac ſententia eſſe impoſſibilitatem & contradictionem dicimus, & poſſe tolli nō minus primam conditionem, quam ſecundam & tertiam. Sed Bellarminus oblitus ſui eſt: nam qui prius dixit, corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia circumſcriptiuè, nunc mutata velificatione, non circumſcribi ait, ſed eſſe ſine impletione. Ita aliud ſtans, aliud ſedens dicit. Deinde antea dixit, Chriſti corpus eſſe viſibiliter in Euchariſtia, & corpus quoduis in duobus locis viſibiliter eſſe poſſe: nunc ait corpus poſſe penetrare corpus: quod ſi verum ſit, tum videre poſſumus duo corpora in vno loco, imo infinita: nā vnum corpus poteſt eſſe in mille locis, ſi in duobus; ſic ſi duo corpora poſſunt eſſe in vno loco, etiam mille poſſunt, & viſibiliter quoq;, vt Bellarminus ait; quod nemo vnquam vidit. Sed nunc ad argumenta veniamus.

Bellarminus duplici argumentorum genere vtitur: primū à Dei omnipotentia ſumitur; alterum ab exemplis. De Dei verò omnipotentia affert quaſdam Scripturas, de quibus nos antea reſpondimus. Dei omnipotentia prædicatur in Scripturis, à qua nos cum Scholaſticis nihil excipimus, niſi quod contradictionem implicat: iam verò vt corpus non occupet ſpacium, non impleat locum, non expellat aliud corpus, non poteſt nō implicare contradictionem. Nunc igitur vult probare, in his nullam eſſe contradictionem: quod ſi probet, tum nos fieri poſſe concedimus. Atq; vt hoc probet, 4. affert ratiunculas. 1. eſt, poſterius nihil eſſe de eſſētia: at occupare locū eſt poſterius corpore, & implicare contradictionem eſt repugnare eſſentiæ. *Reſpondeo:* Locus eſt poſterior corpore natura non tempore, ſed extenſio partium ne natura quidē poſterior eſt: eſt enim extenſio partium de eſſentia magnitudinis,

vel ipso Bellarmino cõfitente. Locus, fateor, non est de essentia corporis, sed dispositio ad locum est de essentia propter magnitudinẽ essentialem: nam vt primum corpus est, est locatum: locatum autẽ est simul cum loco. Atq; vt Scholastici volunt, corporeitas est ratio formalis existendi in loco: corpus ergo non potest non esse in loco, quia corpus non potest esse sine corporeitate. Ergo locus non est posterior corpore, etsi sit externũ quiddam à corpore.

2. *Secunda* ratio hæc est: Magnitudo potest definiri sine loco, aut repletione loci: non est igitur de essentia magnitudinis esse in loco, & tum nulla est contradictio, corpus habere magnitudinem, & non occupare locum. *Respondeo:* Non omne quod non ponitur in definitione, potest à definito separari: tum enim ab homine risibile posset separari. Fateor nõ poni locum in definitione corporis, ea tamen ponuntur, quæ necessario locum insinuant, & quæ sunt proprietates arguentes necessario esse in loco: nam longũ, latum, & profundum esse, necessario arguunt implerionem loci. De vltima sphæra responsum est, non esse in loco, quia non est locus amplior, intra quem esset: quãquam si mouetur, est aliquo modo in loco. Nec quod locus non ponitur in definitione corporis seu magnitudinis, ideo potest corpus seu magnitudo esse sine loco: nam in definitione spiritus non ponitur illocalitas, nec in definitione Dei, tamen ea ponuntur, ex quibus nec Deus, nec spiritus est in loco: imo nec immortalitas ponitur, in definitione vel Dei, vel spiritus: tamen vt immortalitas, ita & illocalitas est de essentia & Dei, & angelorum. Si separari nequeat, quod in definitione ponitur, tum corpus non potest non implere locum, cum per longum, latum, & profundum definiatur: profundum vero non differet à lato, aut latum à longo, aut longum à puncto, si corpus non impleat locum: ita Christi corpus non erit verum corpus, sed corpus *μονόγεγμμον*, id est, *deliniatum tantum*, non additis scilicet reliquis, quæ iustam corporis magnitudinem absoluunt.

3. *Tertia* ratio huiusmodi est. Functio seu officium non est de essentia rei: at implere locum est functio corporis: ergo non est de essentia corporis, & per consequens corpus esse alicubi, & non implere locum non implicat contradictionem, cum nihil implicet contradictionem, nisi quod repugnat essentiæ.

Respondeo: Functio quidem & essentia non sunt eadem in rebus creatis: at in Deo eadem sunt: nam Deus est perpetuus actus. Ita si per functionem intelligat agere perpetuo, tum quidem functio est de solius Dei essentia. Homo quidem non semper ratiocinatur, est tamẽ hæc essentialis facultas hominis: sic corporis implere locum, & non penetrare corpus. Functio ignis est vrere: nõ semper quidem, quia potest hoc impediri: sed essentia ignis est calor, qui non nuda functio sed forma est, nec potest ab igne separari. Sic actus ratiocinandi impediri potest in homine, sed ratio ipsa ab homine tolli non potest. Similiter de corpore dicendũ: functiones eius impediri possunt: at extensio non est functio corporis, sed forma, quę re ipsa salua impediri aut tolli non potest.

4. *Quarta* ratio sic se habet: Ita se habet extensio ad magnitudinem, vt grauitas ad corpus graue: at nõ est de essentia corporis grauis põderare. *Respondeo:* Extensio sic est in corpore, vt eius ratio sit & definitio. Sic enim antea dixit Bellarminus, Quid est corpus nisi extensum in longitudinem, latitudinem, & profunditatem? grauitas vero nõ est de essẽtia corporis, sed est qualitas secundaria: ideo sine contradictione non fertur corpus graue deorsum.

Sequitur nunc secundum genꝰ argumentorum, quod positum est in enumeratione exemplorum: & tamen alij Papistæ hoc esse singulare dicunt. Hasselius ex Augustino respondet in alia causa, *Si quærimus exemplum, non erit singulare.* Sic Dominicus à Soto, *Qui quidem est modus singularis, nullum habens exemplum.* Sed Bellarminus putat hoc posse exemplis illustrari: videamꝰ ergo exempla, quibus probat corpus posse esse in loco sine occupatione aut impletione loci. *Primum* exemplum sumitur ex Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitẽ intrare in regnum cælorum.* Cum Apostoli attoniti dicerent, *Quis ergo potest saluus fieri?* Christus respondet, Hoc apud homines impossibile est, *at omnia possibilia sunt apud Deum*: potest ergo Deus facere, vt camelus per foramen acus transeat, quia si potest quod difficilius est, potest quod facilius est: non autem potest camelus per foramẽ acus transire, nisi non occupando locum: alias maius erit minus minore suo. Quod si hoc Deus potest, cur non item similiter potest efficere, vt corpus Christi sit in Sacramento, & tamen non occupet locum?

Hassel. de real. præsent. c. 101. *Dominic. à Sot. in 4. d. 10. q. 1. art. 4.*

1. *Matth. 19. 24. Marc. 10. 25. Luc. 18. 25.*

Respondeo: 1. Variæ sunt huius loci expositiones. Augustinus allegorice exponit: per diuitẽ (inquit) cupidus rerum temporalium intelligitur; per camelum Christus, qui se ad onera submisit; acus punctiones, foramen angustias punctionum significat: ita sensus secũdum Augustinum est, Facilius est Christum pati pro amatoribus seculi, quam amatores seculi cõuerti ad Christum. Si isto modo locum interpretemur, tum perijt argumentum Bellarmini de camelo. Similiter Gregorius ait, camelum transisse per foramen acus, quando Redemptor angustias passionis suscepit. Alij per camelum intelligunt funem nauticum: sic Theophylactus, *τινες δὲ τὸ ζῶον, ἀλλὰ τὸ παχὺ σχοινίον, ὦ χρῶνται αἱ ναῦται εἰς τὸ ῥίπτειν τὰς ἀγύρας*, Intelligunt quidam, inquit, non animal, sed crassum illum funem, quo vtuntur nautæ in proijciendis anchoris: Et sic Elias Cretensis. Bellarminus ait *κάμιλον* esse

August. quæst. Euangel. l. 2. c. 47.

Gregor. Moral. l. 35. c. 17.

Theophylact. in Mat. 19.

Elias Cretens. in

esse funem nauticum, nõ κάμηλον. Fateor Suidam in suo Lexico, & Scholiasten Aristophanis κάμιλον habere: quæ vox nusquam in antiquo aliquo authore reperitur. Sed certum est funem nauticum dictum esse camelũ propter crassitiem & tortuositatem. Et scribitur in Euangelio κάμηλον; quod vocabulum Theophylactus pro fune nautico à quibusdã sumi ait. Sed siue camelus, seu funis intelligatur, in rei impossibilitate nihil interest, in proportione vero aliquid: nam filo similior funis, quam camelus: sed simpliciter trahere crassum funem per acus foramen impossibile est. Adacũ verò quod attinet, alii per illam putant intelligi portam quandam Hierosolymitanam, quæ tam angusta fuit, vt cameli non possent, nisi oneribus detractis, & corpore submisso, per illam transire.

comment. in orat. 2. Greg. de filio.

Caietan. in loc.

Sic Caietanus. Et ista etiam expositio corrumpit rationem Bellarmini. Sed nusquam talis portæmentio fit apud authorem aliquẽ antiquum: non vtar ergo hac responsione. Et certum est fuisse hoc παροιμιῶδες, id est, *prouerbiale* inter eos, cum de re valde impossibili loquerentur, vt quando nos dicimus, facilius esse vt bos volet, quã vt hoc vel illud fiat, vel quando de inimicis infestissimis dicimus, citius aquæ cũ igne conueniet, quã hi reconciliabuntur. Loquitur ergo Christus de camelo, & de acu. Sed nunc de argumento respondeamus, quod licet ab acu sumatur, non tamen pungit. Est vero argumentum huiusmodi: Non minus repugnat naturæ, vt camelus per foramen acus transeat, quã vt Christi corpus in parua specie panis contineatur: at illud fieri potest: quidni ergo & hoc? *Respondeo:* Christus non ait possibile esse, vt camelus per foramen acus traducatur, sed vt dives ingrediatur in regnum cælorum, hoc tam impossibile ait esse apud homines, quam vt camelus transeat per foramen acus. Sed Deus tamen potest hoc efficere, inquit Christus: quid? vt camelus transeat per foramen acus? non, sed vt diuites in regnum cælorum ingrediantur. Nonne autem est impossibile, vt camelus per foramen acus transeat? est certe: alioqui non attoniti fuissent Apostoli: & nonne hoc Deus facere potest? certe quod est simpliciter impossibile Deus facere non potest, sed multa, quæ apud homines impossibilia sunt, facere potest. Iã verò vt camelus transeat per foramen acus, apud homines dupliciter impossibile est: *primò* quoad iustam cameli proportionem, vt scil. camelus seruata & retenta eadem mole magnitudinis per foramen acus transeat: *secundò*, mutata hac proportione, id est, vt factus camelus gracilior transeat.

Primo modo simpliciter impossibile est, vt camelus scilic. & acus nullam mutationem subeant, & tamen camelus per foramen acus transeat.

Secundo modo non impossibile est, quia potest Deus, quod homines non possunt, facere scil. camelum

lum gracilem, vel acus foramen dilatare. Sic diuitem in cælum introducere potest Deus, non qui confidit diuitiis suis, sed postquam hanc ei confidentiam abstulit, & dedit ei aliam mentem, tum potest eum seruare. Sed quemadmodum est impossibile simpliciter, vt camelus cum suo gibbo, & tortuoso corpore, per foramen acus transeat, sic vt dives cum superbia & vana confidentia sua in regnum cælorum ingrediatur. Sensus non implicatus est. Quare quod Bellarminus ex Augustino probat, diuitem posse in cælum ingredi, etsi non desinat esse dives, verum est, nec contra nos facit. Nam Christus non ait oportere diuitias abijcere; sed non confidere ijs: nõ necesse ergo est, vt cum inepto illo philosopho abiiciamus in mare diuitias, sed vt fiduciam in diuitiis non habeamus. Apud Marcum Euangelistã Christus docet, quos diuites intelligat, nempe τὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, *eos qui confidunt opibus*: possunt vero homines multi esse diuites, vt fuerunt Abraham, Iob, & alij, qui tamen non ponunt spem suam in diuitijs. Quod verò Patres aiunt, posse Deum traducere camelum per foramen acus, vt Augustinus, Nazianzenus, Origenes, & alii, id nemo negat: sed non seruata essentia & natura vtriusque. Sed potest Deus rerum naturam mutare, vt potest ex diuite auaro facere Christianum liberalem. *Secundum* exemplum sumitur ex Ioannis 2. vbi legimus Christum venisse bis ad discipulos, cum fores essent clausæ: ergo corpus Christi aut non occupauit locum, aut aliud corpus penetrauit. Hoc exemplum à Lutheranis etiam affertur. *19. & 26.*

August. Epist. 89. q. 4. cont. Pelag.

August. de spirit. & litera. c. 1. Nazian. orat. 2. de fil. 10. & l. 4. de Theolog. Origen. in Mat. 19. 2. Ioan. 20.

Respondeo: 1. illud θυρῶν κεκλεισμένων esse temporis præteriti, & sensum esse, ingressum esse Christum, postquam ianuæ erant clausæ, nõ dum essent clausæ: neq; enim hoc Euangelista ait. Potuit igitur Berengarius recte negare, Christũ intrasse ianuis clausis; non ꝙ ante nõ clausæ essent, sed quod nõ tum clausæ essent, cum Christus intraret.

Hoc in eo Guitmundus reprehendit, qui illum non argumentis sed contumelijs refutauit. Quod verò Christus intrauit, postquam clausæ essent ianuæ, cum illi intus essent, & quidem subito, miraculum fuit, etsi ei à se apertæ sunt ianuæ. 2. Demus clausas fuisse ianuas, & permansisse clausas, postquã Christus ingressus est: non ait Euangelista, illum per ianuas aut clausas aut apertas intrasse, sed tãtum illis clausis repente intrasse: nõ minus per parietes aut tectum intrare potuit, quam per ianuas: imo si erant fenestræ, eæque apertæ, potuit ea via Christus intrare: nam Christus remouit corpus suum subito ab vno loco in alium per aerem: quidni igitur si locus vllus peruius esset, per eum potuit intrare? 3. Fingamus omnia clausa, & illos fuisse ædibus septos vndequaque æneis: Christus tamen potuit intrare ad eos sine penetratione duorum corporum, aut sic vt

Guitmund l. 13.

locum interim occupauit. Nam potuit vi sua vel facere magnas rimas, easque statim resarcire, vel aperire fores & claudere nemine sentiente, ita vt interim iustam retinuerit corporis magnitudinem, nec vim aliquam intulerit aut corpori suo, aut alteri alicui rei. Sed cum mille modi sint, quibus Christus ad suos intrare potuit, nulli illorum placent Aduersariis præter vnum, qui & impossibilis est, & omnium maximè incredibilis. Atque hoc etiam Patres senserunt.

Hilar. l. 3. de Trinit. Hilarius, cuius longum testimonium citat Bellarminus, ait *Christo per virtutẽ suam vniuersa esse peruia*: ergo domus ei peruia fuit.

August. serm. 159. de tempore. Sic Augustinus ait Christo ostium penetrante, & aquis inambulante, recessisse paulisper pondus & modum corporis.

Augustinus ait recessisse: sic non admittit contradictionem: at si remansisset Christus corpore suo vtroque tempore, fuisset contradictio.

Idem de agon. Christian. c. 24. Idem Augustinus alibi tribuit cuidam subtilitati, ad quam Christus corpus suum in momento redegerit, quod sic intraret. Vtcunque se res habuit, Christus nõ intus & extra simul fuit: at Aduersarii volunt Christum in cælo & extra cælum simul fuisse.

Amphiloch. apud Theodoret. Dial. 2. Sic Amphilochius ait, Christum clausis ianuis intrasse post resurrectionẽ, non ante, vt ostenderet se corpus habere ἀνάστατον, *non eiusmodi*, quale ante resurrectionẽ habuit. Quicquid ille sibi voluerit, sensit certè mutationem aliquam in corpore Christi fuisse, alias non potuisse intrare. Sic Hieronymus ait, creaturam cessisse creatori, id est, dedisse locum, vel ianuas scil. vel aliquam partem ædium: ergo non necesse est vt fingamus penetrationem.

Hieron. ad Pammach. cont. Ioan. Hieroſolym Nobiscum sentit apertissimè Durandus, dicendum esse absolute Christum intrasse clausis ianuis, sed non per clausas, quia potuit per fenestras aut alium locum intrare: & si per ianuas, poterant subito aperiri & claudi, sic vt lateret discipulos: & quia non putatur fieri, quod latet, ideo dicuntur ianuæ fuisse clausæ. Irascitur Durando Bellarminus, sed illi æquius irasci potuit Durandus. Sed Bellarminus quasdam frigidas coniecturas contra nos affert.

Durand. in 4. d. 44. q. 6. *Prima* hæc est: Nõ fuisset miraculum, si per fenestras intrasset, aut aditu quocunque, ianuis clausis. *Respondeo:* Fuit miraculum, quia nullus alius sic potuit intrare: & miraculum fuisset, ianuas nullo intrusaperiente subito apertas fuisse. *Secunda* ratio: Apostoli territi & expauefacti putarunt esse spiritum: ergo intrauit nullo strepitu. *Respondeo:* Potuit Christus ianuas aperire sine strepitu: nam quod probat totam domum fuisse immotam, quia nullus fuit strepitus; nõ sequitur, quia Deus potest motum facere sine strepitu.

Luc. 24. 36. *Tertia* ratio: Patres agnoscunt miraculum. *Respondeo:* Et nos quoque: & verum miraculum fuit, Christum sibi aditum patefecisse. *Quarta* ratio: Patres hac responsione vsi fuissent contra Marcionistas, Valentinianos, & Origenistas,

stas, qui veram corporis resurrectionem negabant, & ex hoc loco argumẽtabantur: hinc enim Christi corpus phantasticum esse intulerunt.

Respondeo: Sed non sequitur; quia Christus vero corpore intrare potuit, viam sibi aperiendo, & faciendo dura corpora sibi cedere, quemadmodum Hieronymus respondet refellẽs Ioannem Origenistam. Non est verò quod hoc Lutherani vrgeant, qui Christum vbique esse dicunt: quorsum enim transiret Christus per ianuas ad intrandum, qui antea intus fuit? at Christus intrauit, inquit Ioannes: non igitur ibi ante fuit. Ita Lutheranorum causa iacet. *Tertium* exemplum est de natiuitate Domini: Christus exiuit ex vtero Matris clauso.

3. *Respondeo:* Christum esse de virgine natum, fides persuadet: an exierit verò eo modo, nec in Symbolis, nec in Scripturis habetur, nec pertinet ad fidem. Sed multa illi de beata Virgine credere præcipiunt, quæ nullo modo ad fidem pertinent. Oportuit Christum ex virgine nasci, ne cum peccato nasceretur, inquit Basilius, an verò deinceps virgo manserit, nõ pertinet ad rationem mysterii fidei nostræ: & ait Basilius, μὴ ἀβλαμμένου τῷ λόγῳ τῆς εὐσεβείας, *non ladere rationem pietatis*, si postquam peperit Christum, non respuit τὰ νενομισμένα γάμου ἔργα, *legitima nuptiarum opera*. Sic Basilius non veritus est pro concione docere. At Papistis in ore est tãquam de fide, ante partum, in partu, post partũ virginem fuisse: & nos ante partũ, & in partu, virginem fuisse concedimus; & post etiam: sed hoc non esse fidei. Nec quod de clauso vtero ait Bellarminus: nam erat virgo in partu, quantumuis Christus communi lege natus fuit, quia virginitatem nil nisi carnalis copula violat.

Basil in hom. de Christi natiuit.

Bellarminus de clausa porta obijcit, per quam Dominus solus intrat. *Respondeo:* 1. Hoc esse allegoricum, & nihil minus Prophetam cogitasse, quam de virginis vtero: non enim intrauit Dominus virginis vterum, sed exiuit. 2. Clausus quoque vterus virginis fuit, quia nulli patuit præterquam Domino exeunti. Quod ad Iouinianum attinet, hoc ei Augustinus obiicit, quod Mariam in partu corruptam esse asseruerit. Certe nunquam corrupta fuit, neque id quisquam nisi temere dixerit: sed tamen parere filium potuit more communi sine virginitatis corruptela: & postquam natus est Christus, sic partes redire & quodammodo resarciri poterant, vt nullũ partus indicium remaneret. Quod autem ex Hieronymo obiicit, virginitatem carnis amissam non posse reparari, sciens fallit. Hieronymus quidem virginem ait post ruinam non posse reparari: nõ autem ait non restitui posse virgini ὁλοκληρίαν, id est, *integritatem* & incorruptionẽ omnium partium; quod nemo non posse restituiait. Sed longam historiam narrat ex Augustino de Petronia fœmina quadam

Ezech. 44. 2.

August. hæres. 82.

Hieron ad Euſtoch.

August. de ciuit. Dei l. 22. c. 8.

dam nobili Carthaginensi, cui annulus capillatio vinculo incluſus miraculosè excidit: quaſi difficile Deo fuerit, annulum extrahere è vinculo, quemadmodum voluit, vt nec annulus frangeretur, nec vinculum rumperetur. Etiam Christus edi potuit integris virginalibus, vt Auguſtinus ait, ſic vt non neceſſe tamen ei fuerit tranſire per aliud corpus, ſed illud corpus diuidere aut dilatare ſine dolore.

Idem in Epiſt 3. ad Voluſian.

Sed audiamus quid hac de re Durandus dicat: ait ille fuiſſe factã in vtero virginis virtute diuina dilatationẽ membrorum & meatuum ſine interruptione aut fractione; quod ex Auguſtino probat; & ait hoc futurum fuiſſe in omnibus fœminis, id eſt, ſic omnes fœminas parituras fuiſſe, ſi ſtatus innocentiæ duraſſet. Nihil certè eſt, cur Bellarminum aut ſententiæ huius aut Durandi pudeat: ſed eſt profecto quod Durandum pudeat Bellarmini. Concludit igitur Durandus, & citat Ambroſium, ac Gregorium, in natiuitate Chriſti nõ fuiſſe duo corpora ſimul. Quid quod Patres ſtant non minus à noſtra ſententia, quam Bellarmini? imo ab eius ſententia nulli ſtant, fuiſſe duo corpora ſimul. Ambroſius aperte ait, Chriſtum aperuiſſe vterum, & ait eum ſolum ſibi vterum aperuiſſe. Bellarminus ait aperuiſſe non diuidendo, ſed mirabiliter penetrando. *Reſpondeo*: At qui aperit, diuidit: non poteſt eſſe apertio ſine diuiſione. Nec aliter alibi Ambroſius: nam non aliud alibi ait, niſi *inuiolata integritatis duraſſe ſignacula, cum exiret ex virgine.* Sic Origenes ait, vterum virginis reſeratũ eſſe, cũ Chriſtus naſceretur. Sic Tertullianus de Maria ait, *Virgo quantum à viro: non virgo, quantum à partu. Virgo concepit; in partu nupſit*: & poſt, *proprie vterũ adaperuit.* Similiter Fulgentius. Hieronymus de Chriſto hæc verba habet, *Nouẽ menſibus in vtero, vt naſcatur, expectat, faſtidia ſuſtinet; cruẽtus egreditur, pannis inuoluitur, blãditijs delinitur.* Quid apertius dici potuit? ergo natus eſt Chriſtus, vt alii, & ſimilia paſſus eſt, quæ alii. Idque probat Hieronymus ex Luc. 2. πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν, *Omnis mas adaperiens vuluam*; & ex Gen. 49. *vſque dum venerit Shilo*, ſecundæ eius, id eſt, filius eius. Sed non neceſſe eſt hac de re laborare: nunquam ſane ex Patribus probabit, duo corpora fuiſſe ſimul in natiuitate Chriſti. *Quartũ* exemplum eſt egreſſus Chriſti è ſepulchro. Colligi enim poteſt ex Matth. 28. & Marc. 16. remotum fuiſſe lapidem, non niſi poſt reſurrectionem, ab angelo, vt mulieres vacuum ſepulchrum viderent. *Reſpondeo*: 1. Ex his Euangeliſtis non aliud colligi poteſt, niſi lapidem eſſe reuolutum: quod fieri potuit ante reſurrectionem. Et ſane non incredibile eſt, Chriſtum in terræ motu reſurrexiſſe, qui factus eſt angelo deſcendente. Et eſt contra hiſtoriam, Chriſtum reſurrexiſſe, antequam cuſtodes aſpectu angeli exanimati, & in fugam verſi ſunt. Idẽ angelus, qui cuſtodes terruit, lapidem remouit, & Chriſto viam reſurgenti aperuit. Nihil eſt in Euangeliſtis, quod contra hoc faciat; & nos cogemur credere, Chriſtum per lapidem exijſſe, & corpus ſuum cum lapidis ſubſtantia miſcuiſſe? 2. Quid ſi angel⁹ venit iam Chriſto reſuſcitato? & quid ſi lapis non ante reuolutus eſt, quam poſtquam Chriſtus reſurrexit? an neceſſe eſt Chriſtum per lapidem tranſiiſſe? At potuit fieri, vt aut Chriſtus vi ſua lapidem ſubmouerit, non deuoluerit, aut lapis Chriſto ceſſerit, & poſtea redierit. Nil ergo hoc pro Aduerſarijs facit, ſi vel maxime clauſum ſepulchrum fuerit. At non poſſumus, inquit, hoc probare niſi propria authoritate. *Reſpondeo*: Nobis ſatis eſt monſtrare modum, quo potuit Chriſtus exire ſiue penetratione, & illi nulla ratione aut Scriptura contrarium docere poſſunt. At aliter Patres, inquit: & citat Iuſtinum, Nazianzenum, Hieronymũ, & alios. *Reſpondeo*: Iuſtinus ait, ſublatum eſſe lapidem poſt reſurrectionẽ, ſed non ait Chriſtum tranſijſſe per lapidem: potuit diuidere, & rurſus compingere, qui potuit creare: nec aliud quiſquam Pater dicit.

Durand. in 4. d. 44. q. 6.

Auguſt. de ciuit. Dei l. 14. c. 23.

Ambroſ. in Luc. l. 2. c. 7

Idem de inſtit. virgin. c. 7.

Origen. in Luc. hom. 14.

Tertullian. de carne Chriſti in fine.

Fulgent. de incarnat. & grat. c. 13.

Hieron. in Epiſt. 22.

Luc. 2. 23.

Gen. 49. 10.

4.

Mat. 28. 2. Marc 16. 4

Iuſtin. q. 117. Nazianz. in tragod. Chriſtus patiens. Hieron. ad Hedib. q. 6. Leo Epiſt. 83. ad Epiſc. Palaſt. & Epiſt. 97 ad Leonem Auguſtum

Nam Nazianzenus ne reſurrexiſſe quidem ait clauſo monumẽto. Sed cur Bellarminus, qui Martyrem & Calvinum refellit, prætermittit quod apud Leonem habetur? Is enim diſertè ait, *Chriſtum tertia die reſurrexiſſe, reuoluto monumenti lapide.* Si huic credamus, reuolutus lapis eſt, antequam reſurrexit Chriſtus. Sed quid? nulluſue Scholaſticus nobiſcum ſentit? Sanè Durandus ait, in nullo textu Scripturæ haberi, quod Chriſtus reſurrexit clauſo tumulo: quod Patres interdum ſic dicant, per opinionem id dicere: quod ſi Eccleſia ſic ſentiat, tum fuiſſe tumulum aperitum vi Chriſti, & poſtea clauſum: nullo modo dabit, Chriſtum penetraſſe lapidem corpore ſuo: hoc tam abſurdum, quam quod abſurdiſſimum. Et hic Lutherani apertè refelluntur, qui corpus Chriſti vbique eſſe aiunt: at tum quomodo naſci, intrare ad Apoſtolos, aut exire è ſepulchro potuit? *Quintum* exẽplum eſt de aſcenſione Chriſti, & beatorum in cælum. Fide tenemus Chriſtum aſcendiſſe, & corpora beatorũ poſt reſurrectionem aſcenſura: nulla autẽ in cælo ianua eſt, inquit, nulla feneſtra, nulla rima. *Reſpondeo*: hoc argumentum ex ſophiſtica curioſitate natum eſſe. Sed quid? nullanè in cælo ianua, nulla porta eſt? tum impij certè Papiſtæ, qui populo perſuaſerunt, Petrum eſſe cuſtodem cæleſtis portæ, & cæli ianitorem: quare illi etiam claues inſignes tributæ ſunt: atque hæc in vulgus opinio manauit. Nunc nullas in cęlo aut ianuas, aut feneſtras eſſe ait Bellarminus, vt verendum ſit, ne illi cum aliis ciuſmodi ſophiſtis nullus in cælum aditus pateat.

5.

Sed Bellarminus ex Iobo hoc probat, vbi hæc verba habentur, *Solidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt cæli.* Quid igitur? an ex ære facti ſunt cæli? hoc eſt ad fabulas & poetas reuerti. Sanè

Iob. 37. 18.

ti. Sanè Homerus Ioui χαλκοβατὲς δῶμα, id est, *domum æream basin habentem*, vel, *æreis fundamentis insistentem* tribuit. Nec tamen sic deliraſſe poetas existimo, vt nostras sophistas, sed æneos cælos dixisse propter æternitatem & durationem: voluerunt scilicet illas ædes cælestes non esse similes nostris, id est, ruinosas, sed durabiles: at sophistæ esse materiâ tam durâ & solidâ volunt, quam æs: quod nulli vnquam poetarum in mentem venit. Et hic apud Iobum dicuntur esse firmi propter stabilem motum, & æri aut speculo comparantur, quia splendidi & pellucidi sunt, nõ quia duri. Quomodo planetæ in suis sphæris mouerentur, si sphæræ cælestes essent æneæ? ipsi enim planetæ, & reliquæ stellæ sunt substantiæ densæ, non peruiæ: quod ex luna patet, q̃ semper luceret, nisi solida esset, eodem modo: at in eclypsi solis non translucet sol per lunã: & legi Mercurium apparuisse in medio sole, tanquam maculam: habent ergo materiam bene compactã & corpoream. Sed quod in cælo reliquũ est, & si nihil ibi vacuum puto, non tñ durum, sed æthereum, & quasi aereum, purũ, incorruptibile est; sed eiusmodi, vt possit diuidi cedereque duro corpori: non mirum igitur si Christus in cælos corpore ascenderit. Sed Bellarminus argumentatur more suo, id est, Iesuitico: Non est probabile, inquit, tot foramina in cælo esse facienda, quot corpora beatorum ascendẽt: metuit, credo, ne cælum aliquid detrimenti capiat. Sed hoc non minus probabile est, quam corpora humana per æs transitura. Videmus aues quotidie in aere volantes, & aerem scindentes, nec quicquam inde incommodi elementõ accidere: an cælum diuidi non potest sine interitu aut periculo? quis magis delirum sophistam audiuit? Sane philosophi aliqui putarunt cometas in cælo generari: sic Cardanus: quod etsi falsum sit, non tamen inde sequitur, cælos tam solidos esse, quam æs. Fuit inusitata stella nostro seculo iuxta Cassiopeam, non è numero cælestium stellarum: euanuit enim nunc: si cometes fuit, quomodo potuit ea materia sphæras æneas penetrare? Sed si sphæræ cælestes verè æneæ sint, quomodo aut stellas aut solẽ videremus? æs enim non est pellucidum. Si cæli omnes ænei sint, tũ est in cælo aliquid densius, & ære impenetrabilius: nam certè errantes stellæ densiores sunt suis orbibus: luna solis aspectũ adimit obiectu corporis sui, digressu reddit. Sed mittamus istas nugas. Cælestis illa materia non ænea non plumbea est, sed subtilis & peruia. Sed Bellarminus Scripturam affert, vbi Christus *penetrasse cælos* dicitur: quid tum? an sic penetrauit, vt philosophi penetrationem corporum & dimensionum accipiunt? imo διελήλυθε, id est, *transiuit*, corpus suum in cælos intulit: an hoc non aliter fieri potuit, nisi penetrando dimensiones? tum negemus Christo aerem cessisse, cum subuectus est in cælos. Multa post ineptè garrit de diuisione cæli, quia in Scri- *Hebr. 4.14*

Scripturis sæpe diuisos esse legimus, vt in Baptismo Christi, & visione Petri, & in visione Ioannis, & alibi: & ait hoc in sola imaginatione & intelligentia factum esse. Sed quid de Stephano dicet? ille ait, θεωρῶ σου̃ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, *Cõspicio cælos apertos*. Bellarminus ait cælum esse perspicuum & diaphanum. Atrum certè nõ est æneum: non enim vel solis radius per tenuissimam laminam æris trãsmitti potest: nisi cæleste æs aliud sit, quã nostrum, & tum potest tam molle esse, vt facile cedat. Quid ergo est, quod Stephanus ait, se vidisse cælos apertos? fuit, inquit, non scissio, sed noua illustratio, qua factũ est, vt oculis Martyris appareret, quod antea non apparebat. Sed profecto si cæli tã perspicui & rari sint, vt non opus fuerit apertione ad videndum ea, quæ in ipsis sunt, sed tãtùm extraordinaria illustratione; & si oculi possunt illustrati diuinitus videre intra illud velum; multo magis corpora glorioſa possunt diuidere & penetrare. Sed audiamus sophistam sophistę respondentem.

Mat. 3. 16. Act. 10. 11. Apoc. 19. 11 Ioan 1 51. Act. 7. 56.

Durand. vbi supra.

Durandus ait: *Ponamus cælum esse diuisibile; quod potest fieri vel per naturam, vel per virtutem diuinam*: vtrumuis ponatur, non erunt duo corpora simul, sed cessit corpus corpori. Neque hoc arguit cælum corruptibile esse: non enim diuisio arguit corruptionem. Et hoc ait ponendum, quia alias sequetur, quod corpora glorioſa, quæ in cælo sunt, semper cum alio corpore glorioſo erunt: quod aliqui, inquit, reputarent satis absurdum. Atque hæc argumenti Bellarminiani absurditas est.

Sextum exemplum est de pœnis damnatorum, in quib. multa miracula sunt: quod nihil ad rem facit: nos enim non de miraculis, sed de impossibilitatibus & contradictionibus loquimur. *Primum* miraculum est, quod corpora torqueantur & non dissoluantur. 6.

Respondeo: Nulla hic contradictio est. Fit hoc diuina vi, quæ pœnam torquentem non destruentem infligit.

Secundum miraculum est, quod spiritus teneatur & impediatur à corpore, ne transeat quocunque voluerit. Spiritus dæmonum & damnatorũ in Gehenna certis locis & corporibus alligantur, & anima in homine est inclusa, vt in carcere. *Respondeo:* Spiritus sunt finitæ naturæ: non possunt esse, nisi vbi Deus voluerit: non ergo impossibile est, vt Deus has naturas locis & corporibus includat. Facile potest Deus continere dæmones in suis locis. *Tertium* miraculum est, animas ac dæmonas igne corporali affligi ac torqueri: quod Augustinus miraculo tribuit. *Respondeo:* Sit miraculum: Potest Deus multa miracula in pœnis damnatorum efficere. Augustinus non potuit harum rerum causas inuenire: miratur igitur: sed non ausus est in his contradictionẽ aliquam ponere. Non opus est ista diluere pluribus: per se & imbecillitate sua ruunt.

Septimum & vltimum exemplum 7.

sumitur à multis rebus similibus: & tamen alij dicunt nihil esse simile. Non magis conuenit corpori quanto, inquit, occupare locum, quam graui ponderare. *Respondeo*: falsum hoc esse: multo magis corpori conuenit implere locum, quã graui ponderare, quia grauitas est qualitas, sed dimensiones sunt quantitates & proprietates essentiales: qualitas potest separari, vt grauitas; potest enim fieri corpus leue, quod fuit graue: sed dimensiones nõ possunt à corpore separari. Commemorat deinceps Bellarminus Christum & Petrum, qui cum adhuc corpora mortalia haberent, super aquas ambularunt. *Matth. 14. 25. 29.*

Respondeo: Agnosco miraculũ: corpora fuerunt suspensa ad tempus vi diuina. Non est contradictorium, vt corpus graue suspensum sit in aquis, & non submergatur, sed vt graue simul & non graue sit. Sic obijcit ex Iosue 3. de aquis Iordanis, quæ non modo non descendebant, sed etiam ascendebant, & instar montis eleuabantur. *Iosue. 3. 16.*

Respondeo: Sed aquæ permanserunt, & pondus suum retinuerunt, sed vi diuina in montem collectæ sunt, & sublatæ, sic vt ad tempus lese nõ diffunderent. Sed hic non est cõtradictio: nam hæ aquæ non simul graues & non graues fuerunt, licet non fluebant, quia grauitas earum ad tempus suspensa est. Sed obijcit, Christum se inuisibilem fecisse. *Luc. 4. 30.*

Respondeo: Potuit se Christus abscondere, aut illorum oculos perstringere: sed non ait Euangelista, illum fuisse nunc inuisibilem: cõstrictos illos tenuit, ne manus in illum inijcerent. Fateor Christum subduxisse se aliquando & disparuisse, sed tamen semper retinuit omnes proprietates & dimensiones veri corporis, etiam cum transijt per medium, & cum ambulauit super mare. Simile est quod de igne affert, qui non calefaciebat. *Dan. 3. 24. 25.*

Respondeo: At tamen ignis erat, & calidus, & omnes essentiales proprietates ignis retinebat: sed Deus cohibuit, ne seruos suos attingeret: non extinxit, aut ei ardorem suum abstulit. Exempla igitur hæc omnia dissimilia sunt. Nam 1. nihil est in his cõtradictionis: id ne Bellarminus quidem ipse negauerit: nos autem propter contradictionem negamus Christi corpus esse in Sacramento. 2. Potest Deus impedire operationes rerũ, vt aquæ, ne fluat, corporis grauis, ne submergatur, ignis ne conf.mat: at nõ potest essentiam eripere rebus saluis. Sed si corpus Christi in Sacramento sit, natura eius tollitur, & sic non est quod esse dicitur. Bellarminus respondet, hoc esse argumentum Patrum, non suum: q falsum est. Patres non nisi hoc dicunt Christum intrasse clausis ianuis, vt ambulauit in mari, id est, vi diuina vtrumque fecisse. Sed Bellarminus iterum obijcit, exempla esse similia, quia ratio, cur possit Deus facere, vt graue non ponderet, lucidum non luceat, calidum non calefaciat, coloratum non videatur, est, quod causa sit prior effectu, & ideo potest sine eo esse. Demus hoc. At eadem, inquit, ratio.

tio valet in magnitudine, & occupatione loci, quia magnitudo est causa, occupatio loci est effectus: potest ergo vi diuina magnitudo esse sine loco. *Respondeo*: effectum causæ efficientis posse à causa separari, at non effectum causæ formalis: ratio est, quia quod fit est extra id quod facit: necessario igitur separatur, vt domus à fabro, & vt calor, quem ignis facit, est extra ignem: at formatum non est extra formam, sed in forma continetur: quare Bellarmin⁹ absurdissimè loquitur, cum non interesse ait multum, sitne formalis an efficiens causa. Et hic monstrosa Bellarmini contradictio obseruanda est: 1. ait, effectum formalem non posse separari à forma, ne à Deo quidem: 2. ait, causam formalem posse esse sine effectu suo: quod si verum sit, tum effectus formalis potest separari à forma: quod antea negauit. Si enim forma potest esse sine suo formato, tum formatũ potest esse sine forma sua: quod posse fieri negauit. Sed forsan formam vult posse subsistere ante formatum, vt anima ante corpus.

Respondeo: Sed non vt est forma: potest esse ante formatum, sed non forma esse. Iam magnitudo est forma existendi in loco, & occupandi locum: non potest igitur separari. Sed addit, grauitatem esse in eodẽ genere causæ, quæ tamen separari potest.

Respondeo: Attendite quam callide loquatur: grauitas non est forma cuiusquam corporis essentialis: ergo nullum corpus per grauitatem definitur: sed est tamen in eodem genere, quia ex forma pendet. Posset ergo ingens lapis marmoreus duobus digitis attolli, imò vno digito, & hucatq; illuciactari per miraculum salua natura lapidis, quia grauitas nõ nisi accidens & qualitas lapidis est: sed non potest marmor, dum est quantum & tantum, carere dimensionib⁹ suis. Istorum argumẽta omnia huc recidunt: Qualitates possunt separari aut cohiberi à corporibus: ergo dimensiones possunt; cum hæ sint de essentia, illæ verò non. Non ergo sequitur: Ignis potest non calefacere: ergo corpus potest non occupare locum; nam ignis dicitur calidus, quia potest calefacere, nõ qa semper calefacit: potest nil nisi se calefacere, & in se calere, si materiam nacta nõ sit aptam calefieri: at corpus magnum est, nõ quia potest extendi & habere dimensiones, sed quia habet in se vt formam & essentiam magnitudinis suæ. Atque hæc Bellarmini misera sophismata sunt. Lutherani hæc eadem exempla vrgent & obijciunt, sed illi insulsiores Papistis sunt hac in re: nam qui defendũt Christi corpus esse vbiq; post hypostaticam vnionem, quomodo dicunt Christum aut exijsse è sepulchro, aut intrasse in locum aliquem, cum vbiq; sit? quid opus fuit ei aut exire aut intrare, si vbiq; fuit? Illorum ergo deploranda cæcitas est.

***

Caput XIII.

Argumenta nostra, quibus probamus Christi corpus, si in Sacramento sit, necessariò occupare locum.

Aduersariorum opinio de Sacramẽtali præsentia corporis Christi duabus partibus cõtinetur: altera est, Christi corpus in Sacramento præditum esse quantitate sua: altera, sed tamẽ hac magnitudine nullum spacium occupare: quæ defensio contradictione turpissima implicatur. Afferamus igitur rationes, quas in hac causa Scriptura & recta ratio multiplices nobis suppeditat. Disputamus enim de corpore, quod si veri corporis proprietatibus careat, veram corporis rationem amittet.

1. *Primum* nostrum argumentum sic se habet: Est ea corporis veritas, spacio contineri, dimensionib. suis constare, faciem suam habere: ergo illud corpus, quod Papistæ ponunt in Sacramento sine spacio, sine dimensionibus, sine facie sua, non est verum & solidum corpus, sed imaginarium & phantasticum. Hoc argumẽtum Bellarminus diluere conatur, aitque Christi corpus habere quidem dimensiones suas, & faciem suam, sed non proinde spacium occupare. *Respondeo*: Per faciẽ intelligimus iustam proportionem corporis, quæ non potest latere sensus: nam in dimensionibus consistit; dimensiones autẽ extensione partium dijudicantur: quare si nulla partium extensio sit, tum nullæ dimensiones sunt, & sic facies nulla corporis remanebit. Bellarmini omne subterfugiũ est, Christi corpus in Eucharistia habere has dimensiones, & extensionem in se, sed non respectu loci: q̃ non aliud est, nisi verbo affirmare, quod ratione demonstrandũ fuit. Est autem prorsus impossibile, vt corpus in se habeat situm, & dimẽsiones, & omnia quæ in corpore requiruntur, nec tamẽ habeat respectu loci. Nam Philosophus, cui in hac re multum tribuendum est, recte ait, esse de intrinseca ratione & definitione quãtitatis, extendere corpus in ordine ad locum: idq; est simpliciter necessarium. Nam debet esse distantia inter partes: oculus ab oculo, manus ab auribus, caput à pedibus distare debẽt: quæ distantia non potest sine respectu ad locum esse: oculus non potest non esse in alio loco, quam auris, facies debet esse lata, nasus oblongus, oculi rotundi: linea autem recta & circularis, & latitudo, & crassities, ordinem ad locum indicant. Quid ergo? Christi corpus in Sacramento nonne in loco est? si in loco, tum loco continetur. Et quidem Sacramentum est in loco, parvum in paruo, magnum in magno; neq; potest vllum corpus esse vbi est Sacramentum: ergo habet ordinem ad locum. Et posset esse Sacramẽtum tam magnum, quam est corpus Christi: quis tum negaret Christi corpus vere esse in loco, *Arist. Metaphysic. 3. tex. 9. & in Prædicamento Quantitatis.*

eo, cum locum impleri, & spacium occupari, sensus renunciarent? aut forsan Christi corpus non magis implet locum in magno Sacramẽto, quam in paruo: quid ergo impleret tantum spacium? certè aut Christi corpus, aut panis: non panis, quia non remanet: at quantitas panis remanet: an panis ergo dimensiones, quæ manent sine substantia, locum implebunt? tum multo magis dimensiones, quæ cũ substantia sua adsunt, vt illi de corpore Christi aiunt, locum implebunt: aliquid certe implẽt locum: si quantitas; ergo quantitas non potest non implere: ergo Christi corpus, cum habeat suam quantitatem, necessariò implebit locum. Si neget Christi corpus in Sacramento esse in loco, tum contradictoria de Christi corpore affirmabuntur, nempe esse in loco, & non esse in loco totum. Neque hoc potest fieri diuerso respectu: nullum enim totum potest diuerso respectu esse in loco, & non esse in loco. Nam ratio, cur Christi corpus in cælo sit in loco, est magnitudo: ergo si eandem magnitudinem in Sacramento habeat, (quod Aduersarij volunt) tum necessariò in Sacramento etiam in loco est, cum rario existendi in loco manear, scilicet magnitudo: aut ergo non habet in Sacramento eam magnitudinem, quam in cælo habet, & tum non est idem corpus, aut vt est in loco ibi propter magnitudinem, ita & hic. Sed Bellarminus suppositionem præclaram proponit. Si Deus, inquit, ex aula hac (legebat, credo in aula) totum aerem auferret, nec alium ingredi pateretur, nos omnes retineremus dimensiones nostras & facies, tamen nec spacio contineremur, nec vllus alterius faciem videret. Sed quis ei dabit, vel id facturum Deum vnquam, vt vacuum sit, vel si tale fieret, fore vt alius alium non videret? non hoc inter philosophos constat: multi putant fieri posse motum per vacuum: quidni ergo & visus? Sed vtcunq; res esset, corpora suam iustam magnitudinem retinerent, atq; etsi non aere, quia nullus esset, sua tamen extremitate ambirentur. Sed si hoc fieret in vacuo, num tale posset fieri, vbi nullum est vacuum? nisi dixerint Sacramentum semper inferre vacuum. Cur enim nobis obtrudit vacuum, cum nullum sit in Sacramento vacuum? Sed hæc leuissima & insulsissima suppositio est.

Secundum nostrum argumẽtum est huiusmodi: Facultates essẽtiales non possunt separari à suis subiectis: ergo multo minus formæ: facultas ratiocinandi non potest separari ab homine: ergo nec occupare locum à corpore: nam forma occupandi locum est magnitudo. 2.

Bellarminus ait, replere locum esse actum non potentiam: at intelligendi facultatem esse potentiam: actum vero facilius separari posse, quam potentiam. *Respondeo*: actum formæ posse impediri & separari, sed non ipsam formam: ratiocinari actus est, sed anima rationalis est forma: potest homo non ratio-

ratiocinati, sed non potest esse non rationalis. Iam magnitudo est forma corporis: non ergo est corpore posterior, vt ratiocinatio est anima rationali posterior. Quanquam ergo replere locum videtur esse posterius corpore, est tamen simul, nec separari potest, quia est in definitione corporis: nã quid est corpus nisi magnitudo, id est, extensum in longum, latum, & profundum? hæc forma indicat ordinem ad locum: esse igitur in loco, non magis à corpore separari potest, q̃ magnitudo. Deinde Bellarminus ait, posse ab homine separari facultatem intelligendi, vt in infantib. & morionibus. Sed illi actu non facultate priuantur: quis enim infantem dixerit nõ habere facultatem & potentiam intelligendi, & similiter etiam morionem? sed actu & vsu carent. Idque statim Bellarminus sibi contradicens fatetur, cum ait illos non minus carere vsu intelligendi, quam si facultatem illam penitus non haberent: habent igitur, sed ea fungi propter impedimenta nequeunt: at nil impedire potest formam essentialem esse in re, dum res salua est: nõ potest igitur corpus non esse in loco, quia non potest non habere extẽsionem partium in ordine ad locum, cum hæc forma & definitio corporis sit. Sed Bellarminus ait, quantitatem & substantiam non posse seiungi naturaliter, sed posse tamen sine contradictione.

Respondeo: primo. Ergo substãtia potest esse sine quantitate: at hoc fieri non potest: ideo enim volunt esse in Sacramento quantitatem corporis, quia non potest à substantia separari. Si posset quantitas à corpore separari sine contradictione, sane dicerent omnes cum Occamo & Petro de Alliaco, corpus Christi esse in Sacramẽto sine quãtitate. Sed id forsan vult Bellarminus, quantitatẽ posse esse sine substantia: sic enim de pane omnes dicunt: at magis posset panis esse sine quantitate sua, quam quãtitas panis sine substantia sua, quia accidẽtis esse est inesse. *Primò* ergo alterũ est multo rationabilius. *Secundò*, si posset quantitas à substantia separari, at nõ posset à corpore: nam corpus est quantitas continua ex tribus dimensionibus: & illi non modo substãtiam Christi, sed corpus Christi esse dicunt in Sacramento.

Tertiò & Thomæ & sibi contradicit Bellarminus, suamque causam funditus euertit, cum quantitatem ait, posse à substantia separari: tum enim aut hic est quantitas Christi sine eius substãtia, aut substantia eius sine quãtitate, aut certe nihil ad rem dicit: at neutrum fieri potest. Quanquam æque hic posset esse quantitas Christi sine substantia, quam panis quantitas sine vllo pane: & tum nulla esset substantia in Sacramento, sed nuda quantitas. At si definitio non potest seiungi à definito aut naturaliter aut omnino, tum quantitas non à corpore separari potest, aut corpus à quantitate, sine contradictione.

Tertium nostrum argumentum hoc

hoc est. Substantia non potest existere nisi substantialiter: ergo nec quantitas nisi secundum modum quantitatis: sic linea non potest esse sine modo lineæ, & latitudo sine modo latitudinis, & profunditas sine modo vtriusque: falsum igitur est, esse hic quantum non quantitatiue. Bellarminus ait, substantiam non posse à modo suo essentiali separari, vt non potest inhærere in subiecto more accidentium.

Respondeo: Ergo certè accidens non potest nõ inhærere subiecto, quia hic est modus essentialis accidentis: at illi dicunt accidens nõ inhęrere in subiecto; quod est substantiæ: æque possunt dicere, substantiã inhærere in subiecto more accidentis. Sed addit Bellarminus, substantiam posse separari à modo suo intrinseco non essentiali. Quis hic modus est? Per se existere, inquit. Potest ergo hoc separari à substantia, ita vt substantia non existat per se: & tamen fatetur, existere per se, intrinsecum esse substantiæ. Sed hoc magis essentiale est substantiæ, quam non inhærere: nam non inhærere non ponit aliquid, sed negat: existere autem per se, ponit, & id ponit, quod facit vt non inhæreat more accidẽtium, quæ non per se existunt. At obijcit de Christi humanitate, quæ non existit per se.

Respondeo: Existit per se quoad substantiam suam, sed non subsistit extra diuinitatem: habet ὑπόστασιν per se, sed non habet hypostasin nisi in verbo: sic corpus nostrum per se existit, quatenus substantia, sed vnitur cum anima in vnitate personæ. Corpus Christi habet in se existentiam, non minus quam deitas Christi, sed non habet, nec potest habere ὑπόστασιν nisi cum diuinitate. Non potest igitur à substantia seiungi, existere per se, & suffulcire accidentia, quia in definitione substantiæ ponitur: quod autem suffulcit aliud primo, id per se existit: substantia suffulcit & sustinet accidentia primo & per se: est ergo de essentia substantiæ existere per se. Sed iam Bellarminus pressius respondet, quantitatem non posse esse nisi quantitatiue, id est, sine extensione & distinctione partium, in se, sed posse esse non quantitatiue in ordine ad locum: hoc est, habet in se quantitatem suam, sed ea non occupat locum. Hoc quam friuolum sit, sæpe diximus; & hæc sententia aliis sophistis non placet.

Durandus contrarium argumento tali demonstrat: Quod alicui per se competit intrinseca ratione ex natura sua, per nullam potentiam potest ab ea separari: homo esse nequit, nisi rationalis & risibilis sit: ideo cum corporeæ substantiæ conueniat, habere partem extra partem in ordine ad locum non per substantiam sed per quantitatem; si corpus Christi habeat quantitatem, non potest non habere partes situ distantes in ordine ad locum: quæ etiam est Occami ratio: ergo hi duo CHRISTVM nõ esse hic quantitatiue, aut habere vllam distinctionem par- *Durand. in 4. d. 10. q. 2.*

tium in se existimant. Bellarminus non aliud ait, nisi habere distinctionem in se, sed non quoad locum; quod fieri non potest: nam distantia in se necessario postulat vt in loco habeat distinctionem. Nulla enim distinctio est, sed turpissima cõfusio membrorum, nisi sit distinctio respectu loci, quia tũ oculus erit in naso, & nasus in brachio.

Dominic. à Sot. in 4. d. 10. q. 1. art. 4.

Dominicus à Soto ait, reuera puro philosopho hoc argumẽtum non esse imbecillum, & conatur ex Thoma responsionem mutuari, qua miror Bellarminum nostrum vti noluisse. Ea autem hæc est: esse in Sacramento substantiam Christi ex vi consecrationis, quantitatem vero vi concomitantiæ: ideo quantitas est hic ad modum substantiæ, non quantitatis; quod tamen absurdissimè dicitur: nam quacunque ratione sit ibi quantitas, vel per consecrationem, vel per concomitantiam, debet seruare suum modum, vt Scotus ait: modo autem substantiæ non repugnat, esse in quacunque parua quantitate: tota natura substãtiæ est in qualibet parte substantiæ, vt tota natura specifica aeris est in qualibet parte aeris. Sed Bellarminus hic abstinuit ab hac distinctione, quæ certe est Thomæ, eamque Dominicus Soto mirifice laudat: sed reuera Bellarmino omnia sua subterfugia adimit, & causam Pontificiam iugulat. Idque sic doceri potest: Quantitas adest ad modum substantiæ, ait Dominicus à Soto: at modus substantiæ est

Scot. in 4. d. 10. q. 1.

Thom in ſ. 3. q. 76. art. 5.

sine vlla distinctione partium non modo ad locum extra, sed etiam intus in se: vbi enim est distinctio partium in se, ibi non est totum in toto, & totum in qualibet parte: at modus substantiæ est, esse totum in toto, & totum in qualibet parte. Vnde isti cõcludunt, Christum non modo esse in toto Sacramento, sed in qualibet parte totum: est igitur hic non quantitatiue ne in se quidem, imo non omnino erit corpus Christi hic, aut corpus Christi mutatur in spiritum; quod Manichæi & multi hæretici dicũt: & Dominicus Soto ait, sic esse in Sacramento totum Christum, vt anima est in toto corpore, & in qualibet eius parte: quod si verum sit, tum transiit in spiritum; quod hæreticum est: nam esse totum in toto, & totum in qualibet parte, est proprium spiritus: & substantia nõ potest esse tota in qualibet parte, nisi secreta à quantitate. Nam hi duo modi diuersi sunt, esse secundum modum quantitatis, & esse secundum modum substantiæ: modus enim substantiæ est sine quantitate.

Dominic. Sot vbi ſupra art. 3.

Si ergo Christus in Sacramento sit secundum modum substantiæ; ergo sine quantitate in se est: quod omnes negant. Deinde totam substantiam esse in qualibet parte substantiæ, est verum de substantia homogenea, at non potest esse verum de heterogenea: nam tota specifica natura oculi non potest esse in qualibet parte nasi: & hinc apparet illos naturam corporis organici tollere; cum enim Christi corpus

corpus in Eucharistia esse volunt ad modum substantiæ, volunt esse ibi totum in toto, & totum in qualibet parte: ergo totus oculus est in auribus & in digitis. Vtrumque aiunt illi: *primo*, esse CHRISTVM in Sacramento cum quantitate: *secundò*, esse totum in toto, & totum in qualibet parte: quæ duo se mutuo tollunt. Et Christum esse totum in qualibet parte dicunt non modo post fractionem, sed & ante.

Thom. vbi ſupra. Innocent. de Miſſa myſter. l 4. c. 8.

Sic Thomas, & Innocentius, & contrasentire, esse errorem, imo hæresi proximum: at hoc tollit modum omnem quantitatis & intrinsecum & extrinsecum: nullum enim quantum est totum in qualibet parte, quia habet partem extra partem in se; & ipsi etiam dant. Tum esse totum in toto, & totum in qualibet parte, est esse alicubi definitiue: ita hic modus coincidet cum Sacramentali modo: sed supra distinct⁹ est à Bellarmino, & Thomas ait Christum esse in Sacramẽto nec circumscriptiue, nec definitiuè, sed Sacramentaliter. Sed hoc modo corp⁹ Christi erit, vt anima est in corpore Christi, & in Sacramento: non ergo secundum modum substantiæ corporeæ, sed spiritualis. Sed si sic, tum quando est diuisio Sacramenti, nõ esset Christus in quaque minutissima parte: nam certe anima non est in digito aut brachio abscisso, quia anima non habet extẽsionem: tum enim materialis esset & mortalis: Christi igitur corpus cum materiale & diuisibile sit, non potest totum esse in qualibet parte: volunt tamen esse totum in qualibet parte Sacramenti non modo coniuncta, sed & fracta, cum esse ibi secundum modum animæ dicunt. Sed hac de re inter sophistas non conuenit. Quod totum Christi corpus in qualibet parte Sacramenti sit, non omnes consentiunt: multi enim aliter sentiunt, quorum meminit Alexander de Hales, & Bonauentura; & illi hanc opinionem non improbant; totum scilic. Christum esse in vna hostia, cum autem diuiditur, tum esse totum in qualibet parte, exemplo speculi fracti: nam quando sacerdos ad consecrationem accedit, non intendit nisi vnam hostiam consecrare, id est, vt totus panis in totum Christum transeat, non vt quælibet pars transeat in totum Christum: multiplicatio autem fit ex eo, quod Christi corpus est indiuisibile: at anima indiuisibilis est, nec tamen tota est in parte abscissa, & si esset, tũ diuideretur: ergo corpus Christi diuiditur, quia est in particulis & fustis Sacramenti diuisis. Sed si corpus Christi indiuisibile sit in Sacramento, & ob eam causam sit in qualibet parte fracta seu diuisa, quid est, quod diuiditur? an species Sacramenti? sed si realis diuisio sit specierum, tum & substantiæ, quæ sub speciebus illis cõtinetur. Et certe si totus Christus & integer sit in qualibet parte, tum ante fractionem infiniti Christi sunt in hostia: nam quantitas est diuisibilis in semper diuisibilia, & quæq; pars quantitatis specierum est totus Christus, donec ad minimam

Alexand. p. 4. q. 40. memb. 3. art. 3. Bonauent. in 4. d. 10. in 1. p. q. 5.

particulã ventũ fuerit; eſt ergo ibi Chriſtus infinite: & tũ quando vnam partem hoſtiæ ſumimus, non Chriſtũ vnum, ſed tã multos Chriſtos ſumimus, quam poſſunt fieri partes Sacramenti, & tum non debuit Chriſtus dicere, *Hoc eſt corpus meum*, ſed, Hæc ſunt corpora mea: quiuis ergo homo accipit ad minimum mille Chriſtos, ſi totus nõ tantum in toto, ſed & in parte qualibet ſit. Et hæc nunc Scholæ & Thomiſtarum opinio eſt.

Innocent. vbi ſ. pra.

Sed Innocentius Papa *primo* ait, an totum Sacramentum in totum Chriſtum, & an pars in partem mutetur, ſe neſcire: nouit ille, inquit qui facit. *ſecundo* ait, ſe putare, ſi preſſius vrgeatur, ſub tota ſpecie totum Chriſtum, & in ſingulis partibus eſſe. Rationem affert, vel coniecturam potius: ait enim, *quod inde conijcio, quoniam in quotcunque partes ſpecies diuidantur, totus Chriſtus in ſingulis eſt.* Non putat Chriſtum multiplicari fractione, vt imaginẽ in ſpeculo: eſt ergo magna maſſa corporum. Sed aliam rationem affert, quia ſi vnus totus Chriſtus in toto Sacramento ſit, tum panis pars in partem corporis Chriſti conuerteretur: ſed quia hoc intelligi vix poteſt, malunt partem quãlibet in totum cõuerti: quod ſi verum ſit, tum in quolibet puncto Sacramenti eſt totus Chriſtus, caput, pedes, manus, & reliqua mẽbra: & ſic nulla diſtinctio partium erit: quæ enim in puncto partium diſtantia eſſe poteſt? Iam vero vtrũ iaceat, an ſedeat, an ſtet in Sacramento CHRISTVS, Innocentius non audet ſtatuere: ſed tamen ſi ſitum partium habeat, tum hoc neceſſarium eſt: nullum enim corpus eſt, quod partium in ſe poſitionem & diſtinctionem habet, quin aut iaceat, aut ſedeat, aut ſtet, aut ſitum aliquem habeat: abſurdum erit, quicquid ſtatuerint. Etſi in huiuſmodi Scholaſticorum ineptiis refutandis inuitus verſor, tamen multum facit ad veritatis illuſtrationem, noſſe illorum prodigioſa commenta, quæ ex reali præſentia efflorũerunt.

Quartum noſtrum argumentum 4.
tale eſt: Spiritus non poteſt exiſtere per modum corporis diuiſibiliter & extenſe: ergo corpus non poteſt eſſe per modum ſpiritus indiuiſibiliter. Bellarminus concedit antecedens, ſed negat argumentũ: ait non poſſe ſpiritum eſſe in loco extenſe, corpus tamen poſſe eſſe non extenſe. Nam in loco extendi (inquit) eſt effectus formalis extenſionis in ſe: poteſt autem forma ab effectu ſuo ſeparari, non effectus à forma: quia illa eſt prior, hic poſterior: ſi verò ſpiritus in ſe indiuiſibilis extenderetur in loco, tum effectus formalis eſſet ſine cauſſa, & poſterius ſine priore, quod fieri nequit.

Reſpondeo: 1. Concedit Bellarminus extenſionem in ſe (quæ pertinet ad omne corpus, & omni corpori conuenit) eſſe formalem cauſam extenſionis in loco: quod recte ab illo dictum eſt: ratio enim cur aliquid in loco extendatur, eſt quod in ſe magnitudinem & extenſionem partium habeat: iam vero

verò Chriſti corpus habet extenſionem in ſe: extenſio autem in ſe eſt ratio & forma extenſionis in loco: ergo Chriſti corpus non poteſt non extendi in loco. Ita hoc præſentiam Chriſti illocalem in Sacramento funditus euertit. Sed ait Bellarminus, formam poſſe ab effectu ſeparari.

Reſpondeo: effectum formæ, quatenus formæ, nullo modo poſſe à forma ſeparari. Exempli cauſa anima rationalis eſt forma eſſentialis hominis: ea non poteſt eſſe ſine effectu ſuo formali, qui eſt habere rationem, & ea formari: at ratiocinari etſi fit vi rationis & formæ, eſt tamen non cauſſæ formalis effectus, ſed hominis totius ex forma ſua, vel ratione formæ ſuæ, vt potius ſit cauſæ efficientis effectus, quam formalis: alias homo ſemper ratiocinaretur, quia ne Bellarminus quidem dixerit, effectum formalis cauſæ poſſe ſeparari à forma ſine miraculo: homo autem ſine miraculo non ratiocinatur, quia eſt in arbitrio rationis producere actum hunc ἀνθρωπινὸν, at ſi non eſſet in homine, q hominis forma efficit, ne homo quidem eſſet. Separare igitur formam à ſuo proprio veroque effectu, eſt contradictionem impoſſibilem ſtatuere, perinde ac ſi quis hominem ſine anima rationali ſtatueret.

Reſpondeo igitur 2. extendi in loco, non poſſe vllo modo ſeparari ab extenſione in ſe, quia hæc eſt forma illius, illud verò effectus formalis huius. Quod autem ait, formam eſſe priorem effectu, & ideo poſſe ab effectu ſeparari, primo antecedens falſum eſt: nam ſunt natura ſimul, vt definitio, & definitum: deinde nõ omne quod eſt natura poſteri9 poteſt ſeparari, vt grauitas à terra, riſibilitas ab homine ſeparari non poteſt. 3. igitur argumentum recte ſequitur, Angeli non poſſunt extendi locis: ergo corpora non poſſunt non extendi locis. Nam quod ille ait, ſpiritus ideo non poſſe extendi in locis, quia non habent extenſionem in ſe, nõ aduertit ſe id dicere, quod contra ipſum vel maxime faciat. Si enim ideo ſpiritus non ſint in loco, quia nullam extenſionem in ſe habent, tum corpora neceſſario in loco ſunt, quia extenſionem in ſe habent.

Si enim forma ſeparari ab effectu poteſt in corpore, tum etiam in ſpiritu: ſpiritus autem ea forma eſt, quæ non permittit extenſionẽ in loco: at fingamus formam poſſe ſeparari in ſpiritu ab effectu ſuo, & tum ſpiritus poteſt eſſe in loco. 4. Si ſit contradictorium, ſpiritum in loco extenſionem habere, cum nõ habeat extenſionem in ſe, nec poſſit fieri vt hoc ſit, quemadmodum concedit Bellarminus; non minor contradictio eſt, vt corpus non ſit in loco, cum habeat extenſionem in ſe; quia non magis in corpore quam ſpiritu forma ſeparari ab effectu poteſt. Nam ratio quare ſpiritus non poteſt extendi in loco eſt natura ſeu forma ſpiritus; ita ratio cur corpus extendatur in loco, eſt natura ſeu forma corporis.

Quintum noſtrum argumentum 5.

in hunc modum se habet: De essẽtia quãtitatis est, habere partẽ extra partẽ: ergo vbi vna pars est, ibi non est alia: ergo tota quantitas corporis Dominici non potest in quaq; particula hostiæ esse. Bellarminus fatetur, hoc esse argumentum omnium difficillimum, & respondet, corpus quantum habere partem extra partem, si illud (extra) habitudinẽ habeat ad subiectum, non ad locum: & id ait Philosophũ velle in prædicamento Quantitatis: quod absurdissimè dicitur, cum Philosophus nunquam somniauit de corpore sine loco: & hoc Aduersarii tribuunt miraculo; sed Philosophus de miraculis non cogitauit: tribuit ergo corpori quantitatem, cuius essentia est habere partem extra partem: quod simpliciter necessarium est, eum cõtinuę quantitati diuisio competat. Christi corpus est diuisibile natura sua: ergo partem extra partem habet, non modo quoad subiectum, sed etiam quoad locum, quia diuisio nulla est sine respectu ad locum: non diuiditur quidem, quia est immortale & glorioſum; & nostra corpora erunt eo modo indiuisibilia, sed tamen erunt eiusdem naturæ cuius sunt diuisibilia: ergo quoad locum pars extra partem erit. Et in corpore vna pars coexistit vni parti loci, alia alteri: ergo quoad locum pars extra partem esse debet: nisi enim sic, nec in subiecto aut in toto est pars extra partem.

Bellarminus impudentissimè respondet, duas partes corporis coexistere eidem parti loci. Sed quid ille de duabus partibus loquitur? nam hoc de omnibus partibus, & de toto corpore verum esse debet: aut erit pars extra partem quoad locum. Iam igitur totum corpus Christi est in qualibet parte loci, id est, pars non est extra partem in quauis loci parte minima. Sed esto: est igitur totum corpus in quaque particula loci: ergo in loco: nam quæque pars loci locus est. Sed si in loco sit, debet esse in loco æquali: si nõ in loco sit, cur ait duas partes corporis coexistere eidem parti loci? pugnantia vbique loquitur. Nam si det vllam partem corporis Christi esse in vlla parte loci, tum reliquæ etiam partes possunt esse in loco, & tum corpus Christi est in loco: si enim omnes partes sint in loco, tum totum est in loco. Et tum refellit Thomam & alios, qui aiunt Christi corpus non esse in Sacramento vt in loco. Sed intelligit ille proculdubio non locum proprium, sed fictum & mathematicum. Sed iterũ sic in illum insurgo: Si Christus totus in qualibet particula hostiæ & loci sit, tum quælibet pars hostiæ & loci totum Christum habet: si totum, tum quælibet particula habet Christi corpus, ex capite, & reliquis membris integratum: si sic, tum aut diuisio aliqua est corporũ hostiæ, aut non: si non, tum nisi in tota hostia vnum corpus est, quia in indiuisione non nisi vnum esse potest: si diuisio sit, tum idem à se diuiditur: quod non dixerint. Forsan dixerint posse diuidi respectu loci: at nullum corpus ponunt in Sacramento respectu loci: dicunt corpus Christi in Sacramento habere omnes proprietates corporis Christi in cælo excepta relatione ad locum. At iam intelligimus esse in Sacramento non modo vnum corpus Christi, sed esse totum in qualibet particula: quod si verum sit, tum aut omnia corpora sunt nõ nisi vnum corpus totum in toto, aut si hic plura corpora sint, quam vnicum, tum diuisio aliqua erit: nulla autem re, cum nec inter corpus in cælo, & in Sacramento sit aliqua diuisio; nec relatione, quia nulla in Sacramento est relatio ad locum: & sic vndequaque excluſissimi sunt ab omni responsione. Iam ista mittamus, & ad Augustinum veniamus. Ille ista omnia cõmenta refellit: nam de corpore Christi & humanitate verba faciens, ait Christi corpus habere partes, quæ non possunt esse simul, & si spacia locorum tollantur corporibus, nusquam fore, & quia nusquam, nec omnino fore.

Augusti. in Epist. ad Dardan. quæ est numero 57.

Ita si corpus Christi non occupet spacium, nusquam erit, & omnino non erit, & sic destrui naturã Christi necesse est, nisi ei spacium detur. Bellarm. respõdet, 1. hoc testimonium refellere vbiquistas: q verum est: vtinam illi tandem viderent: *secundò*, non refellere se, idque propter duas causas. *Prima* est, quia Augustinus id solum requirit, vt omne verum corpus sit extensum in se, non autem vt necessariò coextendatur loco. At Augustinus de spacio & loco diserte loquitur, aitq;, si tollas spacia locorum corporibus, nusquam erunt. Sed ait, Augustinum facere mentionem loci, quia à posteriori probat, corpus in se extensum esse, ex eo quod occupet certum spacium loci; sed non indesequitur, inquit, nõ posse extensum esse in se, nisi occupet locũ. Sed *primò* vult Augustin. probare, Christum non vbiq; esse secundum humanitatem, quia habet corpus: corporis autem est, esse in loco. Scopus hic est, non corpus esse extensum in se, sed non esse vbiq; aut in diuersis locis, quia corporum est esse in certis spaciis locorum. 2. quomodo sequitur ex posteriori, Christi corpus habere extensionem in se, quia occupat spacium loci, cum Papistæ Christi corpus non occupare spacium loci in Sacramẽto dicant? si enim sic disputet August. tum verum ex falso probat. 3. nõ magis Lutheranos Augustinus quam Papistas refellit: non enim contendit modo Christum secundum carnem non vbique esse, sed non esse in sepulchro simul, & in cruce, & in paradiso, qa hoc cũ humanitatis & corporis natura pugnat. Si non in ligno & paradiso potuit simul esse Christus, tum non in cælo & Sacramento simul. *Secunda* ratio, quam affert Bellarminus, cur Augustinus ipsos non refellat est AVGVSTINVM loqui de corporibus infra cælum: quod etiam falsissimum est. Nam loquitur AVGVSTINVS de Christi corpore, & generatim de omni corpore. Christus homo, inquit, ibi est, vnde est venturus: & qui

qui alibi præterea esse dicunt, eos corporis veritatem auferre ait: & ait Christi carni datã esse immortalitatem, non ablatam esse naturam: & eum vbiq; esse per id quod Deus, in cælo per id quod homo: & postea docet corpora à loco pẽdere: ergo certe non erit corpus, nisi sit in loco. Sed apertissimè, quando ait, aliter esse quantitatem in corpore, aliter qualitatem: qualitas vt sanitas potest in omnibus partibus esse: æqualiter: sed quantitas est in distantib. partibus, quæ non possunt esse simul. Sed quare? num in se tantùm non possunt esse simul? Augustinus subiũgit, quoniam sua quæque spacia locorum tenent, minores minora, & maiora maiores: ergo caput Christi debet occupare maius spacium, quã oculus: sed ex Papistarum opinione non occupat. Simile est, quod alibi ait Augustinus, omne corpus aut quantumcunque aut quantulumcunq;, loci occupare spacium, & locum implere: quo nil apertius dici potuit, adeo vt valde iniqui sint, qui repugnent. Sed agnoscire miseriam sophistarum: ait Bellarminus, Augustinum in priori loco de corporibus infra cælum loqui: & supra dixit, Augustinum id tantum dicere, corpus habere extensionem in se, quia in loco est: at illi volunt, corpus Christi in Sacramento sub cælo non habere extẽsionem in loco: nihil ergo probat Augustinus ex Bellarmini responsione.

August. in Epist. 3. ad Volusian.

Tum quare toties de primo cælo obiicit, si corpora tantùm, quæ sunt infra cælum, ita sint in loco, vt pendeant à loco? Et Augustinus affert quædam Scripturæ testimonia, vt illud Angeli, *Non est hic: surrexit enim*: & illud Christi, *Gaudeo propter vos (vt credatis) me illic non fuisse*: & illud Marthæ, *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Ex his, quæ diximus, manifestum est, Papistas falsa & contradictoria defendere.

Mat. 28. 6. Ioan. 11. 15 & 21.

FINIS PRIMÆ QVÆSTIONIS.

CON-

CONTROVERSIÆ DE EVcharistia Quæstio secunda, de Transubstantiatione,

Hoc est,

An in Eucharistia fiat conuersio substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi.

CAPVT PRIMVM.

De statu Quæstionis.

POSTQVAM explosus est error Papistarum de reali præsentia, sequitur vt de modo dicamus, quo CHRISTVS, falsa horum opinione, incipiat adesse præsens in Eucharistia. Cum enim esse ibi mordicus defendãt, quemadmodum ibi incipiat esse, doceant oportet: est enim quoddam huius præsentiæ principium. Bellarminus ait, Ecclesiam Catholicam semper docuisse, hoc fieri per conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi: quæ conuersio dicta est postea Transubstantiatio. Nam certe antiqua Ecclesia nullam Transubstantiationis mentionem fecit, nec verò panem & vinum conuerti docuit in corpus & sanguinem Christi, vt Papistæ. Recens ergo doctrina est tam re, quam nomine, quantumuis eam Bellarminus antiquissimã affirmet. Hæc igitur Papistarum sententia est, fieri substantiarum conuersionem, eamque dici Transubstantiationem. Nos nullam conuersionem rerum agnoscim', sed panis vinique substantiam remanere, & Transubstantiationem non nisi cõmentum & monstrum esse dicimus, post nongentos aut mille à Christo annos natum & inuentum. Cum vero hæc sententia primo cæpit inualescere, multæ opiniones inter Theologos gliscebant, quæ veteri Ecclesiæ inauditæ fuerunt, cum præsentia nulla nisi spiritualis olim credita fuerit.

Bellarminus septem opiniones commemorat, quas totidem errores vocat: eas breuiter examinemus.

Prima est, quam esse Berengarij ait, & eius discipulorum, verum panem & vinum remanere cum vero corpore & sanguine Domini in Sacramento. Sed hoc nunquam Berengarius aut sensit, aut dixit: forsan Guitmundus hoc illum putare credidit, & ei hunc errorem affinxit. At ille Christum nunquã in Cæna realiter esse dixit, nisi quãdo palinodiam metu cecinit, quam postea retractauit.

Secunda tententia aliorum fuit, qui asserebant panem partim mutari in corpus Domini, partim non mutari: eam partem, quæ à piis sumitur, mutari in corpus Christi; eam verò quæ ab impiis, non mutari. Quod illi verè & pie dixerunt, panem esse verum corpus Domini piis, id Guitmundus aut non intellexit, aut ad calumniam traxit.

Durand. in 4 d.11. q.3.

Tertia sententia est Durandi, formam panis mutari in corpus Christi, materiam autem manere, eamque informari anima Christi, vt cibus in carnem nostram conuertitur per nutritionem: formam cõuerti, sed materiam non conuerti: quæ est admodum subtilis opinio. Hic homo nouum aliquid exprimere voluit: agnoscit Transubstãtiationem, quia non ausus est communem errorem negare, sed talẽ, quæ non tollat materiam panis: vidit enim Scholasticos absurde tollere materiam panis & vini. *Quarta* opinio est huic cõtraria, materiam panis conuerti in corpus Christi, sed formam manere. Huius opinionis Thomas meminit sine nomine auctoris. *Quinta* est Ruperti, panem Eucharistiæ non verti in Christum, sed assumi hypostatice à verbo, eo prorsus modo, quo natura humana ab eodem verbo assumpta est, & Christum habere corpus carneum & panaceum: impios non nisi panaceum corpus edere, pios autem vtrumque: & panem esse verum corpus Christi, sed tamen non illud, quod de Virgine sumptum est, sed solum modo panem. Mirabilis hæc opinio est, in quam detrusus est communi errore temporum de præsentia reali: potius quam concedere voluit cõuersionem panis in Christum, statuit vnionem hypostaticam Christi & panis. Et fuit hic Rupertus vir magnæ doctrinæ. *Sexta* opinio est cuiusdam Iohannis Parisiensis, cuius meminit Thomas Waldensis, panem assumi à Christo, id est, à corpore Christi, vt corpus non totum hominẽ, sed partem significat: ne cogeretur dicere, Deum esse panem: quod ex opinione Ruperti necessario sequitur. *Septima* est Lutheri, eaque quatuor capitibus continetur. *Primò* enim docuit Lutherus, nõ esse articulum fidei, maneatne panis an non. *Secundò* ait, panem manere, esse probabilius, & Scripturis conformius. *Tertiò*, esse cum pane vnionem carnis Christi, sed non personalem: coniungi vtramq; substãtiam. *Quartò*, eo progressus est ardore contentionis, vt diceret, Christi corpus esse in Sacramento realiter, quia est vbique, propter vnionem cum verbo: quam opinionem multi hodie Lutherani sequuntur. Sic illi

Rupert. de diuin. offic. l.2.c.2.& in 6. cap. Ioan.

Thom. Waldens. tom.2.de Sacrament c.65.

Luther.in l. de capt. Babyl. de Euchariſt.

Thom.in 3. q.75.art.

illi fundamentum præsentiæ vbiquitatem esse volunt. Kemnitius verò fundamẽtum præsentiæ corporis Domini in Eucharistia non in vbiquitate ponit, sed in verbis institutionis Dominicæ. Sed si Christi corpus vbique sit, vt diuinitas, essentialiter, tum non potest fieri præsens per pronunciationẽ verborum Cænæ: adest enim prius.

Kemnit. in Exam. sess. 13. cap. 4.

Hos errores Bellarminus breuiter impugnat: quam eius disputationem licet apud ipsum consulere. Veniamus igitur ad Transubstantiationem, quę est opinio omnium Papistarum, quam Bellarminus explicandam defendendamq; suscepit. Nam certe Durandi, Ruperti, & aliorum opiniones, præterquam Berengarij, & Lutheri, ita absurdæ sunt, vt à nemine hodie teneantur: Lutheri autem opinio etsi à multis teneatur, multis tamen absurditatibus & contradictionibus implicata est. Sed mihi nunc res est cum Papistis. Horum opinionem vt certo intelligamus, quemadmodum à Bellarmino expressa sit, animaduertere oportet. Affirmat igitur esse in Transubstantiatione totalem conuersionẽ substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini. Hoc ait ab omnibus teneri, non propter Scripturarum, sed propter Conciliorum authoritatem: vbi videmus, quo fundamento nitatur Transubstantiario. Ait conuenire inter se Theologos, sed huius consensionis causam significat esse Conciliorum & Ecclesię authoritatem. Concilium autem nullum potest antiquum proferre: neq; si posset, ad tanti dogmatis cõfirmationem sufficeret. Deinde fatetur multos discrepare in modo explicandi: etsi ergo rem tenent, non ratione, sed metu Ecclesiæ, de modo tamen dissentiunt: neque certus modus adhuc ab illis definitus est. Bellarminus ait, sibi in animo esse, sequi communiorem & tutiorem viam, diceret, veriorem. Sed ille Thomæ viam communiorem & tutiorem vocat, quæ vt melius intelligatur, tria consideranda præmittit, de quibus breuiter est dicendum.

Primum est, ad conuersionem veram substantiæ vnius in aliam quatuor conditiones requiri. *Prima* est, vt aliquid esse desinat: oportet enim, vt quod conuersum est, esse desinat. Quare Augustinus scribit, socios Vlyssis non fuisse in bestias conuersos, nec socios Diomedis in aues, & cæteras Gentilium μεταμορφώσεις non nisi præstigias fuisse: quod nulli Christiano dubium est: his fallaciis dæmon malus lusit homines ignaros veritatis. Vere Augustinus, non modo non animum, sed nec corpus humanum posse dæmonum arte aut potestate in membra aut lineamẽta bestialia conuerti ait: non ergo illæ veræ conuersiones fuerunt. Nec magi Ægyptii virgas suas verè in serpentes cõuerterunt, vt Moses suam. Hoc ergo fateor esse necessarium. Desinit ergo aliquid esse in Sacramẽto, quod prius fuit, si sit realis & substantialis conuersio.

1.

Augustin. de ciuit. Dei l.18.c. 18.

Tamen non oportet materiam petire in conuersione: nam quando vxor Loth in statuam salis versa est, vera illa conuersio fuit, & tamen eadē corporis materia & substantia remansit, salis tantum forma in corporis materiam introducta est. In Eucharistia autem aliter fit: non enim (vt illi volunt) eadem substantia remanet, sed & materia & forma panis esse desinit: quomodo materia desinat, mox dicemus. Sed hoc valde mirum est, quod de formæ mutatione dici solet: materiæ mutari possunt facile, sed quomodo formæ mutari possint, vix intelligi potest. Forma enim panis, si accidens sit, non potest in aliam substātiam migrare: accidentia enim eadem numero non transeunt à substantia in substantiam; & Aduersarij dicunt, accidentia panis manere post consecrationem, etiam eadem numero, quæ prius fuerunt. Si non sit accidens, sed substantia, quæro nū sit corporea an incorporea substātia: nō corporea potest esse; nulla n. forma est corporea: si incorporea, tum quæro in q̄ rem conuertatur: non in corpus, quia res incorporea non potest in corpus conuerti: nō in animam, quia anima ex nulla materia fit, sed creatur: & tamen Concilium Tridentinum ait, esse conuersionē totius substantiæ panis, id est, inquit Bellarminus, & formæ & materiæ. In quid igitur forma panis mutatur? aut certe in idem, in quod materia mutatur; quod est absurdum; aut in animam Christi: at non potest fieri, vt vna forma mutetur in aliam formam: cessare forma, & noua succedere potest, at non potest esse conuersio vnius formæ in aliam.

Secunda conditio, quam Bellarminus requiriait in conuersione, est vt aliquid succedat in locum eius, quod desinit esse; alioqui, inquit, corruptio aut annihilatio esset, non conuersio. Et hoc etiam fateor in omni conuersione necessarium esse, vt vnum desinat, alterum existat. Sed hic Caietanus magnum scrupulum sophistis iniecit, qui aculeatorum argumentorum rapax fuit: cōtendit ille, etsi sit Transubstantiatio, tamen remanere id, quod fuit panis, vt verè dici possit, quod fuit panis, nunc esse corpus Christi: ipsam substantiam remanere, sed sub alia forma. Non hoc Bellarmino & aliis placet: vult enim Bellarminus, nihil omnino manere, quod prius fuerit panis, sed vt ignis ex ligno, & aer ex aqua fit, sit ex pane corpus Christi fieri. Sed hoc est impossibile: tum enim vera annihilatio aut corruptio esset: nam certe lignum corrumpitur incendio, & aqua, cū in aerē vertitur, quanquam id philosophis disputandum relinquo, an nō in aere aliquid sit, quod fuit aqua. Negat Bellarminus: quod si verum sit, tum non hęc conuersio, sed corruptio vnius corporis, & creatio alterius erit. Sin ex pane corpus Christi fiat, oportet vt Caietan⁹ voluit, id q̄ fuit panis remanere. Neque hoc Caietanus modo ait, sed etiam Magister sententiarū. Ita reuera Bellarminus Transubstantiationem sustulit. Si enim vna substantia ex altera fiat, necesse est in ea substantia, quę facta est, materiam eius, ex qua facta est, remanere. Si nolunt manere, quod fuit panis, non dicant panem transubstantiari in Christum. Et Caietanus nihil ait, nisi quod Thomas ante illum dixit: ait enim Thomas ibidem, hanc materiam panis fieri hanc materiam, qua Christi corpus indiuiduatur: ergo illa materia eadem, quæ panis fuit, nunc est illud indiuiduum corporis Christi.

Caietan. in 3. p. Thomæ, q. 75. art. 4.

Lombard. in 4 d. 11. §. 4.

Tertia conditio est, vt sit connexio & dependentia inter desitionem vnius, & alterius successionē. Atque hoc etiam necessarium est in Transubstantiatione. Sed quod Bellarminus putat, hoc modo nobis responderi, qui vrgemus annihilationem fieri, si nihil panis post consecrationem & conuersionem remaneat, totus errat. Ait enim ideo non annihilari panem, etsi nihil panis maneat, quia actio, per quam panis desinit, non terminatur in nihil, sed ad aliquid, nimirum ad corpus Domini. Sed hæc nulla ratio est, nisi quod in priore corpore fuit, in nouo maneat: potest enim in annihilatione actio terminari ad aliquid, vt exempli grātia, cum Christus aquam in vinum mutauit, si totam naturam aquæ in nihilum absumpsisset, & statim pro aqua vinum introduxisset, illa actio fuisset annihilatio, & tamē in aliquid desiisset. Sed quia fuit aquæ in vinum connersio, in vino remansit quod aqua fuit: & sic oportet in Eucharistia fieri, aut nulla conuersio, sed mera annihilatio est, quam isti nunc pro Transubstantiatione venditant.

Quarta conditio est, vt tam terminus à quo, quam terminus ad quem, sit vere positiuus. In creatione nullus est terminus à quo positiuus: in corruptione terminus ad quem est priuatiuus: at in conuersionibus supernaturalibus, qualis fuit vxoris Loth in statuam salis, aquæ in vinum, virgæ in draconem, vterq; terminus positiu⁹ fuit. Quando enim Christus aquam in vinum mutauit, nō disposuit materiam aquæ ad recipiendam formam vini, vt quando aqua ex aere fit, aut aer ex aqua, sed in momento fecit, vt vnum desineret, alterum succederet. Hinc Bellarminus colligit, Transubstantiationem esse perfectissimam conuersionem, & distinguia ab aliis omnibus, id est, nullam ei similem fuisse vnquam in tota rerum natura: Deum nunquam talem conuersionem fecisse. Est hoc igitur exemplum singulare, sed planè fictum.

Quis verò credat, rem tam singulariter supernaturalem, quæ superet miracula omnia, quæcunq; legimus in Scripturis, etiam ipsam mundi creationem, nunc vulgo fieri ad nutum sacrifici cuiusque? Sed si hæc vera conuersio esset, oporteret eam esse aliis conuersionibus similem. Ait Bellarminus eam esse similiorem supernaturalibus conuersionibus, sed tamen differre ab ijs dupliciter. *Primò*, quia probabile est, in illis conuer-

sionibus materiam primam mansisse sub vtroque termino, sed in hac conuersione non manere. *Respondeo*: Hoc satis indicat illam non esse veram conuersionem. Sic enim disputo: Cum nihil materiæ remanet, corrumpitur res aut euanescit: in Eucharistia nihil remanet, vt ait: est ergo ibi corruptio aut annihilatio. Non ergo Transubstantiatio est, quia non transit substantia panis in substantiam Christi: tum enim maneret aliquid panis: non ergo totalis conuersio est, vt vult Bellarminus, sed planè nulla, quia sic pani corpus Christi succedit, vt nõ ex pane fiat: si enim fieret ex pane, tum materia, quæ prius panis erat, in corpore Christi remaneret, quia in eo quod fit inesse debet id ex quo fit. Cum igitur hæc Transubstantiatio sit dissimilis aliis omnibus conuersionibus, manifestum est, nõ esse veram conuersionem. Sic ergo disputo: In Eucharistia corpus Christi aut creatur, aut fit: non creatur: ergo fit: si fiat, ex aliquo fit: ergo illud manet, quia tollitur, quod fit, si tollas id ex quo fit penitus. *Secundo* ait Bellarminus Transubstantiationem differre à supernaturalib. conuersionibus, quod in illis accidentia aut omnia aut aliqua mutata sint cum forma substantiali, in hac autem omnia accidentia remanent. Sed de accidentium remansione postea erit dicendum.

Secundum illud, quod hic considerãdum præmittit Bellarminus, est ad veram conuersionem non requiri, vt id, in quod aliqua res conuertitur, de nouo producatur, sed satis esse, si vnum alteri succedat.

Respondeo: In omni conuersione opus est productione. Oportet enim in omni conuersione nouum aliquid produci: quod verum esse inueniemus, si omnes, quæ vnquã factæ sunt, conuersiones repetamus. Quando enim vxor Loth conuersa est in statuam salis, statua noua producta est; cum virga Mosis in draconem conuersa est, novus draco productus est; cum aqua est in vinum à Christo conuersa, nouum vinũ productũ est. Si Christus lapides in panem conuertisset in deserto, nouum panem produxisset; & quando aqua in aerem cõuertitur, nouus aer producitur. Ita nulla conuersio est extraordinaria aut miraculosa in rem quæ prius fuerit. Ergo hoc tertium discrimen est, idq; longe maximum, inter Transubstantiationẽ & conuersiones supernaturales, quod in illis omnibus res nouæ productæ sunt; in hac nõ item. Sed hoc quoque satis declarat, hanc commentitiam esse conuersionem. Ait tamen conuersionem posse fieri tribus modis: *primò* producendo, si res ante non fuerit: *secundò* adducendo, si prius sit; vt cibus in hominem conuertitur per nutritionem. Sed cibus produçit aliquid: nam in corpore nouum incremẽtum fit: *tertiò* conseruãdo, vt si duo æqualia corpora, inquit, simul in eodẽ loco se penetrẽt, & vnũ diuina virtute totaliter vertat in aliud, vt illud cõseruetur. Sed modus hic fictus

fictus est, cum Deus nunquam fecerit; vt duo corpora simul se penetrent. Iam quis modus est conuersionis in Eucharistia? ait non esse productiuam, nec conseruatiuam, sed adductiuam, quia facit, vt Christi corpus, quod ante fuit, iam incipiat esse sub speciebus panis. Sed si conuersio hæc Christi corpus in Sacramentum adducat, tum aut cælo deducit, aut aliunde attrahit: nõ n. potest esse ibi corpus Christi, nisi antè cælo aut aliunde deductum, cum non producatur de nouo. Num igitur deserit cælum? hoc non audent affirmare: num per motum localem aliunde transfertur, & ibi adest? nec hoc audent dicere: sed tantum ibi esse aiunt post consecrationem. Sed, 1. hoc non est adducere: nam adducere est efficere, vt illud ipsum, ꝙ in alio loco fuit, huc afferatur, huc sistatur, & hic sit: hoc oportet aut deferendo ptiorem locum, aut per motum aliquem fieri: nam quod hic est sine motu, non adducitur: adducitur tantùm quod mouetur. 2. Quod adducitur, ex aliquo loco adduci debet per omnia interualla media & interiecta, idque quadam successione: at Christi corpus repente & in momento in Eucharistia adest, vt anima in corpore creatur. At nemo dixerit animam adduci aut deduci in corpus: tum enim & esset alicubi, & ex se esset, antequam cum corpore vniretur. 3. Si Christi corpus, quod est in cælo, adducatur in Sacramentum (nõ enim aliud adduci potest, quia Christus non aliud corpus habet) tum necesse est, vt absoluta omnia quæ sunt in Christi corpore in cælo, sint in eodem in Sacramento: at hoc palam falsum. Nam illud corpus Christi, quod est in cælo, splẽdidius est sole: at corpus, quod est in Eucharistia, non est huiusmodi: ergo illud corpus, quod est in cælo, non adducitur in Sacramẽtum vi consecrationis. 4. Illud corpus Christi quod adducitur, quomodo adest in Sacramento sub speciebus panis? num per simplicẽ præsentiam? nequaquam: quomodo igitur? per vnionem scilicet cum accidentibus panis, qualis erat antea inter substantiam panis & accidentia panis. Ergo tum accidentia panis insunt in corpore Christi, vt prius in pane. Quid ergo? an corpus Christi sustentat hæc accidentia? num inhærent corpori Christi? num ab his informatur? at hæc omnia negat, sed vniri tamen ait, sed non inhærere. Si verò vniantur accidentia panis cum corpore Christi; tum vel vt vestes vniuntur, & sic facile possunt separari, vel personaliter: at hoc absurdissimum. Explicari non potest, qualis hæc vnio sit.

Sed cum accidentia non possint cum substantiis vniri, nisi per inhæsionem, inhæreant & insint necesse est, si vniantur. 5. Si corpus Christi tantum adducitur, id est, fit præsens, tum terminus ad quem huius conuersionis non est substantia, sed accidens: nam erit non alius finis, nisi vt quod ante fuit, sit præsens hic: ita non erit hæc substantialis conuersio.

Bellar-

Bellarminus hic nutat & hæret, sed tamen confidenter tandem respondet panem conuerti in ipsum corpus Christi, non in præsentiam corporis Christi. Sed tum non modo adducitur, sed etiam producitur corpus Christi. Nam fit ex pane, si panis in ipsum conuertitur. Ex aliquo necesse est produci aliquid, vt ex nihilo nihil. Si ergo panis conuertitur in ipsum corpus Christi, & vi huius conuersionis corpus Christi est sub specie panis, necesse est produci, quia in hac conuersione omnia sunt, quæ ad productionem requirũtur. *Primò*, est materia ex qua, scil. panis. *Secundò*, efficiens, & vis conuertendi, immensa scil. Dei potentia. *Tertiò*, effectus etiam qui producitur, id est, corpus Christi. Ita nunquam poterit conuersionem tueri sine productione. Si nil producatur, prior ergo substantia in nihilum abijt, quia ex aliquo oportet aliquid euenire. Quod autem Bellarminus præterea, vt elabatur, ait, in conuersione attendi præcipuè terminum à quo, vt in corruptione & annihilatione, 1. omnes hoc falsum esse intelligunt: æquè enim aut magis terminus ad quem attendi debet: nam sine vtroque termino non erit conuersio. 2. annihilari non est conuerti, sed interire: sic corrumpi. *tertio*. Bellarminus non obscure Transubstantiationem facit annihilationem, aut corruptionem: nam in his sane terminus à quo magis attenditur: si in Transubstantiatione sic fiat, tum ea erit talis: quod etsi nõ vult præ se ferre, tamen ex eius sententia sequitur. *Tertium* quod à Bellarmino hic obseruandum & considerandum præmittitur, est, subiectum in quo actio diuina huius conuersionis recipitur, partim esse panem, partim corpus Domini: nã panis conuertitur & mutatur substantialiter: corpus verò Christi adducitur, & acquirit esse sub speciebus panis; quod antea non habebat.

Erat hoc (vt videtur) in prima editione Bellarmini: at nõ in vltima.

Respondeo: Si Christi corpus acquirit esse, quod nõ habebat, tum acquirit nouum esse; si nouum esse acquirit, tum indies fit, quod non fuit: nam missæ quotidie fiunt: sic Christi corpus in perpetua quadã mutatione erit, & nouum esse millies singulis dieb. acquiret. Quod autem Thomas & alii docent, Christi corpus in Sacramento esse non per mutationem sui, sed panis in ipsum, Bellarminus insulsè hoc intelligi ait de mutatione deperditiua, quæ nulla esse potest in rem aliã. Si enim quod mutatum est deperditur, non potest in aliud mutari: panis autem in aliud mutatur. Est illa mutatio deperditiua, inquit Bellarminus, quia panis deperditur: at Thomas ait panem mutari in corpus Christi, non deperdi. Materia ergo panis non deperditur; nam tum hæc annihilatio esset, non conuersio: quod enim annihilatur aut deperditur, non mutatur in corpus Christi. Sic enim disputamus: Si panis conuertatur in corpus Christi, tum aut ipsa substãtia panis in corpus Christi mutatur, aut in nihilum transit, &

& corpus Christi adducitur, vt sit vbi panis fuit: non primum, quia tum quod antea fuit panis, nunc est corpus Christi: quod negauit antea Bellarminus; & tum corpus Christi propriè mutatur: necesse est enim mutari in quod aliquid mutatur, non tantùm mutare locum, vt Thomas ait: sed est substãtialis mutatio: fit enim ex pane: q̃ est substantialis conuersio & mutatio. Sic quia cibus in nostrã substãtiam vertitur, esse aliquam mutationem certum est: nam nutritio non sine mutatione fit. At illi nullam mutationem in corpore Christi agnoscunt, nisi quod esse incipiat, vbi non ante fuit. Conuersio autem substantiæ panis in substantiam Christi arguit nõ modo præsentiam Christi sub specie panis, sed quandam substantialem mutationem in corpore Christi. Si panis mutatur substãtialiter, ex quo Christi corpus fit; tum Christi corpus mutatur substantialiter, quod ex pane fit. Absurde igitur Thomas, qui Transubstantiationem sine vlla mutatione præterquam locali statuit. Si secundum, id est, si substantia panis deperditur, vt nũc Bellarminus vult, tũ nulla fit mutatio in corpus Christi: nulla ergo Transubstantiatio. Quod enim penitus euanescit, non migrat in aliud: panis substantia penitus euanescit; est enim deperditiua eius mutatio, vt vult Bellarminus, i.e. deperit quod mutatur: non ergo in aliud mutatur, & sic Transubstantiatio est nihil. Sed tum quomodo Christi corpus est in Sacramento? aiunt esse ibi substantialiter: ergo aut fit ex aliquo; & tum ex pane: aut producitur miraculose. Bellarminus ait adduci, & tamen non relinquere locum, vbi prius fuit: ergo aut de nouo substantialiter creatur, aut fit corpus in Sacramento ex illo, quod est in cælo: nõ primum, quia nolunt esse creationem corporis Christi in Missa, neque potest esse vnius indiuidui tam assidua creatio: nõ secundum, quia nihil ex se fit: aiunt enim esse in Eucharistia ipsum corpus, quod est in cælo, non fieri hoc ex eo: & tum nulla esset Transubstantiatio, quia idem in idem mutaretur: ergo aut non est corpus Christi in Eucharistia substantialiter, aut fit ex pane; quod Bellarminus non vult.

Si enim ex pane fieret, tũ quod panis erat, esset Christi corpus; quod negat: & est absurdum & ἀδύνατον, corpus Christi, quod ex substantia naturæ nostræ constat, nunc fieri totum ex substantia grani tritici. Non potest idem indiuiduum esse, quod ex diuersa materia constat, & in quo diuersæ proprietates sunt: diuersum autẽ est nasci ex natura Virginis, & fieri ex substantia panis: posita ergo Transubstantiatione diuersus est Christus Sacramentarius ab eo in quẽ nos credimus, qui nobis ὁμοούσιος id est, consubstantialis est: at Papistarum Christus est ὁμοούσιος tritico. Quod cum Bellarminus cogitaret, dilapsus est in eam sententiã, vt panis substãtiam deperdi dicat, & sic annihilationem substituat,

quam Papistæ explodunt, pro Transubstantiatione. Et sic aperte ait, Dominum destruere panem, vt in eius locum ponatur corpus Domini. At panis si in Christi corpus mutaretur aut conuerteretur, non destrueretur, sed ad summam dignitatẽ eueheretur, ad multo certè maiorem, quam quisquam homo euehitur: nos enim & si edimꝰ Christum, non tamen in totum Christum mutamur, nec efficimus quod ipse est in substantia. Bellarminus hic affirmat, corpus Christi, quod est in cælo, non mutare aut substantiam, aut accidentia, aut locum. At Transubstantiatio & realis præsentia horum omnium mutationem conuincit. Nam 1. Christi corpus, quod in cælo est, non eandem substantiam habet cũ eo, quod est in Eucharistia: non enim eandem quantitatem habet: eandem autem substãtiam eadem quantitas necessariò sequitur: non est autem eadem quantitas in vtroque, quia Christi corpus, quod est in cælo, non potest tam breui spacio contineri. Sed de hoc supra. 2. Non habent accidentia eadem; nam illud est visibile, & plenum maiestate, hoc ἀόρατον καὶ ἄδοξον, *inuisibile, & inglorium*. Sed de hoc etiam supra. 3. Non eundem locum habent, quia inter Christi corpus, quod est in cælo, & illud quod est in Sacramento, tantum spacij est, quantum inter cælum & terram.

Sed hæc omnia supra tractata sunt.

CAPVT II.

Argumenta Pontificiorum pro Transubstantiatione.

NVNC ad argumenta Aduersariorum veniamus, eaque primum, quæ ex Scripturis sumũt. Vnicum verò est Bellarmini argumentum ex Scripturis, idq; contra Lutheranos totum. Sumitur verò ab illis Christi verbis, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*. Bellarminus (enim) interponit, & sic posteriorem clausulam citat, *hoc est enim corpus meum*. Sed illud (enim), in nullo Euangelista habetur, ne in vulgata quidem editione, nec in ipso Paulo. Ait Bellarminus, hæc verba necessariò inferre, aut veram mutationem panis, vt volunt Catholici, aut metaphoricam, qualẽ volunt Caluinistæ, Lutheranorum verò sententiam nullo modo admittere: quod quidem verissimum est. *Matth.* 26.

Si enim propriè verba sumantur, sensum Lutheranorum prorsus euertunt, ponentium non panem esse corpus, sed cum pane esse corpus: Christus a. dixit, *Hoc est corpus meũ*, non, cũ hoc, aut in hoc, aut sub hoc est corpus meum. Sed ego illius breuem contra Lutheranos disputationẽ non persequar: quorsum enim? sed an contra nostram sententiam aliquid afferat videamus. Prorsus autem nullum argumentum

mentum affert contra metaphoricam mutationem, nisi illam cõmuni consensu à Papistis & Lutheranis reijci. Sed nos illorum consensum non moramur. Sensum verborum probamus ex analogia fidei, & aliorum locorum similitudine, & consensu antiquitatis, esse metaphoricum nõ proprium: illi autem ambo contendunt esse proprium sensum: quod fieri non potest, cum tam diuersum sensum afferant. Lutherani sic interpretantur, *Hoc est corpus meum*, id est, in hoc, cum hoc, & sub hoc pane est corpus meum: & illi dicunt hanc esse propriam horum verborum interpretationem. Papistæ sic, *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis, vel hoc quod modo panis fuit, transubstantiatur in corpus meum: & illi contendunt hunc sensum esse proprium. At quis non videt, vtrumq; sensum non posse esse proprium? altera pars ergo fallatur necesse est; & sic illorum communis consensus parum contra nos valebit. Ait autem Bellarminus, his verbis veram mutationem panis inferri, idque Catholicos docere. Sed nos de sensu horum verborum ante diximus, & illorum technas aperuimus ac discussimus. Hoc nunc vnum dicam: Si vera mutatio panis ex his verbis necessariò inferatur, tum, 1. panis verè in corpus Christi mutatur; quod Caietanus & multi Papistæ defendunt: at Bellarmino aliter videtur. At, inquies, non aliter: ponit enim conuersionem & Transubstantiationem: sed quomodo? non sic, vt panis materia abeat in materiam corporis Christi. Ait se Thomam sequi: sic autem Thomas hanc propositionem exponit, Ex pane fit corpus Christi: ita scilicet, inquit, vt ex mane fit dies, id est, mane desinit, dies succedit: at aurora non transit in diem, sed euanescit prorsus. *Thom. in 3. q. 75. art. 8.*

Quare Scotus *primò*, etsi non audet omnem transubstantiationem tollere, tamen hanc non esse propriam Transubstantiationem affirmat: *secundò*, etsi dubitat, an hic sit annihilatio ponenda, ad extremum tamen panis & vini annihilationem statuit. Et Durandus probat, transubstantiationem Papistarum esse annihilationem. Sic Paludanus. Si substantia panis non cõuertitur in substantiam corporis Christi, sed in esse illic præsens (hoc est, vt Bellarminus scribit, in præsentiam corporis Domini) hoc est inficiari, inquit veritatem transubstantiationis, quia illa significat mutationem substantiæ in substãtiam: & sic nõ seruari sinceritatem doctrinæ Patrum, nisi conuersionem substantiæ in substantiam teneamus. *Scot. in 4. d. 11 q. 4.* *Durand. in 4. d. 11. q. 3.* *Palud. in 4. d. 11. q. 3.*

Sic Biel, ideo non esse annihilationem, quia statim alia res succedit in ordine ad rem annihilatam: vbi materiam panis docet annihilari, sed tamen non hanc dicendã esse annihilationem, quia desinit in corpus Christi: & ait hanc propositionem esse veram, Ex pane fit corpus Christi; si sic intelligatur, postquam desiit esse panis, incipit esse corpus Christi: non, si sic, ex *Biel. in 4 d. 11. q. 1. & lect. 49 in can. Mis.*

materia panis fit corpus Christi.
Petr. Sot. lect. 5. de Euchariſt. Sacrament Quare Petrus Soto admittit hanc appoſitionem, Ex pane fit corpus Christi, vt ſi quis diceret, Ex nihilo aliquid fit; non de pane. Ergo primo annihilatur panis, & tum ex nihilo fit corpus Christi. Potuit ergo dici melius, pani ſuccedit corpus Christi: ita nulla omnino tranſubſtãtiatio erit, quia nulla eſt ſubſtantiæ in ſubſtantiam tranſitio. Nam ſi materia hæc panis, quæ fuit ante conſecrationem, nõ mutetur reuera in corpus Christi, ſic vt corpus Christi ex eo fiat, & ex eo conſiſtat, dicant quid de illa materia panis fiat, quo abeat: certe non perit, neq; tranſit in corpus Christi: quo ergo abit? 2. Si his verbis mutatio vera declaretur, tum aut mutatio ante facta ſignificatur, aut ijs verbis facienda: non ante facta, quia non eſt conuerſio ante prolationem horum verborum, vt illi volunt: nõ facienda, quia eiuſmodi propoſitiones tum veræ ſunt, ſi res antè ſit, quam verba pronunciãtur, & falſæ, niſi prius veræ ſint. Non ergo Chriſtus veræ dixiſſet, *Hoc eſt corpus meum*, niſi ante eius corpus fuiſſet: alias enim ſubiectũ & prædicatum non ſupponeret p eodem: quod in propoſitione affirmatiua vera fieri oportet. Bellarminus vt in omni hac diſputatione, ita in hac re lubricus eſt: ait Chriſtum mutaſſe panem in corpus ſuum benedicendo: non ergo pronunciando hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*: nam hoc non eſt benedicere: & Euangeliſtæ aiunt, Chriſtum benedixiſſe, antequam hæc verba protulit. Quare multi Scholaſtici Chriſtum tranſubſtantiaſſe aiunt, cum benedixit, non cum hæc verba protulit, vt nos ſupra copioſe docuimus. Innocentius verò ait, Chriſtum conſecraſſe aliis verbis, quæ non exprimuntur ab Euangeliſtis, & tum poſtea dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*. Sed de his verbis, & de hoc argumento, quod nos non attingit, ſed Lutheranos tantum, non nunc plura dicemus.

Secundum Bellarmini argumentum ſumitur à teſtimoniis Patrũ: & *tertium* à conſenſu & definitione Eccleſiæ ab annis quingentis. Sed de his argumentis in fine huius controuerſiæ luculenter reſpondebimus, ſi Deus dederit.

Quartum argumentum ſumitur à conuenientia rei: quod etſi contra Lutheranos inſtituatur, tamen cuiuſmodi ſit, paucis videamus. Conueniens fuiſſe contendit, *primò*, vt ſubſtantia panis recederet, *ſecundò*, vt accidentia panis remanerẽt. Nos inconuenientiſſimum eſſe dicimus, vt vel panis ſubſtantia deſtrueretur, vel accidentia ſine ſubiecto remanerent. Sed pro *primo* ſic diſputat Bellarminus.

Prima eius ratio hæc eſt: Si cum corpore Domini maneret ſubſtãtia panis, tunc duæ ſubſtantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, imo accidentia primariè demonſtrarent panem, ſecundariè corpus CHRISTI: quod eſt abſurdum. 1.

Reſpondeo: At multo magis abſurdum eſt, vt panis accidentia nõ demonſtrẽt panem, cuius propria accidentia ſunt; & Chriſtum demonſtrent, cui non cõueniunt. Eſt enim iſta demonſtratio aut ad ſenſum, aut ad intellectum: ad ſenſum accidentia panis non poſſunt demonſtrare corpus CHRISTI, quia ſenſus quodque corpus non alienis ſed ſuis accidentibus dijudicat: ſi ad intellectum & fidem, poſſumus æquè intelligere, eſſe hic corpus cum pane, quam ſine pane. Imo neceſſe eſt panem remanere propter duas cauſas; *primo*, vt poſſit eſſe Sacramentum, & propter analogiam Sacramenti cum re Sacramenti: quæ nulla erit, niſi ſubſtantia panis maneat; *ſecundò* ne in Sacramẽto naturarum interitus ponatur, quia Sacramentum non debet eſſe pernicies ſiue interitus creaturarum. Nam ſi ſubſtantia panis non tranſeat in ſubſtantiam corporis Chriſti (quod illi tenent) tum interit; & ſic qui Miſſas conficiunt, nõ aliud faciunt, niſi creaturas indies perdunt & cõficiunt: ſi panis naturam dicant non perire aut perimi prorſus, ſed in aliam aliquam naturam abire, dicant in quam? & tunc erit Tranſubſtantiatio: non in corpus Chriſti tranſit, vt antea probatum eſt: nec aliam aliquam naturam nominare poſſunt, in quam tranſeat. Fateor certe inconueniens eſſe, vt corpus Chriſti cum pane copuletur & commiſceatur: quemadmodum Lutherani abſurde ſtatuunt: ſic enim non modo duæ ſubſtantiæ ſimul in eodem loco eſſent, quorum alterius accidentia apparerent, alterius deliteſcerent, ſed duæ ſubſtantiæ diuerſiſſimi generis ſimul in eodem loco eſſẽt: quo nihil abſurdius aut impoſſibilius dici poteſt. Sed hoc tamen non abſurdum eſt Papiſtis, qui nõ modo duo corpora in vno loco, ſed vnum corpus in duobus imo in mille locis ſtatuunt. Non poteſt Bellarminus Lutheranis abſurditatem aut incõuenientiam exprobrare, cum ipſi multo magis ἀσύστατα καὶ ἀδύνατα *non cohærentia & impoßibilia* defendant.

Secunda Bellarmini ratio eſt huiuſmodi: Si vna cum corpore Domini ſubſtantia panis ſub ijſdem accidentibus contineretur, periculum eſſet, ne ſimpliciores adorarent panem, quia adorant quod ſub illis ſpeciebus continetur. Sed Lutherani adorationẽ prohibent: non ergo ad rem diſputat: quanquam in eo non ſatis ſapiunt Lutherani. Si enim Chriſtus ibi ſit præſentia corporali, impium eſſet adorationem aut prohibere, aut non religioſiſſimè exhibere. Multo conuenientius Papiſtæ, qui adorant quem præſentem eſſe credunt: realem præſentiam tam pertinaciter vrgere, & tum cauere ne adorationem tribuas, eſt Chriſto adorationem, quæ illi ſemper debetur, inuidere: aut ergo deſinant cum Papiſtis realem præſentiam defendere; aut adorationem cum Papiſtis ſtatuant, ne Chriſtum honore ſuo ſpolient. Sed eſt periculum, ne ſimplices & rudes homines adorent illud quod vident, id eſt accidentia, & ſic maiorem ido- 2.

latriam committant, quam si panem adorarent. Sed profecto si Papistæ volunt idololatriam vitare, prohibeant omnem adorationem: ista enim illorum adoratio, nixa fundamento commentitiæ transubstãtiationis, est idololatria omnium quæ vnquam fuerunt crassissima.

3. *Tertia* ratio est ob dignitatem, quia non videtur rationi consentaneum, vt simul maneant cibus mentis & cibus ventris, panis terrenus & panis cælestis. Sed quare nõ est rationi consentaneum? imo est necessarium ad Sacramenti analogiam conseruandam, vtrumque cibum præberi simul: si enim nullus sit cibus ventris, nullum erit externum symbolum huius cælestis & spiritualis cibi. Atque hic Bellarmini oicitantiam obseruate. Non est conueniens, inquit, simul manere ventris & mentis cibum: tollat ergo nõ modo substantiam, sed & accidentia panis: nam illi contendunt accidentia panis nutrire: quod etsi falsissimum & insanissimum est, tamen illis est necessarium, quia & oportet hanc esse conuenientiam Sacramenti cum re, & experientia conuincit pane & vino Sacramentali homines nutriri. Aiunt hanc vim nutriendi inesse accidentibus, ne panis aut vini substantiã manere dicant: at si hoc ita sit, tum simul manet mentis & ventris cibus.

4. *Quarta* Bellarmini ratio sic se habet: Si panis substantia adesset, non posset corpus Domini sumi, quin solueretur ieiunium. Sed quare? si panis soluit ieiunium; nõ tamen nisi sumatur ante Sacramẽtum: at si cum pane corpus Christi sumatur, panis non sumitur ante corpus Christi: ac proinde corpus Christi, quod cum pane sumitur, à ieiunis sumitur. Augustinus ait, traditum esse ab Apostolis, vt Sacramentum non nisi à ieiunis sumeretur: sed ieiunium, de quo Augustinus, cibus communis non sanctus aut Sacramentalis violat. Hæ sunt eius ridiculæ ratiunculæ contra Lutheranos: nos si talibus vteremur, vt insultarent? Atque hactenus probauit substantiã panis non manere: nunc quatuor rationes affert vt probet accidentia panis manere.

August. in Epist. 118. c. 6.

Pro *secundo* ergo disputat, panem non debuisse transaccidentari, etsi debuit transubstantiari. *Primã* eius ratio hæc est: quia si accidentia etiam abessent, nullum esset in Eucharistia signum sensibile ac proinde nullum Sacramentum. *Respondeo:* Sed signum sensibile, quod est externum Sacramentum, non est accidens aliquod, sed aliquod elementum & substantia, vt postea docebimus: ergo Papistæ nullum Sacramentum habent, quia nil nisi accidentia remanere volunt. Si signum sensibile necessarium sit in omni Sacramento: concedant oportet panem remanere: nam signum sensibile non debet esse larua aut spectrum, sed vera natura. Sensibile signum requiritur, vt externo symbolo res quædam spiritualis repræsentetur: ista repræsentatio non consistit in accidentibus,

1.

tibus, quia substantia panis nutrit, non accidentia; & vinum exhilarat, non color vini. Res interna & spiritualis in hoc Sacramento, est vita quam haurimus ex Christo: respicit anima corpus Christi sicut cibum, quo hæc vita sustentatur: iam vero vt hæc res animæ repræsentetur, necesse est, vt panis substantia maneat, quia corpora nostra substantiis nutriuntur, non speciebus.

2. *Secunda* Bellarmini ratio est: Si ita mutaretur totum in totum, vt nihil in vtroq; termino commune remaneret, non posset vllo modo vera esse Domini sententia, *Hoc est corpus meum*, quia tum nihil esset, quod vocetur corpus Christi,

Respondeo: Ratio hæc falsissima & absurdissima est. Non minus vera sententia esset sublatis accidentib. quam remanentibus, & magis vera. Nam si quis panem in manus sumeret & diceret, Hoc est panis, verum diceret: sic si ibi esset Christi corpus sine accidentibus panis, verius diceretur, Hoc est corpus Christi, quam nunc cum manent accidentia, quia (*Hoc*) videtur referendum ad accidentia: sed accidẽtia non sunt corpus CHRISTI. Si Christi corpus ibi in sua forma esset, verissimè diceretur, Hoc est corpus Christi.

3. *Tertia* ratio est, quia hoc modo maius est meritum fidei, cum credimus scilicet, quæ non videmus: nam alioqui si accidentia abessent, oculis aspiceremus corpus Christi.

Respondeo: Est certe exiguum meritum credere quod videas: puniendus potius si neges, quam remunerandus, si concedas. Sed tamen non proinde fingendum est aliquid difficile, quod credas, vt credendo merearis. Meritũ fidei ex earũ rerum, quæ diuinitus traditæ sunt, difficultate ad credẽdum æstimatur: at Deus nunquam vllum verbum dixit de accidentibus absque subiecto: non comminisci debemus, quæ credamus, de quibus Deus nullam mentionem facit. Creatio mundi, natiuitas Christi, & alia huiusmodi proponuntur à Deo credenda: ista quãdo credimus, gratissima est illi fides nostra: at si volumus fingere aliquid quod credamus, ficta non vera est fides nostra: oportet fidem verbo adhærescere.

Quarta ratio est ad vitandum horrorem, quia horror esset carnẽ humanam in propria specie manducare.

Respondeo: Sane ἀνθρωποφαγίαν, id est, *hominum esus*, vel humanarum earnium deuoratio, quocunque modo, horrenda est. Si vel ouẽ totam, vel auem deuorandam nobis quis traderet, horreremus. Quantumuis species nihil horroris afferat, res ipsa tamen mentem horrore perfunderet. Si quis aliquem percuteret sub persona, aut sub aliena specie, quem sciret esse patrem, aut si illum occideret sub ea persona aut specie, non id sine horrore faceret: ergo species non tollit horrorẽ, cum cogamur pro certissimo credere, Christum sub illa specie totum deglutiri. Manet igitur

Pet. Mart. cont. Gardin. p. 3. 1.

igitur horror, idq; (vt Petrus Martyr recte ait) tripliciter. *Primò*, quia etsi non apparet, tamen cruda est Christi caro. Bellarminus caussam horroris in carne humana comedenda ait esse læsionem carnis: ergo cum sumitur sine læsione, animus non horret. Sed 1. non potest sumi sine læsione, si comedatur. Christi enim corpus est simile nostris, si pungatur, aut prematur, aut laceretur, dolet: panis autem teritur antequam comeditur; & sic q̃ sub specie panis latet teritur: iam terere & commolere dentibus carnem Christi, & eius ossa confringere, vt in stomachum totus Christus demitti possit, quis cogitare sine horrore potest? Abraham horruit, cum proprium filium mactare iussus est: quid si iussus fuisset edere? & nos Christum Dominum sine horrore comedem⁹? 2. carnem crudam, quacunq; specie, nemo sine horrore comedit. Multi nauseant, quando vinum odorantur: at totum hominem deuorare, maior nauseandi causa est: certe impiorum stomachus talem cibum nunquam ferret. Bellarminus ait, non potuit sine læsione assari: multo certe minus potest sine læsione comedi. Sed adhuc Bellarminus adiungit: Si quis posset amicum totum sine læsione intra pectus suum recipere, libentissime faceret.

Respondeo: At nemo sanus cuperet amicum totum aut deuorare, aut intra pectus recipere substantialiter. Nos quidem Christum intra pectus recipere debemus, vt amicos cupimus, id est, vt amore & desiderio habitet in animis nostris: vt non realiter amicum intra pectus recipimus, sic nec Christũ. *Secundò* Petrus Martyr ait, mentis magis horrorem esse quam oculorum. Qui enim se occidendum scit, horret etsi gladium non videat: & magis horreret quis, si deberet artocream comedere, ex humana carne confectam, quam si panem iuberetur comedere ad humani corporis similitudinem factum. 2.

Bellarminus ait, tolli vtrumque horrorem per species panis, & doctrinam fidei. *Respondeo*: Sed nec species panis nec doctrina potest horrorem omnem tollere. Nam doctrina Papistica iubet nos credere, cibum, quem edimus, esse verè carnem humanam, ossa, sanguinem: ergo auget nõ tollit horrorem. Species verò nonnihil minuit, sed non tollit. Qui pharmacum acerbum aut amarum bibiturus est, horret & nauseat, antequã videat. Semper maxima causa horroris relinquetur, quantumuis nil nisi speciem videamus: oportet enim semper rem magis animo, quam species oculis intueri: animus igitur semper intentus in materiam cibi horrebit.

Tertiò Petrus Martyr ait, Deum non solere parcere sensibus, quando nobis aliquid vtile proponit: si ergo Christus reuera à nobis comedendus esset, sub propria non sub aliena specie proponeretur. Bellarminus ait: Scelus esset, Christi carnẽ in propria specie sumere. 3.

Sed

Sed cur quæso? quia tum, inquit, deberet necessario lacerari & destrui.

Respondeo: Sed eadem necessitas lacerandi & destruendi manet etiam nunc: vere enim & non minus verè sumitur, vt illi volunt, quam si in propria specie sumeretur. Si ergo laceraretur, si in propria specie sumeretur, lacerari etiam nunc necesse est, cum in specie panis sumitur: species enim non potest esse causa lacerandi, sed manducatio: vt si quis carnem humanam integmine panaceo comederet, non ideo minus manducaret. Si ergo Christus non posset in specie sua sumi sine laceratione & destructione, neque in specie panis potest: at in specie sua non posset: ergo nec in specie panis. Et hic Bellarminus pugnat cum alijs: alij enim accidentia panis dicunt remanere ad remouendum horrorem: Bellarminus, ne Christus laceraretur & destrueretur: at ipsum edere, id est, dentibus comminuere, caussa est lacerationis. Si nolunt lacerare, ne comedant: at Papistæ Christum suum lacerant & destruunt: species enim non impedit aut læsionem aut lacerationem rei quæ manducatur, quia laceratio non est specierum, sed materiæ sub speciebus

***

Caput III.

Argumenta nostra contra Transubstantiationem.

Papistarvm de Transubstantiatione sententia exposita atque explosa est: sequitur vt nostra argumenta aduersus Transubstantiationem in medium proferamus. Et *primum* quidem nostrum argumentum ab ipso nomine trãsubstantiationis sumitur: est enim nomen nouum, peregrinum, barbarum, inauditum Ecclesiæ antiquæ: ergo & dogma Transubstantiationis est nouum, peregrinum, barbarum, atque à Christianorum auribus remouendum. Bellarminus ait, cum re constet, non esse de nomine litigandum. *Respondeo*: 1. quantumuis de re constet, oportet tamen nominum habere rationem. Nam Paulus κενοφωνίας, id est, *vaniloquia*, seuere cauiterque prohibet, & βεβήλους, id est, *profana* vocat. Et certè sermonis a nominum mutationem plærumq; sequitur mutatio doctrinæ. 1. *Tim.* 6. 20. 2. *Tim.* 2. 16.

Augustinus ait, *Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionẽ.* Certe si vlla vnquam κενοφωνία in Ecclesiam inuecta est, nomen Transubstantiationis inter κενοφωνίας reponi debet. 2. De re nullo modo constat, imo rem ipsam constat, quæ *August. ciuit. Dei, l. 10. c. 23.*

hoc nomine significatur, multò magis barbaram, sacrilegam, & horrendam esse. Non ergo rem improbamus propter nomen, sed nomen propter rem: vt signa rerum nefariarum propter rerū turpitudinē & nequitiā auersamur. Si verò de re tam liquido constaret, quam Papistæ volunt, tum nomen veteri Ecclesiæ tamdiu incognitum non fuisset: at vetus Ecclesia & nomen & rem ignorabat. Anni mille ducenti fluxerunt & amplius, antequam notum hoc nomen Ecclesiæ fuit. Sic igitur disputo: Antiqua Ecclesia habuit non modo veram doctrinam de Sacramento, sed & nomina ac vocabula apta explicandæ huic doctrinæ: at Transubstantiationis nomen vetus Ecclesia ignorauit: ergo rem non habuit.

Sed Bellarminus ait Patres dixisse, panem conuerti substantialiter in carnem Christi, manentibus accidentibus. *Respondeo*: Hoc Patres nunquam aut dixerunt, aut somniarunt. Illi quidem de conuersione mentionem faciunt, sed substantialis conuersio nunquam illis in mentem venit: imo apertissimè substantiam panis & vini manere aiunt, vt Theodoretus, & Vigilius, & Augustinus, & alij, quorum testimonia postea citabimus. Conuersionem quidem Sacramentalē agnoscunt, quæ facit vt ex cibo corporis Sacramentum fiat, quo animæ nostræ nutriantur: ita in Sacramento, vt Irenæus ait, panis terrenus non amplius est communis panis, sed efficitur Eucharistia, quæ constat ex duabus rebus, terrena & cælesti: nulla ergo conuersio substantialis olim credita fuit: quare non mirum quod illis ignotum Transubstantiationis nomen fuerit. Antiquissimus omnium, quos afferre potuit Bellarminus, est Hugo, qui fuit æqualis Petri Lombardi, qui post millesimum à Christo annum vixit. Sed quid Hugo ait? substantiam scilicet ire in substantiam: & ea quidem, fateor, est vera Transubstantiatio. Sed Bellarminus istam Transubstantiationem non credit: non enim putat substantiam panis ire in substantiam corporis Christi, quia tum quod ante panis erat, nunc est corpus Christi, & sic non perit aut deperditur panis: quod vult Bellarminus.

Iren. l. 4. c. 34.

Si enim substantia panis abeat in substantiam Christi, tum aut in partem aut in totam: non in partē, quia dicunt totum in totum conuerti: si in totum, tum eadem substantia, quæ fuit panis, nunc est corpus Christi: & hæc vetus de Transubstantiatione opinio fuit: at recentiores Sophistæ exponunt Transubstantiationem de tali cōuersione, qua panis esse desinat, & Christi corpus succedat: qua substantia panis non it in substantiam Christi, sed corrumpitur, vt locum det Christo. Sed *primò* hæc non est Transubstantiatio, quæ est transitio substantiæ in substantiam. *Secundò*, certum est Innocentium & Concilium Lateranense, si talem conuersionem intellexissent, non vocare voluisse Transubstantiationem,

tionem, nisi dementissimi fuissent: illi ergo simpliciter & verè senserunt, manere substantiam panis sub forma carnis Christi. *Tertiò*, Scholastici qui Lateranense Concilium sub Innocentio secuti sunt, cum viderent talem cōuersionem nō posse defendi, etsi nomen transubstantiationis retinuerunt, tamē à sensu abhorruerunt, vt quidam ingenue fateantur, Transubstantiationem non aliud esse, nisi annihilationem: ergo hoc nomen non modo barbarum est, sed etiam alienum ipsorum confessione: nec dubito, quin si nunc illis nomen inueniendum esset, aliud q̄ hoc excogitarent, imo non hoc approbarent. Ita illud Concilium parum sapuit, quia nomē præscripsit, quod posteritas non potuit nisi ficta expositione retinere. Sed iam progreditur Bellarminus, & ait licuisse Nicæno Concilio ponere in Symbolo nomen ὁμοούσιον, & Ephesino nomen θεοτόκον. Quid tum? ergo, inquit, maiore ratione licuit Concilio Lateranensi in confessione fidei ponere nomen Transubstantiationis. Sed quomodo sequitur argumentum? Nicæno & Ephesino Concilio licuit: ergo multo magis Lateranensi? qa, inquit, in Nicæno Concilio erant Episcopi trecenti & octodecim, in Ephesino verè pauciores, id est, ducenti tantùm: at in Lateranensi Episcopi plures quā quadringenti, & Patres in vniuersum plus quam mille.

Respondeo: Fateor fuisse ibi maximam turbam & frequentiam Sacerdotum & Monachorum: sed nō sequitur, Frequentissimi erant: ergo licuit eis quidvis statuere, & fingere etiam quod contra DEI verbum est: nec sequitur, quia plures fuerunt, ergo melior illorum sententia fiat: hoc est decreta Cōciliorum non pondere sed numero æstimare. Neq; transubstantiatio sic recipi debet, vt ὁμοούσιον & θεοτόκον: nam hæc sunt deducta ex apertis Scripturis, quemadmodum contra Arianos & Nestorianos expositum est à Patribus Catholicis: at transubstantiatio ex nullo loco Scripturæ deducitur, imo de illa ne vna quidem vocula in Scripturis habetur. Si vlla, tum in his verbis, *Hoc est corpus meum*: at hæc verba non arguunt conuersionem panis in corpus Christi, aut transubstantiationem, præsertim cum Aduersarij negent, *Hoc* pro pane supponere: nisi autem per *Hoc* panis intelligatur, certè nulla specie rationis potest his verbis Transubstantiatio panis in corpus Christi intelligi. Forsan realem præsentiam possunt his verbis aliquo modo confirmare, at non Transubstantiationem, nisi velint dicere, *Hoc*, id est, hic panis est corpus meum, id est, Transubstantiatur in corpus meum: at illi volunt nullam in his verbis fieri mentionem panis, & certum est transubstantiationis nullam fieri mentionem. Sic igitur disputo: Omnia vocabula in Theologia fundamētum habere debent in Scripturis, vt ὁμοούσιον, θεοτόκον, περιάς: at transubstantiationis nomen, nullum

in Scripturis fundamẽtum habet: ergo non est in Theologia admittendum: nam in his verbis, *Hoc est corpus meum*, nullum fundamentũ habet, nisi *Hoc* de pane intelligant, & *Est* per *transubstantiatur*, exponant: quam illi expositionem non admittunt. Sed postea ait Bellarminus, ante Concilium Nicænum non extitisse nomen æquiualens nomini ὁμοούσιῳ: at ante Concilium Lateranense multa fuisse nomina æquiualentia nomini Transubstantiationis.

Bellarm. l. 2. c 3. de Christo. Athanas. in lib. de decret. Nican. synod.

Respondeo: Bellarminum secum apertissimè pugnare: nam alibi ait nomen ὁμοούσιῳ non fuisse inuentum à Concilio Nicæno: & quidẽ Athanasius ait, hoc nomen à Dionysio Romano & Dionysio Alexandrino vsurpatum esse ante Cõcilium Nicænum, & à Theognosto & Origene: & Patres Nicænos nullum nomen inuenisse ait, sed q à maioribus inuentum est retinuisse: & Theodoretus ait Eusebium Cæsarienſem licet Arianum fateri, antiquos & illustres Patres hoc nomine vsos esse: sed nemo vnquã vsus est nomine Transubstantiationis ante Concilium Lateranense. Quod autem ait, multa fuisse vocabula antea huic nomini æquiualentia, quæro quæ tandem illa fuerunt? nam cõuersio & transmutatio non æquiualent, quia Sacramentalis conuersio & mutatio non euincunt Transubstantiationem. Sed adducit ex Theophylacto nomen transelementationis: nam ait Theophylactus, Christum panem μεταστοιχειῶσαι *transelementasse*, & μεταποιεῖσθαι, *transmutare*. Sed

Theodoret. l. 1. hist. c. 12.

Theophyl.

in Mare. 14. & Mat. 26.

1. Theophylactus est author non antiquus, si cum Chrysostomo, Augustino, Ambrosio, & Basilio comparetur: eius authoritas multo minor est illorum authoritate.

2. Si hic μετα-στοιχείωσις propria sit, tũ oportet rem totam, id est, elementum ex vna substantia in aliã conuerti: ex quo sequetur, rem, quæ prius sub accidentibus panis fuit, nunc conuersam esse in corpus Christi. Nam μετα-στοιχείωσις est quasi cõuersio vnius elementi in aliud, id est, vnius materiæ in aliam: materia ergo eadem remanet, etsi forma substãtialis mutetur: quod si verum sit, tum substantia carnis Christi ex elemento, id est, materia panis consistit, & tum corpus Christi in Sacramento est ἐπερούσιον & ἐπερογενὲς ei quod ex Virgine natum est, id est, *alterius & substantiæ & generis*. Sed Bellarmini hoc loco praua expositio nõ prætermittenda est: nam transelementationem Theophylacti sic intellIgit, quasi esset mutatio rei in primam materiam, quam ait ab Aristotele vocari elementum. Sed Theophylactus non sensit panem mutari in materiam primam: tum enim esset Transubstantiatio panis non in corpus Christi, sed in materiã primam: at eius verba sonant vnius elementi, id est, vnius substantiæ mutationem in aliam. Sed hinc constat, qualem Transubstantiationem Papistæ & Bellarminus statuant, nimirum non qua panis in corpus Christi, sed in materiam primam, id est, in nihilum mutatur.

Nam

Nam materiæ primæ ἀδενότης ab Aristotele millies decantata est, vt Scaliger obseruauit. Ita ex omni Bellarmini disputatione constat, illorum μετουσίων, id est, *transubstantiationem* ad ἀδενότητα redigi, id est, ad *nihilum*. Sed Theophylactus μετα-στοιχείωσιν à Physicis mutuat' est, qui vnum elementum in aliud, exempli gratia, ignem in aerem, & aerem in aquam, mutari aiunt: manet materia, sed forma mutatur: at nolunt Aduersarii materiam panis ne sub forma carnis Christi substantiali remanere: non ergo aut Theophylacti μετα-στοιχείωσιν, aut Innocentii tertij Transubstantiationem tuentur. Sed ait adhuc Bellarminus: Si mutatio solius formæ rectè dicatur à Græcis μεταμόρφωσις, id est, *transformatio*, & si externæ figuræ mutatio rectè dicatur trãsfiguratio etiam in Euangelio, cur mutatio substantię non poterit rectè dici Transubstantiatio? *Respondeo*: Hoc magis adhuc indicat, qualem illi Transubstantiationem teneant: nam in transformatione & transfiguratione vetus forma & figura mutata est, non in aliam, vt ex ea facta sit alia; sed euanuit: vt quando Apuleius in asinum mutatus est: forma hominis sublata in ea materia, successit forma asini: & tales Ouidij μεταμορφώσεις sunt, vt quando Actæon in ceruum mutata est, & Daphne in laurum, & Æneæ naues in nymphas: vocãtur autem μεταμορφώσεις, nõ quod forma mutetur in formam; sed quod materiæ & res migrent ab vna essentiali forma in aliam. Debet ergo

Scaliger exercit. 17.

esse mutatio rei in rem sub noua forma, aut non est transformatio. Nisi ergo panis substantia in nouã substantiam mutetur, non erit trãsubstantiatio. Nihil autem dicitur Transubstantiari, quia abiit in materiam primam, quæ est principium rerum; sed Transubstantiatio est diuersarum substantiarum mutatio, vnius scilicet in alteram: & illud non est miraculosum, vt abeat scilicet substantia aliqua in materiam primam: sed in omni Transubstantiatione est miraculũ. Igitur Papistica mutatio panis in materiam primam aut in nihilum inepte & impropriè vocatur transubstantiatio. Nam si panis resoluitur in materiam primam, tum aut in materiam primam nudam, aut alia aliqua forma vestitam: nõ in nudam, quia materia non potest esse sine forma: si in materiam primam sub alia aliqua forma, tum doceãt, quæ tandem illa forma sit: & tum aut in alio loco erit, aut in eodem simul cum carne Christi: at horum neutrum fieri potest. Ex his, quæ diximus, constat, Transubstantiationis nomen esse repudiandum, vtpote quod nec cum communi Theologia, nec cum ratione, nec cum mente Papistarum constet.

Secundum nostrum argumentum sic instituo: Nihil pro articulo fidei proponendum est Ecclesiæ, nisi quod ex certis & manifestis Scripturis ostendi & probari potest: at Transubstantiatio non potest ex confessione Aduersariorum: non debet igitur aut proponi aut recipi 2.

in Scripturis fundamẽtum habet: ergo non est in Theologia admittendum: nam in his verbis, *Hoc est corpus meum*, nullum fundamentũ habet, nisi *Hoc* de pane intelligant, & *Est* per *transubstantiatur*, exponant: quam illi expositionem non admittunt. Sed postea ait Bellarminus, ante Concilium Nicænum non extitisse nomen æquiualens nomini ὁμοούσιῳ: at ante Concilium Lateranense multa fuisse nomina æquiualentia nomini Transubstantiationis.

Bellarm. l. 2. c 3. de Christo.

Athanas. in lib. de decret. Nican. synod.

Respondeo: Bellarminum secum apertissimè pugnare: nam alibi ait nomen ὁμοούσιῳ non fuisse inuentum à Concilio Nicæno: & quidẽ Athanasius ait, hoc nomen à Dionysio Romano & Dionysio Alexandrino vsurpatum esse ante Cõcilium Nicænum, & à Theognosto & Origene: & Patres Nicænos nullum nomen inuenisse ait, sed ꝙ à maioribus inuentum est retinuisse: & Theodoretus ait Eusebium Cæsariensem licet Arianum fateri, antiquos & illustres Patres hoc nomine vsos esse: sed nemo vnquã vsus est nomine Transubstantiationis ante Concilium Lateranense. Quod autem ait, multa fuisse vocabula antea huic nomini æquiualentia, quæro quæ tandem illa fuerunt? nam cõuersio & transmutatio non æquiualent, quia Sacramentalis conuersio & mutatio non euincunt Transubstantiationem. Sed adducit ex Theophylacto nomen transelementationis: nam ait Theophylactus, Christum panem μεταστοιχειῶσαι *transelementare*. Sed

Theodoret. l. 1. hist. c. 12.

Theophyl.

in Marc. 14. & Mat. 26.

1. Theophylactus est author non antiquus, si cum Chrysostomo, Augustino, Ambrosio, & Basilio comparetur: eius authoritas multo minor est illorum authoritate.

2. Si hic μετα.στοιχείωσις propria sit, tũ oportet rem totam, id est, elementum ex vna substantia in aliã conuerti: ex quo sequetur, rem, quæ prius sub accidentibus panis fuit, nunc conuersam esse in corpus Christi. Nam μετασταιχείωσις est quasi cõuersio vnius elementi in aliud, id est, vnius materiæ in aliam: materia ergo eadem remanet, etsi forma substãtialis mutetur: quod si verum sit, tum substantia carnis Christi ex elemento, id est, materia panis consistit, & tum corpus Christi in Sacramento est ἐπερούσιον & ἐπεροgενὲς ei quod ex Virgine natum est, id est, *alterius & substantiæ & generis*. Sed Bellarmini hoc loco praua expositio nõ prætermittenda est: nam transelementationem Theophylacti sic intelligit, quasi esset mutatio rei in primam materiam, quam ait ab Aristotele vocari elementum. Sed Theophylactus non sensit panem mutari in materiam primam: tum enim esset Transubstantiatio panis non in corpus Christi, sed in materiã primam: at eius verba sonant vnius elementi, id est, vnius substantiæ mutationem in aliam. Sed hinc constat, qualem Transubstantiationem Papistæ & Bellarminus statuant, nimirum non qua panis in corpus Christi, sed in materiam primam, id est, in nihilum mutatur.

Nam

Nam materiæ primæ ἀδενότητος ab Aristotele millies decantata est, vt Scaliger obseruauit. Ita ex omni Bellarmini disputatione constat, illorum μετουσίωσιν, id est, *transubstantiationem* ad ἀδενότητα redigi, id est, ad *nihilum*. Sed Theophylactus μετα.στοιχείωσιν à Physicis mutuat⁹ est, qui vnum elementum in aliud, exempli gratia, ignem in aerem, & aerem in aquam, mutari aiunt: manet materia, sed forma mutatur: at nolunt Aduersarii materiam panis ne sub forma carnis Christi substantiali remanere: non ergo aut Theophylacti μετα.στοιχείωσιν, aut Innocentii tertij Transubstantiationem tuentur. Sed ait adhuc Bellarminus: Si mutatio solius formæ rectè dicatur à Græcis μεταμόρφωσις, id est, *transformatio*, & si externæ figuræ mutatio rectè dicatur trãsfiguratio etiam in Euangelio, cur mutatio substantię non poterit rectè dici Transubstantiatio? *Respondeo*: Hoc magis adhuc indicat, qualem illi Transubstantiationem teneant: nam in transformatione & transfiguratione vetus forma & figura mutata est, non in aliam, vt ex ea facta sit alia; sed euanuit: vt quando Apuleius in asinum mutatus est: forma hominis sublata in ea materia, successit forma asini: & tales Ouidij μεταμορφώσεις sunt, vt quando Actæon in ceruum mutata est, & Daphne in laurum, & Æneæ naues in nymphas: vocãtur autem μεταμορφώσεις, nõ quod forma mutetur in formam; sed quod materiæ & res migrent ab vna essentiali forma in aliam. Debet ergo esse mutatio rei in rem sub noua forma, aut non est transformatio. Nisi ergo panis substantia in nouã substantiam mutetur, non erit trãsubstantiatio. Nihil autem dicitur Transubstantiari, quia abiit in materiam primam, quæ est principium rerum; sed Transubstantiatio est diuersarum substantiarum mutatio, vnius scilicet in alteram: & illud non est miraculosum, vt abeat scilicet substantia aliqua in materiam primam: sed in omni Transubstantiatione est miraculũ. Igitur Papistica mutatio panis in materiam primam aut in nihilum inepte & impropriè vocatur transubstantiatio. Nam si panis resoluitur in materiam primam, tum aut in materiam primam nudam, aut alia aliqua forma vestitam: nõ in nudam, quia materia non potest esse sine forma: si in materiam primam sub alia aliqua forma, tum doceãt, quæ tandem illa forma sit: & tum aut in alio loco erit, aut in eodem simul cum carne Christi: at horum neutrum fieri potest. Ex his, quæ diximus, constat, Transubstantiationis nomen esse repudiandum, vtpote quod nec cum communi Theologia, nec cum ratione, nec cum mente Papistarum constet.

Scaliger exercit. 17.

Secundum nostrum argumentum sic instituo: Nihil pro articulo fidei proponendum est Ecclesiæ, nisi quod ex certis & manifestis Scripturis ostendi & probari potest: at Transubstantiatio non potest ex confessione Aduersariorum: non debet igitur aut proponi aut recipi 2.

pro articulo fidei. Bellarminus de maiore respondet, si ea vera sit, tũ nõ posse pro articulo fidei proponi, quod libri Euangelistarum, & Epistolæ Pauli sint Scripturæ diuinæ.

Respondeo 1. Hæc rancida obiectio est, quasi quod illi libri pro diuinis habendi sint, ex sola Ecclesiæ traditione probari posset: at librorum contextus hoc cuiuis Christiano persuadere debet. 2. Non est propriè articulus fidei, hos libros esse diuinos. Nam articuli fidei semper ijdem sunt quoad substantiam, & vno articulo fidei sublato nulla salus: sed non statim damnari putandus, si quis vnum forte librum Scripturæ in dubium vocet; vt olim multæ Ecclesiæ Epistolam ad Hebræos, & Apocalypsin in dubium vocarunt. Articuli fidei ex sacris Scripturis desumpti sunt: ergo propter has credimus articulis fidei. Quædam enim sunt principia & fundamenta fidei, ex quibus articuli omnes & conclusiones fidei nascuntur: illa fundamenta creduntur vt ἀυτόπιστα; reliqua propter ea. Iam quod ad minorem attinet, eam etiam negat. Kemnitius verò ait, hoc Andradium dicere.

Bellarminus ait, Andradium non dicere, transubstantiationem nõ posse ex Scripturis probari: sed si non posset, debere tamen propter Ecclesiæ authoritatem credi. Et quidem nemo nescit, illos vrgere Scripturam, nempe hæc verba, *Hoc est corpus meum*: sed multo magis authoritatem Ecclesiæ: & sic quidem, vt nisi Ecclesia ita intelligeret verba Christi, illi non ita interpretarentur: posse enim verba aliter exponi fatentur. Satis ergo apertum est, Papistarũ Transubstantiationem non Scripturis, sed dũtaxat traditione niti: & qua traditione? non antiqua illa quidẽ Ecclesiæ primitiuæ, ex qua nihil huiusmodi haurire possunt, sed ex recentissima, Ecclesiæ scilic. præsentis, & eius, quæ ante paucos annos extitit. Fatentur non posse ex Scripturis expressè & apertè deduci; nisi expositio Ecclesiæ suæ accesserit: quod non aliud est, nisi sola Ecclesiæ authoritate niti. Nam quod Scripturis nititur, id ex Scripturis necessario cõcluditur, quãtumuis Doctores aliter exponerent.

Quare Scotus ait 1. si Transubstantiatio remoueatur, omnia fore faciliora & expeditiora: Ergo hæc opinio inuoluit Scripturam & Ecclesiæ doctrinam multis obscuritatibus & difficultatibus. 2. ait, nullum esse in Scriptura locum, qui Transubstantiationem conuincat euidenter sine expositione Ecclesiæ, id est, Papæ: ergo Papæ authoritas est fundamentum Transubstantiationis. 3. ait Transubstantiationem non fuisse dogma fidei ante Lateranense Concilium: quod in illo Bellarminus improbat, & ait illum non legisse Concilium Romanum sub Gregorio septimo, neque Patrum consensum, quem ipse antea adduxit. *Respondeo*: Imo Scotus satis probè hæc omnia norat: sed Transubstantiatio non est definita

Scot. in 4. d. 11. q. 3.

definita aut nominata in illo Concilio Romano: tantùm realis præsentia definita est, quæ potest esse sine Transubstantiatione, nec Trãsubstantiationem necessariò requirit: Patres autem nec transubstantiationem, nec realem præsentiam confirmant. Petrus de Alliaco ait, possibile esse, vt Christi corpus assumat substantiam panis per vnionem, & hoc non repugnare rationi aut Scripturæ: imo esse facilioremodum, quam quenquam alium: ergo Transubstantiatio non ex Scripturis necessariò deducitur: & tandem cõcludit, Transubstantiationem hanc non aliam esse, nisi qua panis substantia & materia esse desinat: quod fieri debet aut per corruptionem aut per annihilationem. Non autem fit per corruptionem, quia materia non manet: ergo per annihilationem: ita ille apertè statuit annihilationem. Ait enim panem conuerti in corpus Christi, vt nox conuertitur in diem, quia post noctem dies est. Dies non fit ex nocte tanquam ex materia, sed nox abijt & euanuit, succedit dies. Præclara certè Transubstantiatio! Quis tam cæcus nũc est, vt hoc nomine non exprimi illorum dogma non intelligat? Bonauentura disquirit diligenter, cui mutationi Transubstantiatio similis sit, & 1. ait, quia in ea nihil commune manet, creationi similiorem esse: at tum est annihilatio. 2. quia terminus initialis non est nihil, nõ esse similem creationi ait, sed esse potius generationi similem. 3. quia prius est corpus Christi, & nihil hic fit de nouo, nõ generationi sed augmentationi similem esse ait. 4. Quia verò nõ crescit corpus Christi, non esse augmentationem ait, sed potius mutationem localem. 5. Quia Christi corpus nõ relinquit locum, non esse localem mutationem ait: ergo omni motui dissimilis est. 6. Non esse corruptionem aut alterationem ait, quia corruptio non deceret: sed corruptio non minus decet, quam destructio: at in Transubstantiatione destruitur panis, vt disertè Occamus ait: & accidentia non alterantur: ergo concludit Bonauentura esse modum prorsus singularem: diceret potius fictum aut nullum modum esse. Sed hinc constat, quam falso dicant, non posse Christi verba sine Transubstantiatione intelligi, cum ipsi Transubstantiatione nullam relinquant, & aliter melius intelligi posse concedant.

Petr. de Alliac. in 4. q. 6. art. 2.

Occam. in 4. q. 6.

Bonauent. in 4. d. 11. q. 2.

Tertium nostrum argumentum ex Scripturis sumitur, quæ docent materiam huius Sacramenti esse panem. Matth. 26. Christus *accepit panem*, illum demonstrat, & de illo ait, *Hoc est corpus meum*. Nam particulam demonstratiuam pertinere ad id, quod Christus accepit & dedit, ex Luca & Paulo patet in altera specie, qui dicunt, *Accepit poculum, benedixit, dedit illis, & ait, Hoc poculum est nouum illud Testamentum per sanguinem meum*. Ibi *Hoc* ad poculũ necessariò refertur: ergo hic ad panem. Si panis sit corpus, ergo panis remanet, & non Transubstantiatur in carnem Christi, nec vinum in sanguinem. Et post consecra-

3.

Matth. 26. 26.

Luc. 22. 20.

1. Cor. 11. 25.

1. Cor. 10. 16. 17. & 11. 26. 27. 28.

fecrationem Paulus Euchariſtiam vocat panem quinquies: quod nō feciſſet, ſi nil niſi ſpectrum panis maneat, id eſt, accidentia ſine ſubiecto.

Bellarminus 1. de pronomine (*Hoc*) reſpondet, non eo panem materialem demonſtrari; idque ſe prius docuiſſe: & nos non aliud demonſtrari, niſi verum & materialem panem, quem Chriſtus Apoſtolis ſuis præbuit, ſupra copioſe demonſtrauimus. Nunc duo tantum argumenta afferemus.

Primo, *Hoc* rem & ſubſtantiam aliquam particularem, & individuum demōſtrat: ergo aut verum panem, qualis antea fuit, aut panē cæleſtem, in quem conuerſum eſſe dicunt: non hunc, quia ridiculum eſt vt dicas, *Hoc*, id eſt, *corpus meum*, *eſt corpus meum*: quod neceſſe eſt tū dici. Nam etſi ſæpe re aliqua oſtēſa dicere ſolem⁹, Hoc eſt pomum; hoc eſt gemma; hoc eſt panis; tamen primo in huiuſmodi propoſitionibus, *Hoc* demonſtrat rem ſenſui in ſua vera propriaq; forma: aut non eſt propria prædicatio. Nā ſi quis arculam proferēs auro plenam dicat, Hoc eſt aurum, impropriè loquitur, quicquid Lutherani contra garriant. Non hoc opinor, Bellarminus negabit. *Secundò*, in huiuſmodi propoſitionib. res demonſtratur, non qualis futura ſit poſtquam verba prolata ſunt, ſed qualis ante fuit, & iam ſit: at hic eſt verus panis, antequam verba pronuntiata ſunt. Sic ergo diſputo: Si Chriſti corpus non adſit, niſi in fine prolationis horum omnium verborum, *Hoc eſt corpus meum*, tum (*Hoc*) non poteſt demonſtrare corpus Chriſti: at Chriſti corpus non ante adeſt: ergo pronomen (*Hoc*) non poteſt demonſtrare corpus Chriſti. Et *Hoc* ſemper rem præſentem demonſtrat, & ſic verbum *Eſt*.

Secundò, ex verbis Bellarmini argumentum colligo. Bellarminus ait diſerte, capite decimo nono huius tertii libri, Dominus accepit in manibus panem, eumq; benedixit, & dedit diſcipulis, & de eo ait, *Hoc eſt corpus meum*: & addit, Itaque panem accepit, panem benedixit, panem dedit, & de pane dixit, *Hoc eſt corpus meum*. Hoc ipſum nos dicimus, *Hoc* panem demonſtrare, quia illud, quod Chriſtus accepit, benedixit, dedit, panis fuit: non accepit corpus ſuum, aut benedixit, aut dedit, ſed panē. Nunc ergo Bellarminus cauſam noſtram agit: ſi enim (*Hoc*) de pane intelligatur, tum panis non tranſubſtantiatur: at verum prius: ergo & poſterius. Sed hic agnoſcite Bellarmini impudentiam an vafritiem dixerim, neſcio: ait de pane hoc dici, ſed de pane mutato. Sed *primò* ſi panis mutatur, tum non eſt eadem res, quam Chriſtus accepit & benedixit: nam Chriſtus verum panem in manus accepit: *ſecundò*, ſi de pane mutato hoc Chriſtus dixit, quæro quomodo, & quando, & quibus verbis mutatus eſt? Chriſtus nullum verbum protulit, quo mutaretur panis, antequam dedit: nam non mutauit benedicendo, qa mutauit ijs verbis, quib. hodie

Bellarm. l. 3. de Euchariſt. c. 19. Primum autem argumentum

mutatur

mutatur à ſacrificis, vt illi volunt: at illi mutant his verbis, *Hoc eſt corpus meū*: Chriſtus n. non his verbis benedixit: nam Chriſti benedictio fuit εὐχαριστία, & εὐλογία, quam non ad panem, ſed ad Patrem ſuū direxit, & præceſſit hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*: ergo (*Hoc*) panem verum demonſtrat. In Canone Miſſæ diſertè habetur, eleuaſſe Chriſtum oculos in cælum ad Deū Patrem, quando benedixit: at cum dixit, *Hoc eſt corpus meum*, demiſit oculos in panem: ergo his verbis non benedixit. Nunc igitur ad noſtrum argumentum veniamus, quod eſt huiuſmodi: *Hoc*, id eſt, panis eſt corpus Domini: ergo panis manet.

Bellarminus ait, hoc argumento Lutheranos contra ſe vti: nam Kemnitius hoc argumentum habet: at panis, inquit, impropriè corpus dicitur: nam implicat contradictionem, vt panis proprius ſit corpus Domini: quod eſt veriſſimum: at Lutherani tamen expoſitiones figuratas improbant, & τὸ ῥητὸν vrgent: at ſi τὸ ῥητὸν vrgeant, neceſſe eſt dicant, panē eſſe ipſum Chriſti corpus: quod vtinam illi tandem animaduerterent. Quare Bellarminus ait, quanto fortius hoc probant Lutherani, tanto ſeipſos fortius ligare. At hoc argumento Bellarminus etiam illigatur: dixit enim (*Hoc*) de pane intelligi, quem Chriſtus manibus accepit. Sed ait, Panis mutatus verè eſt corpus Domini.

Reſpondeo: hanc non eſſe propriam enunciationē: nam panis mutatus eſt terminus diminuens: ergo non indicat iam eſſe panem. Si mutatus ſit, non eſt panis: ergo, ſi (*Hoc*) panem mutatum ſignificat, prædicatio impropria eſt: *Hoc*, id eſt, hic panis mutatus eſt corpus meum. Idque ex Bellarmino patet: nam hanc propoſitionem, Panis mutatus eſt corpus Chriſti, facit huic ſimilem, Homo occiſus eſt cadauer: at impropriè dixeris, hominem occiſum eſſe cadauer, quia occiſus homo non eſt homo: verius dixeris, Corpus hominis occiſi eſt cadauer. Deinde panis mutatus rem indefinitam & incertam ſignificat: at *Hoc* rem definitam & certam: ergo *Hoc* non ſignificat panem mutatum. Sed iam ad Apoſtolum veniamus, qui vocat panem poſt conſecrationem non ſemel, ſed ſæpius: ergo verus panis eſt.

Bellarminus ait, cibum ſuperſubſtantialem dici panem, vel quia factus eſt ex pane, vel quia figuram externam panis retinet, vel quia habet effectus & proprietates panis, vel quia more Hebræorum omnis cibus vocatur panis. *Reſpondeo*: hæc friuola & futilia eſſe. Nam fieri ex pane non verè & propriè dicunt, ſed quia ſuccedit pani, vt dies nocti: ergo eadē ratione poſſis dicere, diem eſſe noctem, vel noctem eſſe diem, qua ſuperſubſtantialem hunc cibum vocas panem, cum non niſi pani ſuccedat. At quomodo Paulus vocauit panem, nulli dubium eſſe poteſt: ait enim de Chriſto. *Accepiſſe panem, & gratiis actis fregiſſe, ac dixiſſe, Accipite,*

edite, *Hoc est corpus meum*: ergo pané verũ omnes Apostoli acceperunt. Quare cum Apostolus postea ait, *Quoties manducabitis panem hunc*, &, *Qui manducauerit panem hunc indigne*, &, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*, in his locis nomen panis similiter proprie sumitur. Sed
Exod. 7. 10. 12. Bellarminus ait, virgam Aaronis dici virgam, & antequam conuersa est in colubrum, & postea.

Respondeo: Aperta fuit conuersio virgæ in colubrum: sensus huius conuersionis testes fuerunt, sic vt nullum erroris periculum fuerit. Sed si panem vocas, quod non sit panis, & tamen appareat esse panis, est certum & manifestum periculum. Nunquam sic Scriptura loqui solet: nullum tale exemplum ex Scripturis proferri potest.

Sed Bellarminus obijcit illa
1. Cor. 10. 17. Pauli verba, *Vnus panis multi sumus*: in quibus panis non propriè sumitur.

Respondeo 1. Si hic sensus sit, nos esse vnum panem, vt coniunctio nostra exprimatur, tum verus panis intelligitur; sed prædicatio est figurata: ergo de vero pane triticeo locus intelligendus est. 2. Apostolus non ait, *Vnus panis multi sumus*, sed, ἓν εἰς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν, *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus*, id est, quoniam panis vnus est, quem omnes sumimus, ideo nos omnes vnum in Christo corpus efficimur: ergo panis propriè accipitur vtrouis modo. Sed ait Bellarm. ante consecrationem absolutè vocari panem ab Apostolo: nam ait, ἔλαβεν ἄρτον, *Accepit panem*; sed post consecrationem semper addi pronomen, *panẽ hunc*, vt constaret eum loqui de pane consecrato. *Respondeo*: 1. mendacium esse, semper addi pronomen, cum Apostolus de pane loquitur post consecrationem: nam vers. 28. non additur, *Probet* se homo, & sic edat ἐκ ἄρτου, non ἐκ τοῦ ἄρτου. 2. Si semper pronomen adderetur, cum Apostolus de pane loquitur post consecrationem, non ideo sequeretur, esse transubstantiationem, sed panem hunc nõ esse panem communem & cibarium, qualis antea fuit, & qualem in mensa communi sumimus, sed cælestem & mysticum, quia est symbolum rei cælestis. Mutatur quidem vsu non natura. Sed Bellarminus ait, de pane nõ mutato falsum esse, *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, &, reus erit corporis Christi, & non diiudicans corpus Domini*.
1. Cor. 11. 23. 1. Cor. 11. 28.

Respondeo: Non erit falsum, etsi non mutatio substantialis panis fiat. Qui enim gratiæ Sacramentis profanè vtitur, ille reus sacrilegii est, vt si quis Baptismo male vtatur. Sic si quis imagine aut sigilo Principis nefariè abutatur, læsæ maiestatis reus erit.

Quartum nostrum argumentum 4.
sumitur à ratione Sacramenti, idq; tripliciter. *Primò* oportet esse in omni Sacramento res duas, terrenã & cælestem, materiam externam & gratiam internam: verbum accedit ad elementum, & facit Sacramentum; non annihilat elementum:

tum: ac Transubstantiatio materiã & rem terrenam nullam in Eucharistia relinquit. Bellarminus ait, rem terrenam in Eucharistia esse species illas sensibiles, quæ terrenis sensibus percipiuntur. *Respondeo*: Species non est materia, imo nihil in se materiæ habet: at in omni Sacramento oportet esse materiam externam: in accidentibus verò nil est materiæ. In Sacramento Baptismi species aquæ non est materia aut elementum, sed substantia aquæ: elementum non est nuda species. Sacramentum autẽ ex verbo & elemento constat: verbum accedit ad elementum, non tollit elementum: vbi verò nihil remanet, nisi species, elementum saluum non est: ad verum autem Sacramentum requiritur salus elementi. Quare quod ait Bellarminus, elementum non annihilari, etsi id falsum esse norit ex illorum doctrina, quæ veram annihilationem statuit, tamen si non maneat natura panis, quæro quodnã in hoc Sacramento elementum erit? num species? at non sunt elementa: & tum non nisi species erant, antequam Sacramenta erant: nam verbum accedit ad elementum, & fit Sacramentum. Si postquam accessit verbum, materiam elementi sustulit, tum etiam aqua in Baptismo transubstantiatur: si non tollit elementum, tum materia panis non tollitur.

2. *Secundò* Sacramenta instituta sunt ad confirmandam fidem rerum inuisibilium per signa visibilia: ideo enim aqua abluimur in Baptismo, vt credamus ita interius nos lauari per gratiam: & ideo panem edimus in Eucharistia, vt nos Christi corpore frui credamus. Si fallimur in externo symbolo, nec panis ibi est, sed spectrum panis, fides rerum cælestium non confirmatur.

Bellarminus ait, non opus esse, vt externum signum habeat effectum suum: in Baptismo satis esse, perfundi aqua, etsi sordes non abluantur: sic in Eucharistia satis esse, vt panem ore sumamus, quatenus significare potest. *Respondeo*: Quid hoc est, *quatenus significare potest*? Signum debet reuera significare; at accidens nec significat, nec potest significare spirituale manducationem, quia non editur propriè, sed tantùm per accidens: ita non potest cõfirmare fidem de vera manducatione Christi, sed potius eam labefactat: tum enim non panem, sed spectrum panis ore sumimus; quod potius argueret spectrum quoddam mente percipi, quam verum corpus Christi. Sed Bellarminus ait, nos fateri posse sumi tam exiguam particulam panis consecrati, vt non sufficiat ad hominem alendum corporaliter. *Respondeo*: Hoc non refert: erit tamen vera manducatio, quantumuis exigua particula sit: ita potest significare internam manducationem. Vnus morsus cibi non sufficit homini alendo, at sufficit ad declarandam veram manducationẽ. At si similitudines tantum & vmbræ maneant, nec edere nec bibere possumus: ita nihil omnino cõ-

firmarent fidem noſtram de ſpirituali manducatione. Sed ſubiungit Bellarminus, etiam ſpecies & accidẽtia Sacramenti alere, ſi in magna copia ſumantur, vt Theologi docent, inquit: non ipſe audet hoc dicere, ſed rem ad Theologos refert: illorum autem inſania omnibus manifeſta eſt. Nam ſubſtantia non poteſt nutriri accidentibus: res enim omnes ijſdem nutriuntur, ex quibus conſtant. Duplex quidem hac de re opinio eſt inter Scholaſticos. Quidam aiunt accidentia cõuerti in ſubſtantiam noſtram virtute diuina, & ſic nos nutriri miraculoſe: viderũt enim vim quandam nutriendi eſſe in Sacramento. Sed *reſpondeo* 1. Debet eſſe Sacramenti non miraculoſa, ſed naturalis facultas nutriẽdi, ex qua analogia ſit ad ſupernaturalẽ: nam ſi ambæ ſupernaturales ſint, nulla erit analogia. 2. Ex incineratione hoc commentum refellitur. Nam panis Euchariſticus redigi in cineres poteſt: num accidentia in cineres redigi poſſunt: an hoc fit virtute diuina? fiuntne hi cineres miraculoſe? imo hinc palam eſt, panem & vinum ſubſtantiam ſuam retinere poſt conſecrationem. Alia opinio eſt, reueriti ſubſtantiam panis, & ea eſt Innocentij: ſi quæras, quid nutriat, quid in cineres abeat quid amarum guſtum habeat? ait panem eſſe. Sed ſi panis redeat, vt nos nutriamur, cur panis vlla trãſubſtantiatio fuit? Sed hoc quoq; pugnat cum illorum decretis. Dicunt enim Chriſtum eſſe ſub illis ſpecibus, quamdiu ſpecies manent: at homines poſſunt inebriari vino Euchariſtico: ergo ſi verum vinum ibi ſit, nulla eſt tranſubſtantiatio, & Chriſti ſanguis nõ eſt ſub ſpecie vini: ergo accidentia inebriant, niſi velint hoc Chriſti ſanguini tribuere. Sed nec Chriſti ſanguini, nec accidentib⁹ tribuendũ eſt: ergo vero vino. Et ſi vinum, quod tranſubſtantiatũ eſt reuertit, ergo eſt in hoc Sacramento vera creatio, niſi panem & vinum malint ex corpore & ſanguine Chriſti confieri: quod eſt horrendum. Sed veram ſubſtantiam manere certum eſt, quia non poteſt eſſe alteratio accidentium abſtractorum à ſubiecto: ſed vinum Euchariſticum fieri poteſt acidum, & panis mucidus.

Innocent. de offi. in Miſſa l. 3.

Tertiò, debet eſſe analogia inter Sacramenta, & rem cuius Sacramenta ſunt, vt Auguſtinus ait. Ea autem duplex eſt. *Prima*, quòd ſicut panis nutrit & ſuſtentat corpus, ita Chriſti corpus nutrit ſuſtentatque animam. *Secunda*, quòd ſicut panis ex multis granis conficitur, ita qui Sacramentum hoc accipiunt, fiunt vnum corpus. Bellarminus ait, in hac analogia non requiri, vt panis verè nutriat, aut ex multis granis conſiſtat: ſed latis eſſe, ſi naturaliter repræſentet rem quæ nutriat, & conſtet ex multis granis. *Reſpondeo*: Iſta eſſet fallax analogia, ſi Sacramentũ non efficeret, quod ſignificat, id eſt, non nutriret, ſed nutritionem dumtaxat ſignificaret, nec verè ex multis granis compactum eſſet, ſed videretur tãtùm. Nam Deus voluit adiuuari fidem noſtram

3. *Auguſt. Epiſt. 23.*

noſtram his externis ſignis, quia infirmi ſumus, vt ex natura & veritate rerum aſpectabilium ad fidẽ rerum cæleſtium perduceremur. Hic finis inſtituendorum Sacramentorum fuit: iam multum ab eo fine Deus aberraſſet, ſi Sacramenta non haberent eam vim & naturam, quam præ ſe ferunt: ad deſtruendam fidem potius hoc faceret, quam confirmandam. Sed in omni Sacramento à Deo inſtituto reperiemus externo Sacramento naturalem ſuam facultatem conſtitiſſe. Manna ver⁹ panis erat, & nutriebat, vt Chriſtum verè nutrire ſignificaret: & aqua, quæ ex petra fluxit, erat vera aqua, vt Chriſti ſanguinem, quo animæ noſtræ abluuntur, verè ſignificaret: & Agn⁹ verus agnus fuit, qui Chriſtum adumbrauit: & ſanguis, quo poſtes illinebantur, verus ſanguis erat: & ſacrificia legis veræ erant immolationes pecudum: alias non fuiſſent Sacramenta. Similiter niſi aqua in Baptiſmo eſſet vera aqua, non eſſet Sacramentum, quia non eſſet idonea, vt ablueret ſordes corporis: nam olim totum hominis corpus in aqua demergebatur. Ergo non poſſe in aquis baptizari factitiis fatentur Aduerſarij: at poſſet eſſe in illis ſignificatio, cum veræ aquæ ſpeciem habeant. Et ſic in Euchariſtia panem ex tritico factum adhiberi oportet: ſed quorſum, ſi natura panis non maneat, nec nos nutriat: ſi fieret ex hordeo aut ſiligine, aut ſi eſſet pictura panis, non minus ſufficeret ad ſignificationẽ nutritionis. Sed vt vera analogia conſtaret, & ſic fides noſtra niteretur rei veritate, vt quemadmodũ hic panis ex multis granis conſtat, & nutrit, ita nos multi vnum corpus ſumus; & Chriſti corpus nos ſpiritualiter nutrit: oportebat eſſe verum panem, non modo ſimilem eſſe pani. Et ſic reuera quãtumuis illi nihil panis aut vini ſupereſſe dicant, tamen res ipſa horum opinionem conuincit. Nam panis Euchariſtic⁹ verè nutrit poſt conſecrationem non minus quam panes propoſitionis ſacerdotes & Dauidem nutriebant. Imo Sacramentum non modo verè nutrit ſalutariter, ſed ſi veneno permixtũ fuerit, interficit. Ita quoſdam legimus vino Euchariſtico epoto expiraſſe: notæ ſunt hiſtoriæ de Henrico Lucemburgenſi, vel vt ab aliis vocatur, Lucelburgenſi; & Victore tertio, Papa. Et Matthæus Pariſienſis ait, quendam Archiepiſcopum Eboracenſem hauſto veneno in calice obijſſe. Num venenum poteſt cum accidentibus miſceri? Et Hildebrandus legitur temperaſſe atramentum, quo ſcripſit excommunicationem Henrici, vino conſecrato, credo vt tentaret, an vini ſubſtantia remaneret. Horrẽdum certè fuit, Chriſti ſanguinem cum atramento permiſcere. Sed quis dubitat, quin poſſit in calicem conſecratum infundi venenum? Et Scholaſtici diſputant de aranea, ſi ceciderit in calicem, & ibi ſubmerſa & præfocata fuerit, num ſit dicendum præfocari ſpecie vini, an ſanguine Chriſti. Abſit vt Chriſti ſanguine præfocatã dicamus, nec

Matth. Pariſiens. in vita Stephani anno 1154.

per accidentia sola potest suffocari: ergo per vini substãtiam præfocatur. Ita manifestum est, natũras rerum remanere, & hoc esse necessarium propter analogiam. Bellarminus ait, Theologos docere, species alere, si in magna copia & quãtitate sumantur: at non hoc species faciunt, sed substantiæ: species enim non minus alere possunt cum videntur, quam cum sumuntur. Et hinc crassus error Bellarmini patet: nam si species duntaxat significationi sufficerent, non iussisset Christus accipere & edere: possent enim significare panem, qui nutrit, etsi nunquam sumerentur. Sed vt veram analogiam haberemus, iussi sumus edere: quid? speciem panis? non, sed panem, qui sustentat corpora nostra, vt hoc modo mentes nostras à Christo nutriri intelligamus & credamus. Hanc analogiam Patres agnoscũt.

Irenæus l. 5. Irenæus ait, *Quando mixtus calix, & fractus panis, percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Domini, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia*: verè ergo panis viniq; substantia remanet. Ita palam est, Papistas nullum relinquere Sacramentum, quia euertunt analogiam Sacramenti, qua sublata nec Sacramentum manet. Nam ex conuenientia Sacramenti cum re argumentum à Sacramento ad rẽ sumitur in hunc modum: Hoc, q̃ ore sumis, corpus tuum alit: ergo Christus, cuius est Sacramentum, animam tuam alit: Hoc est vnum corpus ex multis granis: ergo nos vnum corpus sumus, & quasi vnus homo, etsi multi. Quis non videt ab illis analogiam omnem tolli? Quare Gelasius Pontifex Romanus ait, *In Eucharistia non esse desinit substantia panis & natura vini: etenim imago & similitudo corporis & sanguinis Domini in actione mysteriorum celebratur.* Vbi Gelasius pro nobis argumentum firmissimum & inuictissimum affert. Vult enim probare contra Eutychetem, Christi corpus post vnionem remansisse in propria natura, etsi dicatur corpus Filij Dei, & corpus diuinũ: idque ex Sacramento. Nam panis manet, etsi sit & dicatur corpus Christi: ergo corpus etiam Christi manet.

Gelas. in lib. cont. Eutychet.

Est argumentum à Sacramento ad rem: Quod in typo verum est, idem in archetypo. At si natura panis mutata sit in corpus Christi, tum hoc vel maxime faceret contra Gelasium. Sic enim Christi corpus in diuinitatem mutaretur: q̃ volebat Eutyches. Sed Bellarminus obijcit Spiritum Sanctum apparuisse in specie columbæ ob analogiam inter columbam, & Spiritum Sanctum; & tamen non fuisse opus, vt illa columba esset vera columba quoad substantiam, sed satis fuisse, vt speciem exteriorem columbæ haberet. *Respondeo*: hac de re varias esse inter Theologos opiniones.

Chrysost. hom. 12. in Matth. Ambros. de Sacrament l. 1. c. 5. Caietan. & Iansen. in loc. August.

Chrysostomus ait, non habuisse columbæ naturam, sed eius duntaxat figuram. Sic Ambrosius ait non columbam, sed quasi columbam fuisse. Sic Caietanus, & Iansenius. Sed contra Augustinus affirmat, verum animal fuisse: neque enim Spiritum Sanctum fallaciter apparuisse: non debuisse vti illa fictione: & non fuisse Deo difficile, nouam columbam fabricari. Et AVGVSTINVM sequitur Thomas, & reliqui omnes ferè Scholastici: & Thomas præclare diluit argumẽtum Bellarmini. Nã Bellarminus ait, satis esse vt in Sacramento sit aliquid, quod panem significet. Sic Thomas obijcit, nõ fuisse necessarium, vt esset vera columba, quia venit tantum, vt aliquid significaret: sed hoc potuit fieri per similitudinem columbæ. Sed respondet, oportuisse per columbæ veritatem significari veritatem Spiritus Sancti: quibus verbis indicat, si non fuisset columba vera, non potuisse significare Spiritum Sanctum: ergo si panis in Eucharistia non habeat veri panis proprietatem, non potest significare corpus Christi. Sed Bellarminus adhuc obijcit, æneum serpentem repræsentauisse Christum ob analogiam inter serpentẽ & Christum, & tamen non fuisse illum verum serpentem quoad substantiam.

de agon. Christ. c. 11.

Thom. in 3. q. 39. 4. art. 7.

Respondeo: hoc ab eo absurdissimè dici. An inter Christum & serpẽtem analogia fuit? imo Christus serpenti dissimillimus fuit: venit enim vt caput serpentis contereret. Fuit quidem inter Christum & æneum serpentem analogia: sed æneus serpens non verus serpens fuit: si enim verus fuisset, non repræsentasset Christum: oportuit ergo non verum serpentem esse, vt Christum referret. Nam vt qui à veris serpentibus icti sunt, & virus illorum in se senserũt, aspectu serpentis æneiqui non verus serpens fuit, nec vllum venenum habuit, sanati sunt: sic nos, qui impij & scelerati sumus, & multiplicem peccati materiam in nobis habemus, aspectu fideque in Christum, qui nihilo plus peccati in se quam serpens æneus veneni habuit, seruamur. Hæc analogia est: ex qua constat, non oportuisse esse verum serpentem, sed rem serpenti similem, & rem mortuam, vt Christi mortem declararet. Quemadmodum nihil illo signo inaptius videri potuit ad sanitatem recuperandam; ita nihil Christo despectius fuit pendente in patibulo: & quẽadmodum non opus fuit, vt substantia æneiserpentis in eos, qui illum iussi sunt aspicere, delaberetur; ita nõ necesse est, vt Christum ore, palato, lingua contingamus, & sic intra nos substantialiter recipiamus. Sed æneus serpens reuera fuit idem quod apparuit: at in Sacramento volunt apparere panem, sed nullum panem reuera remanere.

Quintum nostrum argumentum est huiusmodi: Transubstantiatio multis hæresibus fenestram aperit, vt hæresi Marcionis Valentini, Eutycheris, & aliorum, qui Christi corpus phantasticum esse dixerunt. Si enim corpus eius inuisibile volitet per innumera loca, & modo hic incipiat esse, modo illic, & nusquam appareat, quis non phantasma esse suspicetur? Ita veritas

5.

ritas humanitatis Christi in dubium veniet. Bellarminus hoc argumentum ait esse verũ phantasma, quia habet faciem argumenti, sed verum argumentum non est. Nam phantasmata, inquit, videntur esse vera corpora, sed nõ sunt: at Christi corpus in Eucharistia non videtur oculis externis esse verum corpus, & tamen reipsa verum corpus est, ergo habet contrarias conditiones ijs, quæ conueniunt corpori phantastico.

Respondeo: hanc esse responsionẽ phantasticam. Nam Christi corpus esse in Eucharistia, & non videri, est ἀόρατον: ad naturam enim corporis compositi pertinet ὁρᾶσθαι, *videri*: & fieri non potest sine miraculo, vt sit ibi corpus Christi, & à nemine sentiatur. At miracula nũquam à Deo fiunt ad fidem labefactandam, sed confirmandam: hoc autem miraculo fides debilitaretur, quia corporis veritatem tollit: at omni modo voluit Christus cõfirmare veritatem corporis sui. Præterea miracula non pugnant cum articulis fidei: si verò pugnẽt, Diaboli nõ Dei miracula sunt: iam vero vt corpus Christi sit in loco, & non appareat, cũ fide pugnat: nã Christi corpus humanum esse, de fide est: at humana corpora omnia sunt αἰσθητὰ, *sensibilia*. Christus ipse Apostolis suis dixit, Ἴδετε τὰς χεῖρας μου, καὶ τοὺς πόδας μου, ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι: ψηλαφήσατε μὲ καὶ ἴδετε, *Videte manus meas, & pedes meos: nam ego ipse sum: contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me θεωρεῖτε ἔχοντα*, id est, *conspicitis habere*. Christi verò corpus sibi semper simile est, quod ad eius essentiales proprietates attinet: ergo semper videri, palpari, sentiri potest: corpus igitur Eucharisticum non potest esse corpus naturale Christi, quia corporis πάθη naturalia, id est, affectiones naturales non habet, vt posse percipi sensu, quemadmodum Christus voluit corpus suum diiudicari. Apostoli putabant esse corpus phantasticũ, quod viderunt: putabant enim se πνεῦμα θεωρεῖν, *spiritum videre*, vel *spectrũ*: ergo pendebant animi, nec credebant esse Christum: quare Christus vt persuadeat de veritate corporis sui, iubet illos propius accedere, & explorare, Thomam etiam digitos in vulnera immittere permisit; imò & coram cibum cum illis sumpsit. An Christus tam solicitè discipulis suis comprobauit corporis sui veritatem sensuum experimento, & nunc contra cauet, ne corpus ipsius vllo sensu deprehendatur? Tum etiam verba Christi omnem dubitationem remouent: *spiritus*, inquit, *non habet carnem & ossa*, vt ego habeo, & vt vos me θεωρεῖτε ἔχοντα, *conspicitis habere*: vnde constat, si non sensissent carnem & ossa, illos non aliud nisi spiritum se vidisse iudicaturos. Nam vt spiritus nõ habet carnem & ossa, ita hæc in corpore necessariò sunt, & esse intelliguntur: alias non certam fidem illis Christus fecisset. Nam alioqui spiritus non minus putari potest, qui habet carnem & ossa, quam corpus, quod non habet carnem & ossa: vtrumque

Luc. 24. 39.

Ioan. 20. 27.

que autem est ἀδύνατον, *impossibile*, vel, vt spiritus carnem & ossa habeat, vel vt corpus non habeat.

Christi autem corpus in Eucharistia non habet carnem, nec ossa: si habeat, age, exploremus; & Apostoli facere iussi sunt, admoueamus digitos & oculos: at nullum corporis signum inueniemus. Tum etiam corpus verum conclusum esse in tam exiguo spacio non potest: nam verum corpus est corpus physicũ: at physicum corpus non potest includi in minore spacio, quam iusta quantitas requirit, & quam dimensiones pariuntur: vix musca in tam angusto loco concludi & contineri potest, nedum corpus Christi: at maius contineri à minore est ἀντιφατικὸν *contradictorium*: non patitur ergo, vt hoc esse verum corpus credamus. Denique esse in tam multis locis, pugnat cum natura corporis quod vnum est cõtinuum, ideoq; est in vno duntaxat continuo loco: diuidi autem necesse est, quod loco distinguitur, quia distinctio locorum arguit distinctionem locatorum. Et hoc etiam palam cõtra Papistas facit, *Non est hic, sed surrexit*. Non fuit in sepulchro, quia surrexit: non est igitur in Eucharistia, quia ascendit. Et Christus ait, *Gaudeo me illic non fuisse*: Christus non fuit cum Lazaro moriente, quia in alio loco fuit: ita Christus nunc in cælo est: ergo non in terris. Si hæc aliter se habeant, Christi corpus nõ verum sed phantasticum est. Atque hoc est, quod Marcion, Valentinus, Eutyches, & alii hæretici dixerunt, CHRISTVM habuisse tantum imaginem veri corporis. Tertullianus refellit Marcionem ex Sacramento in hunc modum: Christus instituit figuram corporis sui in Eucharistia: ergo habuit verum corpus. Consequẽtia probatur, quia res vacua & phãtasma non potest capere figuram: at Christus voluit panem in Eucharistia esse figuram corporis sui: quod sic probat, quia dixit Christus, *Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei*: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. At si panis nullus relinquatur, non potest esse figura corporis. Nam si res phantastica figuram non capit, vt ait Tertullianus, multo minus figura phantastica verum corpus comprobabit. At volunt Papistæ in Eucharistia non panem sed speciem eius figuram esse corporis Christi: at qualis figura est, talis ea res est, cuius est figura: figura autẽ est sine re, vt volunt Papistæ, id est, phantastica: ergo & res ipsa phantastica est. Ita Marcionis dogma ex Papistarum sententia confirmatur.

Tertull. l. 4. cont. Marcion.

Luc. 24. 6.

Similiter Chrysostomus refellit eos, qui Christum imaginarie mortuum esse dixerunt, Marcionẽ scilicet & Manichæos, ex Sacramento: at si in Sacramento non res verè sint, sed rerum tantum imagines, hinc Christi mortem potius fuisse imaginariam sequeretur.

Chrysost. hom. l. 83. in Mat.

Ita Theodoretus eodem argumento vsus est. Sic enim hæreticus: Symbola corporis Dominici

Theodoret. in dialog. ἀσύγχυτ.

alia sunt ante sacerdotalem inuocationem: sed postea μεταβάλλεται, *mutantur*, sic corpus δεσποτικὸν, inquit, id est, *Dominicum* mutatum est εἰς οὐσίαν θείαν, id est, *in substantiam*, vel, *essentiam diuinam* μετὰ ἀνάληψιν, *post assumptionem*, vel, *receptionem in cœlum*: Orthodoxus respondet, ἐάλως αἷς ὕφηνας ἄρκυσιν, *Irretitus es laqueis, quos contexuisti*: nam mystica symbola post benedictionem à natura propria nō ἐξίστανται, id est, *discedunt*. Nulla ergo est transubstantiatio: nam in omni Transubstantiatione oportet vt res ἐκστῇ τῆς οἰκείας φύσεως, *à propria natura discedat*. Addit, μένει, *manet* non modo in priore forma & figura, sed & περιγραφὴν οὐσίας, *in priori essentia*, seu *substantia*. Si manet panis substantia, tum non transubstantiatur: at manere Theodoretus ait. Sed quorsum ista? Theodoretus addit, προσβάλλετε τῷ ἀρχετύπῳ τὴν εἰκόνα, *Compara cum archetypo imaginē*, seu, *similitudinem*: oportet enim ἐοικέναι τῇ ἀληθείᾳ τὸν τύπον, *similem esse veritati typum*, inquit: at Christi corpus post assumptionem habet περίγραφὴν εἴδους, καὶ σχῆμα, καὶ περιγραφήν, *priorem speciem, & figuram, & circumscriptionem*. Si circumscriptionem eandem semper habeat, tum non est in Sacramento sine circumscriptione, vt Papistæ & Lutherani volunt. Addit Theodoretus, καὶ ἁπαξαπλῶς, *& omnino omnia, quæ ad οὐσίαν*, id est, *substantiam pertinent*. Ita Sacramentum cum corpore Christi comparat in hunc modum: vt Sacramentum retinet substantiam & circumscriptionē, sic corpus Christi. Sic Gelasius: *In Gelas. cont. Eutych. & vini*: ex quo colligit, non esse substantiam corporis Christi ab eius diuinitate absorptam. Si ergo in Sacramento Transubstantiatio esset, hoc argumento hæresis multorum confirmaretur: quod in argumento positum est. Vnde sic disputo: Si Patres argumentum à Sacramento sumpserūt, quo Christi veram humanitatem probarēt, vt quia panis & vinum post sanctificationem retinent substantiam, quam prius habuerunt, ita Christi corpus post ascensionem idē manet, quod ante fuit; tum si panis & vini natura omnino sublata sit per Transubstantiationem, & non nisi species maneant, hoc non modo nō refelleret illas hæreses, sed stabiliret & confirmaret. Non igitur verum, quod Bellarminus ait, Christi corpus non est phantasma in Sacramento, quia phantasma videtur, & non est, Christi corpus est, sed non videtur: nam quod nō videtur, non est corpus, & non modo quod non videtur, sed quod non tangitur: in Eucharistia autem CHRISTI corpus nec videtur, nec tangitur.

Sextum nostrum argumentum sic instituimus: Si panis transubstantietur in carnem, & vinum in sanguinem Christi, tum idem manet sub vtroque termino: idem autem non manet, vt Papistæ volunt: nam nihil panis post transubstantiationem manere vult Bellarminus: ergo panis non verè transubstantiatur, sed resilit, vel recedit, 6.

dit, vel in totum desinit. Et hac in re suam insipientiam toti mundo manifestam facit, cum transubstātiationem eiusmodi murationem statuit, in qua nihil transubstantiationi simile sit. Nam hæc vox, transubstantiatio, fit ex trans, & substantia, qua significatur substantiam transire ab vno termino in alium, vt quando aqua à Christo mutata in vinum transiit, ita tamen vt materia maneat in vtroque termino, licet sub diuersis formis. Si enim tota aquæ substantia vel in alium locum migrasset, vel penitus euanuisset, & vinum subiisset in eum locum, vt vini nunc tantum fuerit, quantum aquæ prius; nemo eam transubstantiationem diceret. Sed Papistæ talem transubstantiationem statuunt: ergo vt dogma est monstrosum, ita nomen est ineptum & alienum. Nam in illa Transubstantiatione aquæ in vinum ex materia aquæ factum est vinum, & aquæ materia in vinum transiit: at Papistæ affirmant panē & vinum cedere, non ex pane & vino fieri corpus & sanguinē Christi. Ita nos verissime illos in stultitia sua deprehensos dicimus, cum annihilationem pro transubstantiatione statuunt.

Sed Bellarminus ait, annihilationem non esse, nisi quando aliquid sic desinit, vt ei nihil succedat.

Respondeo: Annihilatio est simpliciter rei interitus, qnæ fuit: ergo si quod fuit, prorsus intereat, etsi aliud succedat, erit eius rei vera annihilatio. Nihil interest ad rem, quæ fuit, & iam non est, quod aliut successerit. Sed hoc miserrimū Papistarum subterfugium est, non esse annihilationem, quia pani remoto corpus Christi succedit: at non fit ex pane hoc corpus: ergo panis annihilatur, quia nihil remanet, quod fuit panis: vbi vero nihil substantiæ reliquum est, necesse est totam substantiam annihilari: ergo hæc annihilatio est. Sed Bellarminus hoc negat, de pane transiri in corpus Christi: hoc vero probat, panem transire in corpus Christi. Sed si transubstantiatio esset, oporteret de pane in corpus transiri. Sed num concedit panem transire in corpus? Dicimus, inquit, vsitatissimè, noctem conuerti in diem, & diem transire in noctem.

Respondeo: Impropriè hoc dicitur, etsi vsitate: non enim nox in diem conuertitur, aut dies in noctem transit, sed nox euanescit, & dies sequitur: sic visus in cæcitatē transit, id est, interit, & cæcitas, q̄ est priuatio, succedit. Ergo transubstantiatio improprie vocatur, quia panis non magis transit in Christum, quam nox in diem: at nox tota profligata est: ergo non transit. Sed Bellarminus affert exemplum conuersionis cibi in hominem, & vnius elementi in aliud. Sed quæro num similem his transubstantiationem statuat? si enim statuat, tum corpus Christi in Eucharistia habet in se aliquid panis: nam cibi aliquid in nobis remanet, & vnius elementi aliquid in alio: materia enim & substantia

cibi in noſtram ſubſtãtiam, & materia vnius elementi in aliud tranſit: at Aduerſarii volunt nil panis ſupereſſe in Euchariſtia. Quamuis non eſt tranſubſtantiatio elementorum aut cibi: nam iſta eſt naturalis conuerſio, ſed tranſubſtantiatio eſt ſupernaturalis & miraculoſa: & tranſubſtantiatio eſt mutatio æquiuoca, quia non ex cauſis proprijs fit. Igitur dicant, quid de iſta deſitione panis, & ſucceſſione corporis Chriſti ſentiant. *Primò*, ſi panis deſinat, tum aut in nihilum tranſit, aut in aliud: ſi in nihilum, tum in omni Tranſubſtantiatione deſtruitur creatura, & omnis tranſubſtantiatio eſt pernicies & exitium creaturæ, & ſic Deus quotidie mille creaturas deſtruit, & in nihilum redigit. Sed Deus non deſtruit in totum quod fecit.

Thom. in 3. q75. art 3. Sic Thomas ait, Deum non eſſe authorem tendendi in non eſſe: id-

Auguſt. in lib. 83. q que ex Auguſtino probat. Si verò panis in aliud tranſeat, dicant illi in quid? non in corpus CHRISTI, quia tum aliquid panis remaneret in corpore Chriſti: non in aliud, quia nõ poſſunt explicare, in quid aliud. Et nil poteſt ſubito mutari in aliud, quod eſt miſtum: & tum etiam hoc fieret viſibiliter. *Secundò*, ſi Chriſti corpus ſuccedat, dicant vnde materiam accepit? certè aut de nouo productum, aut de cælo delapſum eſt: non de nouo produci volunt: nec de cælo delabitur: tum enim per ſpacia intermedia trãſiuit, & prius in aere fuit, quam in hoſtia: ſi hic repente adſit ſine deſcẽſu, tum corpus Chriſti, quod hic eſt, nunquam fuit in cælo: ſi enim illud, quod in cælo fuit, ſit hic, oportet deſcendere. Si verò de nouo producatur, tum aut de ſubſtãtia panis producitur, aut è nouo creatur: è ſubſtantia panis produci negant: ſi verò è nouo creatur, tum eſt noua creatio in quauis tranſubſtantiatione.

Caietanus ex pane & de pane corpus Chriſti fieri contendit, & ait, ſecundum veritatem nullam eſſe Tranſubſtantiationem, quam illi ponunt. Et Sotus ait, non deeſſe, qui Caietanum ſequantur: & vetus opinio hæc fuit Henrici Gandauenſis: imo Sotus ait, hanc fuiſſe opinionem Ambroſij, quẽ admodum ex eius verbis patet: ſed fallitur: nam Ambroſius non putat ex pane fieri corpus Chriſti. Et Magiſter Sententiarum ſic ſentit: & Innocentius etiam Papa. Et Scotus diſertè affirmat, non eſſe hanc tranſubſtantiationem, ſed eſſe annihilationem. Ita manifeſtum eſt, Bellarminum à doctiſſimis Scholaſticis atq; etiam ab alijs diſſentire. *Septimum* noſtrum argumentum ſumitur ex confeſſione Berengarij, quam ei Nicolaus ſecundus Papa in Concilio Romano præſcripſit, eique ille ſubſcripſit, atque eo modo mortem effugit. In illa confeſſione habetur, panem & vinum poſt conſecrationẽ eſſe non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini, & ſenſualiter ac in veritate ſacerdotum manibus tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri. Hinc colligimus, panem & vinum

Caietan. in Thom. 3. q. 75. art. 4.

Sot. in 4. d. 9. q. 2. ar. 4.

Innocent. de offic. Miſſ. l. 4. c. 6.

Scot. in 4. d. 11. q. 1.

7. *Gratian. de conſecrat. d. 2. c Ego Berẽgarius*

vinum verum in Euchariſtia manere, & tractari ſumique ſenſualiter, & dentibus fidelium atteri: niſi iſta velimus de corpore Chriſti intelligere: quod abſurdum eſt, & horrendum, nec fatente Bellarmino ſine ingenti blaſphemia dici poteſt.

Wicleff. apud Waldenſ. tom. 2. c. 4. Recte igitur Wicleffus ait, Innocẽtium tertiũ, qui tranſubſtantiationẽ definiuit, diſſenſiſſe à Nicolao ſecundo, qui in abiuratione Berengariana, cuius ipſe author fuit, panem & vinum manere dixit: & ipſe Berengarius poſtea profeſſus eſt ſic ſe ſentire: vt eſt apud *Lanfranc. in lib. de corpore Domini.* Lanfrancũ; vt qui dicit Chriſtum eſſe lapidem angularem, inquit, nõ tollit, ſed ponit Chriſtum: ſic qui panem eſſe carnem Chriſti dicit, non tollit panem, ſed ponit: Denique hæc confeſſio aut verum panẽ remanere ſtatuit, aut carnẽ Chriſti dentibus frangi, aut nullus ex verbis ſenſus elici poteſt. Et ſane ea vertigo mentes illorum, qui hanc palinodiam ſcripſerunt & condiderunt, occupauit, vt nil potuerit definiri abſurdi9, quia nullus grãmaticus ſenſus ex ea elici poteſt. Lutherani affirmant, hanc confeſſionem pro ſe facere: & quidem multo magis pro illis facit, quam pro Papiſtis. Bellarminus tamen conatur explicare Concilij decretum, & ait continere nil falſum aut fidei contrarium. Quod vt doceat, partes quatuor huius confeſſionis facit.

1. *Prima* eſt, panem poſt conſecrationem eſſe Sacramentum: & ait, nullum Aduerſariorum hoc negare. *Reſpondeo:* Nullus noſtrum negat, panem eſſe Sacramentum poſt conſecrationem, quia veram naturam panis manere poſt cõſecrationem credimus. Sed quomodo illi hanc confeſſionem intelligent, qui panem mutatum eſſe conſecratione affirmant? ſic enim in Confeſſione habetur, panem & vinum poſt conſecrationem eſſe Sacramentum: ergo poſt cõſecrationem aut panis verus manet, vt ſit Sacramentum, aut quid poſt cõſecrationem eſt Sacramentum? Num ſpecies panis & vini? at ait Concilium, panem & vinum poſt conſecrationem eſſe nõ ſolum Sacramentum, ſed corpus & ſanguinem Domini: ergo non intelligi ſpecies certum eſt, quia etſi ſpecies dici poſſunt Sacramentum, vt illi volunt, tamen non poſſunt dici corpus & ſanguis Chriſti. Quid ergo? num per panem intelligitur panis cæleſtis, id eſt, num corpus Chriſti per panem intelligitur? nõ poteſt, quia Concilium ait eſſe Sacramentum: at corpus & ſanguis Chriſti non eſt Sacramentum: hic autẽ panis eſt Sacramentum. Quid igitur per panem intelligemus niſi verum panem? ergo poſt cõſecrationem verus panis remanet. Nam ait Concilium, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, eſſe Sacramentum poſt conſecrationem. Sic igitur diſputo: Per panem intelligitur neceſſariò, aut ſpecies panis, aut corpus Chriſti, aut verus panis: non ſpecies panis, quia & panis dicitur, & non ſolum eſſe Sacramentum affirmatur, ſed & verum

rum Christi corpus post consecrationem: non corpus Christi, quia corpus Christi non est Sacramentum corporis Christi, & hic panis vocatur Sacramentum corporis Christi. Superest ergo esse verum panem.

2. *Secunda* pars Confessionis est, eundem panem post consecrationem esse verum & naturale Christi corpus: quod intelligitur (inquit Bellarminus) de pane mutato substantialiter virtute consecrationis. *Respondeo*: Monstra Bellarminus loquitur, & sibi contradicit, 1. ait, eundem panem esse corpus Christi, sed mutatum substantialiter: at si mutatus sit substantialiter, iam nō est idem: nam substantialis mutatio facit, vt non possit esse idem: non enim manet idem, quod substantialiter mutatur. Sed sine tam crassa contradictione defendi Cōfessio Berengarij non potest. 2. Adhuc apertius sibi Bellarminus contradicit. Nā ex hac eius responsione sequitur, esse in Eucharistia mutationem post consecrationem: & nemo dixerit: nam mutatio, si quæ sit, in consecratione consistit. At in Berengarij confessione sermo est de pane post consecrationem, & dicitur panis esse Sacramentū post consecrationem. Nam si de pane ante consecrationem verba intelligantur, falsissimum est quod dicitur, esse nō modo Sacramentum, sed & verum corpus Christi: non enim ante consecrationem sic est: ergo manifestum est, hoc dici de pane post consecrationem. Iam Bellarminus ait, eundem panem sed mutatum esse verum corpus Christi: at nulla est mutatio panis post consecrationem: ergo necesse est de eodem pane sine mutatione dici, quod sit nō solum Sacramentum, sed & verum corpus Christi. Hunc Iesuitæ nodum ex hac Confessione tollāt, si poterunt: at dum mundus iste steterit, nunquam poterunt.

Sed Bellarminus ait, panem cōsecratum esse Sacramentum quoad species externas, & quoad internam substantiam esse verum & naturale Christi corpus. *Respondeo*: Nil dici absurdius potuit. Nam panis consecratus quid significat aut supponit? num accidentia panis, an corpus Christi, an vtrumq;? si accidentia, tum hic sensus erit, accidentia sunt Sacramentū quoad accidentia; quod est ridiculum: ergo aliquid præter species erit Sacramentum: num corpus Christi est Sacramentum secundum species? at nemo id dixerit. Quid igitur per panem consecratum significatur? & species & corpus Christi? ergo hoc modo corpus Christi & species externæ erunt Sacramentum, sed per species, vel quoad species: at corpus Christi nullo modo est externum Sacramētum. Nullus igitur sensus est, qui non illorum Transubstantiationem euertat. Sic enim nostrum argumentum instituimus: Panis post consecrationem est corpus Domini: ergo post consecrationem panis manet.

Bellarminus cum Lanfranco respondet, manere panem, sed cælestem.

stem. Sed quis hos putaret tam cæcos, vt non viderent, eum panem, qui manet post consecrationem, dici in Cōfessione Sacramentum? at panis cælestis, qui est caro Christi, non est Sacramentum carnis Christi: nam ipsi Sacramentum externum nō esse corpus Christi fatentur, quia Sacramentum ex duabus rebus consistit, terrena, & cælesti: caro autem Christi res vna est eaque cælestis. 3. *Tertia* pars confessionis est, corpus Domini sensualiter manibus tractari, frangi, atterique dentibus. Bellarminus ait, Chrysostomum sic loqui. *Respōdeo*: Certè Chrysostom[9] multa loquitur de Sacramēto Eucharistiæ ἐμφατικῶς. Eo in loco, quem citat primo Bellarminus, ait Christum videri, tangi, comedi: imo nos ait ali carnibus Christi, & nos carnem eius lingua contingere. Et alibi ait, nō modo tangi & māducari Christum, sed etiam dentes nostros eius carni infigi. Et adhuc alibi, ait Christum hic pati, quod in cruce non est passus, vt propter nos se frangi sustineat: & ait, ipsum Christi corpus δείξω σοι κείμενον *demonstrabo tibi positum* in mensa scil. Dominica: & licet ἰδεῖν τὸ βασιλέως σῶμα, *videre Regis corpus*. Imo alibi ait, nos videre in Eucharistia τὸν κύριον πεθυμένον, *Dominum mactatum*, & omnes, τῷ τιμίῳ ἐκείνῳ αἵματι φοινισσομένους, *precioso illo sanguine cruentari*, vel, *rubefieri*, & omnes hęc ποιεῖν ἀφ' τῶν ὀφθαλμῶν, *coram oculis suis*. Quis tam improbus est, vt ista rigide vrgenda, & quemadmodum verba præ se ferunt, intelligenda esse contendat? imo sic palam & falsa & impia essent. An nos Christum mactari cernimus? an nos eius sanguine perfundimur & cruentamur? an Christus nunc plus patitur, quam in cruce passus est: horrēda hæc sunt, si verbis adhæreamus. Quare hæc mysticè intelligenda sunt de Sacramentali & spirituali mactatione, manducatione, nutritione, quæ fide non sensibus percipiuntur. At Nicolaus Papa cum Patribus in Concilio Romano statuit, non tantùm in Sacramento & signo, vt Chrysostomus, sed etiam sensualiter & in rei veritate manducari Christū: vbi *in veritate* opponitur Sacramētali modo, quia hoc fieri Sacramentaliter Berēgarius docuit, sed non realiter. Num ergo sensualiter Christi corpus teritur? sic palā Concilium statuit. Sed Bellarminus sic exponit, nempe teri, & tangi, & frangi, mediantibus speciebus. Sed 1. si mediantibus speciebus teritur, ergo teritur; vt substātiæ quæ mediantibus accidentib. franguntur, verè franguntur: sic igitur non minus verè frangetur & atteretur caro Christi, quam caro bubula: nam illa mediantibus accidentibus frangitur & atteritur. 2. Si hic sensus sit, species teri, non carnem, præclara certa hæc confessio fuit, ad quam illi Patres Berengarium adegerunt, vt diceret species teri. At species non magis nunc teruntur, quam si verus panis hic esset. 3. Species nudas & separatas, in quibus nihil est solidi, absurdum est teri & frangi: nam solidum

Chrysost. hom. 83. in Matth.

Idem hom. 45. in Ioan.

Idem hom. 24. in 1. Cor.

Idem de Sacerdotio l. 3. c. 4.

solidum oportet esse, quod frangitur, & teritur: merorum accidẽtium nulla potest esse vel fractio, vel attritio. Non teri potest, quod substantiam non habet: nudæ autem species non sunt substantiæ: non ergo teri possunt. Impropriè loquitur, qui accidentia aut teri aut frangi ait; sed substantiæ per accidentia teruntur & franguntur: ergo fractio propriè ad Christi corpus pertinet: hoc autẽ immane est, & cum omni execratione explodendum. Sed Bellarminus ex Scripturis similes phrases affert, vt cum Christus ait, *Quis me tetigit?* & postea, *Tetigit me aliquis*: cum tamen nemo corpus eius, nisi mediante fimbria vestis tetigerat: & nos vsitate dicimus, inquit, Pluuia me totum madefecit & humectauit, cum fortè nil nisi pallium aqua aspersum fuerit.

Luc. 8. 45. 46.

Respondeo: Hæc omnino dissimilia esse. Christus se tangi ait, cum non nisi fimbria vestimenti eius tangeretur, & nos complui dicimur, cum vestimenta nostra compluuntur, impropriè. Sic Christum in Eucharistia impropriè Sacramento tenus frangi & teri nos cõcedimus. Sed Patres in Concilio Romano realem fractionem vrgent, quia aiunt verum corpus Christi non modo Sacramentaliter, sed in rei veritate teri & frangi. An in veritate nemo se pluuia madefactum dixerit, si pluuia non peruenerit ad cutem eius. Deinde accidentia non sunt similia vestimentis: nam vestimenta sunt substantiæ, quæ tangi & irrigari possunt: sed accidentia non sunt substantiæ, vt secreta à subiectis possint illas actiones pati.

Quarta & postrema pars confessionis Berengarianæ est, contactum illum sensualem carnis Christi non esse tantum in Sacramento, id est, in symbolo, sed etiam in rei veritate: & hanc particulam additam esse ait Bellarminus ob fraudes hæreticorum. Nam qui picturam Christi tangeret, inquit, & videret, posset dicere, se Christum tetigisse & vidisse sensualiter: sed non sic in Sacramento, quia ibi tangitur vt reipsa præsens sub accidentibus illis: & ideo positum esse in hac confessione, *in rei veritate*. 4.

Respondeo: non hoc in rei veritate fieri. Non enim quia species tanguntur & videntur, ideo corpus Christi in veritate tangitur & videtur: nam 1. hæ non sunt species corporis Christi, sed panis: non ergo inseruiunt demonstrando corpori Christi. Nemo se diceret videre panem, qui nil videret nisi species lapidis. 2. Nemo dixerit eum teri, aut lacerari, cuius tantùm vestis teritur aut laceratur: multo minus Christi carnem teri dicendum, quia species panis teruntur, quia non inhærent corpori Christi, sed ab omni subiecto secretæ sunt. Ita constat hac confessione aut nostram sententiam cõfirmari de remansione panis, aut sensum nullum nisi impossibilem, absurdum, detestabilem, elici posse. Et ipsos semper laborasse in huius

ius definitionis genuino sensu exquirendo apparet. Lombardus ait, quosdam ex hac confessione Berengarij docuisse CHRISTI corpus essentialiter frangi. Et sic quidem verba præ se ferunt: sed Lombardus non audet sic dicere, quia tum CHRISTI corpus corrumperetur. Glossa in Gratianum ait, *Nisi sane verba intelligas, incides in maiorem hæresin, quam ipse Berengarius.* Ioannes Roffensis non audet defendere, sed ait, quia Berengarius in alterũ latus nimium exorbitauit, Concilium in alterum trahi plus æquo. Caietanus negat illos dicere, quod dicunt, nempe Christi corpus sumi corporaliter & perceptibiliter: at quid aliud est, sensualiter? Canus ait, Christi corpus post consecrationem sibi omnia vendicare, quæ antea panis: at panem antè frangi verè & substantialiter constat. Posuit ille tamen (mentibus) pro (dentibus) & non male: nam certè si corpus Christi dentibus teratur, nõ minus infidelium quam fidelium dentibus teri necesse est. Alanus ait: Apertissimè loquimur, corpus & sanguinem Christi contrectari verè, manducari, circumgestari, carni nostræ immiscери, dentibus teri. Non ait, in signo tantum, vt noster Bellarminus. Quis non hæc abhorreat? hæc si vera sint, tum Christi corpus erit morrale & corruptibile. Nam si frangatur per species, tum corrumpitur per species, quia species corrumpuntur: ergo si vere vel in rei veritate frangatur, tum verè corrumpatur necesse est.

Lombart. in 4. d. 12. lit. D.

Roffens. cont. Oecolampad. l. 3. c. 12.

Caietan. in tract de Eucharist. c 3.

Can. in loc. com l. 5. c. vlt.

Alan. de Sacram. Eucharist. l. 1. c. 37.

Origen. in Leuit.

Octauum nostrum argumentum sic se habet: Panis Eucharistiæ varias mutationes recipit, quæ non possunt fieri sine substantia, quæ sit illarum mutationum subiectum: ergo substantia panis & non sola accidentia in Eucharistia manent. Antecedens probatur, quia panis Eucharistiæ potest alterari & corrumpi, sic vt ex eo aliud generetur, homines eo nutriri & vermes inde procreari possunt: potest combuti, & in cineres verti: & sic olim solebant reliquias Sacramenti cõburere, vt ex Origene patet: aliquã certe materiam fuisse necesse est, quæ comburebatur: & vinum verti in acetum potest. Nuda accidẽtia non possunt istas mutationes recipere. 8.

Bellarminus ait, hoc argumentum facile posse solui: sed inueniet non ita facilè solui posse, ac ille putat. Quid enim respondet? ait mutationem in pane Eucharistiæ esse vel alterationem solam, vel corruptionem. Vbi statim aut sibi contradicit, aut impostura sophisticam exercet: nam loquimur nos de ijs mutationibus, quæ fiunt in Eucharistia post transubstantiationẽ, quando nullus panis remanet: ille ait mutationes istas in pane fieri. At nos posse in pane has omnes mutationes fieri intelligimꝰ: quẽadmodum autem in Eucharistia fiant post cõsecrationem nescimus; neque illi possunt nisi absurdè tales mutationes in accidentib. ponere. Sed sequamur Bellarminum. Omnis mutatio, inquit, in pane Eucharistiæ est vel sola alteratio,

vel corruptio. Quid si alteratio sit, vt calefactio, condensatio, & huiusmodi? habent, inquit, quantitatem pro subiecto, quæ in Sacramento manet: & qualitates ait posse manere in quantitate separata: sic posse in eandem introduci qualitates nouas.

Respondeo: Quantitas non potest re separari à substantia: tum enim esset aliquid longum, & latum, & profundum sine materia aut substantia: quod est ἀδύνατον. Quantitas nisi sumatur pro re quanta, non minus est accidens, quã qualitas: si pro re quanta sumatur, tum res quanta adest: si res quãta adsit, ergo panis: quantitas abstracte nõ potest esse subiectum accidentiũ. Non enim est quantitatis, esse subiectum accidentium: est ea definitio substantiæ: fieri ergo non potest sine miraculo, vt in sola quantitate abstracta sint accidentia, vt in subiecto: & Bellarminus hic nullum miraculum agnoscit.

Quantitas aut in abstracto est, aut in concreto: si in concreto, pro re quanta sumitur, & tum est substantia: nam prædicamentum quantitatis est quantitatis in abstracto: si in abstracto, tum non magis album in lato, quã latum in albo, vt in subiecto esse potest, & quantitas æquè est in subiecto ac qualitas: nam sine subiecto ne distingui quidem possunt. Sed quid si corruptio sit? nam in hoc Sacramento non modo alteratio esse potest, sed & corruptio, vt in combustione, aut quando vermes ex pane generantur, aut vinum acescit. Bellarminus ait, tum quidem requiri materiam: vbi dat non posse corrumpi, nisi sit materia: alterari verò sine materia vult. Sed si materia necessaria sit ad corruptionem, similiter ad alterationem necessaria est: & si Eucharistia potest alterari sine materia: posset etiam sine materia corrumpi. Sed quia non potuit modum inuenire, quomodo tales corruptiones fierent, nisi vt materiæ aliquid ponatur, dat materiam requiri in corruptione. At nil materiæ, quod corrumpi possit, post transubstantiationẽ remanet. Deberet ergo Eucharistia aut immortalis esse (& quidem accidentia separata nõ magis possunt corrumpi, quam vniuersalia, quæ sunt æterna) aut saltem diutius sine corruptione remanere. At Eucharistia in vtraque specie tam cito corrumpitur, quam si nulla esset transubstantiatio: quod mirum est, cũ nil corrumpi sine materia possit, & nil materiæ maneat in Eucharistia post transubstantiationem, nisi Christus: vnde hæc noua materia? Deus substituit, inquit; sed quando? in illo ipso instanti, inquit, quo desinunt esse illæ species, & in quo aliud generatur: in instanti scilicet, quo vermes generantur, aut acetum, Deus substituit materiam. Sed hoc absurdum est, vt dicamus Deum introducere materiam, ex qua vermes in Sacramẽto fiant: multo Deo dignius esset, efficere ne vermes generentur omninò, quam vermibus materiam præparare. Sed aut Deus materiam intro-

introduxit, antequam verminatio fieret, aut verminationis principium & semen in Eucharistia est: nõ in Eucharistia; nam ait materiam requiri ad corruptionem: at nulla materia ibi remanet, vt illi volunt, nisi corpus & sanguis Christi: ergo Deus materiam substituit, vt sic locus verminationi sit: ergo non ante species mutatæ sunt, quam Deus hanc materiam substituit. At 1. corruptio non fieret, nisi ex vi corrumpente: at nulla vis esse potest corrumpens nudorum accidentium; quod Bellarminus dat, quia materiam ad corruptionem esse necessariam ait: ergo nulla externa vis corrumpens potest vnquam inuadere Eucharistiam, quia est expers materiæ corruptibilis. 2. Si materiam substituat Deus in instanti, tum per miraculum. Bellarminus ait, hanc substitutionem fieri sine miraculo. Sed miraculum duplex est: *primum*, quod materiam substituit: quæ enim hæc? eadem, an noua? vtrumuis nõ carebit miraculo: nam materia panis & vini cesserat, non in alium locum, sed extra rerum naturam: eandem materiam redire, quæ desierat esse, est omnino miraculum; nam est resurrectioni simile: nec vlla materia alia in hunc locum venire potest, nisi miraculo. Et si Papistæ in transubstantiatione miraculum statuãt, quia panis in corpus Christi transit, tum etiam erit miraculũ, quando corpus Christi desinit esse, & ibi panis incipit esse iterum: dicunt illud miraculo fieri: ergo & hoc. Imo si vera transubstantiatio sit, quia panis desinit esse, & Christi corpus adest, similiter vera trãsubstantiatio erit, quando corpus Christi desinit esse, & panis materia restituitur. Ita in omni Sacramento ad minimum duæ transubstantiationes erunt: nam Eucharistia aut sumitur statim post consecrationem, & tum noua transubstantiatio fit, aut manet ad corruptionem, & tum alia transubstantiatio fit.

Secundum miraculum est, quod in instanti ait materiam nouã substitui. Nulla enim generatio in instanti fit nisi miraculo: & nulla substantia est alicubi in instanti sine miraculo. Bellarminus instantiam dat de anima: Deus animam infundit in instanti; at hoc non dicitur miraculum, inquit, quia hoc exigit ordo rerum à Deo institutus.

Respondeo 1. Multi negant animas creari & infundi: hæc quæstio inter Theologos agitatur, quam ille pro certissima veritate statuit. Sed esto: infundatur anima in instanti. 2. igitur *respondeo*, non vocari miraculum, quia conuenit ordini naturali: sed hæc transubstantiatio & substitutio est contra ordinem naturalem: alias enim nullum erit omnino in Eucharistia miraculum; quia omnia ibi fiunt secundum eum ordinem, quem Deus instituit: at illi omnes esse miraculum in Eucharistia aiunt. 3. Si vt anima infunditur, sic panis redit, tum panis creatur: nam ille ait animas creari: si creatur panis, tum est miraculum: nam quod fuit,

non potest idem numero creari sine miraculo. Certè si materia eadem restituatur, erit hoc maius miraculum quam resurrectio: nã corpora nunquam in nihilum resoluuntur: at panis Eucharisticus in nihilum redigitur etiam in momento, & in momento iterum in aliquid: & eo redeunte corpus Christi in nihilum redigitur: non enim redit in cælum, quia ibi semper est: quo ergo abit? Gardinerus miraculum fatetur; quod necesse est, imo se miraculis defendit. Sed Petrus Martyr ait, antequam substituta sit materia panis, requiri quasdam dispositiones ad nouam materiam recipiendam. Et Bellarminus dispositiones requiri concedit, sed ait Martyrem loqui imperitè, quia dispositiones fiunt ad recipiendam formam, non materiam. Sed ille loquitur imperitius: nam in naturali mutatione requiritur quidem dispositio in materia ad formam recipiendam, antequã forma accedat, sed contra hic in speciebus dispositiones requirunturad recipiendam materiam. Nã Bellarminus ait materiam substitui: at nõ priusquam dispositafuerit: ergo ea dispositio est ad recipiendam materiam. Vbi nunc Bellarmini calumnia? Sic igitur Martyr: Si species illæ disponuntur ad recipiendam materiam panis, hoc fit vel manẽte Christi corpore, vel post abscessum. Bellarminus ait fieri manente corpore Christi: sed in vltima dispositione, cum materia substituitur, desinere corpus Christi esse in Eucharistia. Video hos nõ minus nunc laborare, quomodo Christi corpus ex hoc Sacramento expediant, quam quomodo in Sacramentum introducant. Sed quid? ait esse dispositiones in speciebus manente Christi corpore, sed in vltima dispositione materiam in instanti substitui.

Gardiner. in resp. ad obiect. 72.
Vide Pet. Mart. obiect 67. cont. Constant.

Respondeo 1. Species non possunt disponi ad corruptionem sine materia. Nam quæ causa est dispositionis ad corruptionem, eadem est causa corruptionis, vt corpora nostra propter causas, quibus disponũtur ad corruptionem, etiam corrumpuntur: si ergo nulla materia sit in Eucharistia, quamdiu corpus Christi ibi manet, nulla dispositio ibi ad corruptionem esse potest manente Christo. Nostra corpora non possent disponi ad corruptionem, nisi esset in eis materia. 2. Ait in ipso instanti materiam substitui, in quo aliud generatur. Sed hoc est impossibile. Nam aut materia panis substituitur, aut eius rei, quæ ex hac corruptione generatur: si res, quæ generatur, vt vermis, tum secum pugnat, quia ait panem substitui, & sic non deperire materiam panis ex consecratione tot panum: si panis, tum quorsum requiritur dispositio in speciebus ad corruptionem? nam talis dispositio potius impediret substitutionem veri panis, quam reduceret panem. Sed quia ait, hæc à Scholasticis tractari accurate, operæ precium erit videre, quomodo ab illis tractentur, & quomodo Bellarmino conueniat cum Scholasticis.

Bellar-

Bellarminus ait, accidentia esse in quantitate, vt in subiecto. Sed Scholastici nonnulli putant, non magis alia accidentia esse in quantitate, quam quantitatem in illis.

Marsil. in 4. d. q. 9. ar. 2.
Maioris in 4. d. 12. q. 3.

Sic Marsilius, & Maioris, volunt omnia accidentia esse disiuncta, & sine subiecto existere: & ratione optima hoc confirmatur. Nam, 1. quando erant in pane, non erant in quantitate panis subiectiue, sed in substantia: non ergo post consecrationem. Cum adest panis, quãtitas panis non est subiectum, nisi quo: ergo cum fit transubstantiatio, quantitas nõ erit subiectum quod: aut si sit, erit miraculum: & Bellarminus non vult multiplicare miracula. 2. Subiectum accidentium non est accidens, quia subiici est proprium materiæ: quantitas autem est accidens. 3. Si quantitas conseruatur in Eucharistia, sic vt non insit in subiecto, eodem modo & reliqua accidentia conseruari possunt. Nihil cum ratione responderi contra potest. Henricus Gandauensis habet aliam opinionem, quãtitatem accipere nouum quoddam esse à Deo per miraculum, ita vt iam naturaliter sit subiectum illorum accidentium. Sic etiam apertè Caietanus: nam alias multa miracula essent: quot enim sunt accidentia, tot erunt miracula, quia accidens existere extra subiectum est miraculum. At si ponatur quantitas fieri subiectum quod naturaliter, vnum erit miraculum, non plura. Sed si fiat subiectum quod, tum fiet substantia; & sic erunt duæ substantiæ post consecrationem: aut si sit accidens, & tamen naturaliter subsistat, tum erit accidens simul, & non accidẽs; quod est contradictorium. Iterũm etiam disputant Scholastici, vtrum posset Deus sustentare alia accidentia in Sacramento sine quantitate, vt quantitatem sin substantia. Ægidius ait, hoc esse simpliciter impossibile Deo, quia est cõtradictorium. Accidentis esse est inesse: erit igitur accidens & non accidens, si in nullo insit.

Caietan. in 3. q. 77. art. 1.

Sed Thomas cõtra posse Deum hoc ait: etsi plærique Thomistæ illum aliter putare existimant. Sed si Deus æquè facere potest, vt alia accidentia per se subsistant, ac quãtitas, cur quantitati, quod est substantiæ tribuamus, & sic miracula non necessaria statuamus? Deinde quod ad generationem vermium & bestiolarum attinet: inter se variè discrepant. Aliqui illas non fieri ex speciebus, sed ex aere circumstante putant, quos Thomas refellit: alii substantiam panis & vini reuertiaiunt, vt Innocentius, & Bonauentura: & hæc opinio Bellarmini videtur; sed eam Thomas refellit. Tertia opinio est, nouam quandam substantiã creari, non panis aut vini, sed in quam inducitur forma vermis: ita secundum hanc opinionem noua quædam materia creatur: Thomas ait, hanc posse defendi, sed ipse aliam opinionem commentus est, scilic. vermes generari ex quantitate illa, in qua accidentia insunt. Sed Caietanus verè hunc modum esse impossibilem ait. Nam quomodo

Thom. cont. Gent. l. 4. c. 66.
Thom q. 77. art. 5.
Innocent. l. 4. c. 11.
Bonauent. in 4. d. 12. art. 2. q. 1.

vermes ex quantitate abstracta generari possiunt, quæ nihil in se materiæ habet? ergo Caietanus ait in ipso momento quantitatem hanc transire in materiam: sed Bellarminus ait, materiam substitui. Sic illi præclare inter se consentiunt. Deinde quod ad nutritionem attinet, valde dissentiunt. Aliqui, quod res est, aiunt impossibile esse, vt accidentia nutriant: nam vt Aristoteles ait, Ex ijsdem nutrimur & sumus: homo constat ex substantijs: non igitur potest nutriri accidentibus. Quidam dicunt accidentia conuerti in substantiam, ex qua homo nutritur: accidentia verò conuerti in substantiam, est miraculum. Alij fieri nutritionem dicunt propter formas substantiales. Sed Bellarminus hæreticum esse ait, vt formas substantiales remanere dicamus. Alii aiunt accidentia non verè nutrire, sed confortare per quandam immutationem sensuum, vt solent fumi & odores. Sed experientia docet, Sacramentum verè nutrire; & de quodam sacerdote legimus, qui ad longum tempus solo pane & vino Eucharistico sustentatus est. Tam præclare isti homines inter se de istis mutationibus conueniunt: nemo modum inuenire potuit, qui non alijs necessaria ratione displiceat. Alij accidentia verè nutrire: sed si verè & propriè nutriant, tum veram materiam habent, quia nutritio est transitio nutrimenti in substantiam. Et si accidentia possent nutrire, tum possent ex accidentibus vermes generari: at Bellarminus vermes non sine materia generari ait: vult ergo panis materiam redire. Sed antea dixit, accidentia in quantitate magna nutrire, vt volunt Theologi.

FINIS SECVNDÆ QVÆSTIONIS.

TERTIA

TERTIA QVÆSTIO:

An panis & vinum in Eucharistia, sint Sacramentum extra vsum, etiam in pixide asseruata.

CAPVT PRIMVM

De statu Quæstionis.

MNEM de præsentia carnali Christi in Eucharistia quæstionem superiore anno discussimus: nunc ad alias Quæstiones, quæ ad huius Sacramenti naturam pertinẽt, veniendum est: quarum ea sese offert primo loco, sitne Sacramentum hoc res permanens, an eius ratio ex vsu pendeat, ita vt extra vsum omnino Sacramentum nó sit: cuius Quæstionis perspicua explicatio magnopere facit ad refellendam superstitionem atque idolatriam Papistarum. Est autem Aduersariorum hac de re sententia, quemadmodum eam Bellarminus proposuit, panem rite consecratũ, siue corpus Domini sub specie panis contentum, verè & propriè Sacramentum esse, siue sumatur, siue seruetur in pixide: & ait sic expresse haberi in Concilio Tridentino. Et Cõcilium quidem illud ait hoc interesse inter cætera Sacramenta & hoc, quod illa tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur: sed in Eucharistia ipse author sanctitatis ante vsum est. Est ergo hoc Sacramentum & in vsu, & extra vsum vt illi volunt. Sed Bellarminus Quæstionẽ proposuit absurdissimis verbis: ait enim panem rite consecratum siue corpus Domini sub panis specie, esse Sacramentum. Hoc (*siue*) aut rem eandem, aut diuersam declarat: non diuersam; vna enim rem oportet esse, de qua quæritur, sitne Sacramentum in vsu tantùm: si eandem, tum panis ritè consecratus est corpus Domini; at panis quantumuis rite consecratus est verus panis, nec panis post consecrationem appellaretur, nisi vera natura panis remaneret. Solent dicere, panem dici post, quia speciem panis retinet: sed Bellarminus per panem rite consecratum non speciem panis intelligit, quia consecratio non refertur ad species, sed ad res: ergo aut inepte loquitur

Conc. Trid. sess. 13. c. 3. & 6. & can. 4. & 7.

quitur, aut per panem rite consecratum intelligit verum panem, qualis ante consecrationem fuit. Nam panis rite consecratus indicat eundem panem esse re, sed tantum differre consecratione: at ille vult post consecrationem omnino nullum panem remanere. Quis ergo panis consecratus est Sacramentum? si corpus Domini, tum corpus Domini potest non rite cõsecrari; & tum corpus Domini est Sacramentum, & cum sumitur, & cum in pixide seruatur. At corpus Christi est semper verum corpus Christi, siue consecretur, siue non consecretur: & ipsum corpus Domini non est Sacramentum: nam Sacramentum est rei alicuius Sacramentum; at corpus Domini est nullius rei Sacramentum: & cum quæritur, an aliquid sit Sacramentum tantum in vsu, absurdum est hoc de Christi corpore quærere: nam Christi corpus vere nunquam est Sacramentum, aut in vsu, aut extra vsum, sed res ipsa est, cuius in Eucharistia Sacramentum sumimus.

Nos contra Sacramentum Eucharistiæ non esse rem permanentem dicimus, aut diutius esse Sacramentum, quam dum sumitur & celebratur: est actio, & res transiens, ideoque seruari non potest in pixide: panis in mensa Dominica iacens non est Sacramentum; sed panis, quem accipimus, & quando accipimus; aut potius ipsa fractio sumptioque panis est Sacramentum, reliquiæ illius panis nil in se Sacramenti habent, etsi interdum Sacramenti nomine panis & ante & post sumptionem appellatur, q ad hunc vsum adhibeatur. Vt Baptismo Spiritus Sanctus adest in actione, & est efficax in baptizato: sic cum Cæna sumitur, adest Christus, & efficax est, non propter panem & vinum, sed propter homines, qui ijs vtuntur: est ergo Sacramentum in vsu propter eos, quib. institutum est. Vtile est hac de re rectam sententiam tueri, quia facit ad Papistarum impiam huius Sacramenti asseruationem, circumgestationem, adorationem refellendam. Illi ergo post consecrationem esse Sacramentum dicunt, siue sumatur, siue non, & quamdiu species rerum incolumes permãserint, forsan per annum integrũ. Imo Claudius Zaincteſius ait, Sacramentum in quibusdam locis seruari, quod trecentos aut quingentos annos duraucrit. Nos in actione & vsu Sacramentũ ponimus, quando scilic. facimus, quod nos Christus facere iussit. Quod autem ait Bellarminus, Bucerum fuisse primum authorem nostræ sententiæ, eumque hoc Lutherο persuasisse anno Domini 1536. certe & Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, & Melanchton in locis communibus ante editis, non obscure quid de hac re sentiant, docent: itaq; hoc eius insigne mendacium est. Non erit opus verbosa disputatione: paucis absolui hæc Quæstio potest.

Claud. Zainctes. repet. 4.c. 12.

CAPVT

CAPVT II.

Argumenta Aduersariorum.

ADVERSARIORVM primũ argumentum sumitur à verbis institutionis, *Hoc est corpus meũ.* Hæc verba (inquiunt) prolata sunt ante manducationem aut sumptionem: ergo Sacramentum Eucharistiæ confectum fuit ante actionem & vsum: & consequentia probatur, 1. ex Augustino, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentũ*: sed verbum accessit ante actionem edendi aut bibendi: ergo ante factum est Sacramentum. 2. ex eo q verba Domini, cum primum prolata sunt, vera erant: sed prolata sunt ante actionem sumendi: vera ergo ante erant, & per consequens erat Sacramentum ante. Hoc ferè vnicum est argumẽtum omnium. *Respondeo* autem, 1. de verbis Augustini, illum vim manifestam facere Augustino. Nam is cum ait, fieri Sacramentum accessione verbi ad elementum, de Baptismo nominatim loquitur, *Vnde ista tanta virtus aquæ*, inquit, *vt corpus tangat, & cor abluat?* quanquam quod ille dicit, verum est de omni Sacramento: sed Pontificij concedunt, Baptismum non nisi in vsu verum Sacramentum esse. Ergo sensus Augustini est, elementum fieri Sacramẽtum in vsu, non vt sit Sacramentũ, siue vtamur, siue non vtamur. Nam si quis hæc verba, *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, millies pronunciaret extra legitimum vsum, nullum Sacramentum fieret: similiter non quæuis prolatio horum verborum, *Hoc est corpus meũ*, facit Sacramentum, sed qualem Christus instituit. Qui verò dixit, *Hoc est corpus meum*, &, *Hoc est sanguis meus*, is antea dixit, *Accipite, edite*, &, *Accipite, bibite*: est ergo Sacramentum, si facimus quod Christus iussit, & sicut iussit; non si verba pronunciamus super elementa, & tum abstinemus, & nihil amplius facimus. Si CHRISTI verba pronuncientur alio tempore, alio fine, alijsque adhibitis ceremonijs, quam Christus instituit, nõ erit Sacramentum: accedat ergo verbum ad elementum, in eum finem & vsum vsurpatum, ad quẽ Christus voluit vsurpari, & tum est Sacramentum. At Christus iussit non solum edere panem Eucharisticum, & vinum bibere, sed accipere, frangere panem, effundere vinum, & in sui commemorationẽ hoc facere: accedant ergo verba Christi ad hunc vsum, & tum est Sacramentum. At Pontificij volunt esse Sacramentum, postquam verba prolata fuerint, ex vi ipsorum verborum, etsi nemo ederit, aut biberit, etiam credo, si sacerdos postea abiiceret, aut sepeliret: ita posset Christus iterum & sæpius sepeliri: quo nihil superstitiosum aut peruersum magis. Sed nunc, 2. de ipso argumento videamus, quod est huiusmodi, Hæc verba pronunciauit Christus, an-

Augusſt. in tract. 80. in Ioan.

tequam Apoſtoli manducârunt & biberunt: & verba Chriſti mox ac prolata ſunt, vera fuerunt: ergo Sacramentum antea fuit. *Reſpondemus* tripliciter. 1. *Primò* Chriſtum de pane loquutum eſſe dum comedebatur, idq; ex Euangeliſtis conſtare, qui aiunt Dominum dediſſe, & iuſſiſſe accipere, edere, & poſtea protuliſſe hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*: ſumptio ergo coniuncta eſt cum prolatione verborum, aut potius ſumptio prior fuit prolatione verborum: nam Marcus Euangeliſta ait, poſtquam omnes bibiſſent, Dominum dixiſſe, *Hoc eſt ſanguis meus*: ergo quod Chriſtus verba antea protulit, cum Euangelio apertè pugnat. Bellarminus cum hanc reſponſionem videret cauſſæ ſuæ officere vehementer, eam diluere variè conatur, ſed ridicule & abſurdè. 1. ait non oportere attendi, quæ verba prius poſita ſunt, ſed ad ſenſum verborum, quia ſi Chriſtus dixit, *Hic eſt ſanguis meus*, poſtquam bibiſſent Apoſtoli, vt Marcus videtur innuere, tum pronomen (*Hic*) nihil demonſtraret, & verba eſſent falſa. *Reſpondeo*: Non hoc ſequitur: nam per (*Hic*) vel (*Hoc*) vinum demonſtrabatur, quod Apoſtoli biberant, quod illis Chriſtus dederat, de quo gratias egerat. Si quis poſt ſumptam potionem dixerit, Quid eſt hoc, quod bibi? & ei diceretur, Hoc eſt medicamentum, *Hoc* aliquid demonſtraret tum in quæſtione, tum in reſponſione: ſic pronomẽ (*Hoc*) in verbis Chriſti demonſtranit vinum, licet illud prius ab Apoſtolis ſumebatur. Et ſi (*Hoc*) demonſtrat aliquid, quod continetur ſub ſpeciebus nõ ſuis, vt illi volunt; quidni aliquid quod iam ſumptum fuerit, quia licet nunc non appareat oculis, at paulo prius apparuit. Quare nos attendere ad ordinem Euangeliſtarum oportet: nã illi verba recto ordine poſuerunt: non veriſimile eſt, illos mutaſſe ordinem in re tanti momenti. Ex verbis conſtat, aut ſumpſiſſe antea, aut iuſſos eſſe ſumere: ſtatim autem quod iuſſi ſunt fecerunt. 2. Ait Bellarminus, verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſanguis meus*, continere rationem, cur edere & bibere debuerunt Apoſtoli: ergo prius proferri oportuiſſe, vt ſcirent quid acciperent.

Reſpondeo: Potuit Chriſtus diſtribuere, & iubere vt ſumerent, & poſtquam ſic feciſſet, rationem adiungere. Si Chriſtus iuſſit ſumere, illos ſumere oportuit, non cauſas quærere; & ſatis fuit, quod cauſam Chriſtus poſtea aſſignauit: etiamſi non fuiſſet Sacramentum, tamẽ debebant iuſſi ſumere. Chriſtus poſtquam pedes lauiſſet diſcipulorum, & toto illo miniſterio defunctus fuiſſet; tum incipit de cauſis differere: voluit illis ſcilicet exemplum humilitatis & charitatis præbere. Sed quid ſi antea pronunciauit Chriſtus verba, quam Apoſtolis dabantur panis & vinũ? num ſequitur fuiſſe Sacramentum, antequam ſumpſerunt? Nequaquam. 3. Bellarminus ait, Inuitantur ad bibendum: quia eſt ſanguis: ergo prius fuit ſanguis, quam illi bibe-

Marc. 14. 23. 24.

Ioan 13. 12. &c.

biberent. *Reſpondeo*: Chriſtus iuſſit bibere, quia voluit in hoc vino inſtituere Sacramentum ſanguinis ſui: non refert, vtrum hanc voluntatem declararit, antequam biberent, an non. 4. Ait, Lucam & Paulum dicere, *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo*: ergo in calice fuit ſanguis, antequam ſumeretur.

Luc. 22. 20. 1. Cor. 11. 25.

Reſpondeo: Potuit quod in calice fuit vocari ſanguis, quia erat Sacramẽtum ſanguinis in eo vſu, quem Chriſtus inſtituit, id eſt, in ſumptione. Vocatur ſanguis, aut Teſtamentum in ſanguine, quod eſt in poculo, non quod ita ſit, ſi ſemper in poculo maneat, ſed quia in poculum infundebatur, vt eſſet in vſu eius rei Sacramentum, ſanguinis nempe Chriſti, quo ſancitur Teſtamentum. 5. Vrget verba Pauli, *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini eſt? & calix, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt?* Paulus dicit, inquit, id quod frangitur, non eſſe futurum, ſed iam eſſe corpus Domini.

Reſpondeo: Id quod frangitur eſt corpus Domini: ergone fuit corpus Domini ante fractionem & manducationem? non ſequitur: ſed in fractione & ſumptione eſt corpus Domini, id eſt, corporis Dominici Sacramentum. Sed profert Chryſoſtomum, qui ait, *eſſe in calice, quod è latere Chriſti fluxit*. *Reſpondeo*: Vinum in calice Chriſti ſanguis appellatur, quia illud vinũ, quod è calice bibis, repræſentat ſanguinem Chriſti: ita ſemper natura Sacramenti ex vſu & actione pendebit: nec magis vinum in calice, niſi ſumatur eo modo, quo Chriſtus iuſſit, eſt Sacramentum, quam vllum vinum: atque idem de pane Euchariſtico dici poteſt. 6. & vltimo ait, in omnibus Liturgiis antiquiſſimis ea verba multo antea pronunciari, quam panis manducetur, aut vinum bibatur.

Reſpondeo: Hoc quoque in noſtris Liturgiis fieri: ſed illa verba recitatiue & materialiter vſurpamus, vt ratio huius cæremoniæ ex Dominica inſtitutione & iuſſu repetatur. Et hinc apparet, quam abſurde ex his verbis tranſubſtantiationem colligant. Nam nos illa verba, non ſic vt Chriſtus, pronunciamus: ille enim voluit Sacramentum inſtituere: nos non inſtituimus Sacramẽtum, ſed Dominicam inſtitutionem recitamus: vt conſtet nos facere quod Chriſtus præcepit: ergo nos tantùm materialiter illa verba pronunciamus; alioqui ſi quis vel puer hæc verba inter legendum pronunciaret, cum panis & vinum adſunt, faceret ſtatim corpus & ſanguinẽ Chriſti. Sed ſi tantum ea verba repeteremus, & non ederemus panem, ac biberemus vinum, nullũ plane Sacramentum haberemus. Ergo hanc primam reſponſionem, quæ eſt Illyrici, nullo bono argumento labefactare potuit Bellarminus. Sed reſpondemus *ſecundò*, vt nõ diſputemus quid prius quid poſterius à Chriſto pronunciatum fuerit, verba Domini. *Hoc eſt corpus meum*, non ante impleri, & vera

2.

esse, quam sumitur Eucharistia, & mãducatur ac bibitur quod Christus proposuit. Nam CHRISTVS coniunxit præceptum & promissionem: præceptum est, *Accipite & edite*: promissio est, *Hoc est corpus meum*. Est ergo corpus Domini manducantibus, sed extra vsum non est. Hæc Caluini responsio est, & ea quidẽ doctissima, & verissima. Si vis vt sit corpus, oportet vt facias quod Christus præcepit, id est, accipias, & edas: aliter non erit corpus, id est, Sacramentum corporis. Bellarmin. ait, hanc solutionem non magno negotio posse refutari, sed quam ille pueriliter & nugatorie diluat videte. Ait autem tria. *Primò* si verba illa, *Hoc est corpus meum*, promissionem continerent, per verbum futuri temporis expressa fuissent. Hoc autem loco nõ dixit Christus, *Hoc erit*, sed, *Hoc est corpus meum*.

Respondeo: Hoc falsum est. Constat enim multas promissiones per verba præsentis temporis in Scripturis proponi. Christus ait Apo-
Mat. 28. 20. stolis suis, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*: vbi Christus promittit se cũ Ecclesia sua perpetuo futurum: &
Ioan. 5. 24. alibi, *Qui credit in me, habet vitam æternam, & nõ venit in iudicium*, id est,
Ioan. 6. 54. habebit, & non veniet: & adhuc alibi, *Qui edit carnem meã, habet vitam æternam*: & mille eiusmodi loca afferri possent. Indoctissimum est dicere, nullas promissiones fieri, nisi quando verbum futuri temporis vsurpatur: tum enim illa pulcherrima promissio rueret, quę facta est Abrahamo & semini eius,
Statuam pactum meum inter me, vt sim Gen. 17. 7. *Deus tuus, & seminis tui post te*, vel, *me esse Deum tuum & seminis tui*, id est, me fore non modo tibi, sed & semini tuo propitium, Lyoth. Et sic in his verbis; *Hoc est corpus meum*, promissio nõ obscura continetur, id est, Hic panis erit symbolum corporis mei. Promittit hic Christus, fore nos participes corporis sui, si rite, & quemadmodum ipse præcepit, hoc Sacramentum percipiamus. Et postea Christus addit, *Quod pro vobis frangitur*, &, *Quod datur pro vobis*, pro eo quod diceret, Quod frangetur & dabitur pro vobis: nam tum non frangebatur, nec dabatur, sed postridie: est ergo hæc promissio, & tamen per præsens tempus exprimitur: & nonnulli etiam Pontificii *Est* hic per *Erit* interpretantur, vt nos supra docuimus. Sic se res habet in hoc Sacramento, vt in pignoribus: si accipias est pactum: sin minus, non est: vt annulus in matrimonio, si consensus adhibeatur, est pignus, sin minus, est nudus annulus, non pignus: denique si quis pignus alteri certa conditione dederit, non est pignus, nisi ille conditionem accipiat. Vt si quis mulierem sibi matrimonio coniungi cupiens dicat, Hic annulus est pignus, si consentias in matrimonium; si nullum consensum adhibeas, non est pignus: ita Christus hic ait, *Hoc est corpus meum*, si accipias & edas, quemadmodum ego instituí & mandaui: sin minus, non. *Secundò* ait Bellarminus, si promissio annexa

nexa præcepto his verbis esset, tum implerio non comitaretur, sed sequeretur actionem manducationis: ita non erit Sacramentum nisi post manducationem: quod Calvinus noluit, quia ait, omnes, qui communicant, edere ore corporali Sacramentum: at quomodo edunt, si non sit Sacramentum, priusquam absoluta sit manducatio. *Respondeo*: hanc esse stolidissimam obiectionem. Nam potest Sacramentum dici, quia sumptum, est Sacramentum: ergo omnes manducare dicuntur Sacramentum, quod tamen non antequam manducetur est Sacramentum; quia manducant, vt sit eis Sacramentũ: ex fine nomẽ ei tribuit. Deinde cum incipimus manducare, manducam⁹: & nos in vsu Sacramentũ agnoscimus: si manducamus, facimus quod iussi sumus: atq; ita qui hunc panem manducant, faciunt quod præceptum est, & hic panis est illis Sacramentum.

Tertiò Bellarminus ait, non modo Scripturas, sed & Patres agnoscere, non solum in ore fidelium, sed etiam in vasis & altaribus corpus Domini. De Scripturis prius respondimus. Quod ad Patres attiner, fateor panem in mensa positum vocari non modo Sacramentum, sed & corpus Domini. Nicænum Concilium dicit in sacra mẽsa Agnum Dei positum esse.

Optat. Mileuit. l. 6. cont. Parmenian. Et Optatus Mileuitanus vocat altare sedem corporis Christi, & calices Christi sanguinis portatores. Sic vocantur, quia instituta sunt, vt sint Sacramentum corporis Christi. Est altare sedes corporis Domini, quia est sedes symboli, quod in recto vsu est Sacramentum corporis Domini. Vera hæc sunt, si dextre intelligantur: sed Pontificii abutuntur Patrum rectè dictis, ad suam crassam & carnalem præsentiam cõfirmandam. Quod nos dicimus, tritum est vsu & communi sermone. Sic enim bestia, quæ destinatur ad sacrificium, vocatur hostia aut sacrificium, etiam antequam mactata fuerit: tamen nisi mactetur, non erit sacrificium. Sic Saul impius Rex
1. Sam. 13. 9. ait, *Afferte mihi holocaustum, & pacifica*, id est, pecudes: sic enim vocantur propter finem. Similiter hi Patres panem corpus Domini vocãt, quod in eum finem cõparatus sit, vt fit Sacramentum corporis Domini. Sic etiam in profanis authoribus, vt in Homero, agni vocan-
Homer. Iliad. 3. tur fædera, cũ tñ nondũ erant sacrificia, sed tantũ cõparabantur & designabant in eum finẽ. Cum enim inter Paridem & Menelaum certamen singulare institueretur, & fædus sacrificio sanciretur, ea lege vt vter illorum vinceret, is Helena potiretur, Poeta agnos vocat nondum mactatos ὅρκια πιστὰ θεῶν, *fœdera firma Deorum*. Non ergo nouum est, ex vsu & fine nomina imponi rebus, antequam adhibeantur ad fines, propter quos comparatæ atque institutæ sunt.

3. *Tertiò* respondemus, vsum esse non modo manducationem, sed totam actionem, in qua non modo manducare, sed etiam accipere, benedicere, frangere, dare, iube-

mur: esse corpus in hoc omni vsu. Sic Kemnitius. In qua responsione refellenda Bellarminus verbosus admodum est: ego vero eius refutationem prætermitto. Vera Kemnitij responsio est, in vsu Sacramentum consistere: vsus autem est tota actio à Christo instituta, nec sola acceptio, nec sola manducatio, sed omnis actio simul. Qui comederet sine benedictione & distributione, non Sacramentum comederet. Non ergo sola acceptio, sed omnes hæ actiones simul faciunt Sacramentum. Quare Bellarminus Kemnitio nihil ad rem respondet, cum ita contra illum disputat, quasi diceret sumptionẽ tantùm facere Sacramentum, aut fractionem tantùm, aut distributionem tantùm, cum ille non in vna parte actionis ponat Sacramẽtum, sed in tota actione, & in tota cæremonia à Christo præscripta. Nisi omnia faciamus, quæ Christus fieri iussit, non vult esse Sacramentum Kemnitius, quia in tota & plena actione vult Sacramentum consistere.

CAPVT III.

Argumenta nostra.

NVNC vno aut altero argumento profanum morem Papistarum, & superstitiosum abusum Eucharistiæ redarguamus.

1. *Primum* nostrum argumentum à Christi institutione sumitur: quo nullum grauius afferri potest. Sacramenta pendent ab institutione Christi, vt ne Sacramenta quidem sint, nisi seruem' ordinem à Christo institutum: at Christus iussit panem accipi, benedici, frangi, distribui, comedi; non reponi in pixide: ergo panis seruatus in pixide non est Sacramentum, sed idolum. Bellarminus dupliciter respondet.

1. *Primò*, negando consequentiam; quia asseruatio in pixide nõ repugnat institutioni Christi. At Christus iussit accipere & edere; quod pugnat cum asseruatione, & repositione: si enim seruas, non edis. At Bellarminus ait, Christus non iussit continuo post benedictionem edere: potest differri manducatio. At Christus aut iussit continuo accipi, aut non omnino accipi. Et Christum sic voluisse, vt sine mora ederetur, cui dubium esse potest, cum statim Apostoli acceperint & ederint, id est, fecerint, quod Christus fieri iussit? Si verò differre liceat, Christus docuisset, quando & quamdiu seruare oportuisset, si seruandum aliquid fuisset: at de hoc nihil Christus. Ergo vt Christus panem accepit, & post benedictionem dedit discipulis, & illi statim ederunt, vt iussi sunt, nullam partem reseruarunt: ita nos facere oportet, aut non facimus, vt Christus iussit, nec celebramus Sacramentum Christi, sed vsurpamus commentum nostrum. Et hoc ex fine huius Sacramenti adhuc melius elucescit. Quorsum enim instituit Christus hoc Sacramentum? nonne vt mortem Domini celebremus, bremus, & fidem nostram confirmemus? hoc autem fit in fractione, & effusione, & sumptione, non in conseruatione. Si istæ actiones prætermittantur, aut in aliud tempus differantur, tum in præsenti nulla est annunciatio mortis Dominicæ: nam panem integrum cõsecrare, & in pixide recondere, nõ est edere, aut frangere: ita nec fides confirmatur, nec mors Domini annunciatur. Quæ est enim, in asseruatione panis, mortis Christi annunciatio? at debet esse ceremonia, quæ mortem Christi annunciet: euertunt ergo illi finem Dominicæ institutionis. Præterea institutum hoc Sacramentum est, vt nostram spiritualem CHRISTI manducationem declararet, & arctissimam nostram cum illo coniunctionem repræsentaret: at si panis & vinum reseruẽtur, quodnam erit huius aut manducationis aut coniunctionis symbolum? Et 1. Cor. 11. 20. Apostolus Paulus videtur anteuertere hanc profanam consuetudinem: iubet enim edere Dominicam Cænam, cum conuenimus in vnum: seruare autem non est edere: ista igitur asseruatio cum Christi institutione pugnat.

Sed Bellarminus negat dilationem manducationis institutioni repugnare, modo consecratio in eum finem ordinetur, vt quod cõsecratur, manducetur. Sed hoc nescio magisne sacrilegum an ridiculum sit. Nam, 1. non oportet manducationem differre, quia oportet statim annunciare in hoc Sacramento mortẽ Domini: quod sine fractione & sumptione fieri non potest: & fides nostra non confirmatur reponendo Sacramentum, sed vtendo. 2. Si liceat differre, aut in certum tempus differre licet, aut in tempus indefinitum: non in certum tempus: nam ne illi quidem certo tempore solent sumere: si in tempus indefinitum, fieri potest vt non edatur omnino: ita aut non consecratur in ordine ad manducationem, aut non seruatur hic ordo: vtrumque est impium. 3. Manifestum est, panem, qui in pixide seruatur, non consecratum esse vt manducetur, quia manet ibi sæpe, donec tam mucidus sit, vt edi nequeat: & reuera illi non edunt hunc panem, sed aut vermibus, aut muribus, aut porcis comedendum reseruant.

Sed ait Bellarminus, oportere semper Eucharistiam esse paratam ob varios vsus, & maxime repentinos casus, vt ad ægrotos deferatur, & absentes, & ob alios similes vsus.

Respondeo: Certe illi cautiores multo sunt Christo: nam is non deferri ad absentes, sed distribui præsentibus iussit. Potuit iubere Apostolo alicui, vt ad discipulos absentes deferret, quorum magnus numerus fuit. Nihil ille statuit de reponendo hoc Sacramentum in pixide, aut de deferendo ad absentes, sed de sumendo & edendo à præsentibus; neque verbum habet de his variis casibus, propter quos Eucharistiam semper paratam esse oportere ait Bellarminus: ergo præter institutionem Christi hæc

hæc omnia fiunt. *Secundò* Bellarminus respondet, rem non pendere, quoad esse suum, ab vsu. Etsi ergo legitimus sacerdos consecraret Sacramentum non in ordine ad manducationem, sed propter alios fines, esset Sacramentum, vt cathedra est cathedra, etiamsi nemo in ea sedeat.

Respondeo: quasdam res esse, in quibus vsus distinguitur ab essentia, cuiusmodi sunt cathedra, domus, tunica, nauis: sed sunt aliæ res, in quibus vsus ab essentia non distinguitur, vt Baptismus; quod ipse concedit. Baptismus enim non est, siue quis baptizetur, siue non, sed est ablutio, ipsaque abluendi actio. Sic in pignoribus & stipulationibus res se habet: tolle vsum, & non erunt, quod dicuntur: vt si quis domum aut equum conduxerit, vtriusque vsum conduxit: & Sacramenta sunt eiusdem generis symbola. Lapis nisi in vsu non est limes: annulus nisi in vsu non est pignus: si hunc vsum tollas, quid annulus, nisi merus annulus? quid lapis; nisi lapis? ita si vsum hunc panis religiosum non adhibeas, quid aliud nisi panis erit? ergo in Sacramentis vsus non debet à reipsa distingui: quare Sacramẽtum non est simile cathedræ aut domui. Sed hic secum pugnat Bellarminus; quod passim & insigniter facit. Vult intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, requiri in omni Sacramẽto: & hic ait Ecclesiam semper cõsecrare Eucharistiam in ordine ad manducationem: at nunc ait fore Sacramentum, etsi non consecretur in ordine ad manducandum: erit ergo Sacramentum, etsi non intendat sacerdos facere, quod facit Ecclesia: non est ergo intentio tam necessaria, quam ille vult. Ita hæc Bellarmini responsio in contradictionem desinit. Sed si possit esse Eucharistia sine intentione manducandi, quidni Baptismus sine intentione lauandi?

Secundum nostrum argumentum 2.
sumitur à similitudine Baptismi: Sacramentum Baptismi in actione consistit: ergo & Sacramentum Eucharistiæ. Consequentia probatur, (quam Bellarminus inepte vocat antecedens) quia Sacramẽta noui Testamenti sunt eiusdem generis: & præterea si Baptismus in vsu consistit, quia Christus iussit baptizare; multo magis Eucharistia, cum Christus non vno verbo, vt in Baptismo, sed multis actionem præceperit, *Accipite, manducate, bibite, hoc facite.* Non res aliqua permanens est Baptismus: nam aqua nõ est Baptismus, sed aquæ infusio, aut vsus aquæ: & id ex nomine patet: βάπτισμα n. non est aqua, sed quando aqua ad lauãdum adhibetur. Bellarminus respondet, rem habere se contra in Eucharistia, atque in Baptismo: fatetur rem sic habere in Baptismo: ergo vnum saltem Sacramentum in vsu tantum Sacramentum est. Sed hoc quoque de reliquis illorum supposititiis Sacramentis dici potest: nam confirmatio non est oleum, sed vsus olei: & sic extrema vnctio. Idem de matrimonio dici potest.

Sic

Sic in Sacramento ordinis; ordinatio est res transiens; & sic pœnitẽtia. Nõ in vllo alio Sacramento rem permanentem inuenient, ex qua faciant Sacramẽtum: quod magno præiudicio est, nullum esse omnino nisi in vsu Sacramentum. Sed Bellarminus ait, nullam actionem in Eucharistia esse Sacramentum: ita hoc Sacramentum erit solum res permanens. Eucharistiam vero non in actione, sed in re permanente cõsistere, sic probat, quia nulla actio nominari potest, cui tota ratio huius Sacramenti conueniat. Sic igitur argumentatur: Si nulla actio in Eucharistia potest verè Sacramentum dici, tum non in actione consistit hoc Sacramẽtum: at verum prius: ergo & posterius. Minorem sic probat: non actio manducandi, aut frangendi, aut distribuendi, aut consecrandi: ergo nulla actio. Non manducandi actio, quia illa est actio hominũ, non Dei; & qui manducat, non conficit Sacramentum, sed consumit: nec qui frangit, aut distribuit, dicitur facere Sacramentum: consecratio autem facit Sacramentũ, non est ipsum Sacramentum.

Respondeo: Author Sacramentorum omnium Deus est: & in Sacramento Eucharistiæ Christum præsentem oportet fide intueri: quare quasi Christus in medio sederet & faceret, quod in prima Cæna fecit, ita nos sentire de hoc Sacramento oportet: Minister est vicari⁹ Christi in illa actione. Quæritur iam quid Sacramentum sit, num res permanẽs, nempe panis & vinum, aut corpus & sanguis Christi, aut accidentia panis & vini; an ipsa actio faciendi, quod Christus fieri iussit? Non est res durabilis, sed transiens, ipsa nempe actio, non manducandi tantùm, sed frangendi, & distribuendi, & edendi, & bibendi, ad renouãdam memoriam mortis Dominicæ: nisi enim omnia in hunc finem fiant, non erit Sacramentum. Etsi ergo manducatio per se nõ facit Sacramentum, nec fractio, nec distributio, nec consecratio, tamen hæc omnia Sacramentum faciunt, si fiant animo mortem Christi solenni commemoratione annunciandi. Non nostra actio Sacramentum facit, sed Christi institutio, quæ in tali actione Sacramentum esse voluit. Manducatio etsi est actio manducantis, & consumit panem, tñ nõ proinde non erit pars Sacramenti; quia Christus in hoc Sacramento manducationem instituit: non ergo consumitur Sacramentum, sed panis Sacramentalis, in quo est Sacramentum, aut quod est subiectũ Sacramenti. Nam proprie Sacramentum est actio: id verbum (Eucharistia) docet, quæ gratiarum actionem significat: non ipsa actio gratiarum est Sacramentum; non enim est signum visibile: sed ritus externus in agẽdo, quod Christus iussit, cum gratiarum actione. Sic Cæna Dominica dicitur, nõ quod epulæ appositæ sint, sed quia has epulas accipim⁹. Etsi a. hæ actiones in nobis sunt ministerialiter & subiectiue, tñ effectiue & principaliter in Christo sunt, qui iussit. Sed

Bellarminus rei permanenti, id est, pani consecrato ait conuenire totam definitionem Sacramenti; nimirum si illi definire liceat, vt vult: sed Sacramentum natura sua est πλεπ, id est, cæremonia quædam, ad quam res permanentes requiruntur: res autem, quatenus permanent, non sunt Sacramentum. Sed de definitione Sacramenti prius diximus. Sic in Agno Paschali non ipse Agnus erat Sacramentum: nã tum aut viuus aut mortuus Sacramentum fuit: nõ viuus; tum enim nõ opus erat mactare: si mortuus, tum aut antequam ederetur, aut in edendo, aut post: sed nil horum: ergo Sacramẽtum fuit nõ Agnus, sed ipse ritus: & vocatur *Phase*, i.e. transitus, quod rem transeuntem non permanentem significaret. Non ergo Agnus, sed mactatio & manducatio Agni fuit Sacramentum. Similiter Circumcisio res transiens fuit: non ipsum præputium Sacramentum erat, sed amputatio præputii. Res ergo, quatenus sunt permanentes, non sunt Sacramenta, sed vsus rerum, qui in cæremonia & actione cõsistit. Sed Bellarminus ait, neminem vnquã vocasse hoc Sacramẽtum fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel mãducationem, vel aliam actionem, sed rem permanentem, id est, panem sanctificatũ. *Respondeo*: Patres vocare panẽ hunc, & vinum hoc, Sacramentũ, nõ quia sunt ipsum Sacramentum, sed quia subiectum & fundamentum sunt Sacramenti: quod hinc patet, quia vocant Sacramentum ante consecrationem, non minus quam post: nempe paratur, vt in eo Sacramentum fiat. Nam si panis & vinum reuera ipsum Sacramentũ sint, tum ex eorum sententia nullũ erit Sacramentum post consecrationem, quia nullus remanet panis aut vinum post consecrationẽ: num corpus & sanguis Christi est Sacramentum? impium est ex re ipsa facere Sacramentum: num species? at species panis non sunt panis consecratus: nam 1. panis omnino non sunt: 2. consecratio naturas mutat, vt illi volunt: at species manent. Volunt Sacramentum esse rem permanentem, & tamen non sinunt panem permanere: ergo nil permanens potest esse Sacramentum sublato pane: at Patres nunquam de Sacramento specierum somniarunt. Iustinus ait, *Hic cibus à nobis Eucharistia appellatur*: at nil cibi est in speciebus: & non Eucharistia dicitur propter aliquid in eo permanẽs, sed quia hic cibus cum gratiarum actione pro tanto beneficio sumitur. Tertullianus ait, *Caro corpore & sanguine Domini vescitur*: num Bellarminus putat corpus Domini esse Sacramentũ? cuius, quæso, rei? vescimur autem corpore Domini in Sacramento. Irenæus ait, Eucharistiam constare ex re terrena, & cælesti: at res cælestis non est propriè Sacramẽtum, sed id quod Sacramento repræsentatur: sed Irenæus vult nos in Sacramento res duas accipere. Et Patres passim conferunt Sacramentum cum verbo incarnato. Sicut in Christo naturæ duæ sunt, sic

Iustin. Martyr. Apolog. 2.

Tertull. de resurrect.

Irenæus l. 4. c. 34.

sic in hoc Sacramento: at Patres non simul copulatas esse has naturas voluerunt, sed pios vna cum re externa rem internam sumere; nõ esse permanentem coniunctionẽ Christi cum Sacramẽto. Sed quænam hæ duæ naturæ sunt secundũ Bellarminum? corpus Christi scilicet, & accidentia panis: at nunquam sic Patres: nam illi per naturam terrestrem non similitudinẽ, aut imaginem, aut speciem, sed veram substantiam intellexerunt: alias hæc comparatio maximè fauisset hæreticis ponentibus phantasticam in Christo humanitatem. Si enim corpus Christi in Sacramento coniungatur tantum cum spectris panis & vini, non cum vero pane & vino, respondere poterant hæretici, similiter diuinam naturã Christi coniungi cum spectro corporis, non cum vero corpore humano. Ita illa comparatio duarum naturarum in Sacramento cum duabus naturis in Christo, declarat euidentissime aliam fuisse mentem Patribus, quam Aduersarij volunt.

CAPVT IV.

De antiqua consuetudine seruandi Sacramentum an licita fuerit.

POSTREMO loco vrget Bellarminus perpetuam seruandi huius Sacramenti cõsuetudinem, quam multis Patrum testimonijs confirmat. De his pauca dicenda, vt quid de illa consuetudine iudicandũ sit, & quantũ ab ea Papistæ discesserint, videamus. Clemens Romanus, q reliquum est de corpore Domini, iubet reponi à Diaconis cum reuerẽtia in pastophorio: verba hæc sunt, ὅταν πάντες μεταλάβωσι καὶ πᾶσαι, οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα εἰς τὰ παστοφόρια, *Cum omnes viri & fœminæ acceperint, Diaconi quæ superfuerint, in pastophoriis reponãt.* Hinc possumus intelligere, nõ fuisse olim vsitatam Missam priuatam in Ecclesia primitiua, quia communicabant πάντες καὶ πᾶσαι, *omnes & viri & fœminæ.* Sed quod attinet ad Clementis testimonium, satis Bellarmino notum est, apud ipsos etiam Papistas hunc librum in exiguo precio esse, vtpote in quo multa habentur, quæ cum fide & consuetudine Ecclesiæ Catholicę pugnant. Tum certum est, nõ esse hos libros à Clemente scriptos, qui fuit discipulus Apostolorũ, quia multa hic inuenies, q̃ post Apostolorũ tempora irrepserunt. Quod ad pastophoriũ attinet, Bellarmin. putat eo vas illud intelligi, in quo Sacramentum asseruandũ reconditur; sed errat; idq; ex ipso Clemente patet, qui alibi iubet Ecclesiam ædificari ὀπαμάκην, id est, *oblongam*, in formam nauis, & ex vtraq; parte fieri παστοφόρια: quod non de vasis intelligi potest: hoc enim pertinet ad formam machinæ, qualem Ecclesia habere debet ex sententia huius Clementis, vt naui similis sit. Quid autem pastophorium sit, ex Septuaginta interpretibus constare potest in Isaiæ 22. vbi

Clemens Roman. constit. Apost. l. 8. c. 13.

Clemens Roman. vbi supra, l. 2. c. 57.

Alii legunt ωαστοφωρεῖον.

22. vbi iubetur Isaias ingredi in ωαστοφόριον, vbi præpositus templi habitet; in quem locũ Hieronymus ait, pastophorium esse thalamum, in quo sacerdotes versabantur: & huius vocabuli meminit Iosephus. Iubet ergo Clemens reliquias inferri in cubiculum sacerdotum, nõ vt seruentur, sed vt illi eis vtantur. Hoc nihil pro Papistica asseruatione facit. Mos fuit, vt Ministri secum auferrent, quicquid panis aut vini supererat: Bellarminus putat ωαστοφόριον significare pixidem, in qua illorum Christus habitat: sed est cœnaculum, aut cubiculum, aut tabernaculum, in quo Ministri tẽpli habitabant, à ωαστὰς, aut ωαστὸς; *thalamus*, aut, *domus*: quãquam hoc vocabulum non sæpe in authoribus occurrit.

Ioseph. de bell. Iudaic. l. 5. c. 9.

Iustin. Mart. Apol. 2. propefinem.

Secundum testimonium est Iustini Martyris, qui ait Diaconos consueuisse deferre Eucharistiam ad fratres absentes, qui aliqua de caussa impediti non potuerunt interesse celebrationi mysteriorum: fuit ergo post actionem verum Sacramentum, & verum corpus Domini. *Respondeo* 1. illã consuetudinẽ non niti authoritate Christi: Christus enim iussit præsentes edere, non deferre ad absentes. 2. Etsi deferatur ad absentes, non tamen sequitur extra vsum esse Sacramentum. Nam quando Minister panẽ tenet manibus, quem populo distribuat, non est Sacramentum, dum tenetur, sed cum editur: ita dum Diaconi deferunt, non habet propriam rationem Sacramẽti, sed cum percipitur. Absentes autem perinde æstimabantur, vt qui remotius in Ecclesia sedebant, & ad eundem cœtum, idemq; corpus pertinere putabantur. Nam Diaconi statim à cõmunione eorum qui aderãt, deferebant ad absentes, vt illi communicarent: erat igitur quasi vna synaxis præsentium & absentium. Irenæus ait, * Anicetum Papam misisse Eucharistiam ad alios Episcopos in signum pacis & communionis. *Respondeo:* Qualis ea Eucharistia fuerit, incertum est, num Sacramentum, an panis communis, quem Episcopi Catholici ad alios eiusdem confessionis mittebant in signũ amoris & beneuolentiæ. Paulinus ad Avgvstinvm panes misit gratia charitatis, vt ait: Tertullianus vocat panes sic missos *Hospitalitatis cõtesserationem*: videtur ergo quoddam fuisse non Dominici corporis, sed hospitalitatis & mutuæ cõcordiæ pignus & Sacramẽtum: sed vtcunque; missa Eucharistia est, vt sumeretur, non seruaretur. Tertullianus ait, Christianos solitos esse deferre domum secum, vt opportuno tempore sumerent: non ergo seruandi caussa, sed sumendi: at Pontificij seruant inclusum in pixide, non sumunt. Fæminis olim tradebatur, vt domum, deferrent: quod nõ fecissent veteres, si ipsum Christi corpus fuisse existimassent. Inualuit ille mos paulatim in Ecclesia, vt quidam sumerent in Ecclesia Eucharistiam, quidam domum deferrent: & quidam sumebant poculum in Ecclesia, panem vero vel tum edebant, vel postea domi,

* *Irenæus in Epist. ad Victor. apud Euseb. l. 5. c. 24.*

Augustin. Epist 35. 36.

Tertull. de præscript.

Tertull. l. 2. ad vxorem.

domi, quando libuit. Communicabant tum quidem quotidie, sed aliqui non potuerunt quotidie sacris cœtibus interesse: nam fœminæ q̃dam habebãt viros Ethnicos: ad illas ergo panis domũ deferebat quotidie, ut quotidie cõmunicarent. Si corpus Domini fuisset, non commisissent laicis, præsertim fœminis. Sed qui adesse non potuerunt, absentiam suam hac priuata sumptione consolabantur.

Cyprian. de lapsis.

Cyprianus narrat, fœminam quandam, cum arcam aperiret, in qua erat Sacramentum, vt illud inde depromeret, igne deterritam fuisse inde surgente.

Respondeo: Hoc videtur ostendere, morem illum displicuisse Deo. Et sane abusus non ferendus fuit, vt quis Sacramentum, quod palam & in publico sũmi debuit, in Ecclesia non edat, sed domum suam deferat, vt vbi visum fuerit, sumat. Et tamen hoc in priuatis ædibus fiebat, & in eum tantùm finem, vt ederetur: at Pontificij Sacramentum in pixide seruant, idq; in templo, vt ostentetur populo, & adoretur. Postea Bellarmin⁹ venit ad Concilium Nicænum, in quo ait cautum esse, vt in absentia Presbyterorum Diaconi Eucharistiã porrigant: at sine Presbyteris Cœna celebrari nõ potest: ergo loquitur Concilium de tempore, quo Cœna non celebrabatur; ac proinde constat, Eucharistiam olim seruari solitam in Ecclesia, vt quouis tempore distribui posset.

Nicen. Conc. can. 14. al 18, Balsamo, 20.

Respondeo: In Græcis canonibus nihil tale habetur: & Bellarminus fatetur non haberi in omnibus editionibus. Quod autem affert ex alio canone eiusdem Concilii, qui in periculo mortis sunt, non esse priuandos viatico; hoc nihil facit ad asseruationem Eucharistiæ. Quidni potuit communio priuatim celebrari, vt hodie in multis locis fit? Non aliud hoc canone præcipitur, nisi vt qui excommunicatus esset, si resipisceret, in articulo mortis posset recipi ad pacem & communionem Ecclesiæ. Deinde ex Nazianzeno aliquid affert, qui ait sororem suam Gorgoniam de nocte ad Ecclesiam cucurrisse, & partem Sacramenti, quam seruauerat, protulisse.

Canon 13.

Nazian. in orat. de laudib. sororis Gorgoniæ.

Respondeo: Hoc nihil aliud euincit, nisi positũ in more fuisse, vt pane Eucharisticũ secum haberent, quem priuatim, cum vellent, ederent: non incluserunt perpetuo, non circumgestarunt in pompa, non adorarunt: tantùm habuerũt, vt sumerent. Postea Ambrosium citat, qui ait Satyrum in periculo naufragii Sacramenti particulam de collo suspendisse, atque ita enatasse incolumem. *Respondeo* dupliciter: 1. nec Satyrum bene fecisse, nec Ambrosium bene illũm laudasse: nimium Ambrosius amauit fratrem, qui ipsius etiam vitia laudauit. Satyrus laicus fuit, nec dum Christianus; constat enim nondũ fuisse baptizatum, sed fuisse adhuc catechumenum. Sacramentum in sudario de collo suspendit, eoque fretus se in mare præcipitat: superstitione quadam hoc fecit, non fide: fidebat enim Sacramento ma-

Ambros. in orat. de obitu Satyri.

gis quam Deo: sperabat non passurum Deum submergi Sacramentum: Abusus insignis: non enim ideo Christus hoc Sacramentum instituit. Quod verò ad Ambrosium attiner, nescio an possit excusari, qui talem superstitionem laudarit. Quanquã si in tanto periculo nesciebat Satyrus, quid faceret cũ Sacramento, & ne proiiceret in aquas, suspendebat circa collum, nõ est reprehendendus. 2. Ille mos testatur communem hominum de hoc Sacramento opinionem. Nulla hic pompa, nullus suffitus, non lampas, non facula: at Papistæ nunc nõ tam promiscuè hoc Sacramento vtuntur, sed nunc illi sub clauibus asseruant, & nunquam sine luminibus & pompa producunt. Sed si olim credidissent, hunc panem esse corpus Christi, non tradidissent laicis, & non baptizatis, & fœminis, imo aliquando non bonis Christianis, nedum Catechumenis, sed maiori prudentia vsi fuissent in tradendo hoc Sacramento.

Bellarminus ait, postea prouisum propter abusus; nam cœpisse quosdã abuti Sacramentis ad magias: sed si esse ipsum Christi corpus antiquitas credidisset, non sic dissoluta in seruando fuisset; non cuiuis fuisset permissum habere. Sed quia de singulis testimonijs longum esset respondere, respondeamus de re ipsa ad omnia testimonia, atque ita hunc locum concludamus.

1. *Respondemus* igitur 1. consuetudinem non sufficere ad cõfirmandam asseruationem Sacramenti, nisi veritate & Scripturarum authoritate nixa fuerit: hæc autem consuetudo nullis Scripturis confirmari potest: certum est autem statim ab Apostolorum temporibus abusus & deprauationes multas in Ecclesiam irrepsisse. Pighius fatetur in Papistica Missã abusus esse: si vlli, certe, hic merito vnus reputari potest. 2. Consuetudo antiqua seruandi Sacramenti nõ fuit Papistica: nam illi seruabant ad tempus, eo animo, vt paulo post acciperent, atq; ita facerent, quod Christus præcepit: & ex historia liquet, licuisse aut edere in Ecclesia, aut deferre domum, vt oportuno tempore ederent: sed quis eum morem laudet? Papistæ autem seruant, non vt domi accipiant, cũ publice non licet (quotidie enim otiosi sacrifici celebrant, neque omnino populus aliquid accipit) sed Sacramentum tanquam κειμήλιον in cistis, & arculis, & pixidibus concluſum seruant. 3. Veteres non circumgestabant cum pompa, neque adorabant, neque tanta religione seruabant, vt quisquam eos verum Christi corpus existimasse colligat, sed tantum in sudariis ponebant, aut in cistis seruabant.

Pighius in Controuers. 2.

3.

Hieronymus scribit, Exuperiũ Tolosanum Episcopum, corpus Domini in canistro vimineo, & sanguinem in vitro posuisse, & seruasse. Ille hoc fecit persecutionis tempore, vt in promptu essent elementa, credo, in loco aliquo commodo: at si putasset esse verum corp°, & verum sanguinẽ Christi, non

Hieron. in Epist. ad Rustic.

non sic fecisset: quid enim vitro fragilius? facile potuit in terram cadere, aut allidi ad saxum, & sic sanguis Christi effũderetur; quod sine scelere fieri non potuit: & micæ vel fragmenta panis facile cadere poterant è canistro vimineo.

4. Papistæ non modo adorationis, sed & sanationis causa Sacramentũ adhibent; quod non modo extra vsum, & præter institutionẽ Christi est, sed nullo antiquitatis exemplo probari potest. Nam quod Bellarminus de Gorgonia Nazianzeni sorore narrat, & obiicit, nihil illa tale fecit: non vsa est reliquis Sacramenti ad recuperandam sanitatem, sed cum male se haberet, confugit ad Deum, & cucurrit ad templum, & proiecit se ante altare, id est, in mensam Dominicam, & ei supplicauit, qui colitur ἐπ' αὐτῷ, hoc est, non (vt Billius vult) qui super illud colitur, quasi suspenderetur Eucharistia super altare, vt nũc mos est apud Papistas, sed qui in illo, id est, in altari colebatur; & si quid reseruauit τῶν ἀντιτύπων corporis & sanguinis, cum lachrymis miscuit. Ita cum precibus vehementissimis Sacramentum coniunxit. Quid hoc ad illorum magiam, qui ex vi Sacramenti sanitatem expectant? & quidem si ibi verum corpus & sanguis Christi sit, quis non speraret sanitatem inde cum hæmorroissa? Sed non sic tractabat hæc pia fœmina Sacramentum, vt illi, non admouebat ad morbum, non contactu huius Sacramenti putauit morbum sanari posse.

4.

Satyri autem exemplum, etsi alienum, non est imitandum: non adhibuit ille Sacramentum, vt recuperaret sanitatem, sed speranit se fluctibus superiorem fore propter Sacramentum, quod in collo gestabat. Si Sacramento confidebat, superstitiosè fecit: sed ille nondum fuit Christianus, aut rudis certè & nõ perfectus Christianus: nec tam laudat Ambrosius, quam narrat tantum & commemorat hoc factum.

Quod verò ex Augustino hic citat, alienum quoque est. Scribit ille Sacramentum celebratum fuisse in quadam domo, quæ vexabatur à dæmone, vt hæc vexatio cessaret. Illi Sacramentum ibi celebrabãt, quod est mysterium mortis Dominicæ, vt profligaretur dæmon illis ædibus infestus, non reliquias ibi collocabant: nullum ergo hic exemplum est Papistici moris. Quam recte hi fecerint, ipsi viderint, sed alius huius facti finis fuit, quam Papistæ solent proponere. 5. & vltimo respondeo, posse nos etiam multa ex Patribus testimonia proferre contra hunc morem asseruandi Sacramentum.

Augustin. de Ciuit. Dei. l. 22. c. 8.

5.

Clemens, si quid superest post communionem, iubet à clericis absumi, non seruari in crastinum. Sed Bellarminus cõtrarium ex eadem Epistola probat: vbi reliquias iubet religiosè custodiri. Sed *respondeo*, 1. non esse hanc veram Epistolam Clementis: nam eius nõ nisi vnam Epistolam cõmemorat Hieronymus. 2. Iubet Clemens absumi quicquid reliquum fuerit, nil

Clemens Epist. 2.

nil seruari in crastinum: cum hoc apertè pugnat, reliquias seruari: imo Papistæ non reliquias, sed integrum Sacramentum seruant.

Origen. in Leuit hom. 5.

Origenes ait, *Dominus panem, quem discipulis dabat, non distulit, nec differri iussit in crastinum.* Bellarminus ait, Dominum quidem non distulisse, nec iussisse differri, sed tamen posse nunc differri, quia multa Dominus per se non iussit, quæ postea per Apostolos iussit. Sed Apostoli hanc dilationem nō instituerunt: legatur Paulus. 1. Corinth. 11. Et Origenes non esse differendum probat, quia Christus nec distulit, nec iussit differri: & loquitur de sacrificio, quod Deus eodem die comedi iussit, nil reliqui in posterum mane: & tum ait, sermonem diuinum nolle nos cōedere carnes hesternas, sed recentes semper & nouas, id est, Ministros semper noua & spiritualia proferre debere: & concludit Dominum non distulisse, nec seruari iussisse in crastinum. Neque igitur nos differre oportet, aut inepte Origenes, qui hoc ex eo colligit, quod sacrificium eodem die comedendum fuit.

Hesych. in Leuit. l. 2. c. 8.

Hesychius ait, morem Ecclesiæ esse, vt quod supereſt ex Sacramēto, comburatur. Bellarminus ait, illum tamen ibidem non prohibere asseruationem per aliquot dies: nam & ille mos Ecclesiæ fuit.

Respondeo: Sed Hesychius magis probat, omnes reliquias comburi. Ex quo constat, non fuisse tunc fidem Ecclesiæ, quæ nunc est Papistarum: nam si Christi corpus sit, sacrilegium est plusquam dæmoniacum, comburere. Sed nihil, inquies, Christo nocere potest: qd tum? non ergo Christus comburi debet. Quid enim illud fuit, quod comburebatur? num accidentia? at accidentia non possunt cōburi: debet enim esse materia aliqua crassa, quæ comburitur: non habent in se accidentia pabulum ignis: quid? num panis substantia redit? Deus ergo panem reuocat, quem sustulerat, vt materia sit flāmæ: nam Christi corpus ardere nō potest: neque ignis admouendus Sacramento, vt Christū fugere cogamus. Sed sic disputo: Aut Christus voluit remanere in Sacramēto, aut non: si non, cur igitur seruant? si voluit remanere, impium est incendere Sacramentum, atque ita aut absumere Christum, aut expellere non fumo, sed veris ignibus.

Niceph. l. 17 c. 25.

Nicephorus ait, Constantinopoli eam consuetudinem fuisse, vt Sacramenti reliquię pueris è schola ἀφθόροις, *innocentibus*, vel, *incorruptis* comedendæ præberentur: eumq; morem durâsse ad sua tempora: & idem habet Euagrius, qui vocat ἐθος παλαιὸν, *consuetudinem antiquam*; & Gregorius Turonensis. Ex quo concludimus, illas reliquias nō fuisse Sacramētum, multo minus corpus Domini, quia tradebantur pueris non baptizatis, etiam interdum pueris Ethnicorum, vt refert Nicephorus: at non licebat illis manducare Sacramentum, aut corpus Domini: ergo hæ reliquiæ neque pro corpore Domini,

Euagr. l. 4. c. 36.

Gregor. Turon de gloria Martyr. l. 1. c. 10.

mini, neque pro Sacramento habebantur.

Bellarminus ait, pueros adhiberi solitos, cum multum supereſſet, & plus quam commode cōseruari posset. Quasi non tam facile multum conseruare possunt, quam parum. Sed hanc eius rationem non confirmat ratione: & authores nō hoc dicunt, sed contra, quod remansit, à pueris innocentibus solitum edi, ijsque sæpe non baptizatis, vt diximus. Similiter in Concilio Matisconensi secundo, decretum est, reliquias Sacramenti præbendas esse innocentibus: & Concilium Toletanum primū, & Cæsarauguſtanum, prohibent deferri extra Ecclesiam à populo Sacramentum, vt olim fiebat, iubentq; sumi in Ecclesia. His addi potest Humbertus, quem Bellarminus citat.

Conc. Matisconen. 2. can. 6.

Concil. Toletan. 1. can. 14.

Cæsarauguſt. Conc. can 3.

Sed ait Bellarminus, eum aliud improbare, non asseruationem: sed ille asseruationē improbat authoritate Christi, qui panem benedictum mox fregit & distribuit, non reseruauit frangendum in crastinum. Denique Cassander hanc circumgestationem. Papistarum ait esse præter veterum morem & mentem: & narrat Albertum Crantzium laudare Nicolaū Cusanum legatum per Germaniam, qui eum morem sustulerit; addit-que idem Albertus rationem, quia cælestis magister instituit ad vsum, non ad ostentationem.

Cassander art. 22.

Crantzius in metropoli.

FINIS TERTIÆ QVÆSTIONIS.

QVARTA QVÆSTIO:

De pane azymo, Num Eucharistia in pane azymo an fermentato administrari debeat.

CAPVT PRIMVM.

Contentio Græcorum & Latinorum hac de re explicatur, & status controuersiæ inter nos & Papistas proponitur.

AD illam Quæstionem nunc transeo, in qua quæritur, qualis panis sit idonea materia huius Sacramenti. Triticeum autem adhibendum esse, non hordeaceum, aut siligineum, aut auenaceũ, inter nos conuenit: quanquam aliqui putant, nullum panem repudiandum esse, qui vsitatus sit, si triticeus comparari non possit, & similiter communem potum sufficere in inopia vini: in multis enim locis non nasci triticum, nec vites pangi, aut vinum inueniri: non tamen propterea homines priuandos esse Sacramento. Scholastici de hoc disputant, & alij aliud affirmant: nam aliqui putant panem hunc Sacramẽtalem è quouis frumento, aut farre, aut spelta, confici posse. Certè ridicula est quorundam ratio, ideo in triticeo pane celebrandum esse hoc Sacramentum, quia Christus se grano frumenti comparauit: indoctè! nam σῖτος quoduis frumentum significat, non modo triticum. Sed nobis non est controuersia cum Papistis de substantia aut genere panis, sed de panis qualitate, debeatne esse ἄζυμος, an liceat in fermentato consecrare. Neque hæc admodum capitalis controuersia est: nam Thomas ait, nõ esse de necessitate Sacramenti, vt sit azymus, & Græcos non modo non peccare vtentes pane fermẽtato, sed si quis inter eos aliter faceret, eum nõ recte facere, quia ritum Ecclesiæ suæ peruerteret.

Io. 13. 24

Thom. in 3. q. 74. art. 4.

Sic Alanus. Et Concilium Florentinum permittit Græcis, moré suum retinere. Sed alii tamen aliter. Scotus, & Paludanus, Græcos esse scismaticos aiunt, & nullo modo illum morem approbandũ aut tolerandum esse: quod etiam Gabriel affirmat. Tridentinum Concilium nihil hac de re statuit, quia vidit tam pugnantes suorum opiniones: Thomas, & Florentinum Con-

Alanus de Euchariſt. Sacrament. l. 1. c. 12.

Conc. Florent. in inſtruct. ad Armenos.

Scot. in 4. d. 11. q. 3.

Palud. in eund. q. 1. art. 4.

Concilium Græcorum morem in adhibendo pane fermentato non improbant: Leo nonus, & Innocentius tertius, & Scotus, & alii, non esse ferendum aiunt: in hac dissensione silent Patres Tridentini. Sed Græci non modo pane fermentato vtuntur, sed Latinos damnãt, quod in pane azymo hoc Sacramentum conficiant, eosque vocant azymitas, & Latini contra illos Fermentarios appellant. De hoc vide Anselmum in libro, quẽ de pane fermentato & azymo edidit.

Thom. in 3. q. 74. ar. 4.

Et Guido Carmelita ait, Græcos non permittere, vt Latini sacra faciant in illorum altaribus: & si feciſſe intellectum fuerit, altaria polluta existimant; quod etiã Innocentius tertius in Lateranensi Concilio dixit: adeo Græci à Latinis abhorrebant. Et morem suum Græci adhuc retinent, quemadmodũ ex Ieremia Patriarcha Constantinopolitano patet, qui ait, Christum in fermentato pane cõfeciſſe: nec posse Sacramentum in azymo celebrari, quod azymus ad Iudaismum spectet.

Ieremi in censur. confeſſ. Auguſtan. ad art. 10.

Quid ad hæc noster Bellarminus? ait hanc cõtrouersiam ortam esse circa annum Domini 1053. idque probat ex Epistola Leonis noni ad Michaelem Episcopum Cõstantinopolitanum (quanquam ipse Leo hanc Epistolam ait scriptam esse anno 1020) atq; ita persuasum nobis esse vult Bellarminus, ante annum Domini 1053. Ecclesias omnes vsas esse pane azymo. Sed is à Thoma refutatur, qui ait, Gregorium in Registro scribere, Romanam Ecclesiam offerre azymos panes, quia Dominus carnem susceperit sine vlla commistione viri: sed cõtra alias Ecclesias offerre panem fermentatum, quia verbum induit carnem, vt fermẽtum miscetur farinæ. Mira res, & mira ratio diuersæ consuetudinis! Christus natus est ex sola virgine: ergo azymo pane est vtendum: Christus Deus factus est homo: ergo fermentato pane est vtendum. Sed si hæ rationes quicquam valent, tum oportet nos & azymo & fermentato pane vti: quid ergo de huiusmodi rationib. sentiendum? Iam ergo quam nos Ecclesiam sequemur, & quo nos more vtemur? imitanda nobis est veterum modestia & moderatio. Cum ergo Christus nihil mandarit vel de pane azymo, vel de fermentato, non esse de istis rebus lites mouendas existimamus: ἀδιάφορον est vel panem azymum vel fermentatũ adhibere: non refert sitne panis azymus an fermentatus, vt nec sitne vinum album an rubrum. Hæc controuersia magis inter Græcos & Latinos est, quam inter nos & Papistas. Nam etsi potius in fermentato pane celebrandum esse hoc Sacramentum dicimus, quia cõmunis & vsitatus panis est; cum Christus pane vsitato, seu azymo, seu fermentato vsus fuerit: tamen non damnamus alium morem. At Græci Latinos damnant, & ab eorum sacrificio abstinẽt propter hanc ipsam causam: contra Latini Græcos vocant schismaticos, vt ex

Leon. 9. E. pist. ad Michael. c. 5. Leonis noni Epistola patet, qui ait hunc Michaelem Episcopum Cõstantinopolitanum, & Leonem Acradinum Episcopum, damnasse Romanam Ecclesiam pro eo maxime, quod de azymis cõmemorationem Dominicæ mortis celebratet. Sed hic Leo, & Innocentius tertius, nõ minus contra Græcos pro suo azymo fulminant.

Innocent. 2 l. 4. c. 4. de myster. missæ. Quod verò Innocentius ait, Græcos à Leone in Epistola ad Michaelem Imperatorem confutatos esse super variis hæresibus, in eo fallitur: non enim fuit ille Michael Imperator, sed Archiepiscopus Constantinopolitanus, vt apparet ex Epistola Leonis: & illum tamen Imperatorem Alanus vocat: vnde non lectam ab eo Epistolam Leonis constat. Nos ergo hac de re cum Papistis non litigamus, nec illi nos magnopere damnant, nisi quod aiunt nos non obseruare morem Ecclesiæ: at æquum nos putamus, sequi exemplum Christi, qui communi pane vtebatur.

Caput II.

Rationes afferuntur, quibus probatur, Christum non pridie Azymorum celebrasse cænam, vt volunt Græci.

Sed quia omnis hæc inter Græcos Latinosque dissensio inde orta est, quod Græci Christum celebrasse Cænam pridie Azymorũ, vnius diei anticipatione, dicant; contra Latini primo die Azymorum; atque ideo illi in pane fermẽtato, hi in azymo celebrasse affirment: & multi etiam Theologi aut nesciant, quid de hoc statuant, aut nondum inter se conueniant; operæ pretium erit hanc rem breuiter explicare.

Bellarminus multa dicit, quæ mutuatus est ex Marcello Francolino: ego me nulli addicam, sed libertatem & rationem sequar. Etsi autem variæ sunt doctorum opiniones hac de re; possunt tamen omnes ad hæc duo capita reuocari, edisse scilicet Christum Pascha aut eodem die, quo Iudæi, aut pridie. Et quidã Christum pridie, sed dicit legitimo, edisse volunt, Iudęos verò distulisse, aut propter Sabbatũ, aut propter eam curam, qua in Christi necem incumbebant. Iudæi enim non ex Lege, sed ex consuetudine quadam post captiuitatem Babylonicam, vt quidam volunt, si solenne aliquod Festum in Sabbato incideret, in proximum diem differre solebant: ita ex hac sententia Christus celebrauit Pascha eo die, quo Lex præcepit celebrari, Iudæi verò die proximo, quia Pascha eo anno, quo Christus passus est, in Sabbato incidit: alii verò volunt non ideo Iudæos distulisse Pascha quia in Sabbato incidit, sed quia occupati erant in accusando Christum, & in tollendo eum è medio. At alii è contra putant Iudæos die legitimo Pascha celebrasse, sed Christum præoccupasse diẽ Lege constitutum, & ante illum diem Pascha celebrasse, quia nouit se

Marcell. Franco lin. in lib. de horis Canonicis.

se antea moriturum. Et plærique Theologi vnum diem inter Christi & Iudæorum Pascha intercessisse putant propter loca quædam in Euangeliis. Mihi verò rebus omnibus diligenter expensis alitet visum est, Christum scilicet & Iudæos simul die Iouis ad vesperam Pascha celebrasse, & postridie Christum crucifixum fuisse: non ergo aut Christum aut Iudęos mutasse diem. Rationes meæ hæ sunt.

1. *Exod. 12. 6. 18. Leuit. 23. 5.* *Prima* ratio sumitur ab authoritate veteris Testamenti Exod. 12. & Leuit. 23. vbi præcipit Deus decimo quarto die primi mensis ad vesperam Pascha edere. Iam verò Iudæi adeo diligentes fuerunt obseruatores Legis, & omnium cæremoniarum, vt superstitiosi videri possint. Et cautum est Numer. 9. vt si qui non possent Pascha celebrare decimo quarto die primi mensis, vel quod immundi essent, vel quod essent in itinere, differrẽt in decimum quartum diem secundi mensis: non licebat proximo die celebrare. Et legimus Regem Ezechiam & Israelitas distulisse celebrationem Paschatis in decimum quartũ diem secundi mensis, quia Sacerdotes non parati erant; nõ in diem proximum. Incredibile igitur est, ausos fuisse Iudæos mutare diem, cum Deus nullam mutationem in Lege permiserit. Et Christus voluit seruare Legem: ideo enim venit in mundum: & oportuit typum ac veritatem congruere, vt eodem die, quo Agnus typicus, verus etiam Agnus immolaretur: ꝙ magno argumento est Christum in die non discessisse latum vnguem à Lege.

Numer. 9. 10. 11.

2. Paralip. 30. 2. 3. 13.

Primo igitur Festum Paschatis celebrauit ad vesperam eiusdem diei, quo crucifixus est; postea aliud epulum instituit; & postremo eodem ciuili die crucifixus est: vtrumque tempus ad vnum diem ciuilem pertinebat. Nam quod quidam Christum præueniisse & præoccupasse diem dicunt, quia se postridie moriturum præsciebat; nulla ratio est: non enim cuiquam necesse est Legem seruare, nisi dũ viuit: potuit hæc causa esse, cur Cænam suam ea nocte celebraret, sed non cur Pascha ederet. Et certè cum legamus Iudæos tam diligentes fuisse in accusando Christum, & in conquirendis contrà illum criminibus, si resciissent, illum hãc Legem de Paschate violasse, & Pascha alieno tempore celebrasse, sine dubio illum feciissent reum magni criminis; & hæc satis iusta causa fuisset eum è medio tollendi: sed nemo ei hoc obiecit, nulla hac de re facta est querela, imo nulla mẽtio. Nam etsi Christus legitimo die Pascha celebrasset, Iudæi verò non: hoc tamen ad crimen satis fuisset. Quod verò aliqui aiunt, Christum hoc clam feciisse, vt nemo sciret, non est verisimile. Constat enim misisse Christum duos discipulos ad hospitem quendam, in cuius ædibus Pascha voluit celebrare: ergo tota illa familia nouit: & si clam aliis hoc fuit, tamen Iudas nouit, qui procul dubio hac de re Sacerdotes certiores feciisset. Et certum est multos fuisse con-

scios; nemo autem Christum accusat de violato Paschate: qui Christum accusabãt, quod traditiones non seruaret, si cõmunem morem in celebrando Paschate non seruasset, nunquid tacuissent, & hæc omnino prætermisissent?

2. *Secunda* ratio sumitur ex Euangelio: Scitis, inquit, CHRISTVS, *Mat.26.2.* ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται, *quod post biduum Paschа erit, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Christus sic loquitur vt de re nota omnibus: si autem ipse diem præuenire in animo habuisset, dixisset, Scitis Iudæos Pascha suũ post triduũ celebraturos: at ego post biduum celebrabo: præsertim cũ vidissent illum iam bis antea eundem cum Iudæis diem seruasse. Cum enim Christus bis antea stato tempore Pascha celebrasset, si iam vnum diem præoccupare voluisset, quomodo diceret discipulis, *Scitis*, id est, ex more & consuetudine mea nostis? non enim sciebant, si diem præoccupare voluit: nec ex Lege id scire potuerunt, quia Lex alium diem præscripsit. Sic ergo Christus locutus est, vt si nos dicamus, Scitis Natalitia fore tali die, aut Pascha tali Dominica: Scitis? vnde? ex lege, & more, quasi diceret. Nemo nescit. Et alii Euangelistæ consonant.

Marc.14. 1. & 12. Marcus ait, *Erat Pascha & Azyma duob. post diebus*: loquitur de eodem Paschate, eisdemq; azymis: & postea, *primo die Azymorum*, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, *quando Pascha mactabant*, Iudæi scilicet: certum est ergo, primo die Azymorum Iudæos Pascha celebrasse: & Christus eodem die celebrauit.

Sic Lucas, Venit dies Azymorum, quo oportebat θύεσθαι τὸ πάσχα, *mactari Pascha*: vnde constat Lege illos ad diem illum astrictos fuisse. Vnus Ioannes videtur paulo aliter dicere, de quo postea respondebimus. Ita tres Euangelistæ rem eandem ijsdem pene verbis declarant: ergo eandem horam & punctum temporis seruauit Christus in celebratione Paschatis cum Iudæis. Ex his colligimus, errare eos, qui putant diem vnum intercessisse inter celebrationem Paschatis à Christo & Iudæis obseruatam. *Luc.22.7.*

Tertia ratio sumitur à testimoniis Patrum. Chrysostomus ait, Christum seruasse cæremoniã eo die, quem Lex præscripsit, vt *se in omnibus non esse Legi Aduersarium vsq; ad vltimum passionis diem ostenderet.* Hieronymus ait, *primam diem Azymorum fuisse decimam quartam diem primi mensis, quando Agnus immolatur, & fermentum abijcitur.* Similiter Augustinus ait, Christum *cænasse ea vespera, qua incipiebat azymum, & ouis immolatio.* Sic Beda ait, Christum cænasse prima die Azymorũ, i. e. quarto decimo die primi mensis, *quando fermento abiecto Paschæ immolare, id est, Agnum occidere solebant ad vesperam.* Solus ex veteribus Euthymius ait Christum in fermentato consecrasse; quod nullo modo defendi potest, quandoquidem oportuit ex Lege semper azymis vesci cum Agno. Etsi ergo Christus Pascha suum pridie celebrasset, 3. *Chrysost. hom. 82. in Matth.* *Hieron. in Mat.26.* *August. Epist. 86.* *Beda super Marc.14.* *Euthym. in Mat.26.*

brasset, tamẽ fermentum sine dubio recusasset. Epiphanius etsi nõ ait Christum in fermento Pascha celebrasse, tamen ait Christum nõ seruasse diem Iudæorum. Et adhuc Græci sunt in hac sententia, vt cõstat ex censura Ieremiæ Archiepiscopi Constantinopolitani in Augustanam cõfessionem. Et sic Caluinus, Iansenius, & alii multi docti viri putant Christum diem anticipasse. *Epiphan. hæres.51.*

CAPVT III.

Diluuntur rationes Græcorum & aliorum qui volunt Christum pridie Azymorum Cænam suam celebrasse, & Pascha edisse.

SED contra hanc opinionẽ multa Græci obijciunt, & inter Latinos Paulus Brugensis, qui ex Iudæo factus est Christianus: qui volunt Christum decimo tertio die Lunæ Pascha edisse, non iuxta Legem die decimo quarto: quorũ argumenta nunc à nobis diluenda sunt. Illa verò sumuntur ex Euangelio, & *primum* quidem ex Euangelio Ioannis, vbi Euangelista ait, Christum cænasse πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, *ante festum Paschæ*: nam proximo versu sequitur, καὶ δείπνου γενομένου, *& cœna facta* &c. quem locum Græci adeo vehementer vrgent, vt dicant Iohannem correxisse cæteros Euangelistas: at sic explicãdus est Ioannes necessariò, vt non pugnet cum reliquis tribus Euangelistis. Ex his verbis Ioannis Græci duo colligunt, *primũ* est, Christum Cænam suam ante Pascha Iudæorum celebrasse: *secundum* Ioannem correxisse alios Euangelistas, qui aiunt Christum primo die Azymorum, id est, ἐν ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς, *in die Festi*, suum Pascha edisse. Doctissimus Scaliger distinguit πρώτῳ τῶν ἀζύμων, *primum diem Azymorum* ab ἑορτῇ τῶν ἀζύμων, id est, *à Festo Paschæ*: & quidẽ Festum Paschæ durabat septem dies: tamẽ primus dies Azymorum erat solennis, & festus, vt quanquam nolim cõfundi ἑορτὴν cum πρώτῃ ἡμέρᾳ, tamen defendam πρώτῳ τῶν ἀζύμων, *primum diem Azymorum*, pertinere ad ἑορτὴν. Sed cum Ioannes dicat πρὸ τῆς ἑορτῆς, *ante Festum*, habet difficultatem, quia quod fiebat in primo die, non ante Festum, sed in Festo fiebat, quod illis omnibus diebus celebrabatur. Sed *respondeo* duo: *primum* est, non id dicere Euangelistam, Christum celebrasse Cænam πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, *ante Festum Paschæ*, sed sciuisse rũ horam suam instare: hoc ergo refertur ad tempus, quod præcessit vesperam statim, in qua Christus Pascha cũ discipulis immolauit: quare quod versu secundo dicitur, δείπνου γενομένου, *cœna facta*, non indicat Cænam esse factam ante diẽ Paschæ, quia palam est Ioannem multa hic prætermittere. *Secundum* quod *respondeo*, est Ioannem loqui de illa ἑορτῇ, cuius causa Sacerdotes Christi mortem maturabant: quod etsi vocatur Pascha, tamen non

Brugens. in Matt.26.

1. *Ioan.13.1.2*

non erat Agnus Paschalis, quem Christus & Iudæi comederũt pridie quam crucifixus est Christus. Hoc esse verum tum ex Lege, tum ex Euangelio patet: Lex ait, *Mactabis Paschа pecudes & boues Iehouæ Deo tuo*: at Christus nõ nisi agnum mactauit: tum ex Euangelio hoc patet, quia cum Christus Iudæ dixisset, *Quod facis faccito*, discipuli putabãt, iussum esse Iudam emere ea, quib. opus erat ad Festum: non hoc de Paschare Agni intelligi potest; iam enim Christus cum discipulis Agnum Paschalem ederat: ergo illud ἑορτὴ referri debet ad aliud Festum. Sic vtrouis modo interpretemur, nõ pugnabit Ioannes cum aliis Euangelistis: id enim sine blasphemia ne cogitari quidem potest.

Deut. 16. 2. Leuit. 23. 8.

2. *Secundum* argumentum Græcorum & Græcis fauentium sumitur ab illis Christi verbis, *Dicite ei, Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te faciam Pascha cum discipulis meis*. Hoc à Christo dici vult Brugensis, vt distinguat tempus, quo ille Pascha esurus erat, ab eo tempore, quo Iudæi Pascha celebraturi erãt, quasi diceret Christus, meum Pascha est ante Pascha Iudæorum: hinc Brugensis colligit, Christum mactasse suum Pascha, antequam Iudæi Pascha suum mactarũt, quia Christus ait Pascha suum prope fuisse. Sed *respondeo* Brugensem in magno errore versari, quia Christus non loquitur de tempore Paschatis, sed de tempore mortis suę: ait tempus mortis suæ iam appropinquare.

Matth. 26. 18.

Tertium argumentum sumitur ab illis verbis Euangelistæ Ioannis, *Ipsi*, id est, Iudæi, *non ingressi sunt Prætorium, ne polluerentur, sed vt ederent Pascha*: ergo illi nondum ederant Pascha: at Christus ederat. Chrysostomus ait, Iudæos occuparos in accusando Christo, & ad mortem rapiendo, distulisse Pascha contra Legem. Sed hoc incredibile est: tum enim palam omnibus innotuisset, illos Legis contemptores esse. Erant, (fateor) intenti in hanc curam; sed nunquam ausi fuissent vt malitiæ suæ indulgerẽt, Legem tam apertè violare. Quare aliter & melius responderi potest, edere Pascha, non hic idem esse, quod edere Agnum, sed manducare azymos, & lactucas, & victimas Paschales, quæ ex ouibus & bobus quotidie in diebus Paschæ immolabantur: ea enim nocte sacrificium solenne faciebant, idq; ex Lege, cuius etiam Iosephus meminit. Et erat quidem magna differentia inter Pascha & ista alia sacrificia: nam Agnus non erat proprie sacrificium, quia quiuis priuatus Agnum Paschalem mactabat, at hæc sacrificia erant à solis sacerdotibus procuranda: & Agnus in priuatis ædibus per contubernia mactabatur: hæc verò sacrificia in Tabernaculo & in Templo publice: Agnus assabatur; at ista alia sacrificia coquebantur vel elixabantur: de Agno est verbum צלח; in illis בשל: denique erant Agni in singulis contuberniis; sed vnus tantum aries, & duo inuenci in Templo. Igitur Ioannes de his sacrificijs loquitur; nam Agnum iam ederant Iudæi: ne autem intrando prætorium cõtaminarentur, vt eis hæc sacrificia offerre non liceret, sibi cauebant.

3. Ioan. 18. 28.

Chrysost. hom. 85. in Matth.

Deut 16. 2. Ioseph. antiquit. l. 3. c. 12.

Exod. 12. 8.

Deut. 16. 7.

Quartum Græcorum argumentum sumitur ex his verbis Matth. 26. Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, *Non in Festo, ne tumultus fiat in populo*: vnde concludunt, Christum occisum esse ante Festum; & si ante Festum, tum ante Pascha. *Respondeo*: 1. Nomen τῆς ἑορτῆς pertinet magis ad illa sacrificia, quæ oblata sunt postridie à Sacerdotib. nempe decimo quinto die mensis, quam ad Agnum Paschalem, qui decimo quarto die mactabatur. 2. Possumus etiam dicere, hoc inter Sacerdotes fuisse deliberatum, vt Christum è medio tollerent ante Festum, sed ad extremum illam sententiam valuisse, Christum etiam in festo die opprimendum: nam postquam Iudas operã suam illis pollicitus est, quouis die hoc fieri posse statuerunt. Metus erat aliquis à tumultu, sed tamen aggredi voluerunt, ne si hãc occasionem omitterent, elaberetur Christus è manibus illorum. Imo hoc potuisse Christum interfici in die festo declarat, quia nihil prohibebat, nisi metus alicuius tumultus: nõ enim aiunt, ne nos polluamus, aut Festum violemus, sed ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ, *ne tumultus fiat in populo.*

Matt. 26. 5.

Quintò obiiciunt Græci, multa fecisse Iudæos eo die, quæ non licebat in festo die facere, accusasse Christum, examinasse, iudicium capitale exercuisse, Iosephum Arimathæum sindonem emisse, & Christum sepeliuisse, & fæminas emisse aromata. Sed *respondeo*: Iudæos nõ exercuisse hoc iudicium, sed quod ad causam criminalem attinet, illam totam Pilato permisisse. Sepelire autem hominem etiam in Festo & Sabbato semper licuit: quare & comparare quæ ad sepulturam requirebantur. Opera seruilia in die festo prohibebantur, non omnia opera.

Vltimo vrgetur illud quod habetur Ioann. 19. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *Erat autem parasceue Paschæ*. Hunc locũ Paulus Brugensis valde vrget, eique magnopere confidit. Sed *respondeo*: παρασκευὴ nunquam nisi de Sabbato sequente dici. In Sabbato non licuit ignes accendere, aut cibos coquere, aut culinarium vllum negotium administrare: ergo παρασκευὴ dicta est dies præcedens, in qua hæc omnia faciebant. Vocatur autem παρασκευὴ τοῦ πάσχα, quia illud Sabbatum in Paschа inciderat: quod magnopere auxit religionem illius Sabbati: sic παρασκευὴ erat respectu Sabbati, non respectu Paschatis. Alia Festa præter Sabbatum non habebant παρασκευάς: licebat in ipsis Festis parare cibos, & sacrificia: non ergo de parasceue Agni Paschalis hoc intelligendum est. Atque ita hunc Brugensem etsi Iudæum tamen in magna rerum Iudaicarum ignoratione versari manifestum est.

Ioan. 19. 14.

Igitur necesse est, vt Christum dicamus edisse Agnũ cum Iudæis, & pane azymo vsum esse: omne

enim fermentum iam erat è finib. Iudæorum exterminatũ. Sed hoc nihil pro azymitis facit: ratio enim, cur pane azymo vsus est Christus, hæc fuit, quod tum ille erat legitimus panis: nos ergo si Christi exemplum sequamur, legitimo & vsitato pane vti debemus: superstitiosum est, cum in communi cibo, fermentato pane vtimur, in Sacramento panem azymum adhibere. Etsi Græci in errore versantur, qui azymum ne panẽ quidem esse contendunt. Sed quorsum litigant Pontificii de pane azymo, eum dicant nullam substantiam panis manere in Eucharistia post consecrationem? ergo huic negotio non minus inseruire potest panis fermentatus, quam azymus: quid enim refert, quo saporẽ accidentia panis sint? In Baptismo non refert, nũm aqua salsa sit, an dulcis, num frigida, an calida. Præterea panis non tranfit in naturam corporis Christi, sed tantum Christo venienti locum relinquit: at hoc p fermentatum panẽ non minus fieri potest, quam per azymũ. Ita nos hanc Græcorum & Latinorum contentionem satis prosecuti sumus, & scrupulum ex Euangelio magnum sustulimus de die quo Christus Agnum comedebat.

Nos nullam Papistis hac de re litem intendimus; conuenientius tamen dicimus esse, vt pane communi vtamur.

FINIS QVARTÆ QVÆSTIONIS
DE EVCHARISTIA.

QVINTA

QVINTA QVÆSTIO:

An aqua sit cum vino miscenda in Eucharistia.

CAPVT VNICVM

In quo Pontificiorum sententia explicatur & vellicatur, nostra vero breuiter propo. nitur.

HVic Quæstioni affinis altera est de miscenda aqua cum vino: pertinet enim vtraque ad materiam huius Sacramenti. Vinum vitis necessarium esse omnes affirmant, vt sine eo nihil confici possit: aromatica vina non sufficere: & aquæ paulum vino admiscendum esse; quam ego antiquam consuetudinem esse non nego, vt ex Irenæo, Cypriano, Iustino, & aliis manifestum est. Irenæus *temperamentum* vocat, & *vinum mixtum*. Cyprianus etiam huius mistionis meminit. Græci κεκρᾶμα appellant, vt Iustinus. Forsan mos veterum fuit vinum aqua temperatum bibere, nõ merum: & Christiani putarunt etiam in Sacramento vinum sobriè bibendum esse: ergo dilutũ vinum adhibuerunt, ne vlli occasio ebrietatis daretur: & orientalium regionum calida & fortia vina fuerunt. Nunc Papistæ aquam semper cum vino permiscent: & multas hac de re cautiones adhibent. Etsi res non magni momenti sit, tamẽ causas & fundamenta huius consuetudinis perquiremus, vt quid de omni re statuendum sit videamus.

Irenæ. l. 4. c. 57. & l. 5. in initio. Cyprian. l. 2. Epist. 3. ad Cæciliũ. Iustin. Apolog. 2.

Papistarum sententia his tribus conclusionibus continetur. *Prima* conclusio est, vino aquam admiscendam esse in Eucharistiæ Sacramento. Ita iubet Alexander primus, Papa, apud Gratianum: & Concilium Florẽtinum in instructione ad Armenos seuere præcipit, vt aqua cum vino permiscea-tur: fermentum illis suum permittit, sed aquæ omissionem non tolerat: putat hanc rem esse altioris cuiusdam mysterii, quam est abiectio fermenti. Concilium Tridentinum damnat eos, qui hanc Ecclesiæ consuetudinem non obseruant. Rationes autem has afferre solent. I.

Gratian. de consecr. d. 2. can. 1. Conc. Florent. in instruct. ad Armen.

Conc. Trid. sess. 22 c. 7.

Prima ratio est, sic Christus credi-

ditur conſecraſſe. Sed vnde id liquet? certe nihil tale in Euangelio legitur. Quod illic mos olim fuit, inquiunt. Sed quomodo hoc probatur? Quia Prouerb. 9. legimus, inquiunt, *Sapientia miſcuit vinum ſuum:* & paulo poſt, *Bibite vinũ, quod miſcui vobis.* Sed potuit miſceri vinum, etſi non aqua: licet probabile ſit, talem miſtionem intelligi: ſapientiæ enim conuiuia etſi lauta ſint, tamen ſemper ſunt ſobria: & facile credo eum fuiſſe morem Iudæorum, cum hoc vulgo in Gallia fiat. Sed hæc ratio neque ad Sacramentum, neque ad omnes homines pertinet: nõ ad Sacramentum, quia in Sacramento tam parum bibitur, vt ebrietas non ſit metuenda: non ad omnes, quia vina quarundam regionum mitiora ſunt, vt non requirant aquam.

Prou. 9. 2. & 5.

1.

2. *Secunda* ratio eſt Dominicæ paſſionis repræſentatio, quia fluxit è latere Chriſti morientis ſanguis & aqua: ergo aqua cum vino miſcenda eſt in Euchariſtia: & hæc ratio à multis adhibetur. Sed hoc quidem eſt ludere in rebus ſerijs & ſacris. Non eſt neceſſe, vt nos ea omnia repræſentemus in Sacramento, quæ Chriſtus aut fecit aut paſſus eſt in cruce. Et ſi hæc ratio valeat, tum deberet poſt conſecrationem vinum verum & aqua remanere, aut aqua ſaltem cum ſanguine in calice.

3. *Tertia* ratio, eaque præcipua, illa eſt, quam Cyprianus in Epiſtola citata affert, & Concilium etiam tertium Braccarenſe; Permiſtio aquæ cum vino ſignificat coniunctionem fidelis populi cum Chriſto: quare (inquit Cyprianus) ſi vinum offeratur ſine aqua, CHRISTI ſanguis eſt ſine nobis: ſi aqua ſine vino, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Mira ſane ratio tanti martyris: conſuetudinem probo: rationem vero non probo. Sed hinc duo argumenta contra Tranſubſtantiationem colligo.

Cyprian. l. 2 Epiſt. 3. ad Caecil. Concil. 3. Braccarenſ. can 1.

Primum eſt, verum vinum offerri ſolitum in Euchariſtia: oblatio enim fit poſt conſecrationem. *Secundum*, Si Chriſti ſanguis ſit realiter in poculo, & nos illum bibimus, neque nos ſine Chriſto, neq; Chriſtus ſine nobis eſt, etſi nulla ibi aqua ſit: tum enim Chriſti ſanguis realiter à populo fideli bibitur. Sed quia rem aliam ſignificari miſtione hac Cyprianus putauit, ideo ait ſeparari Chriſtum à plebe, niſi aqua adſit, quæ plebem repræſentet. Atque hactenus de prima concluſione.

Secunda concluſio hæc eſt, appoſitionem aquæ non eſſe de neceſſitate Sacramenti: ſed tamẽ hac de re inter Sophiſtas litigatur. Quidam eſſe ſimpliciter neceſſariam dicunt, vt aliter nullum ſit Sacramentum. Alanus ait, hanc quæſtionem eſſe difficultatis plenam, & contrariis Scholaſticorum ſententiis agitari: aitque nunquam hactenus diſpenſatum eſſe cum vlla gente, vt in mero vino conſecraret. Cum autem multæ gentes ſolitæ ſint ſine aqua conſecrare, videtur Romana Eccleſia ſentire, nõ poſſe diſpenſari: alias vt de fermẽtato pane cum Græcis & Armenis diſ-

2.

Alan. de Euchariſt. Sacram. l. 1. c. 13.

penſauit, ſic de permiſtione hac cum aliquibus diſpenſaret. Non igitur falſò Kemnitius de Papiſtis ſcripſit, vt Bellarminus ait, eſſe aquam de neceſſitate Sacramenti. Et Armachanus diſertè ſtatuit, de Sacramenti neceſſitate eſſe. Certè ſi Cyprianus verè ſcribat, eiuſque ratio aliquid in ſe momẽti habeat, nos à Chriſto diuelli, niſi aqua cũ vino miſceatur, quis non videt, æque aquam neceſſariam eſſe ac vinum? Tamen communior nunc opinio eſt, ſi abſit aqua, conſecrari.

3. *Tertia* & poſtrema concluſio Papiſtarum hac de re eſt, tutius eſſe aquæ parum apponere. Sed quare tutius eſt, niſi quod forſan non eſſet Sacramentum ſine aqua appoſita? Ita neſciunt an aqua neceſſariò requiratur in Euchariſtia, necne: tantum tutum eſſe dicunt adhibere. Quæro igitur ſitne de materia neceſſaria Sacramenti, an non? nõ auſint dicere, eſſe de materia neceſſaria Sacramenti: nam eam dicunt eſſe vinum vitis: at aqua non eſt vinum. Deinde hæc aqua non manet aqua, ſed conuertitur in vinum ante conſecrationem: ergo vinum ſolum eſt de eſſentia materiæ, cum etiam aquam in illud cõmutatam dicant, vt ſit materia Sacramenti: aqua ergo non eſt materia: non ergo neceſſaria: idque ipſi dant neceſſitate Sacramenti, ſed eſſe neceſſariam dicunt neceſſitate præcepti: at cuius? Eccleſiæ, dicunt: at nos reſpondemus cum Cypriano, nõ attendendum, quid hic aut ille dicat, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus dixerit: eiuſmodi præcepta, quæ nulla Scripturæ authoritate nituntur, non moramur.

Sed iam quantum aquæ infundendum ſit, nonnulla quæſtio eſt: cauendum enim eſſe dicunt, ne aquæ quantitas vini quantitatẽ ſuperet: non ergo plus aquæ infundendum eſt, quam poſſit facilè in vinum conuerti. Honorius Papa ait, in quibuſdam locis plus aquæ adhiberi ſolitum eſſe, quam vini; ſed ille hanc conſuetudinem damnat, & modicam aquam ait ſuffi-cere: imo Concilium Florentinum modiciſſimam: & Dominicus à Soto tanto eſſe tutius ait, quanto minus aquæ eſt appoſitum, præſertim ſi vinum tenue ſit; nam conuerti in vinum eſt neceſſe. Sed tamen Alphonſus de Caſtro nõ putat hoc eſſe certum, aquam conuerti in vinum, cum ſint viæ in philoſophia, quibus aqua à vino ſeparetur. Sic Innocentius, *Phyſici aquam à vino per artificium aſſerunt poſſe ſeparari*: ergo nulla eſt cõuerſio aquæ in vinũ, & ſic aqua non tranſit in veram naturam vini. Hoc ſi verum ſit, quod Innocentius ait, tum materia Sacramenti non eſt vinum tantum, ſed vinum & aqua: at hoc illi nullo modo cõcedunt, ſed eſſe tantum vinum aiunt: cur ergo veteres κεῖραμα vocant, quod eſt res miſta ex aqua & vino. Quod ſi aqua tranſeat in vinum, tum erit Tranſubſtantiatio ante conſecrationem, aquæ ſcil. in vinum: & ſi aqua fiat vinum, tum vna natura migrat in aliam: quod

In Decret. de celebrat. Miſſa. cap. Pernicioſus.

Alphonſ. de Caſtr. tit. Euchariſt. hæreſ. 6.

Innocent. 3. de celebr. Miſſ. ca. Cũ Martha.

sine miraculo fieri non potest: at illi hoc nolunt.

Iam igitur quæruntur hic multa. Postquam enim statuerunt, aquam esse adhibendam in hoc Sacramento, & modicam aquam, quæri potest, quo tandem abit aqua, quæ miscetur? Tres sunt de hac re opiniones.

1. *Prima* opinio est, aquam conuerti in vinum, & sic fieri vinum, & transubstantiari. Hoc philosophis relinquo, an aqua in vinum vertatur. Sed quid si tantum aquæ apponatur, vt non possit transire in vinum? tum, inquit Soto, vinũ cõsecratur, & aqua manet in substantia aquę: quod mirum est, cum sit mistio & confusio aquæ & vini, & sic post consecrationem, aquæ & sanguinis Christi, & tum populus aquam adorat in calice: & tum sacerdos post vnam Missam non posset aliam celebrare, quia aquam bibit.

Dominic. à Sot. in 4. d. 9. q. 1. art. 6.

2. *Secunda* opinio est, aquam calici infusam in sua specie permanere tam ante consecrationem, quam post: quam opinionem Innocentius tertius commemorat, & non improbat. Ita erunt duæ diuersæ substantiæ in calice.

Innocent. vbi supra.

3. *Tertia* opinio est, hanc aquam conuerti in illam aquam, quæ ex latere Christi fluxit, vt vinum in Christi sanguinem. At hoc si fiat, oportet verbis aliquib. fieri; nam sic duplex erit consecratio, aquæ in aquam, & vini in sanguinem: at nullis verbis vtuntur, nisi in consecratione vini. Ita non omnes Pontificii conueniunt, aut aquam conuerti in vinum ante consecrationem, aut post cum vino in sanguinem conuerti. Quæri etiam solet, possit ne post consecrationem aqua infundi, aut alius liquor? Scholasticorum varia opinio est.

Thomas ait, si vinum non consecratum speciebus cõsecratis admisceatur in maiore quantitate, quam fuit vinum specierum, desinere ibi esse sanguinẽ Christi. Sed Richardus & Durandus contra, si gutta sanguinis consecrati in dolium vini cadat, non corrumpi aiunt à vino, sed manere sanguinẽ. Quid si autem æqualis portio cũ æquali misceatur? tum tertium liquorem effici aiunt, & desinere ibi esse sanguinem. Quid si gutta vini non consecrati in calicem vini cõsecrati cadat? tum erit vinum non consecratum: quid si gutta aquæ? tum in vini substantiam conuertitur. Hoc forsan verum, si esset vinum in poculo; sed iam est sanguis: at non conuertitur in sanguinem: neque in vinum conuerti potest, quia non nisi accidentia vini remanent: accidentia autem vini non possunt mutare aquæ substantiam in vinum.

Nos vero dicimus de hac re, hoc est, de mistione aquæ cum vino in Eucharistia, non esse magnopere litigandum, si nihil aliud inter nos & Papistas controuerteretur, quia non constat ex Scripturis, vsusne sit Christus mero vino in Sacramento, an vino cum aqua misto. At Bellarminus ait, non minus certum esse, Dominum miscuisse aquam, quam consecrasse vinum,

vinum, quia Euangelistæ nusquam faciunt mẽtionem vini nisi in illis verbis, *Non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam nouum in regno Dei*: & ait hæc verba nil pertinere ad calicem Eucharistiæ. Sed in hoc pugnat & cum aliis Papistis, & secum: cum aliis, quia Alanus ait, materiam huius Sacramenti esse vinum vitis, quia CHRISTVS ait, *Non bibam ex hoc genimine vitis*: quod non probat, si hæc verba non pertinent ad Eucharistiam: secum verò pugnat, quia ipse ait, non esse aquam de necessitate Sacramenti: sed si tam certum sit, Christum aquam quam vinum adhibuisse, tum aqua est de necessitate Sacramenti: nam illi dicunt vinum esse de necessitate, quia CHRISTVS in vino celebrauit, & non esse aquam de necessitate, quia non est certum, quod Christus aquam adhibuit: Certè Armachanus Christum ait in solo vino sine aqua hoc Sacramentum celebrasse. Et Græci hodie aquam non apponunt, vt ex Durando & Cabasila patet, neque Armeni: & si Christus vsus est aqua, id ex more fecit: nos ergo si morem seruamus, Christi exemplum imitamur.

Mat. 26. 29. Marc. 14. 25. Luc. 22. 18.

Alan. de Sacram. l. 1. c. 13.

Durand. l. 4. c. 42. Cabasil. in Liturgia.

FINIS QVINTÆ QVÆSTIONIS DE EVCHARISTIA.

SEXTA

SEXTA QVÆSTIO:

De idoneo Ministro Eucharistiæ,

An administrari possit Eucharistia à quoquam sine legitima vocatione & ordinatione.

Caput Vnicvm.

In quo nostra de hac Quæstione sententia breuiter proponitur, Pontificiorum vero sententia explicatur & refellitur.

POst tractatas de Sacramẽti huius materia Quęstiones, consequens est, vt de eiusdem forma disseram⁹, quam dicunt Aduersarij in his verbis esse positam, *Hoc est corpus meum*; atque his Sacramentum fieri & consecrari. Sed hanc causam antea copiose tractauimus, & non modo pugnas illorum narrauimus, sed & magicas imposturas, quas in illis verbis ponunt, diluimus. Nunc sequitur, vt de ministro huius Sacramenti aliquid dicamus, qui est eiusdẽ causa secundaria: causam enim primariam Sacramentorum Christum esse omnes intelligunt. Bellarminus nos accusat, quod cuiuis Christiano potestatem tribuamus Sacramenti huius celebrandi, sed in eo aut nobis impingit opinionem fictam, aut, quod magis credo, non intelligit sententiam nostram. Adeo enim non putamus cuiuis licere hoc Sacramentum administrare, vt qui hoc sine vocatione tentarint, eos non modo alienum officium vsurpare, sed & immanis sacrilegii reos esse dicamus, & Vzziæ similes, qui temere munus sacerdotale inuasit. Sed illorum quidem impuras & Baaliticas ordinationes execramur, in quibus nihil esse aut à Christo institutum dicimus, aut quod ministros Euangelicos deceat. Sed de ordinatione Ministrorum alius erit dicendi locus; paucis tamen quædam Bellarmini calumniæ diluẽdæ sunt, quas nobis impingit. Ait autem hac de re dissentire Lutheranos & Sacramentarios: quomodo? quia Lutherus, inquit, ait quemlibet Christianum

num ex Baptismo potestatem habere Eucharistiam consecrandi: quid? etiam sine vocatione legitima? nequaquam: vbique enim Lutherus requirit ex confessione Bellarmini, vt sit legitime vocatus, qui hoc officium sumit. Et quid hic reprehendi potest? nam quid illi amplius nisi vocationem & ordinationem requirunt? nos quidẽ non tam multas in ordinatione cæremonias adhibemus, quam illi; neque ordinationem facimus Sacramentum: sed ordinationem & vocationem requirimus, non minus quã illi, imo forsan magis. Nam illi etiam fæminis potestatẽ baptizandi tribuunt; quod nos nõ modo non fæminis, sed nec viris non vocatis & institutis permittimus. Deniq; nullis nisi publicis Ministris aut Sacramentorum administrationẽ, aut verbi prædicationem cõcedimus: hoc nõ est cuiuis hanc licentiam tribuere, & ordinationem tollere.

Sed Bellarminus tria dicit contra nostram ordinationem.

1. *Primò* ait, nos ordinationem Ministrorum facere necessariam duntaxat ob disciplinam & ordinem Ecclesiæ, ne si cuiuis liceret Sacramenta conficere, nimia confusio esset. Sed hic quoque antiquum morem calumniandi retinet: nos enim ordinationem esse necessariam dicimus propter mãdatum Dei, vt si nulla inde confusio oriretur, nemini tamen sine vocatione & authoritate hoc officium sibi vendicare licere dicamus.

Christus enim hoc requirit, vt nemo ausit tractare aliquod munus in Ecclesia sine legitima authoritate, id est, nisi vocetur & ordinetur ab iis, qui authoritatem vocandi & ordinandi habent. Nos igitur ob hoc mandatum ordinationem requirimus, licet sublata ordinatione nulla confusio sequeretur: si qs n. posset sine confusione & turba ad ministeriũ ascẽdere, tñ sine vocatione & ordinatione non esset legitimum illius ministerium, quia careret ea vocatione, quæ est caussa formalis Ministri. Esset quidem ingens confusio & maxima ἀταξία, si cuiuis liceret sacra munera obire: sed si fieri hoc posset sine confusione, tamen necessariam esse ordinationem dicemus propter Christi mandatum.

2. *Secundò* ait Bellarminus, Sacramentarios apertè recessisse à sententia Lutheri: quid ita, quæso? quia Calvinus, inquit, & Bullingerus aiunt, nõ modo Eucharistiam, sed & Baptismum irritum esse, si ab alio quam à publico Ministro administretur: & citat locos: sed nihil facit: nam hæc nulla pugna est. Quid Lutherus olim senserit de Baptismo, non inquiro: putauit ille quidem non astringi nos debere ad ordinationem Papisticam: sed non permittit Lutherus laicis cõficere Eucharistiam, aut si conficiant, esse legitimum Sacramentum concedit: nam requirit vocationẽ publicam non minus quam Calvinus: optimè ergo consentiunt.

Calvin. instit. l. 4. c. 1. §. 22. & c. 3. §. 10. & c. 15. §. 22. Bullinger decad. 5. serm. 8. & 9.

3. *Tertiò* ait Bellarminus, eos qui

non sequuntur Lutherum, deserere duo principia doctrinæ Lutheranæ ab omnibus recepta. Quæ verò sunt illa?

1. *Primum* est, Sacramenta non operari nisi excitando fidem. Quid? nonne etiam confirmando fidem, & obsignando nobis diuinas promissiones? certè nos hoc dicimus: sed quid? hoccine principiũ euersum est, si quemuis Sacramẽta administrare nõ posse dicamus? imo, inquit, quia signa Sacramentalia fidem excitare possunt, à quocunque exhibeantur. At hoc falsum est: nisi enim à legitimo ministro exhibeantur, non possunt fidem aut excitare aut confirmare, quia alias non sunt Christi Sacramenta. Nulli possunt nobis bona cælestia promittere, aut fidem nobis facere de cælestibus Dei promissionibus, nisi quos Christus misit: qui ergo temere sine missione authoritatem sibi arrogant aut arripiunt administrandi Sacramenta, non possiunt illi aut excitare aut confirmare fidem nostram. Nemo enim potest facere aliquid in alterius persona, nisi per potestatem ab eo sibi commissam: ergo qui administrat Sacramenta sine vocatione Dei, & authoritate Ecclesiæ, non potest ille fidem aut excitare, aut confirmare. Etsi enim verum illud sit, quod & ab illis & à nobis dicitur, virtutem Sacramenti non pẽdere à persona aut qualitate Ministri, tamen non erit Sacramentum, nisi ab eo administretur, qui habet authoritatem sibi à Christo delegatam præbendi nobis Sacramenta, id est, pignora & sigilla promissionum diuinarum: tantùm ergo interest inter Eucharistiam à laico & à legitimo Ministro administratam, quantum inter sigillum adulterinum & legitimum. Si quis sigillum apposuerit, non perinde valet ac si publicus scriba apposuerit.

Secundum principium, quod ait 2.
à nobis euerti, si nõ sequamur Lutherum, & dicamus Sacramenta à quouis administrari posse, est, ordinationem non imprimere characterem. Hæc quidem verissima est nostrum omnium sentẽtia: sed quid tum? quia Papistarum futiles & inanes characteres non admittimus, ergone potestas consecrandæ Eucharistiæ omnibus est communis? quis nisi fatuus sophista sic ratiocinaretur? Nam etsi ridiculum est, quod illi de charactere scribunt, tamen nulli licet sine ordinatione ministerium exercere.

Bellarminus autem sic ratiocinatur, quasi non posito charactere cuiuis irruere in ministerium liceat. Hic illorum crassus sensus est, propter characterem, qui est occultum signum aut nota in anima impressa, Sacerdotes habere potestatem administrandi Sacramenta, & consecrandi; alioqui nihil proficere, quicquid fecerint: at de tali charactere Christus nunquã somniauit, neque vetus Ecclesia. Nos verò non propter characterem aliquem in animo latentem hanc authoritatem Ministris tribui dicimus, vt legitima sint Sacramenta, quæ administrant, sed propter publi-

cum munus & officiũ, quod eis commissum est, & propter authoritatem, quam ex vocatione & ordinatione Ecclesiæ habent: scimus an vocati sint, an vero habeant characterem, nescimus. Quare quod multis disputat, non licere omnib. Eucharistiam administrare, inutile prorsus & supervacaneum est: prætermittamus igitur, pẽsertim cum ipse dicat, nihil sibi cũ Sacramentariis hac de re negotii esse. Nos quidem non dicimus, licere omnibus Eucharistiam administrare, sed iis solis, quibus hoc Christus commisit: imo sacrilegos, profanos, omni supplicio dignos esse dicimus, qui audent hoc facere sine legitima vocatione. Debent esse publici & legitimi ministri, qui hoc faciunt; aut populum ludunt. Sed fatetur se non disputare cõtra nos: disputet ergo contra mentitam Lutheri opinionem, quamdiu voluerit: nos illum non sequemur. Non disputabo, an Christus Apostolos suos fecerit sacerdotes, cum dixit, *Hoc facite*: postea de hoc erit dicendum, cum de sacrificio Missæ disputabimus: nunc tantum Bellarmini contradictionem obseruabo. *Primò* ait, illud Christi, *Hoc facite*, non esse dictum nisi Apostolis, qui eo mandato ordinati sunt primi sacerdotes noui Testamenti: quid? num ergo antea Apostoli laici fuerunt per totum trienniũ? at prius dixit Christus, *Faciam vos piscatores hominum*, & fecit quidem: docuerunt enim antea, & baptizarunt multos. At statim subiungit Bellarminus, illud, *Hoc facite*, significare etiam Manducate & bibite, quod conuenit omnibus Christianis. Si verò *Hoc facite* contineat mandatum de edendo & bibendo, & hoc mandatum detur omnibus Christianis, & si his ijsdem verbis Christus sacerdotes instituerit, tũ omnes Christiani sunt sacerdotes. Certe aut his verbis nulli instituti sunt sacerdotes, aut hæc verba non ad omnes Christianos pertinent. Sed quia Bellarminus reuera nihil contra nos aut ad rem ait, & fatetur ipse se contra nos non disputare, ista mittamus.

Luc. 22. 19.

Matth. 4. 19.

Erit autem operæ precium, quid de Ministro huius Sacramenti inter Scholasticos vulgo disputetur, inquirere, cum nihil Bellarminus hac de re habeat. Nos igitur ex illorũ lacunis nonnulla hauriamus. Illud conuenit inter omnes Pontificios, proprium esse sacerdotum hoc conficere Sacramentum, idq; propter characterem, sic vt nisi quis characterem sacerdotalem habeat, non possit hoc Sacramentum conficere: ergo cum soli sacerdotes hunc habeant characterem, illos solos posse consecrare. At quid si quis in hunc ordinem irrepserit, & hunc characterẽ ementitus fuerit, cui Episcopus nunquam manus imposuerit? Hoc fieri posse nemo negauerit: legimus enim seruum quendam Romæ per alios magistratus ad præturam transiisse. Si Romæ hoc fieri potuit, vbi tanta disciplina fuit, quidni in tãta multitudine ignobilium sacerdotum aliquis ementiri characterem possit? si quid eiusmodi acciderit, quid

de huius ministerio omni dicem? nũ consecrare nõ potest, aut conficere Sacramentum? at quid de populo fiet eius hostiam adorante, præsertim si per multos annos sacerdotis munere functus fuerit; quod fieri potest? non modo nullum Sacramentum est, sed etiam illi pro Christo nõ nisi frustum panis adoraverint. Hoc necessariò sequitur ex illorum theologia de reali præsentia & sacerdotali charactere. Sed absit vt populus Christianus in tantum incommodum inciderit nullâ culpâ suâ. Sic igitur disputo: Christus nunquã coniecit Ecclesiam suam in eam perplexitatem, vt populus Christianus quid agere debeat nesciat: hoc omnes cõcedent: at si illi soli consecrarent, qui habent characterem, in eam perplexitatem Ecclesia conijcitur: siquis enim furtim irrepserit in sacerdotium, non habet ille characterem; nõ potest ergo consecrare, & sic magna erit populi perplexitas, magnumque periculum idololatriæ: nam frustum panis adorare est immanis idololatria: ergo nos recte dicimus, fructum ministerii non ex charactere, sed ex functione publica pendere, & ex vocatione ac ordinatione Ecclesiæ. Iam verò hinc multæ quæstiones emergunt, quæ à Scholasticis sic agitantur, vt risum facilè legenti moueant.

3. *Prima* quæstio est, num plures sacerdotes possint eandem hostiã consecrare: fuit enim mos quarũdam Ecclesiarum, vt qui sacerdotes ab Episcopo ordinabantur, vna cum Episcopo Eucharistiam celebrarent: hinc quæsitum est, an plures, forsan viginti, vnam & eandẽ hostiam consecrare possint: omnes enim consecrabant. Thomas existimat, quod possint, & sic Innocentius tertius statuit. Sed hinc multæ difficultates oriuntur: si enim multi vnam hostiam consecrent, fieri potest, vt non omnes simul verba proferant, non simul incipiant, pergant, desinant: difficile enim est multos eadem verba vno momento proferre. Innocentius hoc vidit, itaque ait, tum omnium intentiones referri debere ad illud instans, quo Episcopus profert. Sed absurdum hoc est: nam intentio debet cum verbis concurrere: quomodo ergo consecrabit quis ex intentione alterius? Alii ergo aiunt, illum cõsecrare, qui primus verba protulit: quid tum reliqui? nihil superest illis consecrandum. Quam hoc nugatorium & stolidum? si quis ergo potest ante reliquos aut casu, aut festinatione verba pronunciare, is solus cõsecrabit, reliqui omnes operam ludunt.

Thom. in 3. q. 82. ar. 2. Innocent. 3. l. 4. c. 25. de myster. Miss.

Quare Durandus hanc consuetudinem improbat & refellit, & Caietanus præfert opinionẽ Durandi opinioni Thomæ & Innocentii: & tamen Innocentius ait, hoc Romæ vsitatum esse. Nec modo in ordinatione sacerdotũ hoc fit, sed quoties Papa Missam celebrat, omnes Presbyteri Cardinales vna cum eo consecrant. Iam verò sapientissimus Magister Dominicus Soto expensis variis hac de re sententiis rem tandem decidit valde egregie: ait plures sacerdotes posse tribus modis concurrere ad vnam hostiam consecrandam:

Durand. in 4. d. 13 q. 3. Dominic. Sot. in 4. d. 13. q. 1. ar. 2.

1. *primò* si quilibet sacerdos vnã partem hostiæ consecret. At tum debet quisq; sacerdos partem designare, quam velit consecrare, alioqui nihil consecrabitur: nisi enim certam partem consecraret, non fieret consecratio: si omnes in genere vnam partem consecrauerint, & non quisque certam, nulla erit consecratio. Sed posset quisq; penicillo (inquit Dominicus) partem delineare, & quisq; suam consecrare, alioqui fieri posse, vt vna pars consecraretur aliis non consecratis. Nonne videtis, quam hæc sint nugatoria? 2. *secundò*, si omnes complexim intendant consecrare, nemo sine alio: hoc est, si quisque alio consecrante intendat & ipse consecrare. At ita quisque referre debet suam intentionem ad intentionem aliorum. Sed ait Dominicus hanc intentionem esse impiã, quia quisque debet habere absolutam, non conditionalem intentionem, alioqui non erit consecratio, si vnus aliquis fuerit, qui non intendat. Sed quidni fieret consecratio, quandoquidem aliqui intendunt consecrare? 3. *Tertiò*, si quisque intentionem suam afferat cõsecrandi totum Sacramentum, seu totam hostiam, non eius partem aliquam, & tum, inquit, omnes eandem hostiam consecrarent, modo simul tempore adæquato omnes verba super eadem hostia pronunciarent. Sed si forte vnus præueniret, is solus consecraret, reliqui nihil facerent, quia materiam consecratam inueniunt: ita hic est consecratio sine vlla consecratione, quia nihil remanet, quod consecretur. Quo istorum insania progressa est? Atque hæc vna quæstio est.

Secunda huic similis est, possitne solus sacerdos hoc Sacramentum aliis dispensare? Permittunt illi Diaconis poculum dispensare, non corpus, quia potest sanguis in poculo sic dispensari, vt non tangatur, corpus non potest: non enim ab illis cuiquam tangere permissum est laico aut Diacono, sed tantum sacerdoti. Vnde si Sacramentum in terram cadat, quærunt an non peccaret laicus, si tollat; & quidam aiunt sic peccaturum, vt peccauit Vzzia: alii tamen non, si id cum reuerentia faciat: atq; hæc est illorum superstitiosa insania. Hæ omnes absurdæ quæstiones manarunt ex opinione Transubstantiationis & realis præsentiæ: non erat antiqua Ecclesia in his rebus ita superstitiosa. Nam olim Diaconi solebant Sacramentum deferre ad absentes, vt ex Iustino Martyre patet, & non modo homines laici, verum etiam fæminæ domum portabant in sudariis, in cistis reponebant, & vnoquoque mane aliquam eius partẽ edebant, imo pueris etiam tradebant, vt ad ægrotos deferrent. Nõ enim tunc opinio fuit realis præsentiæ: post illam hæ quæstiones cæperũt. Sed indignum Christianis est, & sane valde absurdum, putare Christi

2. *Chron. 26. 16.*

corpus vel in cænum cadere posse, vel luto oblini, vel à sacerdote aut alio quoquam transferri, quo illi voluerint. *Tertia* quæstio est, an sacerdos cõsecrans hoc Sacramentum sumere teneatur ꝙ consecrauerit, id est, num liceat consecrare, & non communicare. Omnes fere respondent, sacerdotes, qui consecrant & non sumunt, magni sacrilegii reos esse: ergo simpliciter teneri sub vtraque specie sumere. Ratio est, quia Christus sumplit, cum consecrauit. Et quidem Christum cum discipulis Sacramentũ sumpsisse non negarim: quod non fecisset, si ipsius corpus & sanguis ibi realiter fuissent: est enim contradictorium, vt idem edat, & edatur. Ergo vel hinc colligere possunt Aduersarii, si vel mica rationis & iudicii illis insit, non esse in Sacramento realiter corpus & sanguinem Christi, quia tum Christus corpus suum reale edisset, & sanguinem suum realem bibisset: at aliud esse necesse est quod edit, aliud quod editur. Sed hic alia difficultas oritur: quid si enim Christus miraculose appareat, sub specie carnis & sanguinis? id est, quid si hostia manifeste caro appareret, & vinum sanguis? quod sine arte magica fieri non potest, vt de Marco quodã mago legimus, qui hoc efficere potuisse dicitur: num sacerdoti tum abstinendum est, an edendum & bibandum? quidam inquiunt non debere sacerdotem sumere, si appareat caro & sanguis, quia debet tãtum sumere sub speciebus panis & vini. At eo magis 3.

debet sumere, quia illi credunt ibi esse veram carnem & sanguinem: non minus certe scelus est, edere & bibere verum corpus & sanguinẽ, etsi non videas, si noris certo ibi esse, quam si videres. Sed Thomas Hieronymi locum citat super Leuiticum, qui tamen non reperitur apud Hieronymum. Sed quid illud est, quod Thomas ait Hieronymũ dicere? hoc scilicet: De hac hostia, quæ in Christi commemorationem fit, edere licet: de illa vero, quam Christus in ara crucis obtulit, nulli edere licet. Recte: hoc est quod nos dicimus, ipsam Christi realem carnem nullos ore sumere, sed tantum huius carnis Sacramentum. Sed illi volunt nos eandem carnem edere, quam Christus in cruce obtulit: Hieronymus non eam, sed aliam. Christus autem nullam habet carnem, nisi quam in cruce obtulit: nobis illam non licet edere: valeat ergo præsentia & communicatio realis. *Quarta* quæstio est, an malus sacerdos possit consecrare: & omnes posse concedunt: vnus Armachanus negat, dicens per quodcunq; peccatum mortale publicam omnem delinquentis potestatem deperire: sed hæresis est dicere, publica munera cessare propter peccata personarum. Non pendet vis ministerii ex dignitate hominis: agit Minister virtute Christi, non sua, nec desinit Minister esse Christi, quod malus sit. Legimus Matt. 24. *Quis est seruus fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familitium suum, vt det illis alimentum in tempore?* 4. Matt 24. 45 & 48

tempore? sed paulo post legimus, *Quod si dixerit seruus ille malus in corde suo, tardat Dominus meus aduentum*, &c. Sunt ergo Sacramenta, quæ à malis ministris administrantur, modo nihil in Christi institutione mutetur aut violetur. Sed Papistarum cõsecratio est figmentum Satanæ. Non possum hic quin Thomæ absurdam in hac causa rationẽ proponam ex Apostolo, *Nil mihi conscius sum, sed non per hoc sum iustificatus*: Paulus, inquit, erat certus, se esse Ministrum Christi, sed non erat certus se esse iustum. Impie: nõ ait Paulus, se non esse iustum, aut certum quod iustus sit, sed non in eo iustificari, quod sibi nullius rei conscius esset. Etsi autem dicunt, malum sacerdotẽ non minus consecrare, quam bonum, tamẽ aiunt Missam boni sacerdotis plus valere, non quod ad Sacramentum attinet, sed quod ad orationes, quatenus sunt Ministrorum. Sic enim disputant, Oratio boni plus valet quam mali. Sed tamen quatenus orationes sunt efficaces in persona totius Ecclesiæ, æque fructuosum est ministerium boni & mali. 1. Cor. 4. 4.

5. *Quinta* quæstio est, vtrum hæretici, schismatici, & excommunicati consecrare possint, qui sunt extra Ecclesiam. Lombardus ait non posse: Thomas posse: habere Lombard. in 4. d. 13.

enim eam potestatem, sed non recte vti: atque etsi vere consecrent, peccare tamen in vsu. *Sexta* quæstio est, vtrum sacerdos degradatus possit consecrare. Quidam non posse aiunt, quia potestas ei est ablata: alii, vt Thomas, posse, quia habet characterem indelebilem, cuius vi fit consecratio: ita narrat quendam sacrificum Romæ, cum perædes pistoris transiret, in quibus panes multi erant, eos omnes consecrasse, non vt læderet pistorem, sed vt vlciscereturiniuriam degradationis: nam illos nunc à quibus degradatus est, oportuit emere illos panes & edere, etiamsi atri essent. Sed si hoc verum Sacramentum & sacrificium sit, quibus prodest: non ipsis, qui consecrant: peccant enim consecrantes: non populo præsenti: peccant enim, quod aut petant ab iis fieri Missas, aut eis intersint: non Ecclesiæ, quia non intendit fieri ab illis sacrificium; nam eos præcidit: ita nullus fructus huius sacrificii est: nullum igitur sacrificium, & per consequens nullum Sacramentum: & nihil habent, quo hanc perplexitatem effugiant. Atque hactenus de Ministro Sacramenti huius: nã supra de Ministro Sacramentorum in genere diximus. 6.

FINIS SEXTÆ QVÆSTIONIS.

SEPTIMA

SEPTIMA QVÆSTIO:

De effectibus & fine Eucharistiæ, An præbeatur in Eucharistia remissio omnium peccatorum; & qui digne ad eam accedant.

CAPVT PRIMVM.

De statu Quæstionis.

SVPEREST postremo loco, vt de effectu huius Sacramẽti paucis videamus: nã hac de re non conuenit inter nos & Papistas. De aliis causis hui⁹ Sacramenti magnifice loquuntur, de fine & effectu abiectè. Concilium Tridentinum ait, hoc Sacramentum non libetare à mortalibus peccatis, sed duntaxat à culpis quotidianis (quasi hæ quotidianæ culpæ mortales non sint) præseruare tamen à peccatis mortalibus. Quanquam aliqui concedunt, etiam mortalia peccata hoc Sacramento remitti. Sic Censura Colonienſis: sic etiam Bellarminus: sed illa mortalia peccata ea sunt, quorum in confessione obliti sumus: ita nostra obliuio potest vim maiorem afferre huic Sacramento. Sic igitur Aduersarii statuunt, eos qui fructum aliquem sperant ex Eucharistię perceptione, à mortalibus peccatis puros esse debere, ita vt nullius peccati mortalis conscii sint: non enim eiusmodi peccata in hoc Sacramento remitti: imo peccare & indigne sumere, qui cum vllius peccati grauioris conscientia veniunt. Afferas quot velis venialia peccata, potes nihilominus ex hoc Sacramento & gratiam & remissionem sperare: at si vllum hæreat in te peccatum mortale, modo habeas memoriam & conscientiam eius peccati, indigne accedis, nec gratiam vllam accipies. Nos hanc illorum doctrinam necessario improbamus, quia tollit fines, propter quos hoc Sacramentum institutum est. Nos contra omnium peccatorũ remissionem nobis in hoc Sacramento põberi dicimus, non modo venialiũ quorundam, sed & maximorum, quæ commisimus. Recte igitur Lutherus dixit in concione quadam, eum esse optime dispositum ad hoc Sacramentum, qui est pessime dispositus: & alibi, eos digne communicare, qui conscientias afflictas & erraticas secũ afferunt, id est,

Conc. Trid. ſ. 13. c. 2. & 7. & can. 5. & 11.

Censur. Colon. de Euchariſt. Sacrament

Luther. in concion. de digna præparat. ad Sacram. Euchariſt.

id est, qui indignitatem suam maximè sentiunt & agnoscunt: quo quid suauius aut iucũdius dici potest? Sed hic Bellarminus contradictionem in Luthero inuenit. Si enim soli digne communicant, qui turbatas conscientias habent, & sola infidelitas est turbatio conscientiæ, vt Lutherus paulo infra ait, tum soli infideles digne communicant: & tamen idem Lutherus ibidem hortatur omnes Christianos, vt cum fide indubitata ad hoc Sacramentum veniant. Sed inscitiam suam prodit Bellarminus, nõ Lutheri contradictionem arguit. Non enim cum certa fidei persuasione pugnat, sentire & agnoscere peccata nostra, & recordatione peccatorum perturbari: imo nulli certius remissionem peccatorum credunt, quam qui vero peccatorum sensu tanguntur: nulla ergo hic contradictio est. Possunt habere fidem, qui peccatorum dolore cruciantur: alias Christus non dixisset, *Venite ad me οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, qui fatigati estis & onerati*: homines ad Christum veniunt credendo: fide itur ad Christũ: & tamen Christus ad se venire iubet, qui fatigantur & ingemiscunt sub onere peccatorum. Sed præterea Calvini etiam aliam contradictionem commemorat Bellarminus. Ille ait, *Si hic cibus in animam inciderit malitia nequitiaq; pollutam, maiore illam ruina præcipitat*: & tamen paulo post ait, non requiri ad dignam præparationem, *vt quis purus purgatusque sit ab omni peccato*: quæ verissimè ab illo dicuntur. Si enim in anima nulla sit fidei scintilla, si nullum charitatis studium; certũ est exitialem esse Euchatistiæ sumptionem. Sed quod Papistæ requiri aiunt, vt homo sit in statu gratiæ, quando accedit ad hoc Sacramentum, & hoc sic definiunt, vt purus & purgatus sit ab omni peccato, hoc est, inquit Calvinus, omnes homines ab huius Sacramenti vsu arcere. Vnde enim hoc noueris, te esse ab omnibus peccatis purgatum? hic semper hærebis, semper dubitabis, nihil certi habebis. Sed illi hoc sic explicant: dicunt illos esse in statu gratiæ, qui in seipsos diligenter inquirunt, quantum in se est, & quantum possunt seipsos purgant contritione, confessione, satisfactione. Sed vnde nos apud Deum defunctos esse munere nostro intelligemus, si quantum in nobis est faciemus? aut vnde nos fecisse quantum in nobis est sciemus? imo nostrum nihil est, quod placeat Deo, nisi datũ fuerit: quod nos facimus, nunquã Deo placere potest, si ipsa actio per se spectetur: & lane nunquam facimus, vel quantum possumus, vel quantum debemus: quanquã nos nihil possumus à nobis, licet illi multum de nostro posse garriant. Est ergo hæc doctrina crux & carnificina animarum, quia nũquam possumus facere aliquid, quod in se Deo placeat: & Calvinus verissimè ait, hoc Sacramentum esse *ægrotis pharmacum, peccatoribus solatiũ, pauperibus largitionem: sed sanis, iustis, & diuitibus, si qui reperiri possent, nullum afferre opera precium*, nempe iis,

Idem in lib. de captiu. Babyl. cap de Euchariſt.

Mat. 11. 28.

Calvin. l. 4. c 17. §. 40. & §. 41.

Calvin. inſtit l. 4 c. 17. §. 42.

qui se tales esse reputant. Sed vbi nunc est illa contradictio, quam Bellarminus obseruauit? hoc Sacramentum esse pernicioſum illis, quorum mentes pollutæ sunt malitia & nequitia; & inutile esse iis, qui sani iustique sunt; optime conueniunt: qui se satis iustos & sanos reputant, quid illi in Sacramento quærunt? nihil certe iis prodesse potest: qui autem nequitia & malitia referti sunt, iis exitium est: sed qui agnoscunt peccata sua, & dolent, & medicinam desiderant, & sibi displicent, ijs hoc Sacramentũ vtiliſſimum est: Christus se nobis in eo communicat: in Christo autem habemus omnia, quæ desiderare possumus.

Sed iam Bellarminus longa disputatione probat, eos indigne sumere hoc Sacramentum, qui cum conscientia peccati mortalis ad illud accedunt: hoc autem dum facit, cum sua ipsius vmbra pugnat, nec vnum verbum contra sententiam nostrã affert: sic n. disputat, ac si non intelligeret, q̃d nos dicam⁹, aut saltem intelligere nollet. Eo eius omnis disputatio tendit, eos qui sunt in mortalibus peccatis indigne hoc Sacramentum sumere. Hoc vno sensu verum est, alio falsum. Qui enim sunt in peccatis, id est, quos non pœniret peccatorum, qui non habent animum deserendi peccata, qui nullam remissionẽ credunt, qui in peccatis perseuerant; eos certum est indigne communicare: & hoc Bellarminus multis argumentis probat, sed quorsum? alii autem in peccatis esse dicuntur, & conscientiam habere peccatorum, qui peccata sentiunt, & dolent, & peccatorum conscientia consternati ad Dei misericordiam confugiunt, & veniam ac remissionem petunt, & vitam in posterum emendare statuunt: tales ad hoc Sacramentum digne accedunt, & in eo inueniunt remissionem, quam quærunt. Sed hæc sententia est Papistarum, oportere te, antequã accedas ad hoc Sacramentum, omnia peccata tua confiteri in aure sacerdotis; si vero quædam peccata menti tuæ inhæreant, quæ non confiteris, nulla peccata tibi condonari: qui verò omnia peccata cõfitetur, ei remitti omnia per Sacramentum pœnitentiæ; at hoc verò Sacramentum eos accedere propter maiorẽ gratiam. Nos verò dicimus, eos qui digne accedunt ad hoc Sacramentum, habere fiduciam remissionis omnium peccatorum, sed hanc fiduciam obsignari huius Sacramẽti sumptione. Nunc argumenta nostra proponamus.

Caput II.

Argumenta nostra proponuntur & defenduntur.

Primum nostrum argumentũm sumitur ex Matth. 9. *Non veni vt vocarem iustos, sed peccatores ad resipiscentiam.* Lutherus hoc loco vtitur, & rectissime: probat hinc nos quærere & desiderare remissionẽ omnium peccatorum in Eucharistia: vocat enim Christus peccatores ad Eucharistiam, vt remissionẽ peccatorum confirmatam sibi & obsignatam habeãt. Audite, quæso, Bellarminianam huius loci expositionem: ait Christum hic loqui de prima vocatione ad fidem & pœnitentiam, non de inuitatione ad Eucharistiam: ita suauissimã cõsolationem, quæ ad omnes simpliciter pertinet, ille ad eos, qui nondum nomẽ Christo dederunt, restringit. Sed ex ipso loco refellitur: nam proxime antea iubet Christus abire & discere, quid illud sibi velit, *Misericordiam volo, non sacrificium*: vocat Deus eos, quorum misereatur: ad omnes ergo hæc vocatio pertinet, ad quos ptinet Dei misericordia: si Christus nullis misericordiam exhibet post Baptismum, quod hæreticum est; tum nõ venit vocare peccatores: at nõminus post Baptismum, quam ante, misericordiam exhibet: nõ eorum tantum miseretur, qui nõ sunt baptizati, nondumque vocati, sed & omnium. Deinde ex oppositione refelli potest: *Nõ veni*, inquit Christus; *vt vocarem iustos, sed peccatores:* per iustos intelligit eos, qui similes sunt Pharisæis, qui post circumcisionem in iustitia sua gloriabãtur: ergo non venit vocare tales iustos post Baptismum, sed illos, qui intelligunt & agnoscunt se iniustos, & quærunt iustitiam alienam extra se, id est, iustitiam Christi. Et alibi vocat omnes, qui sunt κοπιῶντες & πεφορτισμένοι, id est, omnes simpliciter, qui peccatorum pondere laborant & ante & post Baptismum: non ergo infideles tantum, & non baptizatos: cum verò ad se vocat, non modo ad verbi prædicationem, sed & Sacramentorum sumptionem vocat: nam ille etiam in Sacramentis reperitur. Vtitur Christvs Sacramentis tanquam sigillis huius indulgentiæ erga peccatores: quicunq; ergo oneratur & grauatur peccatis, modo eum peccatorum suorum pœniteat, & spem habeat, eum Christus ad hoc Sacramentum vocat. Videte præclarum Theologũ, qui Scripturarum cõsolationes Christianis peccatorum conscientia perculsis adimit.

I. Mat. 9. 13.

Mat. 11. 28.

Secundum nostrum argumentum est huiusmodi: Si nulli digne accedant ad hoc Sacramẽtum, nisi qui idonea contritione, confessione, satisfactione conati fuerint peccata sua expiare, tum nulli omnino digne accedunt, quia nunquam certi esse possunt homines, se hoc fecisse satis, & esse sine peccato. Bellarminus ait illos digne accedere, qui moraliter faciunt, quod in se est: & talis est distinctio Scholasticorũ, quosdã indigne ad hoc Sacramentum accedere contrarie, quosdã cõtradictorie, hos peccare, nõ illos. Sed quinã putandi sunt moraliter facere, q̃ in se est? ij nempe, qui mediocrem diligentiã in sui examinatione adhibent. At si nostra dignitas requiratur, non sufficit moraliter & mediocriter examinationem adhibere: neq; enim si puritas nostra ex nostra contritione, confessione, satisfactione

2.

pendeat, puri à peccatis erimus, nisi omnem diligentiam adhibeamus, quantam possumus. Perniciosissima doctrina hæc Papistica est: nam *primò* docent, nullis licere ad Eucharistiam accedere, nisi puris: hoc est deterrere homines ab hoc Sacramento, quasi ægrotos à medico: *secundò* puros esse dicunt, qui moraliter se examinauerint, id est, probabilem quandam curã fese examinandi adhibuerint: at hæc quanta esse debet? si quis per horam vnam vel per duas horas fese examinauerit, putabit se huic muneri satisfeciisse: ita fallet forsan se, cum putauit se feciisse satis, & tamen non fecerit: hoc ergo morale incertum est, quia nescitur, quantum requiratur. Nos puritatem nostram non in nostra diligentia sitam esse dicimus, quia si hæc spectetur, semper nos indignos reperiemus, propterea quod hæc diligentia est cum maiore negligentia mista. Merito igitur Ioannes Maior illam distinctionẽ refellit hoc argumento: Aut fecit quisque talem indaginem, qualem debuit, aut non; nullum dari medium: nõ sufficit cuiquam, vt secũdum proprium iudicium indaginem faciat: certa ergo ratio requiritur.

Ioan. Maior. in 4 d. 12. q. 1.

3. *Luc. 22. 20.*

Tertium nostrum argumentum sumitur ex Luc. 22. vbi Christus vocat Eucharistiam nouum Testamentum: in nouo autem Testamento inclusum est pactum de remissione peccatorum, cuius etiam aperta mentio fit in Sacramẽti institutione in his verbis, *Hic est sanguis meus noui Testamẽti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorũ.* Bellarminus ait, in Eucharistia repræsentari effusionem sanguinis Christi, per quam peccata omnia remittuntur. Sed quid? annon hic sanguis Christi effunditur, sed eius tantum effusio repræsentatur? ergo hic tropum tandem agnoscit: non est enim hic vera effusio sanguinis, sed repræsentatio tantum effusionis: ergo non est verus sanguis in poculo. Sic enim panis est corpus Christi, & vinum sanguis, quia ea repræsentant: Christus vt dixit hoc esse eius corpus, ita dixit pro nobis dari, & vt dixit hoc esse eius sanguinem, ita pro nobis effundi dixit: datur autem corpus in Eucharistia, & effunditur sanguis repræsentatiuè, vt Bellarminus ait: ergo sic panis est corpus, & vinum sanguis, nempe symbolum & Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Prius dixit esse verũ corpus & verum sanguinem Christi in Eucharistia: nunc verò vt remissionem peccatorum à Sacramento Eucharistiæ seiungat, figuras & repræsentationes in Eucharistia ponit. Sed si Christi corpus & sanguis in Eucharistia realiter sint, nõ potest non esse in communicatione Eucharistiæ remissio peccatorum.

Mat. 26. 28

Ego sum panis viuificus, inquit Christus, *qui è cælo descendi: si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum*: quæ autẽ causa est vitæ æternæ, eadem quoque causa est remissionis peccatorum. Atque hic, quæso, considerate crassam Bellarmini contradictionem: supra, quando de his verbis disputauit, *Panis, quem ego dabo caro* *Ioan. 6. 51.* *Ioan. 6. 52.*

caro mea est, quem ego dabo pro mundi vita, ait ista verba intelligi de Christi carne, quam in Sacramẽto Eucharistiæ dedit: impie & blasphemè; sed sic tum dixit, vt caussæ suæ inseruiret: si verò Christus pro mundi vita carnem in Eucharistia dedit, tum & nunc dat: si datur in Eucharistia pro mundi vita, tum pro remissione nostrorum peccatorum, vt sit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: sed nunc ait non dari remissionem peccatorum in Eucharistia: non ergo datur Christi caro in Eucharistia pro mundi vita. Sed quod ait Eucharistiam esse repræsentationem effusionis sanguinis Christi, & remissionis peccatorum, accipimus q dat: quid ergo? num sola repræsentatio est, ita vt nil nisi imago quædam oculis repræsentetur? hoc est contra naturam Sacramentorum: semper enim Sacramenta efficiunt quod repræsentant, vt ipsi Papistæ volunt.

Lombard. l. 4. d. 1. lit. B.

Lombardus ait, Sacramentum esse caussam eius rei, cuius est imago: est autem imago & repræsentatio remissionis peccatorum: ergo & caussa: & Catechismus Tridentinus ait, Sacramenta habere vim non modo significandæ, sed & efficiendæ sanctitatis & iustitiæ: quod sine remissione peccatorum fieri non potest. Neque est Sacramentum modo signum, sed & instrumentum applicandi, vt Papistæ volunt: quid autem applicatur? hæreditas, inquit Bellarminus: recte: intelligit autem per hæreditatem merita Christi & gratiam: in Christi autem meritis principem locum obtinet remissio peccatorum: ergo applicatur remissio peccatorum: si applicatur remissio peccatorum, tum peccata remittuntur. Sed alio modo, inquit, quã per alia Sacramenta. Nostra non refert, quo modo hæc applicatio fiat: de ea nunc nulla quæstio est: sufficit applicari remissionem peccatorum. Datur ergo remissio omnium peccatorum in hoc Sacramẽto, & hic eius effectus est: quod illi negant: non ex opere operato, vt supra diximus, sed si cum pœnitentia accedamus.

4

Quartò hoc probatur ex precibus, quas faciunt in Missa: precantur enim Papistæ in suis Missis, vt fiat hoc Sacramentum in remissionem peccatorum: ergo impetratur in hoc Sacramento remissio peccatorũ, aut illorũ preces cum doctrina pugnant. Orant in Canone Missæ, vt qui hoc Sacramentum participant, omni benedictione cælesti & gratia repleantur: est autem remissio peccatorum benedictio & gratia cælestis. Bellarminus ait sic orari tribus de caussis: *primò*, quia delentur peccata mortalia, quorum non habemus conscientiam: *secundò*, quia pœnæ peccatorum remittuntur, quæ remanent l endæ etiam post culpam dimissam: *tertiò*, quia peccata venialia per hoc Sacramentum delentur. Nos hinc possumus quintum argumentum colligere in hũc modum. Peccata, quorum conscientiam non habemus, in hoc Sacramento remittuntur, & peccata

5

venialia: ergo effectus huius Sacramenti est remissio peccatorum: nam alias non posset ea remittere peccata, quorum non est memoria aut conscientia. Et nulla ratio afferri potest, cur remittat hoc Sacramentum peccata, quæ non hærent in memoria, & non remittat quæ hærent: tum enim caussa remissionis huius non alia erit, nisi ignorantia aut obliuio nostra: sed hoc insanum, cum nostra obliuio aut ignorantia non ponat differẽtiam in peccatis, aut faciat vt facilius remittantur. Si quis capitale peccatum commiserit, quod ei nunquam in mentem venit, hoc remittetur in Eucharistia, & non alia, quæ in memoria recenti sunt? ita vtile erit hominibus, malã memoriam habere. Tum quæ ratio est, cur peccata venialia remittantur, nõ mortalia? Bellarminus ait, posse quidem hoc Sacramentum delere mortalia peccata virtute sua, & delere aliquando, sed ex ꝓpria ratione Sacramenti non ordinari ad peccata mortalia tollenda. Sed hoc sine contradictione dici non potest: ordinatur enim hoc Sacramentũ ad conferendam gratiam gratum facientem; quod illi concedunt: at gratia gratum faciens non potest cum mortali peccato in eodem homine consistere; est enim contraria peccato: ergo ordinatur ad expellendum mortale peccatum: & cur aliquando, si non semper? nam peccatum mortale si per se ponat obicem, hoc faciet siue eius memineris, siue non. Cur autem venialia delet, & non alia? audite pulchram & elegantẽ rationem. Hoc Sacramentum datur per modum cibi: cibus autem tollit languorem & lassitudinem: & peccata venialia debilitant animam; sed hoc cibo vires reparantur: mortalia autem occidunt: & mortui non edunt. Hoc non nisi argutum insomnium est: nã *primò* nullum peccatum est, quod nõ sua natura mortem meretur: *secundò*, si mortui non edunt, cur tum dixit mortalia peccata remitti, quorum conscientiam non habemus? illi enim æque mortui sunt, qui cum talibus peccatis accedunt. Atque hic plane deprehensus est: ergo nunc nouo commento vtitur. Fatetur hoc cibo non modo viuentes nutriri, sed & mortuos excitari: sed non debent (inquit) accedere, qui habent conscientiam mortalis peccati quia indigne accedunt. Si indigne accedunt, propter ipsum peccatum indigne accedunt; & tũ non minus indigne accedunt, qui habent tale peccatum, etsi eius cõscientiam non habeant: si propter conscientiam peccati indigne accedant, nos dicimus veniendũ esse cum dolore conscientiæ, & proposito emendationis, & fide: & hoc est habere conscientiam peccati, sic vt oportet habere: ita per flexus & ambages eo tandem peruenit sponte sua, quo nos illum pertrahere voluimus.

***

CAPVT

CAPVT III.

Scholasticorum futiles argutiæ de huius Sacramenti effectu diluuntur.

SATISFACTVM est calumniis Bellarmini de effectu huius Sacramenti contra Lutherum & Calvinum proiectis: sed antequã dimitto hunc locum, Scholasticorum vobis Theologiam degustandam propinare debeo, qualem inprimis Thomas huius farinæ princeps suis propinauit: ab eo multa de effectu & vsu huius Sacramenti quæsita & disputata sunt: ea cuiusmodi sint nosse, multum ad illustrationem veritatis, & Scholasticarum ineptiarum detestationem conferet.

1. *Thom. in 3. q. 79.* Thomas igitur *primò* quærit, an per hoc Sacramentum gratia conferatur; & probat *primò* ex eo quod continet, quod est Christus: sed Christum aut gratiam realiter in Sacramento contineri, non est putandum: tamen in & cum Sacramento gratiam conferri, verissimum est: Christus enim communicatur, qui gratiam & veritatem actualem affert, & carnem nobis suam dat. Sed hoc non fit propter realem coniunctionẽ carnis Christi cum Sacramento, sed propter spiritualem communicationem Christi per fidem.

2. *Secundò* probat ex repræsentatione passionis Christi, atque effectum, quem Christi passio fecit in mundo, hoc Sacramentum facere in homine: quo nihil magis blasphemum dici potest. Nam quod Christus in cruce fecit, semel fieri debuit, i. e. satisfieri pro peccatis mundi per mortẽ Filii Dei: at nulla mors Christi est in Sacramento; tantum huius mortis memoria celebratur. Sed si verum hoc sit, cur Bellarm. negat remitti in hoc Sacramento peccata mortalia? *Tertiò* 3. probat ex modo, quo Sacramentũ hoc dispensatur, sub forma cibi & potus: ergo quos effectus cibus & potus in vita corporea habẽt, eosdem hoc Sacramentum in vita spirituali. *Quartò*, ex speciebus, in quibus traditur hoc Sacramentũ, panis nempe & vini: hæ res ex multis in vnum rediguntur: vnde fideliũ vnitas & charitas designatur: charitas verò sine gratia esse nõ potest. His ille argumẽtis gratiam in hoc Sacramento dari probat: & quis dubitat ampliſſimam gratiam cõferri, si quis hoc Sacramento recte vtatur, cum Christus dixit, *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur, & Hic est sanguis meus, qui ꝓ vobis effunditur?* Sed caucndum ne in ipso Sacramento gratiam quæramus, quæ à solo Christo sedente in cælis ꝓuenit; aut ex solo vsu & opere operato, vt aduersarii volunt. Gratia hæc est, vt fidem tuam alas de remissione peccatorũ & salute, ex eo quod Christus pro te mortuus est, & tibi se dedit: quare illam Vrbani sententiam, quam in Concil. Florentino habuit, valde ꝓbo, *Quãdo gratam Saluatoris nostri recẽsemus memoriam; à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutem & gratiarum proficimus incrementum.*

4. Sed

Sed nunc sese efferre incipit curiositas Sophistarũ. Hinc quærunt, quantum sit tempus, quo Sacramentum gratiam conferre possit. *Caietan. in Thom.* Caietanus in Thomã de hac q̃stione sic statuit, non solum conferre hoc Sacramentũ gratiam, tempore quo in ore aut in gutture durat, sed toto tẽpore, quo in stomacho *Maior. d. 9. arg. 5.* durãt species: sic Maior: sed alii gratiam Sacramenti ꝓduci in instanti aiunt. Tum si hæ opiniones valerent, plus gratiæ ei conferret hoc Sacramentũ, qui maiorem hostiã sumeret, quique tardius digereret. Et hinc porro inferunt, si quis hoc Sacramentum sumeret in peccato mortali, cuius tamen ipsum pæniteat, antequam species absumptæ fuerint, sequi gratiã: ergo alii punctum, quo hoc Sacramentum confert gratiam, esse illud dicunt, quo guttur aut gulam transiit. An quisquam vnquã homines magis deliros viderit? gratia hæc nõ ad ipsum tempus restringitur, quo Sacramẽtum sumitur, sed per omnẽ vitam durat: si ad tam exiguum momentum maneat, exiguus huius Sacramenti fructus est: imo etiam ante sumptionem ꝓdest hoc Sacramẽtum: nam tota celebratio refertur ad gratiam confirmandam & fidei incrementum, fractio panis, effusio vini, distributio vtriusque. Sophistæ totum fructum restringunt ad tẽpus, quo deglutitur: sic gratia tota Sacramentalis statim euanescet. Sed quæritur an vt augmentum gratiæ, sic primam gratiam conferat hoc Sacramentũ: & hic quoq; insulsi sunt Scholastici: fatentur cõferre gratiam primam in voto (sic Thomas) vt cum adulti baptizantur, non accipiunt gratiam nisi in voto accipiendæ Eucharistiæ: similiter infantes accipiunt Eucharistiam in voto Ecclesiæ: sine hoc voto nõ suscipitur gratia. Ergo hoc Sacramentum, vt illi volunt, in voto confert gratiã primã, sed in re non nisi augmentum gratiæ; nisi forte per accidens propter dispositionem sumentis: nã si quis veniens attritus, qui se contritum esse putat, cõfert ei primã gratiam. Sed ipsum votum nunquam per se sufficere potest ad conferendã gratiam primam: ex quo Dominicus Soto sacerdotes parochos monet, vt ægrotis Sacramentum porrigãt, nec eis persuadeant adorationem idem valere: quod tamẽ vulgo fit, & sic homines misere fraudantur gratia. Docent ergo conferri gratiam ei qui non habet, modo se habere putet: quo nihil demẽtius: & nõ requiri actualem deuotionem venienti ad hoc Sacramentum, vt Dominicus Soto docet, qui Caietanum hoc nomine reprehendit. Etsi ergo nec gratiã nec deuotionẽ habeas modo attritus, i.e. sensu pænæ grauiter commotus fueris, gratiam accipies. Sed Apostol. requirit, vt qui digne velint accedere ad hoc Sacramentum, sese explorent, an sint in fide: nisi ergo quis in fide sit, non modo non fidem, sed iudicium sibi accipit: nõ satis est, vt quis se habere fidem putet, sed oportet reuera fidem habere: ergo se δοκιμάζειν, i.e. *probare* seu *examinare* debet: & illi quoq; examinationem requi-

requirunt, sed si quis fallatur, & se habere putet, quod non habet, sufficere volunt: at quemadmodum cibus nõ prodest mortuo & mortui sunt, qui nõ in gratia accedunt, ita Eucharistia tali homini nõ prodest. 2. *Secundò* quærit Thomas, an effectus huius Sacramenti sit adeptio gloriæ: & esse ait: & tamẽ cum dicat nõ conferri tertiam gratiam, non video quomodo vitæ æternæ & gloriæ acquisitio possit esse proprius effectus huius Sacramenti ex eorum sententia. Sed impium est putare vitam æternam comparari vi Sacramentalis manducationis, vt illi volunt: sic enim qui non est in gratia, ex vsu Sacramenti posset per opus operatum adipisci gloriam, i.e. ex eo duntaxat quod Sacramentum sumit. Ita facilis & compendiaria via erit ad cælum. Sic illi miseras animas ludunt ac fallunt. 3. *Tertiò* quærit, an peccatum mortale in hoc Sacramento remittatur: de quo antea satis multa diximus. 4. *Quartò* quærit, an venialia peccata remittantur: & remitti ait venialia, quia hæc non excludunt gratiam: posse ergo cum venialib. peccatis digne accipi Eucharistiam, & hac acceptione deleri venialia, nisi fortè quis nimium delectetur suis venialibus peccatis. Neq; mirum est Eucharistiæ susceptione abstergi peccata venialia, cum aquæ lustralis aspersione, & Episcopi benedictione hoc fieri dicant. Sed hæc omnia esse cęcæ cuiusdam ignorantię ex eo patet, quod puritas omnis interna mentis non sine fide fiat, imo ex fide oriatur. *Fide purgantur* *Act. 15. 9.* *corda*, vt Petrus Apostolus dixit. Si purgamur fide, non acceptio Eucharistiæ ꝑ se purgationem aliquã affert, nedum aliæ nugę, quibus illi remissionem peccatorum tribuunt. *Quintò* quærit, an per hoc Sacramentum pæna omnis peccati remittatur. Ne verò Purgatorium nimis celeriter exhauriri faciat, & sic multum damni accipiat respublica sacerdotum, nõ omnem pænam remitti ait: quod mirum, cum in hoc Sacramento totum Christũ realiter percipi dicant. Christus quando sanauit aliquẽ tactu corporis sui, non modo morbum curauit, sed pænam morbi: similiter cum peccata remisit, quæ interni morbi sunt: & si pænæ mortalium peccatorum remanent, debent esse mortales & æternæ: alias nõ sunt pænæ debitæ mortalibus peccatis. Sed aiunt fieri ex æternis temporales. Sed vnde hoc possunt probare? Christus venit, non vt faceret pænas æternas temporales, sed vt tolleret has pęnas omnino: ideo enim ipse in se pænas tulit: est hoc plusquã dici potest iniuriosum in Christum: Sed esto: tẽporales iam sunt: quam autem diuturnæ? nemo id certo statuere potest, sed pro ratione culparum. Quid si autem pro iis, qui iam liberati pænis sunt, adhuc sacrificium offeratur? cui prodest illud sactificium? non reliquit Christus Ecclesiam suam in tanta incertitudine. Sed nihilne pænæ relaxatur in hoc Sacramento: etiã: quantulũ igitur? Thomas ait, hoc Sacramentum esse & Sacramentũ & sacrificium: habere effectum Sa-

crameti in eo qui sumit; sacrificij in eo qui offert, aut in iis, pro quibus offertur. Si consideretur vt Sacramentū, habet effectum dupliciter, *primò* ex vi Sacramenti, *secundò* ex quadam concomitantia: ex vi Sacraméti habet effectum, ad quē institutum est; non est autem institutum (inquit) remittere pœnas omnes: ex concomitantia, ex charitate aliquis potest accipere remissionem aliquam pœnæ: sed cur nō totius pœnæ? quia non tam intensa est charitas. Vnde nos non nostra charitate iustificari constat: si enim nō tam intensa sit charitas nostra, vt pœnas omnes tollat, tum neque *Rom. 5. 1.* vt nos iustificet, cum iustificati habeant pacem apud Deum: in pace autem nil tormentorum est. Si cōsideretur hoc Sacramentum, vt est sacrificium, tum ait habere vim remittendi omnes pœnas ex sui quātitate. Cur ergo non remittuntur omnes? nam potius, inquit, remittit ex deuotione offerentium, vel illorum, pro quibus offertur: quomodo hoc probatur? in satisfactione, inquit, magis spectatur offerētis affectus, quam quantitas oblationis: vnde hoc probatur? ex eo q vidua, quæ duo æra misit in gazophylacium, *Luc. 21. 3.* plus quam omnes misisse dicitur: at blasphemum est cōparare Christum cum duobus assibus: animus viduæ plus valebat, quam duo nummi: ergone plus quam corpus & sanguis Christi? at hæc plus valent, quam mille mundi. Quid etiam quod in Canone precantur, vt Deus respiciat potius oblationem, quam ipsorum dignitatem? *Sextò* quærit Thomas, an à futuris peccatis per hoc Sacramētum defendamur: & hoc probat testimonio Scripturæ, & ratione. Testimonium Scripturæ habetur Ioan. 6. Si quis ex ipso manducauerit, non morietur: & multa in hanc sententiam ibi habet. Hoc non de corporali morte intelligi potest: ergo hoc Sacramentū ait nos tueri à morte spirituali, quæ est peccatū. Recte si modo Christi verba de manducatione Sacramenti intelligēda essent. Sed Christus loquitur de carne sua, eiusque manducatione spirituali, quæ fieri potest sine Sacramento, & quæ in multis facta est, antequam institutum est hoc Sacramentum. Nam illum nō loqui de Sacramento patet, quia multi edentes Sacramentum mortem & corporalem & spiritualem moriuntur; at si quis panem, qui de cælo descenderit, manducabit, nunquam morietur: ergo hoc testimonium, si ad hanc rem pertineret, edentibus hoc Sacramentum, æternam & certā vitam polliceretur: sed de 6. c. Ioannis supra diximus. Ratio Thomæ hæc est: Peccatum est mors spiritualis: ergo vt corpus à morte, sic anima à peccato seruatur: corpus autē duobus modis à morte seruatur, *primò* cibo & medicina, *secundò*, armis: illa internas causas, hæc externas propugnant. Eucharistia vtroque modo nos à peccatis seruat: nam vitam nostram corroborat, vt cib⁹ & medicina spiritualis: vnde hoc probatur? ex Psalmo scilicet, *Panis cor hominis confirmat*: sed hoc de communi *Ioan. 6. 52.* *6.* *Psal. 104. 17.*

muni pane intelligitur: & Augustinus ait, *Securus accede, panis est, non venenum.* Alio modo vt signum passionis terret dæmones, & nos contra illorum impetus communit. Chrysostomus ait, *Vt leones flāmam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti Diabolo.* Et quidem magnum in hoc Sacramento præsidium aduersus peccatum est: facit enim vt fides corroboretur, vt Christus in nobis habiter, accēdit charitatem, debilitat vires cōcupiscentiæ. Sed hoc non facit ex opere operato; quod in ipsorū sacerdotib. manifestum est, qui cum veniant attriti quotidie, non modo non firmiores fiunt ad resistendum peccatis & Diabolo, sed nequiores indies, & ad omnem nequitiam propensiores. Sic Deus securitatem vlciscitur illorum, qui non putant fidem requiri, sed sufficere dispositionem, quam attritionem vocant, quæ nil gratæ habet, sed tantū aptitudo est ad gratiam. Sic gratia vacui ad Eucharistiam veniunt, vt si crederent tanto plus se recepturos, quanto gratiæ inaniores sint, vt vasa vacua. *August. tract. 26. in Ioan.*

7. *Septimò* quærit Thomas, an hoc Sacramentum aliis quam sumentibus prosit: & prodesse ait, sed vt sacrificium, non vt Sacramentum: atq; vtrumq; modum proficiendi à Domino expressum esse, cum ait, Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur: pro vobis sumentibus, pro multis aliis. Sed si hoc de sacrificio Missæ intelligatur, tum Missa non modo sumentibus & offerentibus proderit, sed omnibus: nam *multi* ibi totam Ecclesiam significant. Num omnes Christiani ex Missa quauis fructum percipiunt? at solent pro his & illis Missas celebrare, & volunt proprie illis prodesse. Sed forsan vtiles sunt Missę toti Ecclesiæ, at maxime ijs, qui eas pro se fieri procurant; & sic illi putant: & hæc opinio innumerabilium Missarum parens est. Docent igitur Missam nō æqualiter omnib. prodesse, sed ijs præcipue, qui eleemosynam pro Missa obtulerunt, vel quos sacerdos singulari intentione designauit, etiamsi æqualis aliorum deuotio sit. Quare Dominicus Soto ait, male facere sacerdotes, qui non pro quibusdam nominatim offerunt, sed putant esse satis in genere offerre. Sed quomodo Missa prodest, quatenus est sacrificium? num confert gratiā sumentibus & aliis? hic non consentiunt: aliqui putant prodesse per viam satisfactionis tantum, i.e. pœnas auferre: alii verò per modum meriti & offerentib. de condigno, si in gratia sint; & offerentes possunt per Missæ oblationem mereri ijs, pro quib. offerunt, de congruo bonum motum, & resipiscentiam à peccatis, & alia beneficia. Sed iā quis fructus Missarum pro infidelibus aut hæreticis? nam illi non modo nulla dispositione accedūt, qua recipiant, sed prorsus inepti sunt ad gratiam recipiendam, cum nō sint in corpore Ecclesiæ. Thomas ait non orari in Canone Missæ pro ijs, qui sunt extra Ecclesiam, quia Augustinus ait, *Quis offert corpus* *Luc. 11. 20.* *Matth. 26. 28.* *August.*

in Epist. ad Renatum.

pus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi? Sed hoc testimonium non habetur apud Augustinum, & si ita esset, pro nullis nisi p membris Christi offerri corpus Christi; non igitur vllis prodest hoc Sacramentum, qui carent gratia: non ergo gratiam vllis confert, nempe gratiam primam. Sed Dominicus Soto ait, quosdam offerre pro cõuersione infidelium & hæreticorum, sed non hoc fieri authoritate Ecclesiæ, sed priuata deuotione hominum. Sed mirum est sic illos insanire: nam Christus in cruce non tantum orauit, sed etiam sacrificiũ obtulit pro infidelibus & hæreticis: cur illi offerunt pro solis piis? Nobiscum male agitur, quos illi p hæreticis habent, quod nullum ex illorum Missis bonum percipere possimus: imo præclare agitur: habeant illi sibi Missas suas.

8. *Octauò* & vltimo quærit Thomas, vtrum effectus huius Sacramenti per venialia peccata impediatur: & putant non impediri, nisi quis in eis complacentiam habeat, cum Sacramentum accipit: etsi aliter Caietanus. Thomas putat posse recipi in hoc Sacramento augmẽtum gratiæ habitualis, & si quis sine deuotione, & cum complacentia venialium peccatorũ accedat; sed nõ dulcedinis spiritualis actualem refectionem. Caietanus hoc duob. argumentis refellit. *Primum* 1. est, quia tum gratia & charitas sacerdotum quotidie celebrantium maior esset, quam rationabile sit credere: cingens fieret, & foras per heroica opera prodiret: quod non apparet.

Secundum est, quia Eucharistia datur per modum cibi: non ergo confert aut auget gratiã: nisi per modum nutritionis: at nutritio est actus vitalis: ergo nisi adsit vitalis & actualis deuotio, nil prodest hoc Sacramentum; quod est verissimum: qui enim sine deuotione actuali ad hoc Sacramentum accedit, indigne accedit. Hæc ex Scholasticis delibare voluimus, vt quam illorum insipida, insulsa, insuauis theologia sit, videatis, eamque ex animo cum summa detestatione auersemini. Plura possent ex Papistarum libris de effectu huius Sacramenti afferri: sed hæc sufficient. Videte plura apud Dominicum Soto. *Dominic. Sot. in 4. d* 12.

F I N I S.

INDEX

INDEX VERBORVM ET RERVM IN PRÆLECTIONIBVS GWILHELMI WHITACKERI

De Sacramentis in genere, Baptismo & Eucharistia.

A.

Ablutio del. et per alium fieri. 217
Abrahamus dictus pater credentium. 23
Abrahamus fide iustificatus est, antequam sit circumcisus. 37
Abrahã non potuit ex sacramẽtis iustificari. 83
Abraham primus circumcisionem accepit. 23
Abraham quorsum acceperit circumcisionem. 37
Abusus & deprauationes multæ statim ab Apostolorum temporibus in Ecclesiam irrepserunt. 630
Accidens non potest esse in duobus subiectis. 98
Accidentia nihil possunt pati. 475
Accidentia non sunt corpus Christi. 583
Actio inuclantaria non est meritoria. 243
Adiumenta quæ Deus instituit non debemus aspernari. 16
Adorare pro Deo, quod nescias num sit Deus, necne, peccatum est. 50
Adoratio Papistarum nixa fundamento commentitiæ Transubstantiationis, est idololatria omnium, quæ vnquam fuerunt, crassissima. 582
Adulti fide seruantur. 65
Adulti nisi credant Euangelio, nullam ex sacramentis vtilitatem percipiunt. 63
Adulti non pereunt, si sine aliqua negligentiâ suâ, aut contemptu Baptismo caruerint. 32
Adulti nulli leguntur baptizati, nisi qui peccata antea confitebantur. 318
Agens principalis non est in instrumento. 195
Agni Paschalis caremonia magis in mactatione, quàm in manducatione consistebat. 350
Agnum Paschalem quiuis priuatus mactabat. 640.
Agnus assabatur. ibid. in priuatis ædibus per contubernia mactabatur. ibid. non erat propriè sacrificium. ibid.
Agnum Paschalem comedere nullis licuit, nisi iis, qui mysterij rationem per ætatem intelligere potuerunt. 34
Agnus & Manna non simplex & nuda figura erant. 422
Alanus improbat Thomam, & damnat. 49
Alanus non adhæresit ad expositionem Thomæ. 412
Alanus redactus in angustias. 404
Alimenti & aliti arctissima vnio est. 196
Ambrosius sensit Romanam Ecclesiam posse declinare. 189
Anabaptistarum error. 215
Andreas Carolstadius fuit vir nimis cupidus contentionis. 379
Angeli nullis corporibus sunt concluſi. 2
Animus est purgandus. 386
Animæ an creentur & infundantur. 611
Annihilari non est conuerti, sed interire. 576
Annihilatio simpliciter est rei interitus, quæ fuit. 603
Antichristi fraus ad perniciem multorum millium inuenta & excogitata. 204
Apostata an sit iterum baptizandus. 156
Apostoli in cœna nõ indigebant expositione. 390
Apostoli non sunt turbati, quod Christum viderint ante edentem, & bibentem. 453
Apostoli post concionem baptizabant credentes. 27
Apostoli erant recte baptizati antè Christi mor-

tem. 327
Apostoli ipsi peccatum habuerunt. 272
Apostoli nullum baptismum habuerunt nisi Ioannis. 325
Apostoli plures baptizauerant, quàm Ioannes. 324
Apostolos his verbis semper vsos esse, queis Papistæ consecrationis vim tribuunt, non constat. 279
Differentia inter Apostolos, & ordinarios Pastores. 208
Aqua in Baptismo est sacramentum renouationis & regenerationis nostræ. 65
Non omnes regenerantur, qui aquâ Baptismali lauantur. 10
Aqua cur sit adhibenda. 47
Aqua minus requiritur quam verbum. 47
Aqua non mundat animam. 105
Aqua non potest ad animam penetrare. 100
Ex aqua renascimur sacramentaliter tantum. 65
Aqua sacramenti quid significet. 105
Aqua sacramenti visibilis est. ibid.
Aqua spiritus inuisibilis est. ibid.
Arbor vitæ fuit sacramentum primis parentibus ante lapsum. 1.
Arcus nullus est in cœlo. 385
Inter assertorium & confirmatiuum nihil interest. 25
Aspergi aut immergi semel in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, satis est. 53
Astronomi non nisi sydera contemplantur. 503
Athanasius baptismum intendebat, vt ludum, non vt baptismum. 48
Athanasius puer baptizauit alios pueros per ludum. ibid.
Augustinus Baptismi mysteria non nouit. 51
Augustinus de ministri intentione non fuit solicitus. 52
Augustinus non putauit Chrisma sic esse sacramentum, vt est Baptismus. 200
Augustinus numerat crucem inter sacramenta. 188
Augustinus præbuit occasionem multorum errorum de Baptismo. 234
Augustinus quid per carnem & præsentiam carnis, intelligat. 483

B.

Baptismi definitio quæ sit. 218
Baptismi ritus & cæremoniæ quæ sint. 331
Baptismus non est similis naui. 281
Qui sint baptismi effectus. 263
Græci quâ formâ baptizandi vsi sint. 28
priuationem Baptismi non esse infantibus noxæ capitali, probatur. 232
Baptismi vicem aliquando implet passio. 37
Tota Baptismi vis in Christo continetur. 222
Carere Baptismo sine aliquo contemptu non est peccatum vel originale, vel actuale. 227
In Baptismo, & in Cœna requiritur bona conscientia. 15
In Baptismo mundari, & saluari quare dicamur. 69
Baptismo obsignatur nobis remissio peccatorum. 68
sine Baptismo potest esse mortificatio. 226
Papistæ de Baptismo, quod senserunt Patres, vrgent acerrimè; de Eucharistia autem cum illis non sentiunt. 229
Quotuplicem gratiam in Baptismo consequamur. 264
In Baptismo remitti peccata nemo dubitat. 73
In Baptismo requiritur singularis puritas. 432
sine Baptismo saluari possumus, si absit contemptus. 240
Deus in Baptismo sanctificat quos vult. 73
Βαπτισμὸς quid significet. 216
Βαπτισμὸς sumitur Metaphoricè pro calamitatibus, aut miseriis. 217
Contemnere Baptismum est peccatum morte dignum. 223

Baptismum debet præcedere doctrina. 27
Ad Baptismum indignè accedentes respuunt Christum. 432
Baptismum nostrum videmus in aliorum infantium baptismo. 15
Baptismus an sit repetendus. 155
Baptismus an sit simpliciter necessarius. 223
Quando Baptismus cœperit esse necessarius ex sententia Pontificiorum. 248
Baptismus cur non repetendus. 155
Baptismus cur nullis immundis dari debeat. 238
Baptismus est bonæ conscientiæ stipulatio. 15
Baptismus est ingressus in Ecclesiam. 155. 157
Baptismus est pignus remissionis peccatorũ. 68
Baptismus est Sacramentum noui Testamenti. 133
Baptismus & Eucharistia sunt signa commemoratiua, & confirmatiua passionis, & mortis Domini. 24
An Baptismus faciat filios Abrahæ. 233
Baptismus figurat sanguinem Christi. 356
Baptismus fit sacramentum. 28
Baptismus non efficit fidem, & vitam æternam, sed confirmat. 12
Externus Baptismus non nisi ablutio est in aqua. 225
Baptismus non confert gratiam ex opere operato. 25
Baptismus non est sacramentum regenerationis ex opere operato. 73
Baptismus noster clarior est circumcisionne Iudæorum. 356
Baptismus quare dicatur nos seruare. 64
Quibus verbis debeat Baptismus peragi. 220
Num Baptismus tàm sit ad salutem necessarius, quàm fides. 223
Baptismus vocatur ὁμοίωμα mortis & resurrectionis Christi. 5
Olim baptizabantur tantum in tempore Paschali, & in Pentecoste. 338
Amentes aut dormientes qui baptizant, non rectè faciunt. 76
An fœmina debeant baptizare. 257
An niue aut glacie liceat baptizare. 220
Inter Christianos multi infideles volunt baptizari. 84
Non baptizari non est causa damnationis. ibid.
Apostoli olim in Christi solius nomine baptizarunt. 28
Apostoli baptizarunt multa millia simul. 339
Baptizatos olim solebant vngere. 183
Basilius cur sacramenta vetera præ nostris extenuet. 136
Bellarmini apertissima calumnia. 373
Bellarmini argumenta diluuntur aduersus obsignationem promissionum Dei per sacramenta. 16
Bellarmini argumentum absurdum. 361
Bellarmini argumentum cadit. 390
Bellarmini argumentum puerile, & elumbe. 390
Bellarmini cæcitas. 182
Bellarmini expositio habet absurdissimas æquiuocationes. 426
Bellarmini fraus obseruanda. 130
Bellarmini impudens mendacium. 182
Bellarmini impudentia. 170
Bellarmini impudentissima calumnia. 224
Bellarmini mendacium. 507
Bellarmini misera, & inepta responsio. 495
Bellarmini miserum subterfugium. 531
Bellarmini monstrosa contradictio obseruanda. 557
Bellarmini noua phrasis. 191
Bellarmini nudum mendacium. 346
Bellarmini regula de præceptis falsissima. 388
Bellarmini ridicula obiectio. 409
Bellarmini crassus error. 598
Bellarmini oscitantia obseruanda. 582
Bellarmini rancida obiectio. 590
Bellarmini ratio falsissima, & absurdissima

ma. 583
Bellarmini responsio phantastica. 600
Bellarmini stolidissima obiectio. 621
Bellarmini Sophismata sunt ridicula. 362
Bellarminum refellit Augustinus. 354
Ambrosius. 313
Bellarminus ad summum cœlum fugere coactus est. 510
Bellarminus aliud stans, aliud sedens loquitur. 545
Bellarminus apertè Scripturis contradicit. 458
Bellarminus aut non intelligit Caluinum, aut sciens malè interpretatur. 345
Bellarminus comparat Dæmonem, qui est leo, timido cani. 202
Bellarminus cum suis pugnat. 212
Bellarminus defendit id, quod fidem Christianam tollit. 377
Bellarminus dicit, nullum dogma Ecclesiasticum certo statui posse sine explicatione Ecclesiæ. 149
Bellarminus distinctionem præceptorum ex suo cerebro fingit. 387
Bellarminus duplex facit obsequium. 480
Bellarminus Ecclesiæ Romanæ authoritatem ipsorum Apostolorum authoritati absurdè exæquat. 208
Bellarminus est ineptus declamator. 494
Bellarminus ex cap. 6. Iohannis nihil pro reali præsentia asserre potest. 358
Bellarminus facit summam iniuriam Christo. 429
Bellarminus futiliter exponit verba Thomæ. 49
Bellarminus impudentissimus. 437
Bellarminus ineptè opinionem falsam pro cæremonia ponit. 211
Bellarminus à doctissimis Scholasticis, atq; etiam ab aliis dissentit. 604
Bellarminus apertissimè secum pugnat. 588
Bellarminus insignem blasphemiam cõtra sanguinem Christi euomit. 350
Bellarminus loquitur sermone Ashdico. 192
Bellarminus malitiosè calumniatur. 346
Bellarminus mentitur. 420
Bellarminus millies sibi contradicit. 530
Bellarminus motum & quietem numerat inter relata. 536
Bellarminus multa de vocabulo CORPVS disputat. 418
Bellarminus nescit Scripturas. 21
Nihil tàm absurdum est, quod Bellarminus non ausit statuere. 530
Bellarminus nouum fundamentum excogitauit. 230
Bellarminus nullum testimonium proferre potuit, quo àpactis figuras remoueat. 386
Bellarminus numerat absurdè periurium ex cupiditate rei alienæ inter leuiora peccata. 128
Bellarminus oblitus sui est. 545
Bellarminus primùm nos accusat, postea absoluit. 342
Bellarminus prodit suam insciti am. 419
Bellarminus pugnat apertè secum. 445.466
Bellarminus quo se vertat, nescit. 355.529
Bellarminus quouis Proteo est mutabilior. 532
Bellarminus calumnatur sciens. 278
Bellarminus errat. 266
Bellarminus loquitur monstra, & sibi contradicit. 606
Bellarminus manifestam nobis iniuriam facit. 296
Bellarminus non potest vllo aut testimonio, aut exemplo Scripturæ probare, baptizatos iterum fuisse, quos Ioannes baptizauit. 301
Bellarminus non satisfacit Luthero. 292
Bellarminus pugnat cum aliis. 585
Bellarminus pugnat secum. 318
Bellarminus quà in re suam insipientiam toti mundo manifestam faciat. 603
Bellarminus refutatur à Thoma. 635
Bellarminus rem ad Theologos refert. 596

Bellarmi-

Bellarminus refellit se. 368
Bellarminus sophistice nugatur. 500
Bellarminus tenetur sic vt se cõmouere nequeat. 481
Bellarminus tollit omnem corporalem præsentiam in Eucharistia. 428
Bellarminus torquet scripturas. 359
Bellarminus verberat vmbras. 407
Calvinum insignem patronum erroris Berengarij vocat Bellarminus. 344
Bellarminus vtitur oculis alienis. 166
Benedictio omnis diuina est, & fit vi diuina. 403
In omni benedictione Christi factam esse mutationem substantiarum, falsissimum est. 404
Berengarius coactus est Romæ palinodiam canere. 344
Berengarius in veritatis confessione mortuus est. 344
Berengarius vir fuit optimus, & doctissimus. 343
Bernardus lotionem pedum vocat sacramentum. 189
Bertramus edidit libellum doctum de Eucharistia. 343
Beza dixit, tantum esse interuallum inter corpus Christi, & sacramentum Eucharistiæ, quantum est inter cœlum & terram. 344
Bona opera sunt fidei nostræ fructus, & testimonia. 18
Brugensis in magno errore versatur. 640
Bucerus Zvvinglium & Oecolampadium laudat. 380

C

CÆremonia exorcismi & exufflationis, est vetus cæremonia. 337
Cæremonia non nisi res est externa, & ritus externus. 204
Cæremoniæ innumeræ vna cum circumcisione & paschate ad Christi aduentum permanserunt. 2
Cæremoniæ nonnullæ papisticæ sunt impiæ. 197
Cæremonia quæuis non est sacramentum. 204
Cæremonia quid sit. 197
Cæremonias nunc cumulare, est Christi aduentum obscurare. 206
Ecclesiam posse vtiles & necessarias cæremonias instituere. 200
Cæremonia vnde dicatur. 197
Calor non est instrumentum ignis. 58
Calvini definitio sacramenti omnibus aliis definitionibus præfertur. 8
Calvinus non repugnat sibi. 344
Calvinus per beneuolentiam quid intelligat. 10
Calvinus quid per εὐλογίαν intelligat. 422
Capernaitæ erant carnales. 360
Christus in capite sexto Iohannis non est loquutus de sacramento. 366
Caput sextum Iohannis non pertinere ad Eucharistiam, probatur. 366
Hæreticum est, exponere caput 6. Ioannis, vt Bellarminus exponit. 377
Christi carnem & sanguinem in Eucharistia percipientes confirmantur de remissione peccatorum. 14
Quomodo veram Christi carnem edamus. 493
Christi carnem quando edamus. 468
Caro Christi carnaliter exesa est omnino infructuosa. 491
Caro Christi cum pane absurde comparatur. 491
Christi caro non comeditur sub specie omnis cibi 371
Christi caro non est cibus corpori idoneus. 361
Catharinus scripsit libellum de intentione ministri sacramentorum. 53
Catholici nec de re, nec de modo explicandi conueniunt. 440
Catholici sunt Montanistæ. 182
Causa sublata tollitur effectus. 273
Causa est semper prior suo effectu. 449
Causa instrumentalis nihil facit immediate. 75
Facere aliquid mediate vel immediate refertur

ad causam principalem. 75
Causa semper nobilior est effectu. 100
Per Characterem quid intelligant patres. 151
Χαραχτὴρ quid significet. 148
Χαραχτὴρ nusquam reperitur in scripturis eo sensu, quo sumunt pontificij. 148
Character sacramentorum omnino nihil est, sed tantum recens commentum. 148
Characteri Bellarmino tria assignat officia 149
Characteris primus author quis fuerit. 163
Christus cur gratias egerit. 446
Cur Christus in his terris non habitet. 472
Christus dicitur ab origine mundi Agnus occisus. 437
Christus erat agnus occisus ab origine mundi. 129. 358
Christus est panis verus. 366
Christus est substantia, vis & anima noui Test. 122.
Christus est vere in Baptismo. 190
Christus fidem cum Baptismo coniungit. 64
Christus fit noster, quando sacramentum percipimus. 345
Christus fuit semper in vno loco. 495
Christus habitat per fidem in cordibus nostris. 36
Christus in cœlo est quoad corpus. 486
Christus in cœna non dabat se pro mundi vita. 359
Christus in cœna non instituit nouam legem. 350
Christus in cœna quomodo vocet panem corpus, & vinum sanguinem suum. 359
Christus in cruce vere pauper fuit. 436
Christus in Eucharistia non apparet. 511
Christus instituit Eucharistiam antequam passus & mortuus est. 24
Christus insulsam & phantasticam opinionem de reali manducatione refutauit, cum contra Capernaitas disputaret. 391
Christus interius absoluit, & baptizat. 44
Christus in verbo, & in sacramentis vberius à nobis percipitur. 110
Christus iustificabat omnes fideles in vet. Test. 120
Christus ipse se non manducauit, aut sanguinem suum bibit. 364
An Christus loquutus sit figurate. 471
Christus manducabatur ab Apostolis, antequam immolatus est. 349
Christus morte sua in cruce peccata nostra sustulit. 349
Christus iussit Apostolos cœnam frequentare. 131
Christus non aliud corpus habet, nisi quod in cœlo est. 429
Christus non asperſit sanguinem in pectora discipulorum. 350
Christus non consumitur. 357
Christus non est in templis aut in pixide quærendus. 472
Christus non est in terris quoad corpus. 344
Christus non est corpore inuisibilis. 497
Christus non est substantia, aut materia cuiusquam sacramenti. 196
Christus non fallit, aut ludit oculos nostros. 479
Christus non habet nunc corpus, nisi glorioſum. 472
Christus non habet nisi corpus vnum. 379
Chrisma fuit caremonia Baptismi. 185
Chrisma non fluxit è latere Christi. 185
Christiani omnes sunt sacerdotes. 39
Christianos decet honestas, & simplicitas. 203
Christi caro cibus, sanguis potus est. 360
Christi caro non est cibus canum aut porcorum 345
Christi & Euangelistarum authoritas prior & antiquior nobis esse debet, quam omnium patrum. 66
Christi gloria non potest ab eius corpore separari. 429
Christi humanitas non est in hostia, aut pixide quarenda. 472
Christi humanitas non potest simul in cœlo esse, & in templo. 472

Chri-

Christi merita nemini sine fide possunt applicari 65
Christi morientis vel minima gutta sanguinis ad omnia mundi peccata expianda valet. 205
Christi mors publica fuit. 351
Christi innocentia & perfectissima obedientia est nostra iustitia. 320
Christi mors valuit apud patres, non minus quã apud nos. 129
Christi mortis erant plures testes, quam cœna. 351.
Christi possunt esse participes, qui nunquam fuerunt participes Eucharistiæ. 346
Christi præsentiam qualẽ nos agnoscamus. 399
Christi sanguinem non potant impij. 436
Christi sanguis non extinguit sitim carnalem. 461
Christi sanguis quare vocetur Testamentum. 465
Christo, non Papistis credendum. 478
Christum ad finem mundi nemo in terris inueniet. 478
Christum in Baptismo non minus induimus, quam in Eucharistia comedimus. 421
Christum in cœna nos redemisse, absurdũ est. 351
Christum nemo syncere amat, nisi qui Papam oderit. 81
Christum non esse corpore in terris, probatur. 479. 480.
Christum non esse in terris quærendum, probatur. 497
Christum nos non magum dicimus. 30
Christum quoad præsentiam corporalem continet cœlum, non Eucharistia. 194
Christum non pridie azymorum celebrasse cœnam, probatur. 636
Christum quomodo intra pectus recipere debeamus. 584
Christum quomodo in sacramento Eucharistiæ percipiamus. 345
Christum totum agnoscimus in Eucharistia fidei præsentem spiritualiter. 347
Christus Abrahæ promissus fuit. 127
Christus abrogata circumcisione Baptismum retineri iubet. 215
Christus à cœna statim apprehensus est. 420
Christus à nullo impio post resurrectionem aut contactus, aut conspectus legitur. 498
Christus applicatur nobis fide cum omnibus suis meritis. 36
Christus ascensurus in cœlum benedixit Apostolis. 402
Christus author nostræ doctrinæ. 342
Christus cum parabolas vult exponere, adhibet tropos. 389
Christus baptizat spiritu. 308
Christus cur circumcidi voluerit. 321
Christus cur mortuus sit. 274
Christus non alium Baptismum quam Ioannis habuit. 319
Christus non auro, aut argento, sed sanguine suo precioso nos redemit. 320
Christus non fuit cum Lazaro moriente. 601
Christus non indiguit redemtione vlla. 321
Christus non innocentia sua tantum, & mansuetudine, sed obedientia vsq; ad mortem sustulit peccata nostra. 315
Christus nos peccato vulneratos sanat paulatim. 273
Christus serpenti dissimilimus fuit. 595
Christus vbiq; præsens est in cuiusque ministerio 43.
Christus vbi sit quærendus. 503
Christus venit ad nos in Eucharistia. 433
Christus vmbris omnibus est longe præstantior. 352.
Christus vna cum Apostolis edit & bibit. 435
Chrysostomus multa loquitur de sacramento Eucharistiæ ἐμφαλικῶς. 607
Cibus nullus aut potus est spiritualis, præter Christum. 353
Circumcisio diu ante legem datam fuit. 113
Circumcisio & agnus Paschalis ad paucos pertinuerunt, & nostris cesserunt. 355

Circumcisio est sigillum iustitiæ fidei. 15.
Circumcisio institutа fuit, postquam Deus Abrahа familiam sibi in populum & Ecclesiam assumsit. 1
Circumcisio mortua est moriente Christo. 253
Circumcisionem fuisse signum fœderis, probatur. 21
Circumcisio fuit olim sacramentum regenerationis. 218
Circumcisio non fuit omnibus simpliciter ad salutem necessaria. 34
Circumcisio non nisi signum fœderis diuini fuit. 382
Prophetæ & Apostoli multum tribuunt circumcisioni. 87
Paulus quando detrahit circumcisioni, loquitur de circumcisione abrogata. 114
Circumcisionis non priuatio, sed cõtemptus fuit peccatum. 35
Circumcisio signum fœderis dicitur. 5
Claudius sanctes est sibi contrarius. 414
In cœlum animis nos ascendere oportet. 428
In cœna nulla gutta sanguinis Christi profusa est. 351
Concilia quomodo habeant authoritatem condendi canones. 208
Concilium Constantinopolitanum docuit, non esse vllas Christi imagines faciendas. 343
Concilium Tridentinum fuit Conciliabulum meretricis Babylonicæ, & spelunca latronum ac prædonum. 169
Concilium Tridentinum non definiuit omnia fidei dogmata. 170
Concupiscentia est primus motus actusq; peccati. 270
An sine Confessione quis possit seruari. 226
Confirmatio, & ordinatio non sunt sacramenta. 68.155
Confusio non debet esse in vnitate. 527
Congruentia quid. 170
Inter scholasticos est incertissimum, quomodo Christus consecrarit, & quibus verbis. 406
Consecratio legitima Baptismi quæ sit. 424
Consecratio non fit in certis verbis. 29
Contradictio non cadit in sinum Dei. 510
Conuersio substantialis nulla olim credita fuit. 586
In Conuersione non oportet materiã perire. 572
In omni Conuersione opus est productione. 574
Corda non durantur proprie. 386
Corinthij cœnam Dominicam corruperunt. 341
Corpora nostra non possunt vere nutriri corpore Christi. 477
Corpora nostra post resurrectionem habebunt easdem dotes, quas nunc habet corpus Christi. 502
Christus non legitur quenquam baptizasse. 403
Christus non nisi vnum, idemq; numero corpus habet. 485
Christus non nisi vnus est. 535
Christus non iterum ante mundi finem venturus est. 110
Christus non oculis, manibus, ore corporis, sed mentis percipitur. 348
Christus non pani gratias egit, sed Deo. 403
Christus non potest esse iterum in terris, nisi vt cœlum deserat. 485
Christus non recessit præsentia maiestatis. 483
Christus non teritur dentibus. 454
Christus non vocauit cœnam vltimam suã voluntatem, sed fœdus nominauit. 383
Christus nullam aliam naturam aut substantiam dedit, nisi panem. 444
Christus nunc natus, & datus nobis est. 357
Christus nunquam caret intentione, nunquam somniat, aut aliud loquitur, aliud sentit. 44
Christus nusquam est, vbi non in gloria conspici possit. 496
Christus offerebatur omnibus in Manna. 138
Christus peperit nobis vitam morte sua. 463
An Christus per ianuas clausas intrarit. 550
Christus per manus Ministri vult nobis bona cælestia in vsu sacramentorum conferri. 217
Christus potest in sacramẽto Eucharistiæ recipi, aut

aut respui, licet nõ adsit ibi corporaliter. 435
Christus pro originali peccato non minus mortuus est, quam pro actualibus. 193
Christus quando consummarit Testamentum. 350
Christus, quatenus est mortuus, est cibus, quo mundus viuit. 370
Christus quoad corpus in cœlis est. 196
Christus quoad gratiam, & præsentiam spiritualem, præsentissimus est. 344
Christus, quod discipulis tradidit, vocauit aperte suum corpus. 379
Christus quod per Apostolos fecit, id ipse fecisse dicitur. 248
Christus quomodo mutarit aquam in vinum. 414
Christus quomodo nobis in sacramento immoletur. 26
Christus quomodo sit tangendus, & edẽdus. 498
Christus quorsum mortuus sit. 14
Christus, quotiescunq; panem comedit, solebat gratias agere. 405
Christus remouet omnem offensionem & obscuritatem tum Capernaiticam, tum papisticam in cap. 6. Ioannis. 360
Christus sacramentum purgationis in aqua instituit. 33
Christus semper pauperibus est anteferẽdus. 482
Christus statim à cœna apprehensus fuit. 359
Corporalem præsentiam defendentes, errãt. 471
Corporalis præsentia Christi in Eucharistia tollit Christi maiestatem, & gloriam. 429
Corpora sunt σκιαγραφικὰ. 517
Aduersarij demunt corpori Christi magnitudinem. 397
Proprietas veri corporis quæ sit. 504.558
Corporis viui sumptio non est commemoratio mortis. 467
Christi corpus est iisdem proprietatibus praditum, quibus nostra. 503
Corpus Christi esum non potest non esse viuificum. 438
Christi corpus factum est ex substantia Mariæ, non ex tritico. 392
Corpus Christi habet dimensiones corporis humani. 530
Christi corpus habet eadem membra, quæ nostra corpora habent. 196
Christi corpus habet veri corporis naturam. 397
Corpus Christi in cœna quomodo percipiatur. 427
Corpus Christi mysticum quid sit. 439
Corpus Christi non corrumpitur. 438
Christi corpus non editur visibiliter. 437
Corpus Christi non emittitur in secessum, sed solus panis. 474
Actio tota non est corpus Christi. 407
Corpus Christi non est materia sacramenti. 477
Corpus Christi esse in Eucharistia, & non videri est αἰσχρὸν. 600
Corpus Christi in Eucharistia nec videtur, nec tangitur. 602
Corpus Christi in Eucharistia nõ habet carnem, nec ossa. 601
Corpus Christi vere nunquam est sacramentum, aut in vsu, aut extra vsum. 616
Corpus Christi non intrat in os, sed solus panis. 474
Christi corpus non est spiritus. 497
Corpus Christi non nisi in vno loco esse probatur 397.398.473.485.
Corpus Christi non potest nouum creari. 485
Corpus Christi offertur in Eucharistia non ori, sed fidei. 433
Vbicumq; est corpus Christi post ascensionem, ibi est summa gloria. 429
Corpus Christi qui aliter, quam vt est in cœlo, sumit, is nullum inde fructum percipit. 429.
Corpus Christi qui sumit, sumit vitam. 90
Corpus Christi si esset in terris, non prohiberet monstrari. 478
An possit fieri, vt corpus Christi sit præsens in Eucharistia. 503
Corpus Eucharisticum non potest esse corpus naturale

turale Christi. 600
Corpus de pane non simpliciter, sed figurate prædicatur. 380
Corpus & sanguis non est sacramentum corporis, & sanguinis. 437
Corpus humanum necessario debet esse in loco. 510
Christus non est panis sanctificatus, sed sanctificans. 435
Corpus non potest à dimensionibus suis separari. 529
Corpus physicum non potest includi in minore spacio, quam iusta quantitas requirit, & quam dimensiones patiuntur. 601
Corpus non potest esse in loco, vbi ante non fuit, sine motu locali. 485
Corpus non potest non implere locum. 533
Corpus non potest proprie de pane prædicari. 439
Corpus non potest simul esse corpus, & non corpus. 491
Deus non potest facere, vt vnum corpus sit in diuersis locis localiter. 531
An vnum corpus esse in pluribus locis implicet contradictionem. 509
Per CORPVS quale signum nos intelligamus. 418
Corpus vnum non potest esse in locis tam remotis, quam cœlum est à terris. 473
Omnis Creatura est in loco aut circumscriptive aut definitive. 533
Credens in Christum seruabitur. 345
Omnis credens iustus est. 83
Credentes cur dicantur esse filij Abrahæ. 22. 127
Credere in Christum, est ipsum comedere. 361. 370
Credere per se ad salutem sufficit. 66
Credere possumus sine sacramentis. 81

D

TODABO, non semper futurum, sed perpetuum quendam actum significat. 359
Dæmon non nisi armis spiritualibus profligari potest. 204
Dæmon omnia agit per signa. 102
Dæmones, & reprobi passum, & mortuum esse Christum meminerunt. 24
Dæmones semper recordantur, se à Christo esse deuictos. 202
Dæmonia expelluntur precibus, & ieiunio. 337
David in suo testamento multa figurate loquitur. 384
Dei potentia non est humanæ mentis angustijs circumscribenda. 508
Gens nulla potest ad vnum diem esse incolumis sine Dei protectione. 124
Dei virtus nulla absconditur in aqua. 72
Deus cur coniungere voluerit cum verbo sacramenta. 17
Deus docet, & donat nos suis bonis. 101
Deus immediate agit in verbo. 75
Deus libere etiam extra sacramenta gratiam immediate in cordibus nostris efficit, & operatur. 62
Deus multa, quæ apud homines impossibilia, facere potest. 548
Deus multos diligit, antequam nascuntur. 230
Deus non est Deus mortuorum, sed viuorum. 125
Deus non est Deus noster sine fide. 121
Deus est perpetuus actus. 546
Deus impartijt creaturis fœcunditatem benedictione. 403
Deus in Baptismo iustificat. 103
Deus non destruit in totum quod fecit. 604
Deus nunquam fecit, vt duo corpora simul se penetrent. 575
Deus nunquam vllum verbum dixit de accidentibus absq; subiecto. 583
Deus in verbo efficax est sine intentione ministri 48.

Deus non habet propriè faciem. 384
Deus non indiget aspectibili signo ad reminiscendum. 386
Deus non minora bona in verbo, quàm in sacramentis offert. 48
Deus non offert prædestinationem in sacramentis. 8
Deus non potest facere, quæ implicant contradictionem. 510.518
Deus nunquam dixit esse aliquid, quod non fuerit. 451
Deus oculos & alios sensus externis notis ad cœlestium rerum contemplationem excitat. 2
Deus per Sacramenta, & cum sacramentis confert gratiam. 63
Deus potest motum facere sine strepitu. 550
Deus quomodo sit vnus, & trinus. 398
Deus quomodo nos lauet. 69
Deus secundum idem non est vnus, & trinus. 398
Deus sine sacramentis potuit salutem nostram expedire. 1.
Deus Spiritu sancto baptizat. 39
Cur Deus voluerit esse analogiam inter signa, & res signatas in sacramentis. 24
Diabolus non in omnibus habitat, qui sunt peccatores. 268
Dimensiones extensione partium dijudicantur. 558
Dimensiones non possunt à corpore separari. 556
Diploma sine sigillo non est firmum. 17
Disparatum de disparato non sine tropo verè prædicari potest. 396.415
Diuisum non est idem. 529
Diuites esse possunt, qui tamen spem suam in diuitiis non ponunt. 549
Dogmata quid sint. 388
Dominus non intrauit Virginis vterum, sed exiuit. 551
Durandus probat Transubstantiationem Papistarum esse annihilationem. 579

E.

ECclesia sacramentis nunquam caruit. 1
Ecclesia triumphans nec sacramentis indiget, nec verbi prædicatione. 2
Ecclesiam non perdit omnis error. 169
Ecclesia potest ad ornatum cæremonias instituere. 203
Ecclesia non potest cæremonias instituere, quæ in se vim miraculi habeant. 203
Ecclesiam posse cæremonias instituere ad alios fines. 206
Ecclesia potest instituta condere & sancire, ad scandala tollenda, & remouenda offensiones. 208
Ecclesiæ integræ ad errorem sunt procliues. 341
Ecclesiæ nihil est tradendum, nisi quod Dominus mandauit. ibid.
Electi non possunt perire vllo casu. 230
Elementum per se est quasi res mortua. 27
Particula Enim in nullo Euangelistarum reperitur. 418
Epularum potius delicatarũ, quàm salubrium sumus cupidi. 80
Euangelium offert omnes promissiones gratiæ credentibus. 36
Promissiones amplissimæ & augustissimæ proponuntur nobis in Eucharistiâ. 11
Eucharistia non prodest sumentibus sine fide. 14
In Eucharistia Christum cum omnibus mortis suæ meritis accipimus. 193
Eucharistiam multi sumunt, & moriuntur. 361
Eucharistia est mysterium, & sacramentum carnis Christi. 343
Eucharistia est optima CHRISTI imago. 343
Eucharistia confirmat, augetque fidem, & nos cum CHRISTO arctius coniungit. 346
Eucharistia non est simplex panis res tra. 348

Eucharistia num in pane azymo, an fermentato administrari debeat? 634
Eucharistico vino epoto quidam exspirasse legũtur. 597
Eucharistia non modo figuram habuit in veteri Test. sed etiam Baptismus. 354
Eucharistiam sumere non omnib. est necesse. 356
Eucharistia sacramentum neque est Testamentum, neq; pactum ipsum, sed eius symbolum. 385
De Eucharistia non fuit olim veterum tanta cura, quantam aduersarij volunt. 432
In Eucharistia carnem Christi non esse, probatur. 487
In Eucharistia ao fiat conuersio substantiæ panis & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi. 569
Scripturis nihil familiarius est, quam verbum EST, ponere figurate. 396
Significatio verbi, EST, metienda semper est ex natura rerum, quas copulat. 415
Bellarminus quibus argumentis probet, verbum (est) accipiendum esse proprie. 415
Verbum EST, non semper significat ὕπαρξιν, sed aliquando σχέσιν. 415
Τὸ EST, proprie sumtum non conuertit rem, sed declarat rei naturam. 417
Τὸ EST, vocatur à scholasticis verbum imperiosum. 417
Excommunicatio ministri iniusta, irrita est apud Deum. 44
Exorcismus papistarum crassus abusus est. 211

F

FAcultates essentiales non possunt separari à suis subiectis. 559
Fermentum quid scilicet. 273
Fides vera in Christum non modo mortem, sed & resurrectionem Christi complectitur. 316
Figuras ducere digito nõ est resistere diabolo. 201
Figuræ ex voluntate eius qui instituit, æstimandæ sunt. 351
Figurate qui loquitur, non semper ambigue loquitur. 381
Figuræ illustrant saperes. 381
Figura non semper est inimica τῆς ἀληθείας. 382.383.
Nihil magis tritum, quam verbis figuratis doctrinam de sacramentis exponi. 382
Figura non abhorret à sacramento. 382
Figura rei, vt, cuius est figura, per omnia respondeat, non est necesse. 267
Figuram non potest capere res vacua, & phantasma. 601
Sine figuris vix aut Testamentum condere, aut omnino loqui possumus. 385
Sola fide salutem consequimur. 1
Fide vera præditi sine sacramentis possunt seruari. 1
Fide carens in peccatis mortuus est. 14
Fides nostra infirmissima est, & mista cum imbecillitate. 18
Fides semper intuetur promissiones. 21
Fidei testificationes multæ sunt Baptismo certiores, & efficaciores. 26
Fidei, non Baptismi priuatio est exitialis. 33
Gentes olim ad fidem accessuros oportebat prius esse ad tempus Catechumenos. 37
Fidem, pœnitentiam, & bonos motus qui habẽt, ij primam gratiam, & iustitiam habent. 59
Fide vera qui præditus est, is non mediocriter, sed optime dispositus est. 60
Fides ex auditu nascitur. 63
Fides nulla potest esse sine gratia. 62
Fides est internum spiritus sancti donum. 65
Fides quomodo iustificet. 72
Fidem semper sequitur sanctitas. 75
Fides ipsa sancta est. 75
Ex fide viuere, est ex sola fide viuere. 81
Deus, & Christus non potest excludi, cum fide hominem iustificari dicimus. 82
Apostolus soli fidei iustificationem tribuit. 82
Fides debet disponere hominem. 83
Fides in corde gignitur ex auditu. 83
Fide carere est causa damnationis. 85

Fides iustificat, non sacramenta. 88
Fidem veram qui habet, non potest non habere voluntatem vtendi sacramentis. 89
Fides in Christum mortuum dirigitur. 119
Fides est victoria, qua vincit mundum, & satanam huius mundi principem. 201
Sine Fide non iustificamur. 120
Fide & deuotione qui præditus est, satis munitus est. 202
Vera fides non est infructuosa. 215
Fides quid. 345
Fides plus est, quam cogitatio. 345
Fidei quæ sunt, sunt difficilia, & supra ingenij nostri captum. 345
Fides Patrum in Christi morte fundata est. 358
Fides Papistarum non est fides, sed mera opinio, aut potius chimæra. 396
Bene sperandum est de omnibus filiis sanctorum, donec suam reprobationem probant. 230
Filij sanctorum cur sancti dicantur. 230
Fœdus Dei pactum cum Abrahamo 20
In omni fœdere & pacto est mutua quædam stipulatio. 125
Fœdus omne est inter duos. 125
Fœdus non habet sanguinem. 457
Forma vt mutetur in aliam formam, non potest fieri. 572
Frangere, non est immolare apud Paulum. 424
Fractio specierum panis non est immolatio corporis Christi. 425
Frangimus, significat distribuimus. 425

G.

GAbriel Biel Canonem Missæ multis lectionibus exposuit. 376
Gelasius affert pro nobis argumentum firmissimum, & inuictissimum. 508
Gemini qui dicantur. 180
Generare plus est, quam alere. 46
Sine gratia nulla aptitudo. 153
Gratia quomodo sit in sacramentis. 103
Guitmundus scripsit primus contra Berengarium. 410

H.

HAbitus nullus potest libere & indifferenter se habere ad bene & male agendum. 160
Habitus sunt delebiles. 161
Hæsitatione quisque debet carere. 19
Hebræi veteres similiter ederunt Christum, atque nos. 499
Hegesippus primus fuit, qui Petrum Romæ fuisse, aut Romæ mortuum esse scripsit. 514
Gardinerus per Hoc, panem designari fatetur. 411
τὸ Hoc, demonstrat proprie aliquid oculis. 378
τὸ Hoc quid significes, & demonstret. 407 408.448.
Hoc, non sumitur adiective. 408
Hoc significat poculum, id est, vinum in poculo. 409.
Hoc, non demonstrat corpus, sed panem. 410
Hoc, non potest demonstrare corpus Christi. 592
Hoc, semper rem præsentem demonstrat. 592
Quid per Hoc, intelligat Bellarminus. 410
Christus quid demonstrarit pronomine Hoc. 440
Hoc, significat semper aliquid singulare. 442
Homines non modo ex anima & spiritu immortali, sed etiam ex corporea quadam mole constant. 2
Homines scientiam tantum, & sacramenta salutis dare possunt. 307
Homo purus potest instituere sacramentum, non sua authoritate, sed Dei. 297
Homo verus non potest esse simul in diuersis locis. 495.
Hostes callidi simulant aliquando fugam. 201

I.

IAcobus loquitur de re futura tamquã de præsenti,

senti, vel præterita propter rei certitudinẽ. 384
Idola & idololatriam oportet nos fugere. 336
Iesuitæ impudentißimi sunt. 150
Iesuitæ audacia obseruanda est. 458
Ignis infernalis an sit verus & corporeus. 100
Impij sunt rei corporis & sanguinis Domini. 436
Impij nihil nisi sacramentũ visibiliter edunt. 437
Impij nec Dominum habent, nec Christi membra sunt. 439
Impij non coniunguntur cum Christo. 498
Impositio manuum non est sacramentum. 68
Impositio manuum erat olim cæremonia & appendicula Baptismi. 182.183
Incarnatio est nobis vtilis per mortem. 369
Indignè accedentes quid faciant. 433
Indiuiduum vagũ non potest demonstrari. 448
Infantes an sint baptizandi. 15
Infantes quomodo credant. 289
Deus voluit infantes circumcidi. 15
Infantes electos, morientes antequam adoleuerint, Deus virtute spiritus sui renouat. 15
Infantes baptizantur in futurum tempus Dei iussu. 19
Infantes possunt seruari, etsi nec re, nec voto baptizentur. 32
Infantes Baptismum nec negligere, nec contemnere possunt. ibid.
Infantes multi seruantur sine baptismo. 88
Infantes multi damnantur cum baptismo. ibid.
Infantes cur ad baptismum adducantur. 89
Infantes nec verbum, nec fidem habent. 96
Infantes Iudæorum non poterant ante octauum diem circumcidi. 238
Papistæ nobis persuadent, infantes esse plenos dæmonum. 337
Pontificij ridiculè admodum suos infantes saliunt. 338
Infantum sugere potius est, quàm edere. 373
Infantes non possunt Christum carnaliter, & propriè edere. ibid.
Infideles sunt fadifragi. 20
Infidelitas dupliciter sumitur. 60
Innocentius quartus cur sit ridiculus. 217
Innocentius tertius dissensit à Nicolao secundo. 605
Institutio omnis semel sancita obligat necessitate præcepti. 251
Instrumentum nisi motum nihil efficit. 99
Intellectus non loquentis, sed audientis pendet. 450
Intentio vtrum sit necessaria in ministro sacramenti. 40
Intentio ministri requiritur. 42
Intentio est in Christo, qui Baptismum instituit. 43
Intentio Christi non potest mutari. 43
Homines in humanis pactis debent habere intentionem. 45
Intentio est arcana, & ignota aliis. 49
Intentione nihil incertius est. 49
De Intentione alterius nemo potest esse certus. 49
Intencionem alterius scire nemini mortali conceditur. 51
Intentio nulla potest esse in ludicro, inimico, & ioculari Baptismo. 51
Catharinus, & alij Papistæ saniores intẽtionem non esse necessariam statuunt. 53
Inuisibile esse pugnat cum veritate corporis. 397
Inuisibilitas pugnat cum gloria. 487
Ioannes Baptista docuit eos antea, qui ad eius Baptismũ accesserunt, quàm baptizaret. 27
Ioannes Baptista ante occisus est, quam potuit Eucharistiam percipere. 365
Ioannes pura aqua baptizauit. 219
Ioannes neminem baptizauit, nisi qui prius peccata sua confiteretur. 318. *nihil fecit, nisi quod iussus est facere.* 301. *non modo aquam adhibuit, sed & eodem ritu vsus est, & eadem forma quoad substantiam, qua nos vtimur.* 316. 317. *prædicabat pœnitentiam non verbis modo, sed ipso habitu, vitaq; instituto.* 318. *Ioannis Baptismi vis & efficacia non ad corpus tantùm, verum etiam ad animam*

animam pertingebat. 330
Ioannis Baptismum eundem, quoad substãtiam, cum nostro fuisse, probatur. 314
Ioannis Baptismus an idem fuerit cum Christi baptismo. 294
Ioannis Baptismus fuit à Deo institutus. 298
Ioannis Baptismus fuit baptismus pœnitentiæ, & remissionis peccatorum. 318
Ioannis Baptismus non omninò caruit inuocatione Trinitatis. 299
Ioannis baptismus qualis fuerit. 303
Ioannis doctrinam qui amplexi sunt, ij cœlestis regni ciues facti sunt. 316
Iris, siue arcus cœlestis dicitur signum fœderis inter Deum & Noë. 23
Iudas fuit minister verbi. 39
Iudas non exiliter sed sacramentaliter corpus Christi accepit. 436
Iudas fuit apostata, & diabolus. 39
Iudas non minus edit quàm reliqui ore. 438
Iudæi diligentes obseruatores legis erant. 637
Iudæi quo die Paschа celebrarint. 636
Iudex est quasi alter Rex. 43
Iudex absoluit etiam sine intentione. 44
Dissimilitudo inter Iudices politicos, & Ecclesiæ ministros. 44
Iulianus acerrimus Christianæ religionis hostis. 203
Iustificatio Dei solius propria est. 75
Iustificare non est sanctificare. ibid.
In iustificatione duæ concurrunt manus. 93
Iustificatio est res planè cœlestis. 100
Iustinus quomodo vocet Eucharistiam. 401
Iustitia prima & secunda ex verbi prædicatione confertur: per sacramenta autem alitur, atque augetur. 10
Iustitia imputatur propter fidem. 81
Iustitia plena est ex fide. 83
sine Iustitia plena non est pax apud Deum. 83
Iustitia in nullo nisi in Christo quærẽda est. 120
Iustus potest peccare. 122

K

Kemnitius satis fideliter recitat Innocentij Tertij sententiam. 52

L

Latro in cruce iustificatus fuit. 97
Leo vocat virginitatem sacramentum. 188
Leo decimus Christum simul & Paulum cum Luthero damnauit. 269
Lex mentis est sancta lex Dei. 271
Lex vetus an sit abrogata in morte Christi. 253
Liber Iudith non est magnæ authoritatis. 207
Liberos etiam ex impari coniugio natos, sanctos esse. 35
Liberi ad baptismum non debent trahi sine voluntate parentum. 88
Liberi fidelium parentum sancti sunt & mundi: etiam ante Baptismum. 234
Loca diuersa continent corpora diuersa. 485
Deus non est in loco propriè, quia non circumscribitur. 517
Loca diuersa non sunt simul. 527
Loce quod distinguitur, diuidi necesse est. 601
Locus arguit localitatem. 523
Loci diuersitas & disiunctio arguit etiam diuersitatem corporis. 519
Locus est terminus locati. 531
Lombardus quando vixerit. 168
Lombardus primus ausus est dicere septem esse Sacramenta. 186
Lutherus quid Christianis precari sit solitus. 81
Non quicquid Lutherus scripsit, statim verum est. 221
Lutheri opinio de reali præsentia erroris plena, vt Papistarum. 344
Lutheri opinio multis absurditatibus, & contradictionibus implicata est. 571
Lutherani nimium sunt pertinaces. 487
Lutherani non tollunt panem, sed cum pane corpus Christi coniunctum esse volunt. 500

Lutheranorum causa jacet. 551
Lutherani apertè refelluntur. 553
Lutheranorum cæcitas deploranda. 557
Lutherani qua in re sint insulsiores Papistis. 557

M.

In Eucharistia qualis sit manducatio. 345
Manducatio spiritualis semper est necessaria. 367.
In manducatione spirituali nulla est difficultas. 453.
Manducare proprie quid sit. 454.
In manducatione propria dens & venter parandi sunt. 456
Manducatio spiritualis affert vitam, carnalis nihil prodest. 493
Christus Manna cum sua carne comparat. 138
Manna quomodo par nostræ Eucharistiæ fuerit. 138.
Manna cur obscurius Christum adumbrarit, quam noster panis. 352
Manna fuit panis miraculosus. 352
Manna esse spiritualem cibum multi inter veteres nesciebant. 357
Marcionis dogma ex Papistarum sententia confirmatur. 601
Martyrium cur dicatur in scripturis Baptismus. 241
Martyr nemo est antequam sit mortuus. 244
Martyrium Papisticum an conferat gratiam. 244.
Matrimonium est res politica, non spiritualis. 172.
Matrimonium quomodo possit dici sacramentum. 187
Matrimonium est ordinarium remedium contra concupiscentiam. 197
Medicamentum habet insitam & naturalem quandam vim sanandi. 63
Memoria nuda non valet ad salutem. 24
Μετουσία papistarum redigitur ad ὐυδενότητα. 589
Metonymia non tollit veritatem rei. 464
Ad ministrum Euangelij constituendum quid requiratur. 39
Minister sacramentorum potest esse homo nequam, cuius ministerium tamen sit efficax. 43
Minister os & manus Christi est. 43
Minister quicquid intendat est sacramentum propter Christi authoritatem. 44
Minister est tantum instrumentum Christi. 43. 51
Minister tantum agit instrumentaliter. 51
Minister potest dici instrumentum Dei. 103
Ministerij vis tota à Deo est. 40
Verbi ministerium preciosissimus est Ecclesiæ ornatus. 203
Ministri multi mali Ecclesiæ vtiles fuerunt. 39.
Probitas in ministris requiritur. 39
Ministri sunt similes, & dissimiles iudicibus, & præsidibus. 43
Minister etsi sacramenta celebret ioco, vera tamen sacramenta sunt. 44
Ministri virtus præcipua quæ sit. 52
Minister nil nisi linguam, & manus præbet. 52
Minister non nisi visibile sacramentum tradit. 104
Miraculosè quod fit, non statim est spirituale. 137
Miracula non sunt temere fingenda. 490. 504
Miracula nunquam à Deo fiunt ad fidem labefactandam, sed confirmandam. 600
Sacerdotes, cum Missam celebrant, sunt gesticulatores. 198
Missæ Romanæ Canon mutauit verba Christi. 391
Missas qui conficiunt, non aliud faciunt, nisi creaturas indies perdunt, & conficiunt. 581

Mor-

Morbos sine medicamentis curare est miraculosum quid. 203
Mors in neminem grassatur, nisi ratione peccati. 320
Mors necessario requirit corpus. 437
Mors affert mutationem. 445
Mors Domini potest annunciari sine eius corporali præsentia. 467
Μυστήριον in scripturis semper pro re sacra & occultâ ponitur. 4
Μυστήριον non reperitur in scripturis significans sacramentum. 4

N.

Nominum quoq; habenda est ratio. 585
Numerus ternarius sanctior & celebrior est septenario. 174

O.

Occam inter scholasticos subtilissimus. 412
Occamus scholasticorum acutissimus. 398
Operis operati nemo Patrum facit mentionē. 73
Opus operatum priscæ olim Ecclesiæ fuit inauditum. 56
Opus operatum à quo sit inuentum. 56
Opus operantis quid dicatur. 57
Opus operatum opponitur operi operantis. 57
Oratio ad Deum, non ad elementa refertur, nisi subiectiue. 401

P.

Pacta non semper verbis propriis fiunt. 385
pactis ad pactorum symbola non valet consequentia. 385
Pœnitentia non est sacramentum. 34
Pœnitentia omnibus quomodo sit necessaria, 34
Pœnitentiam restringere ad tempus post Baptismum, est ἀβέβλογον. 34
Per pœnitentiam quid Papistæ intelligant. 34
Panem remanere cur sit necesse. 581
Panis & Latine & Græce est generis masculini. 408
Panis & poculum in Eucharistia aliud sunt, aliud significant. 5
Panis non est ipsum corpus Christi, sed eius sacramentum. 392.443
Panis sacramentalis est verus panis natura. 444
Panis & vinum in Eucharistia an sint sacramentum extra vsum, etiam in pixide asservata. 615
Panis Eucharistiæ potest alterari & corrumpi. 609
Panis mutatus est terminus diminuens. 593
Papistæ abstrahunt homines à Christo, & alligant sacramentis. 54
Papistæ coguntur multa comminisci. 239
Papistæ cur excogitarint suam concomitantiam. 360
Papistæ destruunt articulum de Ascensione Christi. 484
Papistæ dissimulant, vt causæ suæ inseruiant. 381
Papistæ & Lutherani vrgent τὸ ῥητὸν. 378
Papistæ ex Christi vel εὐχαριστίᾳ vel εὐλογίᾳ realem præsentiam, & transubstantiationem concludunt. 400
Papistæ ex salubérrimo Domini sacramento teterrimum quoddam idolum fabricati sunt. 342
Papistæ falsa, & contradictoria defendunt. 568
Papistæ grauius vindicant, & vrgent Papæ leges, quam leges diuinas. 198
Papistæ Christum suum lacerant, & destruunt. 585
Papistæ ex Ioannis Baptismo non nisi rem ludicram faciunt. 295
Papistæ non modo adorationis, sed & sanationis causa sacramentum adhibent. 631
Papistarum Christus est ὁμοούσιος tritico. 577
Papistarum subterfugium miserrimum. 603
Papistæ hodie verba Christi carnaliter intelligunt. 360

Papistæ honorificentius de confirmatione sentiunt, quam de Baptismo. 194
Papistæ horrendis sacrilegiis institutionem Domini fœdarunt. 342
Papistæ humanas cæremonias præceptis diuinis præferunt. 198
Papistæ in Eucharistia panis & vini non nisi figuras remanere aiunt. 393
Papistæ in figurã imprudentes deuoluũtur. 378
Papistæ inimici crucis Christi. 351
Papistæ inventa sua institutis divinis præferunt.
Papistæ literam occidentẽ sequuntur. 375 (194
Papistæ nefarij ac sacrilegi sunt. 360
Papistæ non habenti fidem conferunt gratiã. 59
Papistæ nullum commentum excogitare possunt, quod illorum instituto inseruiat. 414
Papistæ ponunt fundamenta hæreseos Eutychiana. 541
Papistæ quale Christo affingant corpus. 398
Papistæ septem sacramenta vno animi consensu faciunt. 164
Papistæ quidam cum Caluino Zuinglium pugnare, frustra contendunt. 344
Papistæ quod Christi solius est, tribuunt sacramentis. 54
Papistæ sunt blasphemi. 496
Papistæ sunt paulo voraciores quam Capernaitæ. 493
Papistæ tribuunt ẽt amentibus sacramenta. 19
Papistæ vim passionis Christi omnem ad sacramenta reuocant. 54
Papistarum Christus ex tritico fit. 534
Papistarum cibarius Christus est magnus impostor. 477
Papistarũ errores de Cœna Domini multo graviores sunt, quam Corinthiorũ fuerunt. 342
Papistæ frustra litigant cum Lutheranis. 545
Papistarum facinus execrandum. 496
Papistarum manducatio oralis est inutilis. 420
Papistarum Theologia nullis vtitur fundamentis. 253
Inter parabolã, & tropum multũ interest. 389
A parabolis ad tropos non valet argumentũ. 389
Parens non est minister. 45
Moses ex mandato Dei in egressu Israelitarum ex Aegypto instituit Pascha. 1
Pater non in templis, sed in cœlo habitat. 472
Patres quomodo non nisi duo sacramenta esse dicant. 186
Patres quomodo perceperint Christum in sacramentis. 132
Patres nec transubstantiationem, nec realem præsentiam confirmant. 591
Paulus accusat suam concupiscentiam. 269
Paulum de petra materiali loqui, probatur. 388. 389
Paulus Christũ nec vidit, nec audivit in terris.
Paulus optimus Christi interpres. 460 (486
Paulus per petram quid intelligat. 353
Pauperes non nisi in hac vita habemus. 482
Peccata sunt morbi lethales. 173
Peccata cur dicantur tolli, & mundari. 265
Peccatis per pœnitentiam morimur. 317
Peccatis quomodo moriamur. 268
Nemo se audet dicere sine peccato. 14
Peccato mortali, & proposito peccandi potest quis vacare, & tamen nullum vere bonum motum habere. 60
Expiatio peccatorum fluit à Christo. 115
Peccatum cum remittitur, remittitur etiam pœna. 193
Peccatũ nullum ex sua natura est veniale. 199
Peccatum originale non aliter remittitur in Baptismo, quam in Eucharistia. 193
Peccatum originale semper hæret. 232
Peccatum appellare debemus, quod scriptura peccatum appellat. 271
Peccatũ necessario est, ꝙ legi Dei repugnat. 271
Peccatum regnat in impiis; in piis est, sed non regnat. 173
Peccatum sola mortis causa est. 274
Pedum lotionem Patres diserte vocant sacramentum. 189
Percussio est causa mortis. 445

Periurium est peccatum grauissimum. 128
Periurus peccat in Deum grauissime. 128
Petra fuit figura Christi. 459
De petra invisibili, quæ est Christus secundum deitatem, non omnes biberunt. 389
Petrus percussus est viuus, sed sepultus est mortuus. 445
Pharisæi qui fuerint. 308
A Pharisæis ad Apostolos non valet argumentum. 389
Philippus an fuerit mere Laicus. 259
Pij sunt soli testes beneficij Dei. 436
Pœnitentia, & fides est parens remissionis peccatorum, quæ Baptismo obsignatur. 318
Pontificij non habent potestatem Dæmones sua arte profligandi. 337
Theologia Pontificiorum desultoria. 128
Apud Pontificios sunt sacramenta, quæ nullum visibile signum habent. 5
Præcepta multa sunt figurata. 386
Prædestinatio non est in nobis, sed in Deo. 8
Prædestinationem Dei nemo novit. 240
Prædicata talia sunt, qualia permittuntur esse à suis subiectis. 415
Prædicatio verbi requiritur ad bene esse sacramenti. 29
Præsentia paracleti est invisibilis. 497
Præsentia realis refellitur. 439
Præsentia nulla nisi spiritualis olim credita fuit. 569
Realis præsentia repugnat ascẽsioni Christi. 397
Primi parentes extrusi è paradiso invocabant Deum, immolabant pecudes, & offerebant sacrificia. 1
Priuilegium Abrahami. 23
Priuilegium paucorum non tollit communem legem. 126
Probare se ipsum quid sit. 14
Promissio cur in institutione sacramenti ponatur. 90
Promissio est in omni pacto, seu testamento. 21
Promissio gratiæ est conditionalis. 20
Promissiones Dei sunt vel categoricæ & absolutæ, vel hypotheticæ & conditionales. 20
Promissiones sacramẽtales sunt cõditionales. 20
Promissiones si remoueantur à sacramentis, nil boni erit in sacramentis. 11
Promissionis vocabulum omnes Papistæ oppugnant, sed in eo se absurdissimos ostendunt. 11
Pseudoprophetæ quomodo discernendi sint, non omnes norunt. 388
Psittacus nõ loquitur, sed garrit, & perstrepit. 43
Psittacus non potest esse minister sacramentorum. 43
Purgatio non est in sacramento, sed in fide. 36

Q

Qvalitates possunt augeri. 155
Quantitas non potest re separari à substantia. 610

R

Reconciliati cum Deo non possunt interire. 467
Rei læsæ maiestatis qui olim dicti sint. 429
Remissio peccatorum, & salus non consistunt in externa creatura aquæ. 69
Remissione peccatorum nihil nobis optabilius est. 192
Remissio peccatorum non potest esse sine gratia. 192
Aliud est, remitti peccatum, aliud esse sine peccato. 14
Renasci, metaphoricum est. 382
Res & signa cõiunguntur sacramentaliter. 344
Res sacramenti est optima, & cœlestis. 6
Res signo longe est præstantior. 5
Rex non potest quenquam interius absoluere. 44
Ritus aut cæremonia externa non est continuo sacramentum. 175
Romani fefellerunt Antiochum. 386
Rudes non sunt cæremoniis erudiendi. 203

S

Sacerdos quidam solo pane, & vino Eucharistico sustentatus est. 614

Sacerdotes morbo concupiscentiæ solent laborare. 197
Sacerdoti confiteri non est necessarium. 34
Sacramenta ad quid sint instituta. 71.190
Sacramenta aliquo modo sunt necessaria, non simpliciter. 32
Sacramenta bona sunt, etsi qui dedit, non sit bonus. 40
Sacramenta Christianæ Religionis omnia debent esse omnibus Christianis communia. 196
Sacramenta confirmant, obsignant, & declarant beneficia mortis Christi. 77
Sacramenta confirmant promissiones gratia præcedentis. 11
Sacramenta constant ex signo & re, ex substantia terrestri, & cœlesti. 6
Sacramenta cur addantur verbo. 18
Sacramenta cur dicantur ἀντίτυπα. 6
Sacramenta cur non pendeant ex ministri intentione. 46
Sacramenta cur non sint superuacanea. 79
Sacramenta cur sint necessaria. 32
Sacramenta deducunt nos ad mysteriorum sublimium intelligentiam. 2
Sacramenta Ecclesiæ noui & Vet. Testamenti manant è Christi sacrificio. 1.
Differentia inter sacramenta & verbi prædicationem. 5
Discrimen inter sacramenta, & sigillum Regium. 16
Sacramenta incurrunt in oculos. 105
Sacramenta in Vetere Test. non simpliciter ad salutem necessaria fuerunt. 34
Sacramenta in Vet. Test. sine verbis certis celebrata sunt. 28
Sacramenta in usu tantũ sunt sacramenta. 219
Sacramentale verbum efficax est, quacunq; intentione proferatur. 46
Ad sacramenta nemo, vt ad cibum communem, accedit. 357
Sacramenta nescientes non faciunt scire. 17
Sacramenta nihil efficiunt ex opere operato. 26. 63. 94
Sacramenta nihil valent sine fide. 94
Ad sacramenta nisi quis pius accedat, sacramenta eum iustificare non possunt. 10
Sacramenta non afferunt iustitiam, sed confirmant. 81
Sacramenta non addunt verbo aliquid. 18
Sacramenta non contemnenda. 2
Sacramenta non differunt in fine principali. 21
Sacramenta non ex specie externa, sed ex Dei institutione æstimantur, & agnoscuntur. 16
Sacramenta non frustra adhibentur. 16
Sacramenta non habent alium finem, quam ipsum verbum habet. 46
Sacramenta non iustificant nec primo nec secundo per se, & proprie. 9
Sacramenta non iustificant, sed solus Deus. 87
Sacramenta non modo fidem excitant, sed etiam res ipsas. 77
Sacramenta non possunt homini qui iustitia caret, iustitiam conferre, sed in eo tantum, qui habet, augere, & corroborare. 10
Sacramenta nõ possunt penetrare ad animã. 171
Sacramenta non sunt æstimanda ex eius manu, qui administrat, sed Dei, qui instituit. 39
Sacramenta non sunt causa gratiæ dispositiua, aut materialis. 55
Sacramenta non sunt obiectum fidei nostræ. 83
Sacramenta non sunt vita, aut Deus noster. 82
Sacramenta non vera sigilla esse dicimus, sed quasi sigilla. 16
Sacramenta nostra ad finem mundi sunt duratura. 6
Sacramenta nostra antiquis præferuntur. 110
Sacramenta nostra quibus modis veteribus sint præstantiora. 354
Sacramenta nostra quomodo dicãtur vmbræ. 115
Sacramenta nostra ruditatis, & tarditatis sunt subsidia. 2
Sacramenta Noui & V. Test. sunt instituta ad fidem confirmandam. 6
Sacramenta nullis prosunt, nisi prædestinatis. 8

Sacra-

Sacramenta obsignant, & actu exhibent id, quod significant in legitimo vsu. 6
Sacramenta obsignare promissiones Dei, probatur. 20
Sacramenta omnem vim ex verbo, & prædicatione habent. 16.26
Sacramenta pendent à Christo, & eius instituto. 43
Sacramenta quædam veteris Testamenti dicuntur Christus. 421
Calvinus an plura faciat sacramẽta, quam duo. 166
Sacramenta quomodo patres appellarint. 5
Sacramenta quorsum à Deo instituta sint. 2
Sacramenta respuere est infidelitatis argumentum certissimum. 89
Patrum nemo vnquam fecit 7. Sacramenta. 168
Sacramenta sine fide nihil valent, sed sunt prorsus nuda symbola. 10
Damnantur multi, qui habent sacramenta sine fide. 88
Sacramenta sine fide sunt prorsus inutilia. 78
Sacramenta sunt causæ instrumentales gratiæ. 62
Sacramenta sunt cæremoniæ diuinitus institutæ. 198
Sacramenta sunt destinata fidelibus. 19
Sacramenta sunt dijudicanda ex verbis promissionis, cuius sigilla sunt. 356
Sacramenta sunt diuinitus instituta. 1
Sacramenta sunt ex doctrina iudicanda. 352
Sacramenta sunt picturæ in oculos incurrentes. 2.
Sacramenta sunt symbola & sigilla beneficiorum, quæ Christi sacerdotio & sacrificio continentur. 1
Sacramenta sunt res crassæ, & materiales. 97
Sacramenta sunt res externæ, & corporeæ. 65
Sacramenta sunt res operantes, quæ nos mundant, lauant, sanctificant, regenerant. 9
Sacramenta veteracur dicantur vmbra. 114
Sacramenta veteracur Paulus vocarit vmbras & figuras. 112
Sacramenta veteraca fuerunt figuræ non modo ipsius Christi, sed & nostrorum sacramentorum. 348
Sacramenta vet. & noui Test. quomodo differant. 80.109
Sacramenta vet. & noui Test. quomodo sint paria. 110
Sacramenta vet. Test. fuerunt sacramenta iustificationis, non minus quam nostra. 111
Sacramenta vet. Test. non minus quam nostra à Deo fuerunt instituta. 76
Sacramenti administratio est actio visibilis. 79
Sacramenti definitio. 3
Sacramenti definitiones variæ proponuntur. 7
Conscientiæ mentionem recte fieri in sacramenti definitione probatur. 14
Augustinus tribuit nomen sacramenti multis rebus. 179
Ad sacramenti naturam constituendam quæ requirantur. 4.5.6.
Sacramenti nomen in scripturis non tribuitur confessioni, aut ordinationi. 168
Sacramenti nomen nemo nostrum improbauit. 4.
Sacramenti nomen non reperitur in scripturis, sed est à Theologis inuentum. 3
Sacramenti nomen salubriter à Theologis est inuentum, & in Ecclesia retineri potest. 4
Sacramenti res non potest nisi ad salutem sumi. 370
Deus in Sacramentis agit immediate. 75
Patres omnes nostra duo pro veris sacramentis agnoscunt. 187
Sacramentis etiamsi nonnulli abutuntur, tamen semper Dei beneuolentiam ex parte Dei confirmant. 10
Sacramentis magna vis tribuenda est. 54. bis
In sacramentis non est vis, sed in spiritu sancto per sacramenta agente, atq; operante. 6
In omni sacramento oportet esse res duas. 594

E Sacramentis non facimus miracula. 16
A Sacramentis non remouemus omnem gratiã 62
Ex sacramentis non sunt prodigia fasienda. 5
In sacramentis non tam signa spectari debent, quam res, quæ per signa repræsentantur, & significantur. 5
Sacramentis nos non alligamus salutem. 32
Sine sacramentis nulla potest esse religio. 2
In sacramentis omnem spem salutis ponere, est nimium sacramentis tribuere. 31
Sine sacramentis potest quis esse in beatitudinis statu. 37
Ecclesia sacramentis quibusdam stringitur. 2
Sacramentis rerum nomina tribui, vsitatum est. 421
Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus multa volumina de sacramentis scripsit. 185
Aduersarij nostri non tribuunt gratiam sacramentis veteris Testamenti. 104
Papistæ sacramentis vim seruandi tribuunt sine fide. 65
In sacramento Eucharistiæ oblatum Christum qui non accipiũt, accersunt sibi exitium. 434
Ex vno sacramento iudicare de omnibus possumus. 21
Sine sacramento Eucharistiæ & infantes & adulti possunt seruari. 373.492
De sacramentorum dignitate diiudicandum est ex genere doctrinæ, & ministerij dignitate. 349
Sacramentorum author quis. 625
Sacramentorum instituendorum finis. 597
Sacramentorum minister quis sit legitimus. 38
Error de sacramẽtorum numero non admodum est periculosus. 165
Sacramentorum verba possunt recitari sine administratione. 45
Sacramentorum verba practica sunt Christi, non ministri. 44
Sacramentorum veteris Test. eadem res fuit, quæ est nostrorum. 353
Sacramentorum vis omnis ex fide pendet. 63
Sacramentorum vis quæ sit. 7
Sacramentorum vtriusq; Testamenti idem finis, & scopus est. 122
Sacramentum aliud est, aliud significat. 9
Sacramentum constat ex materia terrena & cœlesti. 417
Sacramentum cur à patribus vocetur corpus Christi. 434
Sacramentum dicitur visibile signum inuisibilis gratiæ. 79
Sacramentum est proprium ei, cui datur. 80
Sacramentum est res consumptibilis. 357
Sacramentum est res terrestris. 100
Sacramentum est res transiens. 219
Sacramentum in vsu legitimo semper habet rem coniunctam. 137
Sacramentum multi ad iudicium & exitium manducant. 367
Sacramentum non dabatur pro mundi vita. 366.
Sacramentum est rei alicuius sacramentum. 616
Sacramẽtum non debet esse pernicies siue interitus creaturarum. 581
Sacramentum seruandi consuetudo antiqua an licita fuerit. 627
Sacramentum non est testimonium gratiæ absolutæ. 19
Sacramentum non ex opere operato confert gratiam. 73
Sacramentum non ex voluntate hominis, sed ex Dei manu, & mandato, & promisso pendet. 42
Sacramentum non inchoat, aut creat gratiam, sed nutrit, & auget. 63
Sacramentum non pendet ex nuda lectione, & recitatione verborum. 45
Sacramentum nullum est ante Baptismum. 187
Sacramentum nutrit. 476
Sacramentum omne ex duplici natura constat. 396.

Sacra-

Sacramentum pœnitentiæ non remittit originale peccatum. 193
Sacramentum potest definiri. 4
Sacramentum potest etiam verbis figuratis institui. 381
Nullum est Sacramentum, quam quod Christus instituit. 242
Sacramentum qui nescit, non potest intendere sacramentum. 53
Sacramentum sine fide nihil valet. 25
Sacramentum vnum non potest esse altero dignius. 190
Sacrificia olim condiebantur sale. 337
Sacrificia primorum parentum è paradiso extrusorum erant vnici & perfecti sacrificii Christi sacramenta. 1
Sacrificium Abelis quid præfiguraret. 119
Sacrificium Christi erat primis parentibus adumbratum. 1
Sacrificium pro quibus Deus voluerit offerri. 129
Salus ab vno Christo sperãda est. 54
Salus pendet ex fœdere. 35
Sancta non sunt canibus proijcienda. 335
Sancti non possunt perire. 36
Sancti non sunt in Eucharistia. 495
Sanguis non nisi figurate Testamentum dici potest. 466
Sanguis non potest dici nouum Testamentum. 466
Satanas est hostis vafer, callidus & astutus. 201
Satanas est spiritus. 201
Satanas non mouetur, aut fugatur signis externis. 201
Satanas non timet crucem sicut canis lapidem. 202
Satanas vincitur fide, non signis. 201
Scholastici argumentis Aristotelicis probare conantur, sacramentum non posse definiri. 4
Scholastici excogitarunt monstrum dogmatis de opere operato. 59
Scholastici non conueniunt de modo, quo sacramenta gratiam aut conferant, aut contineant. 55
Scholastici se misere torserunt vt, quomodo sacramenta sint causæ, docerent. 55
Scholastici triplicem faciunt baptismum. 38
Scholastici, & Papistæ aliqui exponunt verba Ioannis, vt nos. 305
Scholasticorum λογομαχία. 4
In scripturis multæ sunt propriæ prædicationes. 396
In scripturis nihil vsitatius est, quam per aquam spiritum sanctum intelligi. 67
Sẽsum literalẽ nos tenemus, & admittimus. 426
Sensus proprius dupliciter accipitur. 385
Sententiæ sunt fugiendæ, quæ offensionem potius quam ædificationem pariunt. 320
Serpens aeneus an fuerit vere serpens. 501.599
Sigillum non potest diploma clarius reddere. 356.
Sigillum spiritus sancti qui habet, non potest esse apud inferos. 150
Signa fœderis qui aspernatur, est aperto sacrilegus, & fœdifragus. 32
Signa magicæ à quo vim suam habeant. 102
Signa putare esse superuacanea, est parum sacramentis tribuere. 31
Signa sunt ad placitum ex institutione Christi. 423
Signa voluntaria quotuplicia sint. 1
Signum crucis facere non est signum deuotionis. 202
Signum crucis mirifice à patribus commendatum est. 201
Signum crucis nec Christus, nec Deus, nec Apostolus instituit. 202
Signum nudum & inefficax non potest alere fidem. 9
Signum est aliquid. 87
Signum quid sit apud Augustinum. 4
Signum semper à re ipsa, cuius est signum, distinguendum est. 396
Signum crucis pŏtificijs est res plane magica. 336

Signum sensibile non debet esse larua aut spectrum sed vera natura. 582
Signum sensibile, quod est exernu n sacramentum, non est accidens aliquod, sed aliquod elementum, & substantia. 582
In similitudine non congruunt omnia. 16
Similitudines non probant. 171
Simon Magus statim post Baptismum in omnem nequitiam prorupit. 432
Σῖτος *quodvis frumentum significat, non modo triticum.* 634
In somno multa succurrunt, de quibus vigilantes non cogitabant. 380
Species non possunt disponi ad corruptionem sine materia. 612
Spiritus Dei potest esse efficax in verbo, & in sacramentis, sine ministri intentione. 46
Spiritus interdum igni comparatur. 67
Spiritus non terretur rebus externis. 201
Spiritus potest esse in loco, & non implere locum. 533
Spiritus S. gratia ipsis signis externis non adhaerescit. 6
Spiritus sanctus est in aqua, & per aquam efficax. 73
Spiritus sanctus est instar aquæ. 226
Spiritus sanctus non dicitur proprie gignere. 67
Spiritus sanctus ordine naturæ prior Baptismo est. 66
Spiritus sunt finitæ naturæ. 555
Stephanus quomodo Christum viderit. 486
Substantia spiritualis non fit ex substantia materiali. 463
Sugere non est manducare. 454
Symbolum & sigillum non simpliciter necessarium est. 85

T

Ταμεῖον *quid sit.* 478
Tempora diuersa non sunt simul. 527
Terminus rei quid sit. 531
Sacra Biblia quare vocentur testamenta. 465
Testamenta sunt in proprio sensu intelligenda. 385
In testamentis optimum est scrutari inprimis, quid testator demonstrare voluerit. 385
Testamentum nostrum est infinite clarius. 349. 350
Testamentum Iacobi est plenum figurarum. 383
Christi Testamentum est pactum. 385
Testamentum proprie non habet sanguinem. 383
Testamentum sine morte testatoris non valet. 465
Testamentum vnum semel factum sufficit in aternum. 465
Testamentum non nisi semel factum est. 465
Sine sanguine testamenti nulla est salus. 467
Testamentum vetus totum est multis figuris velatum. 385
Testamentum vnum Christi est morte Christi sanctum semel. 350
Thomas & Bellarminus afferunt vim verbis Euangelij. 446
Thomam schola vt magistrum sequitur. 412
Thomæ sententia falsissima est. 446
Transitus in quo prædicamento sit. 458
Transubstantiatio est mutatio æquiuoca, quia non ex causis propriis fit. 604
Transubstantiatio est nomen nouum, peregrinum, barbarum, inauditum Ecclesiæ antiquæ. 585
Transubstantiatio ex nullo scripturæ dicto deducitur. 587
Transubstantiatio materiam & rem terrenam nullam in Eucharistia relinquit. 595
Transubstantiatio multis hæresibus fenestram aperit. 599
Transubstantiatio Papistarum qua traditione nitatur. 590
Transubstantiatio est contra naturam. 403
Transubstantiatio est merum commentum. 219

Transubstantiatio papistarum est naufragium fidei. 394
Transubstantiatio tollit pene omnes articulos de veritate humanitatis Christi. 397
Transubstantiationem non euincit gratiarum actio. 400
Poculum cur dicatur πότηριον τῆς εὐλογίας. 401
Transubstantiatio non euincitur ex benedictione. 407
Transubstantiatus Christus non nisi merum idolum est. 477
Pro Transubstantiatione pontificiorum argumenta. 578
Contra transubstantiationem argumenta nostra proponuntur. 585
Transubstantiationem qualem papistæ & Bellarminus statuant. 588
Transubstantiatio non nisi commentum & monstrum est, post nongentos aut mille à Christo annos natum, & inuentum. 569
Transubstantiationis doctrina recens est tam re, quam nomine. 569
Transubstantiationis fundamentum est Papæ authoritas. 590
Transubstantiationis nomen cur sit repudiandum. 589
Transubstantiationis nomen inter κενοφωνίας *reponi debet.* 585
Transubstantiationis nomen non est in Theologia admittendum. 588
Transubstantiationis nullam mentionem fecit antiqua Ecclesia. 569
Tropi non pugnant cum sacramentis. 382
Christi verba non possunt sine tropis intelligi. 464
Aduersarij ad tropos confugere coguntur. 383
Christus non semper exponit tropos. 390
Bellarminus in nullo verbo tropum relinquit. 414
Tropus non pugnat cum perspicuitate. 381. 460
Typus refertur aliquando ad rem, quam repræsentat. 109
Typus alius aliquando ad alium refertur. 109
In Typo quod verum est, idem in archetypo. 598

V

Valentinianus distulit baptismum, cum potuit habere. 254
Venire ad Christum quid sit. 361
Verba dicuntur expressa dupliciter. 395
Verba non nisi audita, & intellecta vim & gratiam afferunt. 30
Verba precum possunt recitari sine precatione. 45
Verba sonant in auribus. 105
Verbi concionalis, & sacramentalis non eadem est ratio. 29
Verbi prædicatio efficacior est sacramentis. 16
Verbum à sacramento, aut sacramentum à verbo non debemus separatum considerare. 17
Verbum clare pronunciandum & explicandum est. 27
Verbum cum sacramento multo efficacius est, quam sine sacramento. 17
Verbum Dei magis est practicum quam sacramenta. 47
Verbum & promissiones non ex parte Dei promittentis, sed ex parte nostra indigent confirmatione. 17
Verbum & sacramenta in quo differant. 79
Verbum est causa introitus in Ecclesiam. 156
Verbum est medium. 75
Verbum est plenum ἐνεργείας. 76
Verbum iustificat. 10
Verbum multis est commune. 80
Verbum promissionis est in omni sacramento. 89
Verbum quod occulte cum tenui strepitu incertis syllabis à pontificiis demurmuratur, non multum abest à magia. 29
Verbum sine sacramentis per se firmum est. 17

Verbum solum plus in se virium habet, quam sacramenta sola. 47
Veteres carnaliter tantum sapuerunt. 357
Vinum ipsa hedera nunquam exhibet. 68
Vinum in calice cur Christi sanguis appelletur. 619
Virtus nihil aliud, nisi efficacia. 142
Visibile non potest dici, quod non videtur. 438
In vita corporali quid sit primo, quid secundo. 171
Vitam aeternam adipisci, difficile est. 345
Extremam vnctionem nemo patrum vocat sacramentum. 187
Vniuersale est tantum in intellectu. 442
Votum non est baptismus. 66

W

Wicleffus Anglus veterem de Eucharistia sanam Ecclesiae doctrinam reuocauit. 344

FINIS.

Erratum.

Colum 4. in Dedicat. lin. 14. pro, *paruulorum*, lege, *millium*, si quæ alia forte alis occurrerint, benignus facile emendabit Lector.

g to thy
e fall not

is water and *Chap.3
ouse to couer

a poore man in a
ate fare in another

ach, hold thee conten-
ot the reproach of thy

iserable life to goe from
or where thou art a stranger
open thy mouth.
halt entertaine and feast, and
kes: moreouer, thou shalt heare

thou stranger, and furnish a ta-
ne of that thou hast ready.
lace thou stranger to an honou-
y brother commeth to be lodg-
need of mine house.
things are grieuous to a man of
: the vpbraiding of houseroome
g of the lender.

HAP. XXX.

ect our children, 7 and not cocker them. better then wealth. 22 Health and life h griefe.

loueth his son, causeth him oft *Of childr
he rod, that he may haue ioy of * Prou.1
l. and 23.1

chastiseth his son, shall haue ‖Or, good
nd shall reioyce of him among ‖Or, kinsf
ance. Deut.6.7

t teacheth his son, grieueth the
fore his friends he shall reioyce

h his father die, yet he is as
re not dead: for he hath left one
at is like himselfe. *Psal.11
e liued, he * saw and reioyced
when he died he was not sor-

behind him an auenger against
and one that shall requite kind-
nds.

maketh too much of his son,
wounds, and his bowels
euery cry.
roken becommeth head-
ft to himselfe will be

and he shall make
im, and he will ‖Or, after

lest thou haue
sorrow

e him-
fter shall

I I.
r speach will tell
discouering his se-
ll fall into it.
or a ‖ small mat-
seeketh for abun-
away.
keth fast betweene the
s: so doth sinne sticke
ng and selling.
n hold himselfe diligently
Lord, his house shall soone.

n one sifteth with a sieue, the
eth, so the filth of man is in his

rnace proueth the potters ves-
triall of man is in his reasoning.
fruit declareth if the tree haue
: so is the vtterance of a con-
rt of man.
o man before thou heareſt him
is is the triall of men.
followest righteousnesse, thou
her, and put her on, as a glori-

irds will resort vnto their like,
returne vnto them that practise

e Lyon lieth in wait for the
e for them that worke iniquitie.
iscourse of a godly man is al-
isedome: but a foole changeth
e.
u be among the vndiscreet, ob-
e: but bee continually among
rstanding.
iscourse of fooles is irkesome,
t is in the wantonnesse of sinne.
lke of him that sweareth much,
haire stand vpright: and their
one stop his eares.
rise of the proud is blood-shed-
ir reuilings are grieuous to the

o discovereth secrets, loseth
hall neuer finde friend to his

nd, and be faithfull vnto
rayest his secrets, fol-

destroyed his ene-
ue of thy neigh-

d goe out of
his

*Prou. 18. ...11.10.10.
‖ *Or, a thing indifferent.*
*Prou. 23. ...
1. tim. 6. ...
alter his

‖ *Or, though* ...7.15.
*Prou 27. ... 16.27.
*Matt. 7. ... 8.10.
...31.35.
...11.19.

and sh
20 .
too farre
snare.
21 As t
and after re
ment: but he
out hope,
22 He * that
keth euill: and he t
part from him.
23 When thou art
sweetly, and will admi
the last he will ‖ writhe
der thy sayings.
24 I haue hated many th
like him, for the Lord will hat
25 Whoso casteth a stone o
it on his owne head; and a dec
shall make wounds.
26 Whoso diggeth a * pit,
in: and he that setteth a trap
therein.
27 He that worketh misch
vpon him, and hee shall not kn
commeth.
28 Mockerie and reproach
proud: but * vengeance as a
wait for them.
29 They that reioyce at
righteous, shall be taken in th
guish shall consume them befo
30 Malice and wrath, euen
minations, and the sinfull
them both

CHAP. XXV

1 *Against reuenge,* 8 *Quarrelling,* 1
backebiting.

HE that reuengeth, shall f
from the Lord, and he w
his sinnes (in remembrance.)
2 Forgiue thy neighbour
he hath done vnto thee, so sha
so be forgiuen when thou pra
3 One man beareth hatre
ther, and doeth hee seeke p
Lord?
4 He sheweth no mercy to
is like himselfe: and doeth hee
nesse of his owne sinne,?
5 If he that is but flesh
who will entreat for pardo
6 Remember thy er
cease, [remember] c
and abide in the Cov
7 Remember th
beare no malice t
ber] the couen
at ignorance.

13 No

IN thre
ſtood vp
men: the *
neighbours,
gether.

2 Three ſor
and I am greatly ot
man that is proud,
and an old adulterer

3 If thou haſt gai
youth, how canſt tho
ſhine age?

4 Oh how comely a th
for gray haires, and for ancient
counſell? o

5 Oh how comely is the w
men, and vnderſtanding and co
of honour? 1

6 Much experience is the c
men, and the feare of God is th

7 There bee nine things
iudged in mine heart to bee hap
tenth I will vtter with my to
that hath ioy of his children,
neth to ſee the fall of his enemi

8 Well is him that dwelle
of vnderſtanding, and that ha
with his tongue, and that ha
man more vnworthy then him

9 Well is him that hath fou
and he that ſpeaketh in the eare
will heare.

10 Oh how great is he that
dome! yet is there none aboue
reth the Lord.

11 But the loue of the L
things for illumination: hee th
‖ whereto ſhall he be likened?

12 The feare of the Lord
ning of his loue: and faith is
of cleauing vnto him.

13 [Giue me] any plague
of the heart: and any wicked
wickedneſſe of a woman:

14 And any affliction, but
from them that hate mee: and
but the reuenge of enemies.

15 There is no head abo
ſerpent, and there is no
wrath of an enemie.

16 *I had rather
a dragon, then to ke
woman.

17 The wic
geth her face, an
like ‖ ſackeck.